

1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

LEIBNIZENS GESAMMELTE WERKE

aus den Handschriften
der Königlichen Bibliothek zu Hannover
herausgegeben
von
Georg Heinrich Pertz.

ERSTE FOLGE
GESCHICHTE.
ZWEITER BAND.

HANNOVER,
IM VERLAGE DER HAHNSCHEN HOF-BUCHHANDLUNG
1845.

ODOFR. WILH. LEIBNITII

ANNALES

IMPERII OCCIDENTIS BRUNSVICENSES

EX CODICIBUS

BIBLIOTHECAE REGIAE HANNOVERANAE

EDIDIT

GEORGIUS HEINRICUS PERTZ.

TOMUS II.

ANNALES ANNORUM 877—955.

HANNOVERAE,

IMPENSIS BIBLIOPOLII AULICI HAHNIANI

1845.

ANNALES IMPERII

OCCIDENTIS

BRUNSVICENSES.

TOMUS II.

ANNO CHRISTI 877.

Carolus querulis literis a papa vocatus iter in Italiam decernit. — Sollicitudo papae de Saracenis repellendis. — Ludovicus Franciae orientalis rex Linones et Siuslos per legatos comprimit. — Carolus Crassus in Italiam irrumpit. — Basilius imperator Gregorium cum classe adversus Saracenos Italiae graves mittit. Literae ad eum papae. — Alia papae tentamina, ut contra Saracenos principes excitaret. Synodum Ravennam convocat. — Ravennae electio et coronatio Caroli comprobatur. — Titulus synodi Ravennatis in manuscripto. — Acta hujus synodi reperta. — Tempus habitae synodi. — Acta synodi Ravennatis. Allocutio papae ad episcopos. — Episcoporum responsio. — Episcoporum conventus Compendii. Tributum pro Normannis. — Capitula Carisiaci condita. — Primores regni, qui, absente imperatore, cum filio res administrare debeant. — Comitum hic nominatorum comitatus exponuntur. — Reliqua Carisiaci ordinata. — Carolus in Italiam profectus papam obvium Ticinum usque reduxit. — Richildis augusta coronatur. Carolomannus adversus Carolum in Italiam venit. — Carolus ex Italia aufugiens in itinere obit. — Locus sepulturae Caroli. Epitaphium ejus. — De morbo Caroli. De medico Sedecia fabulae Trithemii. — Liberi Caroli Calvi. — Icones Caroli Calvi. — Caroli Calvi mores. Ejus eruditio. A Germanis inter augustos non est computatus. — Fata familiae Caroli Calvi. In loco poenarum jacuisse creditus est. — Beneficiariae ditiones in haereditarias versae. Quorundam marchionum, ducum et regum ortus ab hoc tempore. — Ludovicus, post obitum patris acceptum, nimium liberalis in praesentes, absentes proceres offendit. — Hincmari monita ad Ludovicum Balbum. — Ludovicus Balbus rex coronatus et proceribus utcunque conciliatus. — Carolomannus Italiam ingreditur, regnum Italiae occupat et ad mortem usque regit. — Carolomannus quando rex Italiae factus sit, demonstratur. — Carolomanni diploma Gerardo Lucensi episcopo Veronae datum. — Carolomanni diploma in sede regia Papiae datum. — Carolomannus Romae dominus fuit. — Carolomannus valetudinis causa domum redire cogitur. — Lambertus dux obsides ab urbe Roma postulat, a papa negatos. — Papae victoria de Saracenis Carolo imperatori indicata, qui tamen jam obierat. — Carolomannus indicat papae se Romam venturum. Papae literae ad eum. — Angelberga augusta in monasterium S. Sixti Placentini munifica. De obitu Altfridi episcopi Hildeshemensis et ejus gestis. — Johannes Scotus confusus cum Johanne Altsaxone et Johanne sophista. Scoti scripta. Scotus et Erigena significat Hibernum. — Quis Johannes abbas Saxo Alfredo regi a sacris fuerit. Altsaxones denotant Saxones nostros.

1. Imperator, natali Domini die Carisiaci celebrato, filium nuper natum Compendii baptizari curat, et Caroli nomen imponit. Boso puellum ex sacro fonte suscepit, sed vix paucis diebus supervicturum. Ibidem quadragesima cum paschate acta et legati Romani auditi, Petrus Forisempronii episcopus et Petrus Senogalliae, a quibus ad liberandam a Saracenis Italiam vocabatur. Literas attulere, quae 4. Id. Febr. sunt datae. Queritur pontifex, vastatos agros a paganis et malis christianis; reliquias miserorum intra moenia compulsas. Campaniam funditus perditam; hostes jam flumen furtim transire, quod a Tiburtina urbe Romam decurrit, et Sabinos carpere; sanctorum basilicas destructas, altaria

A. 877. eversa, sacros homines abductos. Spem mittendi exercitus, per Leon apocrisiarium factam, inanem fuisse. Cavere imperatorem debere, desperatis rebus ad alia consilia transire cogatur; id est, ut interpre ad Carolomannum respicere. *Multi*, inquit, *quos vestra non igno majestas, non tantum non ferunt auxilia, sed subtrahunt etiam, q hostes reliquere, et omnem nostram in territorio Romano disposition calcant, etiam quadrupedibus abductis. Itaque, fili carissime, quasi hu prostrati, opem non dilatam rogamus.* Tandem Petros ambos episcop legatos suos commendat. Simul ad augustam scribit, ut maritum i pellat. Et mox ipsis Idibus Febr. virentium palmarum bravium mittit, speciem coronae consertum, ut se ad certamen vocari intelligat. *Paga* inquit, *jam Tiberinum fluvium transeunt; ab altera parte falsi filii urb infestant. Ecce Petrus in commissis ovibus mergitur. Eripite vos ea fluctibus. Ita vos Petrus in coeli vestibulo audiat, et reserato ostio aeterna gaudia admittat.* Imperator legatis liberalissime respond jamque iter in Italiam decernit.

2. Johannes interea nihil solicitudinis omiserat. Neapolin usq excurrisse, et cum Landulfo Capuano episcopo et Athanasio Neapolita ejusque fratre Sergio magistro militum sive duce Neapolitanorum Guaiferio Salerni principe consilia contulisse, apparet ex literarum regest Athanasium etiam tunc ordinavit. Lambertum et Widonem fratres i neris comites fuisse, quod Sigonius tradit, non reperio; nec Guaiferiu aut Landulfum a Saracenorum foedere abductos, quod nullum percuss rant. Jam Kal. Febr. reversum, ex iis manifestum est, quas ad Ajon Beneventi episcopum Adalgisi fratrem dedit; ubi questus, quod in itine Neapolitano non affuerit, laudat tamen a benevolentia per epistolam d clarata, speratque, fratrem a pravis hominibus corruptum et cum inimi christiani nominis foederatum, suasu ejus ad saniora consilia revoc posse. Ad Docibilem etiam et Johannem Hypatos pontifex scribit, regi nibus finitimis Graeci juris praefectos; ex quibus Docibilem tenui Cajetam apparet, quo pontifex Walbertum Portuensem et Eugeni Ostiensem legatos ire jussit; debebatque aut Sergius aut aliquis ab f adesse, agique de pacto Neapolitanorum cum Saracenis dissolve Haec Id. Martii ad Landulphum scripta. Etiam Pulcharem Guaiferii nerum praefectum Amalphitanum, 5. Id. Apr. ad perseverandum hort est; eademque die ad Sergium et Athanasium mistas minis admon nes misit. Wigbodum etiam Parmensem auxilia amicorum ciere jube Kal. Aprilis.

3. Ludovicus Saxonum et Austrasiorum rex, conventu generali nuario mense Francofurti habito, captivos Carolinos domum libera remisit. Tum Slavicas gentes, Linones et Siuslos, et his vicinos defe nem molientes, et annua tributa detrectantes, missis gravibus viris, a ritate et victoriae fama circa mediam quadragesimam sine bello comp sit. Dubitavi aliquando, an Siusli (jam aliquoties memorati) S essent. Sed hos remotiores judico; illos inter Salam et Albim, aut e juxta Albim quaeri malim, et pagum Siusli memorari reperio. Lin

etiam Albi propinquos fuisse constat, et quidam ab illis Luneburgum dictum arbitrantur. Nam etsi maxima pars gentis Transalbina essent, partem tamen Luneburgici tractus Winidi tenuere et adhuc tenent. A. 877.

4. Oportet circa haec tempora Carolum regem, Ludovici Germanici filium natu minimum, per Rhaetos, quos tenebat, in Italiam irrupisse et Brixiense virginum monasterium spoliasse, auro etiam sublato, quod ibi deposuerat Angelberga augusta. Ejus querelis motus pontifex, literis 6. Kal. April. datis, regem increpat, qui facinus indignum nobilitate sua et sacrilegum admisisset, excommunicationem etiam interminatus, ni intra 60 dies rapta restituat, legatumque ad se mittat, qui rationem facti aut obsequii reddat: satis pro imperio quidem, quo eventu, ignoratur.

5. Interea Gregorius, a Basilio augusto missus, cum classe Hydruntum venit, et ipse mox ad Beneventanorum fines accessit. Illic agenti 15. Kal. Maji pontifex scripsit, et adventum gratulatus, de imperatoris valetudine quaesivit; simul decem chelandria petiit, ut ora Romana a Saracenorum sagenis purgaretur. Literas ad Ajonem Beneventi episcopum curandas misit, simul rogans, ut fratrem ad meliora impellat; *quia nos, inquit, cum carissimo filio nostro Lamberto glorioso duce, qui nobis in omnibus adhaeret* (sic credi voluit papa) *aliisque bonis dabimus operam, ut impium cum Agarenis foedus dissolvatur.* Gregorium Erchempertus bajulum, pontifex ad ipsum scribens paedagogum imperialem vocat; an quod filiorum Basilii pueritiam moderatus esset. At hic non multo post Barin occupavit, vocantibus civibus, qui destituti ab omnibus, sibi a Saracenis metuebant, et statim Graeca fide gastaldum primoresque correptos Constantinopolin misit. Pro *Ganst* apud Erchempertum lego *Gast*, et gastaldum interpretor. Sed haec, extincto demum Carolo imperatore, contigisse judico. Itaque falsus est, ut in multis aliis, Constantinus Porphyrogenneta augustus, qui ipsum Ludovicum caesarem Barin captam avo suo Basilio ex foedere tradidisse scripsit.

6. Johannes vero novum congressum ad Trajectum (Liris scilicet amnis) moliebatur, quo venturus ipse Guaiferium cum Pulcare et Landulfum accersebat, 4. Kal. Maji scribens; sperabat et Sergium affore, cui spe majora pollicebatur. Iter fecit, foedus Saracenicum dissolvi obtinuit (nisi deceptus est), ut ex epistola intelligitur, quam 6. Kal. Jun. ad Johannem Ravennatem archiepiscopum dedit. Proxima de magna Italiae synodo cura fuit, quam Ravennam convocabat; ut ex literis apparet ad Anspertum Mediolanensem episcopum, Ursum ducem Venetiarum, aliosque 8. aut 6. Kal. Jun. datis; quando et Johanni Ravennati significat sese 16. Kal. Aug. ad habendum concilium affore, quod 11. Kal. (Rubeus habet *ipsis Kalendis*) inchoari debebat. Nempe obviam iturus adventanti augusto, itineris opportunitate usurus erat, ut Italiam per excitos episcopos ad communem opem commoveret; secutus etiam voluntatem caesaris, qui synodi generalis suffragia desiderabat, ut mox intelligemus.

7. Hanc esse synodum arbitror, cujus acta deinde imperatori, jam Urbam usque in Helvetiis progresso, pro munere magno Adalgarius episcopus attulit, memorante Bertiniano scriptore. Ibi post laudes impera-

A. 877. tori dictas electio ejus et coronatio comprobabatur; anathema turbatoribus, clericis etiam depositio denuntiabatur: *ut scilicet, quae Pontigoni verbis, quae apud Andernacum armis nequicquam tentata erant, pastorali pedo perficerentur.* Ita irridens Bertinianus annalista.

8. Vetusto cuidam exemplari, acta synodi cujusdam continenti, Sirmondus ita fere inscriptum reperit: *Synodus, quam Adalgarius episcopus nomine Johannis papae et aliorum episcoporum Carolo attulit ad Urbam civitatem.* Tum ita subjiciebatur: *Sequuntur gesta, quomodo domnus Karolus, filius Hludovici imperatoris, fuit factus imperator Romae tempore Johannis apostolici, anno incarnationis Domini 877 ind. 10.*

9. Acta ipsa continent orationem Johannis papae ad coetum episcoporum pro Caroli imperio constabiliendo et patrum acclamationes. Ea pridem ediderat Petrus Pithoeus. Quidam retulere ad Ticinensem conventum, superiori anno celebratum, tanquam illuc et papa accessisset; alii ad synodum, Romae in ipsa Caroli electione habitam; inscriptione decepti, quae intelligi debet de praesenti relatione rei prius Romae gestae, annumque superscriptum habet praesentem; cum Romae acta sub exitum a. D. 875. initiumque proximi contigerint. Et ne quis in numero inscriptionis vitium suspicetur, diserte ipse pontifex in promulgata hic sententia confirmari ait rem nuper, id est praeterita nona indictione, gestam: quae verba tum Romanam electionis ipsius synodum, tum Ticinensem nuperam excludunt; cum etiam Ticini pontificem affuisse, dici non possit, neque ulla hujus Longobardici itineris vestigia in epistolis ejus aut alibi extent. Sed nec rem Romae actam dici potest, quando ita in allocutione habet pontifex: *Nos quod jam in Romana ecclesia gessimus, etiam in sancta hac fraternitatis vestrae synodo, ad quam Deo duce pro innumeris necessitatibus et utilitatibus sanctae Dei ecclesiae convenimus, oris vocibus et manus subscriptionibus roboremus.* Quibus omnibus consideratis, concludendum est, totum hoc, quod Sirmondus reperit, ad Ravennatem synodum, mense Augusto hujus anni celebratam, pertinere; et ex ea sententiam patrum, ut rem novam et magnam, ab Adalgario ad Carolum delatam fuisse. Atque ita acta potissima concilii Ravennatis, per regnum Italiae generalis, ignorata scriptoribus, suo loco temporique restituta damus.

10. Rubeus historicus Ravennas, ad nos non pervenisse scripsit: Holstenius tamen in collectione Romana nonnulla, sed minoris momenti, nec nisi ad solita disciplinae ecclesiasticae spectantia, hac inscriptione: *Johannis papae VIII. synodus Ravennae habita cum 130 episcopis, anno Christi 877, mense Augusto, ind. 10.* Prope in finem mensis durasse, apparet, quod Adalgario Heduorum episcopo, qui scilicet pro imperatore aderat, possessio monasterii Flaviniaci, siti in pago Alsensi, Augustodunensis parochiae, 6. Kal. Sept. confirmata est a patribus; et diplomati quinquaginta duo episcopi, pars synodi non modica, subscripsere. Ansegisus non amplius in Italia erat, revocatus ob papae querelas. Adelgarium Novembri superiore Roma digressum, diximus: Februario illuc a

caesare remissum, Bertinianus scriptor notavit, et quidem synodi habendae causa. Tantum Carolus verbis tribuebat, dum aemulus Carolomannus arma comparabat. Sed nos ipsa synodi pro caesare acta exhibeamus. A. 877.

11. Equidem nihil aut pontifici aut senatui Romanorum in regno Longobardorum ordinando juris erat; pontifex tamen ita peroravit in conventu, ut exemplum suum imitandum proponeret; episcopi ita responderunt, ut sequi viderentur. Sed hoc facilius licuit, quod jam Longobardorum proceres Ticini assensissent. Pontifex patres synodi allocutus dixit, clarissimum sidus terris illuxisse Carolum christianissimum principem, nepotem magni illius Caroli, qui rem publicam victoriis amplificavit, sapientia ornavit; qui ecclesiam purgavit erroribus, qui orbem literis erudivit. Hujus filium divum Ludovicum pietate inclytum, divinos cultus sua munificentia amplificasse: ex hoc natum Carolum hunc alterum serenissimum et tranquillissimum imperatorem; cumulatum utriusque laudibus, avitum studium et paternam solicitudinem vicissé, ecclesias ditasse, sacerdotes honorasse, viros peritos amplecti, religiosos venerari, omnes ad utramque philosophiam informare. Unde satis intellectum sit, hunc a *Deo* ante jacta mundi fundamenta, protegendae ecclesiae, regendae rei publicae destinatum. Id decessori suo Nicolao, apostolicae memoriae viro, jam dudum inspiratione divina revelatum: se vero Dei sententiam et commune votum fratrum coepiscoporum, et ministrorum sanctae Romanae ecclesiae, amplissimique senatus et totius populi Romani gentisque togatae secutum, hunc secundum priscam consuetudinem solenniter ad imperii Romani thronum provexisse, et augusti nomine decorasse, unxisseque oleo extrinsecus, ut interiorem quoque unctionis a sancto Spiritu virtutem demonstraret, qua unxit eum dominus Deus prae consortibus suis. *Neque*, inquit, *hic perpetuus augustus ad tanta fastigia importuna ambitione aut prava machinatione ascendit, sed postulatus a nobis et a Deo vocatus obtemperavit. Quapropter, fratres carissimi, unanimes atque id ipsum sentientes, ne sint in nobis schismata, benedicamus Domino, qui hunc nobis talem tribuit, a quo paganorum contritio, christianorum solamen expectatur: nos vero, quod jam autore Domino in Romana ecclesia gessimus, quae est magistra et mater et caput ecclesiarum, preces benedictionis fundentes, et imponentes ei coronam imperii; id nunc etiam in hac sancta et generali fraternitatis vestrae synodo, iteratis affectibus vocibusque, ac ipsa manuum subscriptione, roboremus.*

12. Baronio ipsi visus est panegyrista in hyperbolas abreptus, plusque artis quam veritatis in dictis fuisse. Carolo potius poenitentiam irrogandam fuisse, quod alienum regnum invasisset, quam sceptrum credendum, quo iniquitas confirmabatur. Quid vero regni communio ad ecclesiae unitatem? an schisma erat, si alium Longobardi quam Romani principem habuissent? At episcopi Longobardi, dissimulato sophismate, in Johannem adulabundi: *Tuae quidem mentis apicem, o beatissime atque apostolice papa; Spiritus sancti gratia illustratum agnoscimus, quae ardentes pariter et eloquentes facit. Spiritalem filium tuum, dominum*

A. 877. tori dictas electio ejus et coronatio comprobabatur; anathema turbatoribus, clericis etiam depositio denuntiabatur: *ut scilicet, quae Pontigo[nis] verbis, quae apud Andernacum armis nequicquam tentata erant, pastora[li] pedo perficerentur.* Ita irridens Bertinianus annalista.

8. Vetusto cuidam exemplari, acta synodi cujusdam continenti, Si[r]mondus ita fere inscriptum reperit: *Synodus, quam Adalgarius episcopus nomine Johannis papae et aliorum episcoporum Carolo attu[lit] ad Urbam civitatem.* Tum ita subjiciebatur: *Sequuntur gesta, quomod[o] domnus Karolus, filius Hludovici imperatoris, fuit factus imperato[r] Romae tempore Johannis apostolici, anno incarnationis Domini 87[7] ind. 10.*

9. Acta ipsa continent orationem Johannis papae ad coetum episcoporum pro Caroli imperio constabiliendo et patrum acclamatione[s]. Ea pridem ediderat Petrus Pithoeus. Quidam retulere ad Ticinensem conventum, superiori anno celebratum, tanquam illuc et papa accessisset; alii ad synodum, Romae in ipsa Caroli electione habitam; inscription[e] decepti, quae intelligi debet de praesenti relatione rei prius Romae gestae annumque superscriptum habet praesentem; cum Romae acta sub exitum a. D. 875. initiumque proximi contigerint. Et ne quis in numero inscriptionis vitium suspicetur, diserte ipse pontifex in promulgata hic sententia confirmari ait rem nuper, id est praeterita nona indictione, gestam quae verba tum Romanam electionis ipsius synodum, tum Ticinensem nuperam excludunt; cum etiam Ticini pontificem affuisse, dici non possit neque ulla hujus Longobardici itineris vestigia in epistolis ejus aut alib[i] extent. Sed nec rem Romae actam dici potest, quando ita in allocution[e] habet pontifex: *Nos quod jam in Romana ecclesia gessimus, etiam in sancta hac fraternitatis vestrae synodo, ad quam Deo duce pro innumeri[s] necessitatibus et utilitatibus sanctae Dei ecclesiae convenimus, oris vocibus et manus subscriptionibus roboremus.* Quibus omnibus consideratis, concludendum est, totum hoc, quod Sirmondus reperit, ad Ravennatem synodum, mense Augusto hujus anni celebratam, pertinere; et ex ea sententiam patrum, ut rem novam et magnam, ab Adalgario ad Carolum delatam fuisse. Atque ita acta potissima concilii Ravennatis, per regnum Italiae generalis, ignorata scriptoribus, suo loco temporique restituta damus.

10. Rubeus historicus Ravennas, ad nos non pervenisse scripsit; Holstenius tamen in collectione Romana nonnulla, sed minoris momenti, nec nisi ad solita disciplinae ecclesiasticae spectantia, hac inscriptione: *Johannis papae VIII. synodus Ravennae habita cum 130 episcopis, anno Christi 877, mense Augusto, ind. 10.* Prope in finem mensis durasse, apparet, quod Adalgario Heduorum episcopo, qui scilicet pro imperatore aderat, possessio monasterii Flaviniaci, siti in pago Alsensi, Augustodunensis parochiae, 6. Kal. Sept. confirmata est a patribus; et diplomati quinquaginta duo episcopi, pars synodi non modica, subscripsere. Ansegisus non amplius in Italia erat, revocatus ob papae querelas. Adelgarium Novembri superiore Roma digressum, diximus: Februario illuc a

caesare repulsum, Bertinianus scriptor notavit, et quidem synodi habendae causa. Tantum Carolus verbis tribuebat, dum aemulus Carolomannus arma comparabat. Sed nos ipsa synodi pro caesare acta exhibeamus. A. 877.

11. Equidem nihil aut pontifici aut senatui Romanorum in regno Longobardorum ordinando juris erat; pontifex tamen ita peroravit in conventu, ut exemplum suum imitandum proponeret; episcopi ita responderunt, ut sequi viderentur. Sed hoc facilius licuit, quod jam Longobardorum proceres Ticini assensissent. Pontifex patres synodi allocutus dixit, clarissimum sidus terris illuxisse Carolum christianissimum principem, nepotem magni illius Caroli, qui rem publicam victoriis amplificavit, sapientia ornavit; qui ecclesiam purgavit erroribus, qui orbem literis erudivit. Hujus filium divum Ludovicum pietate inclytum, divinos cultus sua munificentia amplificasse: ex hoc natum Carolum hunc alterum serenissimum et tranquillissimum imperatorem; cumulatum utriusque laudibus, avitum studium et paternam solicitudinem vicissé, ecclesias ditasse, sacerdotes honorasse, viros peritos amplecti, religiosos venerari, omnes ad utramque philosophiam informare. Unde satis intellectum sit, hunc a *Deo* ante jacta mundi fundamenta, protegendae ecclesiae, regendae rei publicae destinatum. Id decessori suo Nicolao, apostolicae memoriae viro, jam dudum inspiratione divina revelatum: se vero Dei sententiam et commune votum fratrum coepiscoporum, et ministrorum sanctae Romanae ecclesiae, amplissimique senatus et totius populi Romani gentisque togatae secutum, hunc secundum priscam consuetudinem solenniter ad imperii Romani thronum provexisse, et augusti nomine decorasse, unxisseque oleo extrinsecus, ut interiorem quoque unctionis a sancto Spiritu virtutem demonstraret, qua unxit eum dominus Deus prae consortibus suis. *Neque*, inquit, *hic perpetuus augustus ad tanta fastigia importuna ambitione aut prava machinatione ascendit, sed postulatus a nobis et a Deo vocatus obtemperavit. Quapropter, fratres carissimi, unanimes atque id ipsum sentientes, ne sint in nobis schismata, benedicamus Domino, qui hunc nobis talem tribuit, a quo paganorum contritio, christianorum solamen expectatur: nos vero, quod jam autore Domino in Romana ecclesia gessimus, quae est magistra et mater et caput ecclesiarum, preces benedictionis fundentes, et imponentes ei coronam imperii; id nunc etiam in hac sancta et generali fraternitatis vestrae synodo, iteratis affectibus vocibusque, ac ipsa manuum subscriptione, roboremus.*

12. Baronio ipsi visus est panegyrista in hyperbolas abreptus, plusque artis quam veritatis in dictis fuisse. Carolo potius poenitentiam irrogandam fuisse, quod alienum regnum invasisset, quam sceptrum credendum, quo iniquitas confirmabatur. Quid vero regni communio ad ecclesiae unitatem? an schisma erat, si alium Longobardi quam Romani principem habuissent? At episcopi Longobardi, dissimulato sophismate, in Johannem adulabundi: *Tuae quidem mentis apicem, o beatissime atque apostolice papa; Spiritus sancti gratia illustratum agnoscimus, quae ardentes pariter et eloquentes facit. Spiritalem filium tuum, dominum*

A. 877. *Carolum imperatorem, christianissimum principem, augusta Romani sceptri gubernacula diu inconcussa tenere cupimus. Praeterea tua vestigia sectantes, quem amas, amamus; quem eligis, eligimus; quae gessisti, laude prosequimur; et, si necessitas exigat, toto officii conatu defendemus. Domini ordinationi resistet, qui huic repugnabit.* Post quaedam in eundem sensum ultro citroque dicta, summus pontifex surgens, sententiam protulit in hunc fere modum: *Serenissimi filii nostri Caroli, magni et pacifici imperatoris, ad imperialia sceptra electionem, praeterita nona indictione per ministerium nostrae mediocritatis exhibitam, annuente Domino, in perpetuum stabilem manere debere, decernimus.* Responderunt omnes: *Placet, placet.* Item: *Si quis hanc rei divinitus actae institutionem aliqua certe ambitione perturbare tentaverit, anathemate usque ad satisfactionem teneatur. Fiat. Fiat. Participes pessimi consilii, ecclesiastici deponantur, laici et monachi anathemate feriantur. Fiat. Fiat. Fiat.*

13. Voluntati pontificis, tantopere pro imperatore satagentis, non defuit ipse. Et primum Kalendis Maji episcopos Remensis provinciae et vicinarum Compendium convocavit, ubi aedem sacram magnifice structam a legatis pontificiis magno apparatu consecrari voluit. Ibi parti antiquae regni sui, sed neque huic toti, tributum pro Normannis irrogatur. Episcopi, abbates, comites, vassi dominici et de propriis allodii mansis, sive ipsi teneant, sive vasallis dederint in beneficium; et ex suis honoribus, id est de mansis, quae in feudum habent; denique etiam de mansis abbatiarum aut aliarum ecclesiarum, quas tenent, praefinitam summam dabunt. In mansum indominicatum constituuntur denarii duodecim; in mansum ingenuilem, quatuor de censu dominicato, et quatuor de facultatibus mansuarii; de servili vero manso duo denarii de censu indominicato; totidem de mansuarii facultate. De presbytero, a quo plurimum, quinque solidi, a quo minimum, quatuor denarii exiguntur. Etiam de thesauris ecclesiarum aliquid dari placuit. A negotiatoribus, qui in civitatibus versantur, pro facultatibus conjectus exigatur. Confectae sunt librae argenti quinquies millenae. Sed annales notant, trans Sequanam Neustrios prioribus in Ligeri Normannis tributum pependisse, aliudque Burgundis impositum. Id, credo, imperator in apparatus itineris destinabat. Haec perfecta sunt generali placito, quod in Carisiaco actum est, ubi dona regi ferri solebant.

14. Extant capitula 18. Kal. Jul. confecta. Imperator ratione itineris reddita, de regni administratione sententiam suam aperuit ordinibus, et consilium petiit. Illi nihil a se melius suggeri posse responderunt. Sed cum injecta esset quaestio, quomodo de filio et fidelibus securus esse posset: illi reponunt, filii curam ad neminem magis quam ipsum regem pertinere; pro se vero ad sacramenta data provocarunt in Carisiaco olim; mox post mortem Lotharii regis in Gandulfi villa, et novissime Remis. Qui non servaverit, poenam laturum; qui nondum juraverit, ab hoc exigendum jusjurandum.

15. Arbitrio etiam principis relictum est, quos ducere secum, quas scaras opponere domi nepotibus vellet. Ipse cum filio esse alternatim

jubet, ex episcopis Ingilwinum Parisiaum, Reinelmum Tornacensem, A. 877.
Odonem Bellovacensem, Hildeboldum Suessionensem, ex abbatibus Welphonem avunculum suum, Gauzlinum et Fulconem. Hunc abbatem S. Bertini interpretor, qui postea archiepiscopus Remorum Hincmaro successit. Huic enim abbatiae praefuisse, Mabilio notavit. Ex comitibus Theudericum, Balduinum, Conradum, Adalelmum; et quoties fieri possit, Bosonem ac Bernardum. Si trans Mosam proficiscatur, adesse jubentur episcopi Franco Tungrensis et Johannes Cameracensis, comites Arnulfus, Gislebertus, Letardus, Matfridus, Widricus, Gotbertus, Adalbertus, Ingelgerus, Rainerus. Trans Sequanam proficiscenti, Hugo abbas, Waltherus Aurelianensis, Wala Autissiodorensis, Gislebertus Carnotensis episcopi, una cum praedictis.

16. Vellem tam comitatuum quam episcopatuum designationes, virorum nominibus additas haberemus. Sed episcoporum cujusque ecclesiae indices diptychis inscribebantur passim, et in synodis signabant. Comitum aut principum nomina vix aliquando obiter attinguntur, aut in chartulariis ecclesiarum in beneficiorum memoriam conservantur. Boso gener Ludovici II. augusti, Balduinus ipsius Caroli, neminem latent. Sed nec Conradus, qui erat ex Welfonum genere, consobrinus imperatoris, avunculi Conradi filius. De Theuderico mox erit dicendi locus. Adalelmus Laudunensis comes Roberti Fortis frater nonnullis habetur, ex annalibus Metensibus ad a. D. 892. Gislebertus esse possit comes Mansuariorum, maritus, ut volunt, Ermengardis, Lothario augusto natae. Letardus an Begoni comiti Parisiorum natus ex Alpaide, filia Ludovici Pii? Bernardos plures habuimus. Frodoardus comiti Redonensi hujus nominis Hincmarum scribentem inducit, ut Bernardum Tolosanum admoneat, ne res ecclesiae Remensis in illis regionibus disperdat, nescio an diverso ab Arvernico; nam huic quoque easdem res contra Tolosanum commendavit.

17. Adalardus comes palatii semper cum sigillo adesse jubetur principi, matris ejus Irmentrudis avunculus, et post tot simultates imperatori utcunque, ut apparet, reconciliatus. Quodsi is pro aliqua necessitate abfuerit, Gerardus sive Fridricus, vel aliquis eorum, qui cum eo scariti, id est qui ei assignati sunt, causis intendat et paci prospiciat. Comites per suos comitatus omnem vim prohibeant, malla teneant, paratos habeant, qui expeditionibus destinantur. Ex missis suum quisque missaticum curet; qui regis aut reginae, aut itineris comitum, villas aut homines infestaverit, triplo componat, sicut qui in trustem, id est fidem dominicam, aliquid committit. Agitur et de regno Britonum revocando, quod quamvis juramentis firmatum, nunc cesset eorum obitu, quibus datum erat, Salomonis scilicet et filii ejus. Cavetur, ut monasterium Compendii B. Virgini dicatum, cujus templum praesentibus legatis pontificiis, novissime multo apparatu nuper consecratum, a filio et caeteris in honore habeatur: castellum etiam ibidem structum perficiatur. Improperatum Carolo est, quod ex Compendio tertiam Romam moliretur, Carlopolis nomine, ad Constantinopolis exemplum, ut Martinus Polonus habet. Filio

A. 877. praescribit, in quibus locis venatione abstinere debeat, et Adalelmo comiti forestorum cura commendatur.

18. De honoribus vacantibus placuit, ut expectaretur imperatoris sententia; interim episcopatus archiepiscopus curam gerat, archiepiscopatus vicinus aliquis episcopus cum quodam comite; abbatiae episcopus dioeceseos, adhibito comitis auxilio. Comite defuncto, filius ejus, adjuvante episcopo et ministerialibus comitatus, rebus praesint, donec re ad imperatorem delata, honorem paternum accipiat. Quodsi filius comitis in expeditione sit, consilio procerum constituatur, ut, qui maxime propinqui familiaresque defuncto fuerint, cum episcopo curam comitatus gerant, donec filius imperatoris jussu sufficiatur. Idem fiat ad jussa usque imperatoris, si filium defunctus non reliquerit. Similiter de caeteris vassis regiis placuit. Et idem tum in primis Carisiacensibus capitalis, tum in novissimis cavetur.

19. Ex his intelligimus, jam tum in morem vel jus abisse, ut filii comitum caeterorumque vasallorum in paternos honores surrogarentur. Neque enim nova tunc jura condita putandum est; quanquam fortasse tunc primum mos in scripturam transierit. Illud in cumulum additur, ut etiam in posterum se quamvis defuncto, si quis vassorum regiorum curis secularibus renuntiare velit, filio, aut etiam propinquo, honores suos placitare possit. Placitare interpretor placito publico obtinere. Et, si in alodio suo quiete vivere velit, hoc nemine obstante possit, nulla alia obligatione, quam ad expeditiones, quae pro patriae tutela suscipiuntur. Caeterum imperator filium suum paratum esse jubet, ut se reverso Romam ire possit, sumendae coronae regiae tuendaeque ecclesiae causa; Lotharii, credo, augusti exemplum imitaturus, qui filium Ludovicum in Italiam miserat, et regem primum, ac deinde augustum appellarat. Se mox in Italiam sequi jubet Willibertum episcopum Catalaunensem, Arnoldum Tullensem, Walam Autissiodorensem.

20. Praeterea imperator non aspernabili prudentia, quasi praesagus futuri, in mortis suae casum res constituit; ut capitulare praesens in testamenti vicem accipi possit. Jubet, ut filius novercae augustae concessa confirmet servetque. Similiter filiabus et filiolae cavet, et hanc vult in matris potestate educari, nec invitam in monasterium trudi. Haec filius et ordines regni comprobant. De relictis eleemosynas dari jubet, eamque curam praesulibus Hincmaro, Franconi, Odoni, abbati Gauzlino, comitibus Arnulfo, Bernardo, Conrado, Adalelmo committit. Libros in thesauro suo repositos, inter ecclesias S. Dionysii prope Parisios et S. Mariae Compendiensis, et filium suum dividi constituit. Huic conventui non affuisse Bosonem et Hugonem abbatem, et Bernardum comitum Arvernicum, ex epistola Hincmari mox ad Ludovicum data apparet.

21. Carisiaco Compendium imperator, tum per Suessiones Remos adiit; inde Catalaunos Lingonesque emensus, cum uxore et magna auri argentique vi, Italiam petiit. Inter Juram et Alpes ad Urbam Helvetiorum Adalgarius occurrit, qui synodi nuperae decretum de stabilitate imperii ferebat, expetitum principi, speciosa magis quam firma sectanti, et

plus praesidii in episcopis quam armatis ponenti. Idem attulit, pontificem Ravenna digressum, Ticinum usque obviam venire. Cui excipiendo colendoque imperator Odacrum, secundi scrinii notarium (secundicerium Romani appellant), Goiramum comitem et Pipinum ac Heribertum, propinquos de stirpe regia viros, misit. Hos Pipini comitis, Bernardo rege Italiae nati, filios habent scriptores; et ab Heriberto, qui saepius occurret, veterum Veromanduorum comitum stirpem deducunt. Odacrum eum esse, apparet, qui a. D. 876, imperatore Ticini agente, privilegium Ansberto Mediolanensi archiepiscopo datum, Audacher ad vicem Gauzlini 4. Kal. Martii expedivit, apud Purisellum in Mediolanensibus monumentis ex authentico repraesentatum. Ipse intelligens Carolemanni nepotis apparatus, paulo serius ad arma respexit, et Hugonem abbatem pro duce intra Sequanam et Ligerim comitatus regentem, Bosonem ducem, Bernardum Gothiae marchionem, et Bernardum Arvernicum cum copiis ex sua quemque provincia venire jussit. Tum festinato itinere Alpibus superatis, papam jam Vercellas usque progressum praeter opinionem invenit. Ibi magnifice cultum secum Ticinum reduxit, regni Longobardici sedem. A. 877.

22. Illic convocatis proceribus, de re publica tractaturis, trepidus nuntius attulit, Carolomannum cum ingenti exercitu Germanorum et Winidorum per vallem Tridentinam descendere. Ergo Dertonam se recipiunt, ubi Richildis augusta coronam ex pontificis manibus accepit; quae causa illi itineris fuit. Festinatio et locus fecere, ut magnificentia esset infra apparatus. Nec mora, imperatrix jam fugere sueta, cum thesauris et pretiosa supellectile per Alpes et Mauriennam redit. Imperator proceres evocatos expectavit, ut vires opponeret hosti adventanti. Sed illi pro milite excusationes misere. Bertinianus annalista conspirasse ait, neque ego de voluntate illorum magnifice senserim. Apparet tamen, et tempore exclusos: nam in conventu ad Carisiacum Ludovico imperatoris filio, et rebus domi administrandis operam dare jubebantur.

23. Appropinquante ergo Carolomanno, cum omnis mora periculosa videretur, papa caesari valedicens, Romam recurrit. Nec tamen indonatus discessit; et imperator magnitudinis suae non oblitus, imaginem Servatoris, in cruce fixi, ex auro multi ponderis fabrefactam gemmisque ornatam, abeunti dedit donarium in aede Vaticana collocandum. Inde uxorem secutus, febri corripitur in itinere; et dum lectica fertur, nescio quem pulverem bibit, quem Sedecias miserat, natione Judaeus, professione medicus; cui nimium imperator tribuebat, ut solent principes empiricorum promissis libentius credere, quam modestiae peritorum. A sumto remedio exasperatum est malum. Itaque superato Cenisio, imperator cum Brios venisset, et prae aegritudine progredi non posset, imperatricem ad se revocat, et extremis appropinquantibus, praeceptum ei manu sua signatum credit, quo filio regnum tradebatur. Addidit et gladium, qui sancti Petri dicebatur, tanquam signum possessionis datae, quod investituram vocabant; coronam item et sceptrum ex auro et gemmis, regiumque omne vestimentum. Tandem undecimo die ab hausto

A. 877. medicamento, magnus princeps in vilissimo tugurio pridie vel, ut alii, 3. Non. Octob. ex hac vita discessit.

24. Corpus exenteratum, vinoque maceratum et aromatibus conditum, in dolio picato ad S. Dionysii aedem deportari debebat: sed bajulis foetorem non ferentibus, monasterium Nantoadis in Sebusianis sepulcrum praebuit. Locus est in Bressia Lugdunensis dioecesis. Epitaphium tale depositum refertur:

Hoc domini Caroli servantur membra sepulcro,
Conspicuus Romae qui fuit imperio;
Dardaniaeque simul gentis non sceptra relinquens,
Sed potius placide regna tenens alia.
Ecclesiamque pio tenuit moderamine Christi,
Semper in adversis tutor et egregius.
Italiam pergens, febribus corrumpitur atris,
Et rediens nostris obiit in finibus.
Quem Deus excelsis dignetur jungere turmis,
Sanctorumque choris consociare piis.
Quinta dies mensis lumen cum panderet orbi
Octobris, spiritum reddidit ille Deo.

Dardania gens Franci sunt, qui se jam tum per fabulas ad Trojanos referebant. Tandem post annos septem (ut habet Aimoini continuator) monitu manium, si Alberico credimus, ossa ad locum destinatum perlata sunt, ubi et epitaphium visitur, sed quod serius scriptum est.

25. Plerique a Sedecia venenum ei missum credidere: sed Carolomanni moribus non conveniebat, veneno grassari, qui ferro valebat. Neque Bosoni scelus tribuere ausim, incerto fructu, quem postea percepit; certo interim damno, in viduata sorore. Credibile est, remedium anceps fuisse; qualia nunc quoque non desunt, quae ex venenis utcunque emendatis parantur, magnae in alterutrum efficaciae, pro ratione praeparandi aut corpore, in quod incidere. Aberat praeterea medicus, qui miserat: eo facilius peccari potuit. Dysenteria obisse imperatorem, Fuldensis scriptor prodidit; sed hanc ex venenis nasci solere observatum est. Febribus atris, id est febri maligna, extinctum, in epitaphio habetur. Regino Sedeciam sycophantam vocat, (sic enim legendum, non *sicarium*, ex MS. annalibus colligo, quibus exscribitur). Addit, magicis praestigiis incantationibusque mentes hominum delusisse. Trithemius velut circumforaneum describit, qualis apud ipsum Faustus senior memorabatur, quem alius junior aemulatus est. Ait, Sedeciam, fascinatis spectantium oculis, ludibria mira principibus objecisse; devorasse hominem armatum, currum etiam foeno onustum cum auriga et equis. Amputabat hominum capita, manus pedesque, sanguinem pelvi excipiebat, mox omnia restituebat. In aere incedens (si diis placet) speciem venationis praebebat.

26. Liberos ex Ermintrude regina, filia Odonis comitis (Aurelianensis, ut creditur), habuit mares et adultos, Carolum ab Albuino, quem ignotus lacessierat, in capite vulneratum, aliquot post annis extinctum,

ut supra diximus; Ludovicum, qui successit; Lotharium claudicantem, A. 877.
factum abbatem, qui a. D. 866. obiit; Carolomannum, quem pater damnatum ob rebellionem, excaecari jusserat, extinctum a. D. 869. Filia ex Ermengarde memoratur Juditha, primum Edelwulfo regi occidentalium Saxonum, deinde Balduino comiti nupta. Nam quod filio etiam Edelwulfi, extincto patre, nupserit, non admiserim. Ex Richilde Bosonis sorore nati filii, omnes in infantia obiere. Aliae etiam filiae memorantur, sed incertae matris; Irmentrudis abbatissa Hasnoniensis, diplomate patris apud Miraeum in codice donationum; Rotuldis, abbatissa tandem Suessionensis et apud Chellas, sed antea conjugata. Filia Hugoni duci nupta, quem Quercetanus Hugonis Capeti, Buccelius rectius Richardi patrem facit. Idem filiabus Rotrudem addit, S. Crucis abbatissam.

27. Icona principis bis habet Colberti bibliotheca in duobus libris, quos capitulum Metensis ecclesiae cathedrale concessit. Ambo libri ipsius Caroli fuere. Unus est codex sacrorum bibliorum praegrandis, picturis ornatus, quarum in aliqua codex ipse, a monachis S. Martini *Metensis*, sedenti in throno principi offertur. Latera claudunt proceres *bini*, et mox totidem excubitores galeati, alter lancea, alter gladio armati. Alter liber est precum, literis aureis mirifice scriptus, ebore gemmisque vestitus, mortua Irmintrude, ut Baluzius conjicit, donatus Metensi ecclesiae; quod inutilis jam domino esset, quando preces pro conservatione reginae conjugis insertae cessabant. Initio libri depictus visitur in solio Carolus. Capiti, ut in superiore figura, manus aurea imminet, quasi a Deo coronato, ut litaniae loquebantur. Dextra sceptrum tenet, quod in crucis duplicis speciem abit, postremoque in lilium exit, qui mos sceptrorum etiam apud Germanos; ne quis insignia Francica somniet. Laeva calvariam tenet, in speciem globi mundani formatam, et crucem sustinentem. Sed vera lineamenta ex talibus picturis non speres; adeo plures idem exhibent. Aliam Caroli icona ex libro delineatam Mabilio in *itinere* Italico etiam ad hunc refert. Fratris Lotharii augusti icona supra memoravimus ad obitus annum, et discrimen coronarum, cum scilicet Carolus nondum imperator appellatus esset.

28. Multa de moribus Caroli passim attigimus, quae recolligere non vacat. Ab Hincmaro ut mutabilis nuper depictus est; perfidiam nec amici excusant. Verba ad acquirendum, non ad perdendum nata, credebat; quaesita negligebat, ut nova captaret. Ingenio et facundia, juvenemque etiam audacia non caruisse, constat. Multa adversa domi, et Normannicae maxime clades, mentem non acuisse, sed animos infregisse, apparet. Itaque provecta aetate timiditatis accusatus est, tum cum bella manus poscebant. Doctrina claruit, studiisque etiam sacrarum literarum a pio patre excultus est, ut ipse ad Hadrianum papam pro sua defensione scripsit. Salomon quidam sui temporis habebatur; unde famae alludens Hincmarus, Salemonis ferculum carmine scriptum ad eum misit. Eruditorum fautor insignis habitus est. Itaque et Johannes Erigena et Ratramnus apud eum in favore fuere, et hortatu ejus libros scripsere de

A. 877. eucharistia et praedestinatione; ille etiam opera pseudepigrapha Dionysii Areopagitae in Latinum transtulit. Anastasius bibliothecarius jam imperatori versam a se vitam Dionysii Areopagitae misit, a Methodio quodam Graece scriptam; illone, qui Slavorum apostolus habetur? nam apparet, recens fuisse opusculum, quod res ab Hilduino Franco suppeditatas contineret. Methodius vitae autor a Frodoardo Constantinopolitanus appellatur, quod non repugnat. Herricus monachus Autissiodorensis, qui libros, de vita miraculisque S. Germani carmine scriptos, huic principi adepto imperio nuncupavit, non satis ejus studium reparandarum literarum depraedicare potest. Salomoni et ipse comparat, ad quem conveniant sapientes. Hibernos affluere, Graecos allici; dolere Graeciam suis ornamentis spoliatam; palatium ejus pro schola esse. Milonem monachum S. Amandi Sigebertus refert metro ad eum scripsisse de sobrietate. Idem addit, Hubaldum ex eodem monasterio trecentos ei versus misisse in laudem Calvorum. Ibi vocabula omnia literam C initialem habent. Ex quo intelligimus, Calvi cognomen jam tum apud vulgus tulisse, neque aspernatum esse. Caeterum vanitati plerumque suae litavit, consiliorum exitu liberisque infelix. Novissimus hactenus regum Galliae Romanus imperator, sed qui ab imperii honore nihil, nisi titulum sepulcri habuit; affectationem ejus morte luit. Ex eo imperium ad Bajoarios, id est Germanos, pervenisse, autor vitae S. Genulfi scripsit. Et notatu dignum est in Germania antiquis ac rei vicinis temporibus eum imperatoribus non computatum, sed Carolum (qui vulgo Crassus) in tabulis secundum dictum, ut in ipso ostendemus.

29. Filium reliquit Calvus non Balbum tantum, sed et caetera illaudatum. Majorem natu adverso casu amisit; duos reliquos ad ecclesiastica munia damnavit; alteri horum saevus pater oculos eruit. Ita dum magnitudinem filii unius quaerit, familiam pessundedit. Et in cumulum infortunii, quos ipse extulit, aut ab his geniti, instrumenta perniciei fuere. Nam frater uxoris, et fratre matris nati, cum suis sumto diademate, aliquamdiu in Provincia et Burgundia regnarunt. Roberti Fortis liberi cum nepote domini de regno Francorum certarunt; illius posteri hujus posteros everterunt. Adeo mens hominum fati nescia, vitando mala procurat. Bernoldus quidam, fanaticus an impostor, retulit, visum sibi ecstatico, jacentem Carolum in loco poenarum, et auxilium implorantem; quaerentique, quid pro eo posset, mandasse, ut Hincmari preces exposceret: inde liberari visum. Hincmarus rem credidit, aut voluit credi, epistola publica ad episcopos et alios religiosos viros scripta, ut preces pro defuncto principe funderentur; quae inter ejus opuscula extat.

30. Principatus complures a proceribus coepti sunt, qui sub ipso floruere. Nam tum maxime beneficiales ditiones in haereditates abiere, cum regum autoritas collapsa esset. Burgundiae, Provinciae, Tolosae, Arvernorum, Pictaviensium, Flandrorum, Mansuariorum, Mosellanorum, Campanorum, Veromanduorum; reges, duces, marchiones, comites tunc caput extulere. Flandriae et Tolosae comites diu marchiones appellati sunt, hi Saracenis oppositi, illi Normannis. Sed quod Hollandiae etiam,

vel ut aliquando dicebantur, Flardingae comites a Theoderico comite orti sint, his temporibus florente (de quo infra), quod volunt Batavi scriptores, haud firmum reperio. Nam Frisiae major pars, qua Hollandia continebatur, Ludovici Germanici sors erat, ex partitione cum Carolo, qua Lotharii portio subdivisa est. Ita tantum sinistra Mosae ripa ad Carolum pervenit; eique Normanni incubabant, Roricus inprimis specie christiani, popularibus vix melior. A. 877.

31. At Ludovicus apud Andriacum villam agebat, quae hodie Orrevilla creditur, inter Ambianos et Artesios sita, cum nuntium de morte patris imperatoris accepit. Statim sive facilitate naturae, sive, ut sibi conciliaret animos, proximis abbatias, comitatus, villas, prout quisque flagitabat, largitur. Sed ea res contra vertit; nam plures absentes offendit, quam praesentes devinxit. Deinde, ut funus patris curaret, ad fanum Dionysii per Carisiacum contendit. Sed cum ad Vernum usque venisset, festinatam sepulturam intellexit; proceresque, qui augustam comitabantur, indignatos praecipitatae liberalitati, conspirationem moliri. Itaque Compendium rediit. Illi pene hostili more praedas agentes, ad Avennacum usque Remensis dioeceseos monasterium venere, conventumque in Campania provincia ad montem Witmari, hodie Moemerium, indixere.

32. Eo tempore Hincmarus a Ludovico ad consilium de re publica dandum vocatus, scripsit epistolam, quae extat, domesticis exemplis refertam: ubi annotat, dissensiones fratrum mortuo Ludovico Pio ab ambitione procerum Lotharii ortas; qui, ut omnia ad se traherent, uni imperatori cuncta parere volebant. Itaque suadet, ut factionibus procerum obviam eat, omnibus se aequum praebendo; quod eo facilius queat, quia fratrem non habeat: tum ut sine mora Hugoni et Gauzelino abbatibus, et Bosoni, Conrado duobusque Bernardis scribat, quorum interventu locus tractandis negotiis constituatur, et turbarum occasiones praecidantur. Inprimis opus esse, ait, ut ecclesiis consulat, hactenus per occasionabiles circadas (sic loquitur) et indebitas exactiones inde a viginti annis oppressas; tum ne, ut nuper pene semper factum sit, honores judiciaque ipsa pretio vendantur, tum ut rapinae cessent. His malis sublatis, Deum Francis animos virtutemque redditurum, ne amplius paganis hostibus tributarii fiant. Hoc tempore et Gauzlinus abbatiam S. Dionysii obtinuerit, quam Carolus imperator sibi servaverat. Nam, ut ex Hincmari epistola apparet, rex novus hominis opera ad conciliandos animos indigebat.

33. Nuntiis utrinque discurrentibus, placuit tandem, ut Richildis cum primoribus ad privignum veniret; conventus ad Casnum in Cotia sylva non procul Compendio haberetur constituendis rebus. Augusta in missa S. Andreae novo regi praeceptum paternum et insignia attulit, pactisque cuique honoribus, pene emto regno, dato etiam episcopis scripto 2. Kal. Decemb., quibus clero et populo statuta servanda pollicebatur, 6. Idus Decembris consensu omnium ab Hincmaro coronatus est, et sacramenta a fidelibus praesentibus data. Hincmarus post benedictiones, ceremoniis per preces convenientes interstinctis, sacrum oleum capiti infudit, coronam imposuit, sceptrum tradidit. Tunc etiam de duabus ejus uxoribus

A. 877. actum est ab episcopis, cautumque, ne, Adelaide abjecta, Ansgardam reciperet, a qua tanquam impare eum diremerat pater. Ea de re Hincmarus scripsisse dicitur apud Frodoardum. Habita postea synodo quadam in Neustria, Hincmarus praeses ad Hugonem filium Lotharii regis literas comminatorias scripsit, ut ab infestando Ludovici regno abstineret. Ita refert Frodoardus.

34. Dum haec in Gallia gerebantur, Carolomannus Bajoariae rex regnum Longobardorum, nemine resistente, in potestatem suam redegit. Quanquam enim Bertinianus scriptor eodem tempore et Carolum augustum et Carolomannum, dum alter alterius adventum viresque timet, qua via venerant, refugisse scribat: intellecta tamen morte imperatoris, Carolomannum Italia citeriori omni potitum, dubitari non debet. Nec tantum diserte habet Fuldensis annalista, primoribus in fidem receptis, regione pro arbitrio ordinata, in Bavariam redisse regem; sed et passim reperta sunt diplomata per ecclesias Italiae, annis regni ejus distincta. Qua de re ita Sigonius: *Regnum Italiae per triennium tenuisse, in maximo annalium silentio vetera multa, quae in Longobardia leguntur diplomata, fidem faciunt, quibus ipse Bajoariae atque Italiae rex (sic enim se inscribit) ecclesiis populisque beneficia confirmavit, ab antecessoribus profecta.* Omnia tamen in Bajoaria data, Sigonius scribit, in quo errat. Mox enim Veronae hoc anno, et aliud Papiae concessum afferemus. Aventinus etiam caput et calcem diplomatis affert, quod Regineburgi in templo d. Emerani extat, datum *12. Kal. Oct. anno tertio regni Carolomanni serenissimi regis in Bajoaria, et in Italia secundo. Actum Hochberaha, curte regia.* Hochbergam vel Hohenburgum interpretor. Pluraque a se notata ait in historia Otingensi. Aliud Adelzreiterus affert, datum in Rantersdorf (hodie Ranshoven, ubi nobile monasterium a Guelfis nostris auctum) anno tertio regni in Bajoaria, primo in Italia ind. 11.

35. Et quia Baronius Ludovicum Balbum Galliae regem, a Johanne papa mox Trecis coronatum, in Italia imperasse putavit, Florentinus ex Lucensi archivo, quatuor diplomatibus citatis, demonstravit, nullum huic Ludovico locum esse, statimque a morte Caroli II. imperatoris Carolomannum regnasse. Initium regni ejus Italici a Novembri mense hujus anni computatum constat. Extat enim privilegium, ab ipso rege Gerardo episcopo Lucensi datum *Veronae 10. Kal. Dec. anno primo Carolomanni serenissimi regis in Italia, ind. 11.* id est hoc anno, indictione a Kal. Septemb. inchoata. At ex alia scriptura *Lucae data 16. Kal. Dec. ind. 13.* (id est a. D. 879) *anno secundo, postquam Italiam ingressus est*, patet, secundum regni nondum fuisse finitum. Itaque, si nullus in numeris error, necesse est, medio spatio inter 16. et 10. Kal. Dec. anni praesentis regnum Carolomanni Italicum inchoatum esse, sacramentis scilicet a proceribus confluentibus Veronae datis, quos inter Gerardum Lucensem episcopum fuisse apparet; nondum finito altero mense a morte Caroli imperatoris, qua laxata erant juramentorum vincula, quibus Itali tenebantur.

36. Forma diplomatis Gerardo dati haec est: *In nom. S. et I. T. Carolomannus divina movente gratia rex ... Vir venerabilis Gerardus*

piscopus Lucanae ecclesiae . . . apud nostram celsitudinem indicavit, quas- um ecclesias inde jam diu injuste ablatas fuisse . . . quas ipsi jure perpetuo eddimus, quo magis pro nobis et anima patris nostri et matris nostrae, t stabilitate a Deo nobis collati Deum exorare delectet. Id manu nostra ropria subter firmavimus et annuli nostri impositione sigillari jussimus. ignum + Carolomanni piissimi regis. Baldo cancellarius authentico con- ueri recognovi. Dat. 10. Kal. Decembr. anno primo regni Carolomanni erenissimi regis in Italia, indictione 11. Actum in urbe Veronensi in Dei omine feliciter. Amen. A. 877.

37. Sed aliud extat diploma datum Papiae 17. Kal. Novembris, quod um Lucensibus consistere non potest. Et verosimilius certe est, Carolo- mannum Papiae in regia sede, regno inauguratum, inde in reditu sub Novembris exitum Veronae egisse. Praeceptum est datum monachis Casae ureae in insula Piscariensi, quod excerpere operae pretium erit: *In no- mine s. et i. Tr. Carlomannus D. f. cl. R. . . . . Cum gratia auxiliante ivina regnum Italicum obtinuimus primum, Deoque duce Papiam venimus ivitatem, adiit serenitatem nostram . . . . Celsus praepositus monasterii uod Casa aurea vocatur, et quod beatissimae memoriae antecessor ac onsobrinus noster Ludovicus imperator augustus a fundamentis in honore anctae et individuae Trinitatis construxit, afferens quoddam praeceptum, n quo continebatur, quomodo pro amore S. Trinitatis et pro remedio nimae suae, res omnes quas justo ac legali tenore acquisivit, tam in rbe Roma, quam per totam Campaniam, omnem Romaniam, ambos Spo- tinos ducatus et per totam Tusciam praefato monasterio contulit . . . . . Et ex propria congregatione abbatem sibi eligendi libentiam monachi habe- rent et monasterium sub imperiali immunitate ac tuitione perpetuis tem- poribus permisteret. Haec nos cognoscentes decrevimus, uti scripta sunt confirmare . . . . Insuper quendam gualdum prope ibidem situm* (gualdum, sylvam interpretor, Germanis „wald") *nomine Corniae cum servis et molen- dinis de Balneolo, habitantibusque in villa Alanne, cum agris, pascuis, pratis ad gualdum pertinentibus, tradimus. Ea videlicet ratione, ut haec omnia ob amorem Domini nostri Jesu Christi et pro remedio animarum nostrarum, id est Ludovici praefati imperatoris ac consobrini, qui nobis regnum istud disposuerat, nec non piissimi genitoris nostri Ludovici regis ac patrui nostri Caroli, nostraeque, ad id monasterium pertineant . . . . Signum manus domni Carlomanni serenissimi regis. Baldo cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi et subscripsi. Data decimo septimo Kalendas Novembris, anno Christo propitio secundo* (leg. *primo*) *regno domni Carlomanni serenissimi regis, indictione 10.* (leg. *11.*) *Actum Papiae civitate regia I. D. F. R.* Extat in chronico Casauriensi, quod Acherius tomo Spicilegiorum V. edidit. Theotmarum esse apparet, quem in nunc archiepiscopum Salisburgensem factum, sub Carolomanni filio t nepote, cancellis regiis praefuisse constat.

38. Carolomannum mox Romae dominum habitum constat, etsi non- dum augustum, ut patricium tamen Romanorum et regem Longobardorum, uti Magnus Carolus olim, haereditario scilicet jure primi ordine Fran-

A. 877. corum regis. Hoc manifeste colligitur ex scriptura quadam Lucae r perta ab eodem Florentino visa, quae data est Romae, *regnante C rolomanno rege, anno regni in Italia secundo 15. Kal. Nov. indict.* id est a. D. 879. *Actum civitat. Leonianae urbis Romae beati Pe apostoli.* Neque eam rem ad vim a Lamberto illatam referas, quae annum superiorem pertinet. Quae inprimis notare oportet contra pon ficum arrogationes, qui sibi jus electionis moliebantur; sed tentament Johannis, qui Carolum Calvum elegerat, per Carolomannum eversum e qui se ipse ingessit.

39. Carolomannum quominus progrederetur longius in Italia, di tiusque haereret, valetudo prohibuit: nam periculose decubuisse, et lecti domum relatum, anno deinde integro pene desperatum jacuisse, Bert nianus, et qui eum exscribit continuator Aimoini, prodidit. Quin etia ut annales Fuldenses referunt, pestilentia ingens secuta est exercitu Carolomanni ab Italia redeuntem, aegris tussiendo spiritum exhalantibu Unde intelligimus, atras (ut vocat epitaphium imperatoris), id est ma lignas, febres hoc autumno per Longobardiam grassatas, quae imperato rem ipsum corripuere. Annus certe insalubris fuit: nam et populu Germanicum, sed ad Rhenum maxime, vexabat febris, quam Italicam ap pellabant, dolorque oculorum.

40. Papa Romam revertens, Lambertum ducem in itinere compe lavit. Is imperatoris nomine, quem obiisse nondum innotuerat, obsid Romanorum postulavit; sese etiam venturum addidit. Constat eum Ca rolemanno magis favisse; sed causas litigandi quaerebat. Papa nih coram negare ausus, ut in tutum venit, ex urbe 12. Kal. Nov. respondi postulationem obsidum magna omnium Romanorum indignatione audita ut quae sine exemplo esset; neque ex sententia imperatoris fieri, q nihil tale apud se dissimulaturus fuisset. Lambertum gloriosum comite recte facturum, si adventum differat: nunc recipi non posse.

41. Huc refero Johannis epistolam, cujus Sigonius haec excerp (verbis, opinor, nonnihil mutatis) affert: *Romam reversi omnia litor Fundis et Terracinae a Saracenis teneri invenimus. Quare non amplit quam quinque dies in urbe morati, cum fidelibus nostris exivimus, et nav eorum octodecim cepimus, et servos sexcentos liberavimus. Ideo vest ad nos adventu est opus, ut virtute vestra praeterita damna resarcian et futura prohibeantur.* Ad imperatorem et reginam scripta haec Si nius refert. Imperatorem Ludovicum Balbum interpretatur; sed ille n imperator factus, nec Romae expectatus est. Itaque literas ad Carol II. augustum et Richildem pertinere oportet; et possunt datae esse, c pontifex vix domum redux, nondum aliquid de Caroli morte accepis Nam cum magnis viribus et Carolomanno reprimendo suffecturis, redi rum sperasse crediderim.

42. Interea extinctum imperatorem, fama attulit; et superven Carolomanni literae, quibus se Romam venturum et ecclesiae exalta nem curae cordique habiturum significabat; differendum tamen iter n cessarii cum fratribus colloquii causa. Pontifex laudata ejus volunt

missurum se legatos a latere mense Novembri respondit, qui de capitulis convenirent: tum affore, qui regem ad urbem honorifice deducerent. Ita sibi aliquid sumere conabatur, quod speciem quandam autoritatis haberet. Carolomannum non papa, sed valetudo, quominus Romam veniret, prohibuit. De negotio, quod cum fratribus tractavit Carolomannus, ad annum sequentem dicemus. Pontifex etiam ad Theotmarum Juvaviensem archiepiscopum scripsit, pallioque misso causam ei Romanae ecclesiae apud Carolomannum commendavit; simul reditus, quos in Bajoaria percipere debebat, ejus cura in posterum colligi transmittique voluit. A. 877.

43. Imperatrix Angilberga hoc anno in monasterium S. Sixti Placentinum munificam se ostendit. Traditionis charta testamentum appellatur. Assensus est frater ejus Suppo comes, testis fuit cum aliis Richardus comes et missus imperialis. In hunc annum Altfridi episcopi Hildesemensis obitum referunt annales antiqui Corbejae Saxonicae, qui tanquam ex monasterio illo ad episcopatum evecti meminere. At Eggehardus Uragiensis in chronico episcoporum, quod primum integrum edidimus, annales Hildesemenses antiqui, et plerique alii veteres Hildesemensium rerum scriptores, biennio ante defunctum tradunt: quos ego sequi mallem, domesticos testes, nisi calculus repugnaret, ab Ebbonis successione deductus, quem circa a. D. 851. defunctum, ex Hincmari testimonio supra collegimus. Jam Eggehardus Altfridum 29 annis sedisse ait: ita ad usque a. D. 880. pervenisset. Itaque nihil certi de anno obitus constitui potest; sed praeferendi tamen sunt, qui longius distulere. Altfridus episcopus, cujus exitum breve S. Galli chronicon in annum 874 refert, alius a nostro fuerit, oportet. Diem recte ab Eggehardo assignatum puto 17. Kal. Sept. Nam eandem vetus necrologium ecclesiae cathedralis habet, quod in lucem protulimus. Autoritate et doctrina inter primos regni episcopos habitus, gravissimis rebus admotus et legationibus functus est; ut eum aliquando pro Ludovico Germanico quasi vadem Carolus legerit, quemadmodum Ludovicus pro Carolo fratre Hincmarum. *Acre ejus* ingenium in praefatione opusculi ad Ludovicum eundem Hincmarus agnoscit, et a cogitandi velocitate, quasi propria Saxonum dote, commendat. Monasteria Assinde et Selingenstat cum sorore fundasse in Westfalia, et illam in priore abbatissam collocasse, aliquoties tetigimus. De Selingstadio non satis constat. In chronico quodam episcoporum et abbatum S. Michaelis Hildesemensis, quod etiam produximus, Heiligenstat appellari videtur. Annalibus Ms. abbatias Saligenstad monachorum et Assindiam virginum coadunasse Alfridus scribitur. Assindiense durat et floret, aucta ad principis gradum abbatissae dignitate. Jus in fundationes, quibus patrimonium impenderat, episcopis Hildesemensibus reservasse, sed a successore Marquardo negligenter amissum, Eggehardus tradit. Assindiae sepultus est, Eggehardo teste: neque, si domi tumulum in aede sui episcopatus primaria accepisset, hoc pressissent Hildesemenses. Soror quoque ibidem condita est, ubi in lapide sepulcrali haec legebantur:

Quisquis in hoc templo Christum reverenter adorat,
Sit simul ipse memor Gerswinae istic tumulatae.

A. 877. *Haec aliis dives, sibi pauper . . . . . .*
Prima monasterium fundans erexerat istud,
Exemplisque regens propriis monumenta reliquit
Clara lucris rerum . . . . et dogmate morum.

Obiit 3. Kal. Januarii. Schatenius patrem Onnonem, matrem Reinhard vocat, genere claros.

44. Johannem Scotum virum eruditum et Carolo imperatori caru quidam postea ab Alfredo Anglorum rege evocatum dixerunt; et tande in Malmesburiensi monasterio a pueris, quos docebat, graphiis confossu martyremque aestimatum: unde et in epitaphio, quod circumfertur, sanct sophista appellatur. Sed ego vereor, ne in Gallia obierit, et sicca mort Asseri coaetaneo, qui viros insignes Alfredo familiares memoravit, silet Nec singulare mortis genus facile contemporanei praeterissent. Johann papae tempora attigisse Scotum, colligitur ex versibus ipsius, quos in v tusto quodam glossario Cangiacus reperit et in praefatione ad Caroli Labb glossarium publicavit. Scholae palatinae praefuisse crediderim apud Ca rolum Calvum, cui schola palatium; ad quem ex Hibernia grex philoso phorum, contemto maris periculo, veniebat, ut praedicat Herricus Autissio dorensis; erat autem Johannes ex Hibernis. Quid Johannes Scotus d eucharistia et praedestinatione senserit scripseritque, suis locis attigimu Libri duo de praedestinatione dudum extant. Eucharistici perierunt. Op de divisione naturarum nuper in Anglia prodiit. Itaque Honorius III. frust abolere conatus est. Nam a. D. 1225. solicitante Parisiorum episcop comburi jussit, in concilio Senonensi jam reprobatum: cujus praeceptu exhibet Albericus. Librum de visione Dei in codice Claromariscensi prop Audomaropolin Mabilio vidit. Scotus erat sive Scotigena, ut Hincmar appellat, id est Hibernus, quos constat olim Scotorum vocabulo designato et ipsos antiquae originis Scotos ex Hibernia in Britanniam septentrio nalem venisse. Itaque nunc quoque lingua interiorum Hibernica est citeriores Anglo-Saxonum colonia haberi debent, quorum et lingua us Johannes iste etiam Erigena appellatur, hoc est Hibernus: nam „Eris" v „Ierne", „Ir-land", id est occidentalis regio, (notante Bocharto) Hibernia es

45. Johannem Scotum cum Johanne ex Saxonia nostra, id est cis marina, oriundo, Alfredi regis Anglorum eruditi gratia florente, scriptor Angli paulo remotiores confudere, Baroniusque et alii eos secuti. Se Parisius ex canonicis regularibus, vir doctus, et Mabilio distinguend docuere: hic etiam elogium Saxonis concinnavit in parte secunda secu IV. Benedictini. Abbas idem et presbyter et monachus fuit, quorum nih de Scoto legitur: serius etiam, nec ante a. D. 882. ex Gallia in Britannia trajecit. Cum Alfredus Anglo-Saxonum rex literarum studia pene inte mortua in illa insula resuscitaret, regis adjutor fuit, gestaque poster commendavit Asser monachus et abbas Brancorensis, tandemque episcop Shireburnensis; memoratque, ex Gallia accersisse regem viros doctos pios, et in his Grimbaldum et Johannem sacerdotes et monachos, quos honorarit et ditarit. De Johanne singulatim memorat, acerrimi inge fuisse, in omnibus disciplinis literarum eruditissimum; imo et in mul

his artibus praestantem. Unde in mathematicis et mechanicis versatum intelligas. Horum doctrina regis studia crevisse scribit. Ipse rex in praefatione ad versionem Anglo-Saxonicam pastoralis Gregorii, id se operis perfecisse ait, sicut didicerit ex Pleimundo archiepiscopo, Assere antistite, itemque Grimbaldo et Johanne sibi a sacris. Porro Johannem ex Eald-Saxonum genere fuisse, diserte habet Asser, id est ex nostra Ostfalica vel Westfalica regione. Eald-Saxones Anglis sunt antiqui Saxones, ex quibus scilicet prodiere, qui Britanniam occupavere. Mabilio suspicatur merito, Johannem hunc ex Saxonia in Corbejam Gallicam venisse, ut fieri tunc *solebat*, Wala et proximis rectoribus adolescentes illius gentis foventibus, etiam novae Corbejae colonia in Saxoniam neophytam ducta: unde commercia aucta commeationesque continuatae. A. 877.

ANNO CHRISTI 878.

Lotharingiae ortus. Divisio in superiorem et inferiorem. Galliae regis legatio ad Ludovicum regem Germaniae. Hincmari literae ad eundem et Luitgardem ejus conjugem. — Regis Germanici acta. — Ducatus Neapolitanus ab episcopo loci invasus; Capua a Landulfo. Pontifex ambobus favet. Hujus literae ad Carolomannum. Mancosi quid. — Pontifex in Galliam ire meditatur; sed fingit se ad Carolomannum profecturum. — Pontificis et Lamberti dissidia. — Lambertus Romam occupat, pontificem Leonianae urbi includit. — Pontifex liberatus in Galliam abit. An Formosus cum eo fuerit. — Pontifex Carolomanno literas excusatorias Gallici itineris scribit; Trecis synodum indicit. — Variae pontificis ad varios literae querelarum de Lamberto plenae. Ludovicum Galliae regem sibi patronum conciliare tentat. — Jam tum agitat consilia de Bosone ad regnum provehendo. Rostagnum Arelatensem archiepiscopum vicarium suum per Gallias constituit. — Pontifex literis variis episcopos Galliae et Germaniae ad synodum Trecensem invitat. Reges etiam Germanos ei adesse optat. — Variae in Gallia turbae. — Ludovicus Galliae rex aegrotat. Pontifex Trecas ducitur. — Synodus Tricassina. Lambertus et pervasores rerum ecclesiasticarum excommunicantur. Formosus Portuensis damnatur. — Canones synodi Tricassinae. — Ludovicus Balbus in regem, non vero in imperatorem a papa coronatus. — Alia inter papam et regem in synodo acta. — Reges Germani et praesules eorum hanc synodum neglexere. Papa Bosonem sibi patronum adsciscit. Redit in Italiam. — Bernardus Gothiae marchio honores perdit et excommunicatur. — Conventus Ludovici Galliae et Ludovici Germaniae regum ad Marsnam. — Papae literae ad proceres Italiae variae. In Bosonem regnum Italiae transferre conatur. — Joannem Ticinensem papa vicarium suum constituit, ut Ansberto Mediolanensi aegre faceret. — Papa sibi Lambertum et Adalbertum marchionem reconciliat. — Beneventanorum ducum successio. — Bulgaros ecclesiae Romanae iterum subdere frustra tentat. — Photius, mortuo Ignatio, iterum fit patriarcha Constantinopolitanus. — Syracusae a Saracenis captae. — Solis eclipsis. Boum mortalitas. Canum discessio. — Dani ab Aelfredo Angliae rege vincuntur.

1. Carolomannus domum reversus, ante omnia fratribus satisfecit; A. 878. adeptusque Italiam, omni portione sua cessit, quam in Lotharii regno habebat. Eam Ludovicus et Carolus aequis partibus divisere. Ex illis temporibus invaluit paulatim Lotharingiae appellatio de Lotharii regno, et discriminis etiam in superiorem et inferiorem causa praebita est. Hanc Ludovicus cum Aquis Grani habuit, sede antea totius regni; illam Carolus cum Metensi urbe. Ludovicus cum regina Ludgarde, Ludolfi Saxonis filia

A. 878. subinde Aquis egit, adhuc arma Galliae intentans. Id metuens novus r vix adita regni possessione, miserat, qui excusarent juvenem patern molitionum innocentem, peterentque deleri memoriam injuriarum, et re amicitiam, foedera novari. Benigne responsum, sed dilata pactio est congressum utriusque regis. Hincmarus quoque conciliatorem per lite egit. Docuit, quid in novi regis susceptione actum esset, deque duab ejus uxoribus; hortatus est, ne adversis rumoribus crederet, neque hosti agitaret. Si tamen res ad arma veniret, loca sacra et inprimis ecclesia Remensem commendat. Leutgardi etiam reginae scripsit, petiitque, missis ad maritum suis faciliores aditus pararet; auxilioque esset, qu custodes defensoresque impetrarent Remensi ecclesiae, si Germanic exercitus adventaret. Literarum summam Frodoardus servavit.

2. Rex Germanicus Januario mense Aquis Francofurtum movit. Fe bruario placitum egit; tum ad palatium Salzense profectus est, quod a Salam esse Franconicam, non procul Bavariae finibus, dudum demonstra vimus. Ibi a quadragesimae initiis usque ad Majum mensem haesit; et tun rebus cum Carolomanno compositis, Francofurtum venit, alioque placit peracto, per legatos cum Carolo fratre transegit.

3. In Italia Johannes pontifex sive in Saracenos sive contra Lam bertum, sibi amicos parabat aut veteres confirmabat. Commodum accidi ut Sergius Neapolitanorum dux, manifestus hostis pontificis, et Saracenoru foederatus, a fratre Athanasio episcopo urbis everteretur. Capto ocu effossi sunt; et ne domi spem seditiosis praeberet, missus est Romam i carcerem, ubi vitam misere finisse prodit Erchempertus. Id hac hyem contigisse, ex epistolis Johannis intelligitur. Episcopus ducatum Nea poleos invasit, ut Capuae Landulfus. Haec exempla Johanni non displi cebant. Utrique scripsit, et funiculum triplicem non facile rumpi admo nuit. Digno confratri (sic appellat) de successu gratulatus, crudelitaten in fratrem, tanquam pium officium, laudat. *Si oculus tuus*, inquit, *tib scandalo fuerit, erue illum.* Mille quadringentos mancosos in proximan quadragesimam, aut diem resurrectionis Domini, promittit; ex foedere, opi nor, ut armati sub signis haberentur. Amalfitanis decies mille spopon derat, ut a Liris ostio usque ad Centumcellas navibus praesto essent. Id Landulfo significat. Et paulo post ad regem Carolomannum scripsit viginti quinque millia annua mancusorum argenti a se expendi in tutelan Romanae ecclesiae, contra Saracenos. Mancosi quid sint, non satis con stat. Ea vox occurrit interdum apud horum temporum scriptores: quidan mancam pro marca interpretantur, aliis monetae est genus, manu cuso interpretantibus.

4. Etiam Carolomanno diffidebat pontifex, quicquid dissimularet conscientia offensae, et quia odisse solent, qui laesere. Cumque et a vicinis sibi male metueret, in Galliam proficisci statuit, visurus, an aliquid opis in imperatoris filio foret. Itaque pellucente admodum artificio, ad Lambertum scribit, decretum sibi ad Carolomannum, sed maritimo itinere proficisci. Lambertum hortatur, ut per absentiam suam Romanam urbem ditionemque ab omni injuria defendat: si contra faxit, canonum poenas

pinatur. Lamberto mox suboluit, quid sibi maritima profectio vellet, non utique brevissima ad Carolomannum via. Ergo auctae hinc suspiciones, praetextusque novus homini cupido natus invadendae Romae. Apparet, Johannem, ambulatorio virum ingenio, et magis callidum quam prudentem, facile alios decipere sperasse, a quibus captus ipse est. Scripsit et Cuniberto, quem gloriosum comitem vocat, ut curtem S. Petri in Alviscatia, quam invaserat, redderet ad luminaria principis apostolorum. A. 878.

5. Interea intellectum est, Lambertum exules Romanos suscepisse; Formosum, credo, episcopum et Gregorium nomenclatorem, qui animos ab imperatoris morte resumserant. Ergo pontifex ei scribit, multam se in amicitia ejus fiduciam semper posuisse; nunc intellexisse, hostes ab eo suos foveri. Eos si adducat, receptum non iri, non magis, quam Adalbertum marchionem ecclesiae hostem. Et cum mox Lambertus, posita paulatim larva, insolentius et tanquam aequali scripsisset, his usus formulis: *sciat nobilitas tua; monemus nobilitatem vestram* aliisque id genus; et vetare etiam videretur, ne quo legatos se inconsulto mitteret, cui creditae essent vices regis: Johannes respondit, se quidem Lambertum amicum cupisse, sed has indignitates tacitum ferre non posse: liberam esse Romanam ecclesiam, et libere mittere, quo velit. Pontifex credo ad Carolomannum miserat; id Lamberto suspectum visum.

6. At Lambertus ubi pontifici decretum intellexit Gallicum iter, satis causae invenisse judicavit, ut pro Carolomanni hoste haberetur: nondum enim pax inter Germanos Gallosque coierat. Itaque cum Adelberto marchione et aliis hostibus pontificis Romam venit; et cum a papa pro amico exceptus esset, mox auxilio Gregorii militum magistri urbem occupat: optimates in Carolomanni verba per sacramenta adigit, pontificem Leonianae urbi inclusum, obsidione premit, nemini ad eum aditum, neque ad S. Petri aedem concedit; processiones adventantum fustibus disjicit, cibaria inferri prohibet. Ea re commotus Johannes, indicto justitio officium divinum intermitti jussit, altare S. Petri cilicio operuit, basilicam clausit. Triginta diebus duravit obsidio; ita ad Carolum regem scripsit pontifex. Carolomanni jussa, praesumta, arbitror, Lambertus violentiae praetexebat.

7. Tandem, Lamberto obsidibus acceptis digresso, pontifex haud ultra moratus, navi conscensa Januam primo, deinde in Galliam abiit, Petro cardinalis sui presbytero ad Carolomannum misso, qui hostilia Lamberti acta et necessitatem itineris demonstraret. Pretiosas reliquias secum tulisse, et Formosum in comitatu habuisse, Bertiniano addunt continuator Aimoini et breve chronicon, quod Quercetanus produxit. De Formoso dubites, captivum traxerit, an poenitentem duxerit: imo nec amplius habuit secum, nam mox in synodo Trecensi excommunicatur, ut absens. Sigebertus ad a. 890. scribit, Formosum, ut Johanni satisfaceret, in Galliam venisse, degradatumque et ad laici habitum redactum, scripto verbisque Romam, episcopatum, clerum ejurasse, laica communicatione contentum futurum.

8. Literis ad regem Italiae Janua datis, admonet promissi de exaltanda ecclesia, cujus afflictiones deplorat: fessum se paganorum armis

A. 878. atque exactione census annui viginti quinque millium mancusorum, quo Saracenis an, quod malim, Amalphitanis aliisque auxiliaribus solvat, non explicat; sed magis a Lamberto sese atque Adalberto opprimi. Itaque terrestri aditu clauso, mari se ad ipsum contendere scribit, laborioso per Gallias circuitu; quo tamen usurus sit ad pacis publicae solidandae inter reges, ecclesiaeque tutamen. Itaque et Germaniae episcopos et Galliae in generali synodo Trecis habenda expectaturum, et in itinere cum regibus collocuturum; deinde post Kalendas Augusti ad ipsummet venturum significat, modo locum congrediendi in tempore designet. Acta Lamberti non explicat, ad proprium sese opusculum referens, ea de re compositum, quod non extat.

9. Caeterum et Ansbertum Mediolanensem literis Petro creditis ad synodum vocavit: etiam apud Angelbergam augustam et Berengarium Forojuliensium ducem querelas deposuit. Huic literas ita inscribit: *Dilecto filio Berengario glorioso comiti, regia prosapia orto.* Petiit ab eo, ut et ipse apud Carolomannum instet, ne diutius grassari Lamberto liceat; *aliter enim quomodo*, inquit, *regis fideles amici esse possumus?* Habentur et epistolae, quas ad Ludovicum et Carolum fratres dedit. Ludovicum non tantum praesides regni sui Trecas mittere, sed et adesse rogat; incivili desiderio, ut regno nondum amico se suosque crederet. Carolo excusat, quod non prius scripserit, ob aditus interclusos. Prolixiores sunt ad Ludovicum Galliae regem scriptae. Deplorat mortem Caroli imperatoris; quamvis ipsi gratulandum sit de felicitate sua, qui inter coetus angelorum triumphet. Sed ecclesiam tanto gubernatore destitutam, pene fluctibus mergi. Rogat, ut paternis avitisque exemplis excitatus, in nequissimos homines insurgat; cum consobrinis regibus pacem colat. Deinde in Lambertum invehitur, ejusque moecham sororem (ut ait) Rothildem, cum Adalberto marito suo. Addit, quod etiam apud alterum Ludovicum injecerat, Lambertum sese contra regalem progeniem extollere, et imperii fasces ambire. Id in fratre ejus eventus comprobavit; sed tunc quidem speciem non habebat. Itaque nihil tale pontifex aut Carolomanno aut Carolo, Italiae vicinioribus, scripsit, qui probationes exegissent: ne illud quidem, quod addit in literis ad Galliae regem, Lambertum legatos donaque Tarentum misisse, et Saracenorum auxilia expetisse. Denique *te*, inquit, *genitoris loco imperatoris augusti, meum a secretis consiliarium constituo, ut consilia in unum cogamus.* Sed spem ejus rex Galliae vita primum fracta infirmitatibus, mox et morte destituit.

10. Cum in Provincia applicuisset, Arelate ipsa die S. pentecostes egit, Bosonemque ad se vocavit. Inde ad Angelbergam scripsit, Bosonem se et Hermengardim florentes complexum esse, amoreque augustae, et pro ecclesiae defensione id agere, ut ad majores excelsioresque gradus attollantur. Hortatur, ut tanto labori faveat, et certis nuntiis consilii sui sese atque illos participes faciat. Unde intelligi potest, de Bosone ad regnum provehendo jam tum consilia agitata. Nam filiae augusti, domini quondam sui, provinciales favebant. Et cum archiepiscopi Arelatensis Rostagni opera necessaria esset, hunc papa sibi conciliat, vicesque ei suas per Galliam committit, qua honoris larva nuper et Ansegisum luserat. Jubet,

ne quenquam metropolitanum, nisi accepto pallio, episcopos consecrare A. 878. patiatur; contra simoniacam haeresin vigilet, synodos convocet, licentiam itineris longinquioris unus det episcopis; si qua de fide quaestio aut alia inter episcopos controversia nascatur, assumtis duodecim episcopis sententiam ferat, aut si causa difficilior sit, ad se referat. Eadem in literis habet ad episcopos Galliae datis, quas vereor, ut Rostagnus reddi curaverit.

11. Lugdunum Johannes Bosonis conductu pervenit. Inde ex Lingonum urbe 4. Non. Julii ad archiepiscopos* scribit, Otteramo Viennensi, Aureliano Lugdunensi, Rotberto Aquensi, Teutranno Tarantasiensi, Sigibodo Narbonensi; ut vocati Trecas cum suffraganeis veniant. Eodem sensu 4. Idus Jun. ad Hincmarum Remensem, Ansegisum Senonensem, Frotharium Bituricensem, Johannem Rotomagensem, Adelardum Turonensem literas dedit. Hincmaro peculiaribus literis blanditur, et quantopere ejus colloquium desideret, testatur. Luitberto etiam archiepiscopo Moguntino scribit, ut regem Ludovicum fratresque ad synodum visendam, vel si impediantur, ad locum certe tempusque colloquii sibi designandum inducat. Similes Willibertus Coloniensis archiepiscopus, Wittecherius venerabilis episcopus, Bertulfus archiepiscopus Trevirensis accepere. *Quis ille Wittecherius*, non dixerim. Credibile est, singulari autoritate eminuisse. Ad Theodericum Bisuntinum cum literis misit Deusdedit, quem vocat gloriosum magistrum militum et ducem consiliariumque suum, vetatque, ne, scisso in partes populo Lausannensium, episcopum ab alterutra parte electum consecret, donec ad colloquium suum venerit.

12. Adventante papa, res in Gallia turbatae erant. Rex cum festum resurrectionis in monasterio Sandionysiano celebrasset, hortatu Hugonis abbatis marchionisque Sequanam transierat, ut Normannis se opponeret, tum ut Gosfridi filios coerceret, qui castellum et honores (id est comitatum) filii Odonis comitis invaserant. Quis ille Odo, an Blesensis comes non ignotus, cujus nunc filius decesserit? Sed ille jam a. D. 865. obierat orbus, ut ex probationibus Buccetii verisimile est. Neque magis de Gosfrido constat. Sed et Emino pater Bernardi Tolosani urbem Ebroicensium occupaverat, et per viciniam praedas Normannico more agebat. Bernardus ipse Frotarium excludere Biturico conabatur, quam ille jam sedem acceperat; et ut colorem haberet, praesulem in suspicionem adducebat, quasi urbem Normannis traditurus esset. Sed ex eventu apparuit, ipsum res novas molientem, hominis fidi oculos vitasse.

13. Rex cum ad Ligerim venisset, morbo correptus in Turonum urbe graviter decubuit, ut jam de vita desperaretur. Gozfridus tamen eo adductus est ab amicis, ut cum filiis deprecabundus veniret. Neque id magno constabat, quando summissionis specie rebellionis fructum percepit: nam filii ejus, quae invaserant, regi reddentes, mox beneficii jure recepere. Locus in Britonum vicinia situs erat; neque illos se postea Britonibus meliores praestitisse, Bertiniani notant. Regi in Turonum urbe decumbenti Johannes pontifex adventum suum significavit, et occursum petiit. Rex valetudine excusatus, missis obviam episcopis aliquot, Trecas

*) *Ita codd. Scribendum* archiepiscopis.

A. 878. eum duci jussit, spe adventus sui facta, ubi primum per morbum liceret. Episcopi totius regni in sustentationem pontificis sumtus conferre jussi.

14. Synodus ergo Trecassina secunda 3. Idus Aug. sedere coepit. Patres auditis Lamberti criminibus, condolent pontifici; quos excommunicavit, excommunicant, quos anathematizavit, anathematizant. Sed queruntur, ut in plaga Aegypti, nullam esse domum, in qua non jaceat mortuus. Se similia pati, auxilia a maximo pontificum sperare. Itaque in pervasores rerum ecclesiasticarum fulmina sacra vibrantur, si quis ante proximas Kalendas Novembris rapta non reddat: contumacibus etiam sepultura ecclesiastica interdicunt. Praeterea et Formosus nuper Portuensis, quantumvis aures regum et principum verbis impleat (Carolomanno auditum arbitror) iterum damnatur, omni restituendi spe sublata.

15. Sequuntur canones ecclesiastici, quibus nihil singulare inest; nisi canonem primum memorandum putes, ubi humiles piscatorum successores, pro accepta scilicet a Domino autoritate, in rem suam constituunt, ut episcopi ab omnibus mundi potestatibus honorentur, neve quisquam injussus coram ipsis considere audeat. Et quia Sigebodus Narbonensis episcopus ostenderat in legis Gothicae libris nihil contra sacrilegos haberi; cum in lege Justiniani poena constituta legatur quinque librarum auri: placuit Caroli legem leniorem sequendam, ut 30 libris examinati argenti, id est sexcentis solidis argenti purissimi, res componeretur. Actum et de translationibus episcoporum, lectique canones Africani ac Sardicenses, et Leonis I. decretum, quibus vetabantur. Ea res ad Fretharium pertinebat, qui a Burdigala ad Pictavos, inde Bituricum transsilierat. Sed hunc pontificum Romanorum indulgentia tuebatur, quae jam tum succurrere credebatur canonum severitati, ubi ratio posceret. Sub exitum synodi pontifex novissima allocutione a rege, qui circa Kalendas Septembris advenerat, et episcopis auxilia petiit, ut tuto Romam reverti posset. Putabat, hoc matri debere caeteras ecclesias, ut cum omnium hominum suorum armata manu bellicoque apparatu adessent. Quid responderint, non constat (nam acta synodi imperfecta sunt), quid fecerint, aut potius, quid non fecerint, plus satis.

16. Ludovicus rex iterum coronari a pontifice maximo honorificum putavit. Id factum Trecis, durante adhuc synodo, 7. Id. Sept. Hoc plerique olim, et inter hos Sigonius Baroniusque viri doctissimi, de corona imperii imposita accepere. Sed falsi sunt. Literae pontificiae et Hincmarianae, diplomata propria, scriptores vicini, Ludovicum vulgo Balbum non alio quam regis nomine censent; quod bene Sirmondus notavit, et exemplum Pipini I. affert, quem prius Bonifacius archiepiscopus, mox iterum Stephanus papa diademate ornavit ejusdem regni. Neque Roma subjici Ludovico poterat sine injuria Carolomanni, quem potifex rediturus domum tuto non irritasset; et qui reconciliationem regum moliebatur, cur novi belli flabella movisset. Ludovicus aegre domi suae potestatem tenebat, neque pontifex arundine niti consultum putabat. Is deinde in domo regis magnifice exceptus et donis cultus, Trecas cum honore remissus est. Rex per oratores reginam coronari petiit; sed non obtinuit, credo,

quod res altioris discussionis videretur, et cavendum esset, ne statui libe- A. 878.
rorum praejudicium crearetur. Boeclerus vir doctissimus, communi opinione occupatus, credidit, Angelbergae reverentiam apud papam obstitisse, quo minus novam imperatricem coronaret; quasi vidua regnanti obstaculum facere possit.

17. Fretharius etiam et Adalgarius praeceptum Caroli imperatoris in synodo papae obtulere, quo filio regnum tradebat; et confirmatio pontificis expetebatur. Hic vicissim praeceptum aliud imperatoris protulit, quo abbatia S. Dionysii Romanae ecclesiae donabatur. Credidere multi, rem ex composito actam, ut abbatia Gauzlino auferretur: sed imperfecta illa tractatio obhaesit. 4. Idus rex suorum hortatu ad Johannem invisit, et cum eo ad conventum episcoporum in exedram venit, quae habitationi pontificis adhaerebat. Itaque videtur in edito loco papae assedisse. Excommunicati sunt Hugo Lotharii filius, et Immo Bernardi frater, et alii complices, qui regnum turbabant. Placuit, ut Hedenulfus sedem Laudunensem teneret, etsi missionem peteret ipse, et in monasterium se recipere vellet; Hincmaro tamen juniori reddita est presbyterii functio, et pars episcopii ad sustentationem tributa. Quo intellecto, quidam metropolitani et episcopi, in Hincmari Remensis invidiam, injussu regis Hincmarum orbum, vestimentis sacerdotalibus indutum, ad papam adduxerunt; inde sublatum cum cantu in ecclesiam duxere, ut benedictionem populo daret, quasi episcopali jure restituto.

18. Ita inani strepitu edito synodus soluta est, ad quam Germani Italique nequicquam vocati sunt. Reges fratres ne legatos quidem misere, neque quisquam eorum colloquium pontificis expetiit, aut diem congressui dixit. Dies praestituta Kalendarum Augusti dudum effluxerat, quam sibi ipse dixerat visendi Carolomanni; neque aut Wibodum Parmensem episcopum, aut Supponem comitem, aut alium eorum, quibus scripserat, quicquam a Carolomanno pacati renuntiasse apparet. Ludovicus Balbus magis speciem regis, quam autoritatem habebat: itaque Johannes, et inclinatione animi, et necessitate ipsa ad Bosonem revolutus est. Hic in magna autoritate apud regem erat, etsi novercae frater, et adversarum super partium dux. Altera die a dissolutione synodi invitatus rex, ad Bosonem perrexit cum primis consiliariorum, et magnifice cultus, credo, inter epulas, filiam Bosonis ex priore matrimonio Carolomanno filio suo despondit. Irmengardis aderat augusti filia, quae multam autoritatem marito circumdabat. Ei rex vices suas mandat in reducendo pontifice; pontifex Bosonem more novo adoptat. Id regis Galliae hortatu a se factum, ut adjutorem ecclesia haberet, Carolo regi postea scripsit. Inde Trecis movens, Cabillonem petiit; tum itinere per Mauriennam facto, superato Cinisio monte, conductu Bosonis et Irmengardis in Italiam rediit, nullo Germanorum regum salutato. Angilmarus etiam Arvernorum episcopus unus sui ordinis sese comitem praebuit. Annales Fuldenses pontificem in regnum Caroli (id est Galliam) venisse ajunt, ibique per totum pene annum moram traxisse; quod ita accipio, ut, ex quo in regnum ingressus est, id est a festo pentecostes, pene usque ad finem anni mansisse intelligatur.

A. 878. 19. Rex vero Bernardo Gothiae marchioni iratus, qui evocatus venire contemserat, honores ejus in Theodericum camerarium et Bernardum Arvernorum rectorem potissimum partitus est. Eversum Bernardum ex quadam Hincmari epistola intelligimus apud Frodoardum. A Johanne etiam excommunicatus est Bernardus, Bernardi et Belihildis filius (is scilicet, de quo agitur), quod nec apostolicae autoritati, nec regiae sublimitati vocatus paruisset, nec Frothario civitatem Bituricensem caeteraque rapta reddidisset, et juramenta ab ejus hominibus extorsisset.

20. Compendii reduces legatos rex audiit, quos ad consobrinum Aquis Grani agentem pacis causa miserat. Inde Heristallium processit. Tum Ludovici ambo ipsis Kalendis Novembris apud Marsnam in loco Furonis dicto congressi, paterna foedera renovarunt, et divisionem regni Lothariani pristinam ratam manere jusserunt. De regno Italiae, cum nihil constitui tunc posset, testatus est Galliae rex, se partem suam petere et petiturum esse. Capitula etiam foederis extant, in quibus superstes alter alterius liberos tueri promittit. Regi Germaniae filius unus attribuitur parvulus Ludovicus. Placuit etiam, ut oratores ad Carolomannum et Carolum mitterentur, quibus ad communem congressum in 8. Id. Febr. invitarentur. Furones regiam villam, in Heristallii et Marsnae confinio, Miraeus notat in Belgicis, Latine Forum Comitis dici; nam ibi comites Dalemienses sedem habuisse; et nunc quoque tribunal primarium totius tractus superesse, in Forone scilicet municipio amplo, secundo lapide a Trajecto Mosae, quarto a Grani Aquis. Germanica ego milliaria intelligi puto. Extare ibi fossas et aggeres, cum ruderibus fundamentorum veteris castelli in colle. Haec de loco. Tempus etiam male exhibet inscriptio capitularium, annum 879: sed recte indictionem 12. Ludovicus deinde Gallus per Arduennam ad Longlariam pervenit, ibique natalem Domini egit; quem Ludovicus Germaniae rex Forachemii, non Bamberga procul, celebravit, quo festinare eum fratris majoris aucta invaletudo coegit: nam in paralysin evaserat malum. Longlaria palatium regium fuit, hodie Glara villa; est non procul S. Huberti monasterio in dioecesi Leodiensi.

21. Johannes interea ex itinere ad Italos scribens, gesta sua in majus attollebat. Johannem Papiensem episcopum ad se Taurinum vocat, Ansberto Mediolanensi diffidens. Mittit Johanni curandas literas ad Wibodum Parmensem, Paulum Placentinum, Paulum Regiensem, Liudoinum Mutinensem, in quibus significat, sese 8. Kal. Dec. Taurinum venisse; vocatque eos Papiam ad synodum habendam. Ansbertum increpat, quod nulla in re auxilio fuerit pro ecclesia et Italia laboranti. Se vero in Franciam venientem regum filios, partim viva voce, partim per epistolas nuntiosque compellasse, utrumque Ludovicum, Carolomannum et Carolum; hoc quidem vere, etsi neque epistolas illi neque legatos remisissent: illud ex ingenio, communi eorum consilio Bosonem gloriosum principem itineris sibi comitem datum, donec ad Urbem pervenisset. Archiepiscopum cum suffraganeis sibi Papiae altera die a festo S. Andreae adesse jubet. Similia habentur in epistola ad Berengarium gloriosum comitem omnesque Longobardorum optimates inscripta. Addit regem, imperatoris filium, solo

morbo praepeditum, quominus itineri se daret, Bosoni salutem amici commendasse. *Nos*, inquit, *auxiliante Deo Papiam venimus, vestrum adventum expectamus*. Credo, Bosoni eos conciliare conabatur. Supponi scribens, ignoscere se, ait, quod adesse sibi magis non potuisset, quam non voluisset; ne in fidem Domino datam peccare videretur. Et tamen, ut veniat, magno studio hortatur, parum congrue, quia non addit, salvo erga Carolomannum officio facturum. Johannem, assumto Bosone comite, magna cum ambitione in Italiam redisse, et multa machinatum esse, ut ille regnum Carolomanno ademtum obtineret, Fuldensis annalista prodidit: quem secutus est Petrus bibliothecarius in historia Franciae contracta. A. 878.

22. Quid de synodo aut placito factum sit, non constat. Ansbertum instanti defuisse, nisi Johannes ipse expostulatoriis literis dixisset, vel ex privilegio colligeres, quod papa Johanni Ticinensi ejusque successoribus dedit, ut Italiae episcopos ad synodum vocare posset apostolica autoritate, et vice pontificis maximi excommunicare transgressores; quod erat vicarium suum facere, et attollere supra metropolitanum. Tantam injuriam nunquam Ansberto facturus erat, si amico usus fuisset. Sed papa, facilis dare *insolita et* negligere concessa, sibi hominum studia per vana mercabatur. Id Ansegisi Senonensis exemplo apparuit. Apud posteros ecclesiarum suarum studiosos, aliquid esse visa sunt, quae suis temporibus spernebantur. Talibus enim privilegiis primatus jura, aut aliae praelationes inaedificabantur. At pontifex interea Johanni Ravennati archiepiscopo, amico suo, scribit, ne Lambertum cum Francis suae partis in urbem suam admittat; et cum mox Johannem extinctum, et pro eo Romanum diaconum unanimi sententia electum intellexisset, hortatur, ut vigilet, epistolasque inclusas suis Romam mittat ad Leonem episcopum et apocrisiarium: res etiam Deusdedit et Johannis ducum defendat.

23. Ticino scribit pontifex Ludovico Galliae regi, quem, Constantinopolitanos imitatus, porphyreticum vocat, tanquam in purpura natum. Gratias agit, quod Bosonem conductorem dedisset, quem miris laudibus attollit. Rogat, ut si opus sit, armatos mittat. Angilmarum epistolae latorem commendat. Caeterorum episcoporum, etsi rex jusserat, nullum venisse, queritur: itaque petit, ut eos Romam hostiliter ire cogat, quo tandem obedire discant. Hostiliter, inquam, id est cum hoste seu militum copiis. Etiam Hugoni abbati ac marchioni, Theoderico camerario, Bernardo Arvernorum comiti, communem epistolam scribit, foederisque cum Bosone icti admonet; rogatque, ne calumniatoribus de viro credant, regis ei gratiam conservent. Verebatur, opinor, ne quid de machinationibus traluceret. Quomodo Romam pervenerit, nuspiam refertur. Lamberto reconciliatum, apparet, quando et Adalberto. Morbo Carolomanni amicorum ardor refrixerat. Ita facile crediderim, Lambertum nova consilia cepisse, et Johannem rebus suis utilem judicasse. Fortasse etiam ex hoste Johanne, quando affectati imperii accusabatur, didicit, quid posset: multos enim ipsi accusatores sui ad crimen instruxere. Res in fratre Widone exitum habuit. Adelbertum gloriosum marchionem et Rotildem conjugem ejus, et res eorum in Provincia sitas, quas diu tenuissent, Bosoni glorioso principi commendat.

A. 878. Adelbertum nuper latronem, Rotlidem moecham appellabat; promtus vertere stylum, ut affectus agebant. Adelbertus (vel notarius ejus scriptor chartae) ad absolutionem respicere videtur, cum in charta, ex tabulario Lucensi a Florentino prolata, sese divinae gratiae munere et supremae virtutis auxilio faucibus daemoniacae potestatis erutum, decimas quasdam in certis locis comitatus Lucensis in ecclesias conferre scribit.

24. Circa hoc tempus Adelgisus dux Beneventanorum, cum castro Trebetensi obsidione expugnato domum redisset per insidias extinctus est a generis, nepotibus et amicis, ut ait Erchempertus. Successit Gaideris, Radelgario defuncti ducis et Ajonis episcopi fratre natus, quorum pater Radelgisus principatum familiae intulerat, ex thesaurario Sicardi ducis ob morum laudem ad tantum culmen sublatus. Geuderi pontifex et Ajoni scripsit, unde tempus rei gestae patet. Illi gratulatur, huic condolet. Inter nepotes Adelgiso rebelles Calo et Daiderius erant, qui mox ejecti sunt. Sed nec Gaideris diu praefuit, captusque ab amicis Landonis Capuani a. D. 881, et in custodiam Francis datus, Radelgisum filium Adelgisi successorem habuit. Dein fuga Barin elapsus et Constantinopolin missus, beneficio Basilii augusti Oriam urbem subsidio vitae accepit. Sed nec Radelgisus ultra triennium tenuit principatum, pulsusque Ajoni fratri locum reliquit.

25. Johannes antequam in Franciam iret, Bulgaricam causam resumserat, missisque ad Basilium augustum Paulo et Eugenio episcopis, etiam ad Michaelem Bulgarum credidit mandata literasque, 16. April. datas. In his Graecos ut haereticos incusabat, quorum antistites saepe ob haeresin depositi fuissent. Cavere Bulgaros jubet, ne, ut ab Arianis Gothi olim, seducantur. Haec male cohaerebant literis ad augustum et Ignatium scriptis; ubi illum christianissimum principem, hunc reverendissimum confratrem appellat. Sed hoc habet Johannes, procul a Nicolai constantia aut gravitate majorum, ut epistolae ejus ad diversos scriptae, et nunc sub uno conspectu positae, se ipsas refutent. Nulla illa veritatis, nulla decori cura, pro affectu praesenti dicebat. Volebat, ut Basilius non aditum ad Bulgaros, sed et conductum in itu redituque hominibus daret, qui hostili animo, mandatisque in ipsum, in ecclesiam ejus, in gentem, injuriosis onerati ibant; nulla futuri, nulla existimationis cura; neque enim haec diu poterant Basilium latere, haud amplius fidem scribenti habiturum. Nam Basilio affirmaverat Johannes, ad regem Bulgarorum eos mitti a se tantum visitandi gratia. Basilius alios legatos nominatim expetierat; eos nescio quibus incommodis impeditos, Johannes causatur. Illud ridiculum est, quod Ignatium, ni Bulgarica inspectione desistat, et suos inde sacerdotes revocet, post duos menses a receptis literis communionis dominicae perceptione privat; si persistat, a patriarchatu deponit. Ita passim fulgura ex pelvi emittit, verborum ostentatione delectatus.

26. At Ignatius hoc anno vacuam morte sedem Photio reliquit. Tertia supra vicesimam Octobris decessisse, Nicetas in ejus vita testatur; qua die ejus commemoratio fit in Graecorum menologio, tanquam sancti viri. Vix triduo elapso, Photius ab imperatore substitutus est; et 27. Octobr.

(dominica utique hoc anno die) honorem in populi conspectu resumsit. A. 878.
Basilio privato amicus fuerat: dejectus etiam amicitiae admonere ausus, *Audi*, inquit, *humanissime imperator; non ego nunc allego veterem amicitiam, non tremenda juramenta et stipulationes initas, non unctionem et manuum impositionem regiam, non quod per manus nostras tremendorum mysteriorum particeps factus es, non illud vinculum, quo nos filii optimae spei adoptio copulavit.* Unde filio Basilii patrimum fuisse intelligimus. Cum parum proficeret priorum memoria, nova arte in favorem irrepsisse dicitur, genealogiam commentus et supposititios libellos, quibus majores augusti in Arsacidarum gentem per Tiridatem Armeniae regem inserebantur. At Constantinus Porphyrogenneta simpliciter, nullum deposito *solatium* infortunii ab avo augusto defuisse, scribit, assignato etiam in aula *habitaculo*, ut liberorum ejus institutioni praeesset. Sed hoc paulo serius factum est. Tandem mortuo Ignatio optimum visum tollendo schismati pacandisque omnium animis, ut sedi redderetur. Cui rei mox etiam Johannes solita facilitate manus dedit, nulla concilii magni praedecessorumque cura, a quibus omnis spes restitutionis viro ademta erat.

27. *Syracusarum* expugnatio in hunc annum incidit. Urbem Graeci tenebant; *Saraceni* ea potiti sunt 21. Maji. Sophronius episcopus cum Theodosio monacho captus, Panormumque ductus est. *Theodosii* epistola ad Leonem quendam archidiaconum apud Siculos superest; versionem Latinam Pyrrhus in Sicilia sacra edidit, unde fragmentum Pagius producit. Ita Sicilia tota hostibus christianae fidei cessit.

28. 4. Kal. Nov. post horam nonam sol ita obscuratus est per dimidiam horam, ut stellae in coelo apparerent. Boum mortalitas per Germaniam grassata est, maxime circa Rhenum. Ubi illud singulare memoratur, quod in villa Walasheima non procul Ingelheimio palatio contigit. Quotidie cadavera animalium in agros projecta a canibus laniabantur: cum ecce quadam die universi canes in unum congregati, velut damnato loco, communi sententia non redituri discessere.

29. Hoc anno magna rerum commutatio in Anglia facta est. Aelfredus rex occidentalium Saxonum a Danis premebatur, tandemque, deficientibus plerisque aut trans mare fugientibus, in palustria Sommersetensis pagi loca se cum paucis receperat. Erat locus Athelneia (insulam nobilem vox sonat) angusto aditu. Ibi castrum communit, et inde in hostes excursiones facit. Forte accidit, ut Hubba et Inguar Dani ex Wallia reduces, facta excensione in Devonia, comitemque regionis cum suis in castello quodam obsidentes, cum ille, sumtis a desparatione animis, improvisus erupisset, insigni strage delerentur, Hubba ipso occiso. Eo successu regii animos resumsere. Rex per somnium aut vidit, aut vidisse voluit S. Cuthbertum, Lindenfarnensium quondam praesulem, tanquam completo castigationis tempore victoriam et totius Angliae imperium pollicentem. Itaque cum paucis e latibulo prodit; fidi homines certatim accurrunt. Religio animos, desperatio vires dabat. Concurritur ad Ethandunum (an Etington?); Dani multitudine et virtute potiores, fato vincuntur, plerisque caesis aut dispersis. Guormo rex cum paucis in castellum proximum

A. 878. compellitur. Cum necessitas deditionem imperaret, pax conclusa est, nam Aelfredus intelligebat, capto vel occiso Guormone, Danis duces non defuturos. Guormo cum triginta nobilioribus suorum baptismi sacramenta suscepit. Pars regionis Guormoni relicta est, in quibus East-Anglia et East-Saxonia continebantur; sed, ut fidelitatem Aelfredo juraret. Et quamvis anno sequente nova Danorum classis in Tamesin venisset, pax tamen stetit. Extant conditiones foederis, in conventu publico constitutae. Dani novi, et qui veterum in Anglia his legibus manere nolebant, in Franclandiam (ita loquuntur Anglorum monumenta), id est Franciam, transfretantes, Gandavum castellum anno integro tenuere. Ita respirantibus Anglis, tempestas Normannica rursus in Francorum regiones incubuit.

ANNO CHRISTI 879.

Ludovicus Germaniae rex Carolomannum aegrotum invisit. — Ludovicus Galliae rex obit. Procerum illius regni machinationes. — Ludovici hujus elogium, matrimonia et posteritas. — Ludovicus Germaniae rex in Galliam vocatur ad regnum. — Pro eo tamen oblatum integrum regnum Lotharii accipiens, Galliam filiis Ludovici relinquit. Jus regum Germaniae in omnem Lotharingiam, regnumque Bosonis et Arelatense. — Confirmatio asserti, quod ab hoc tempore Ludovicus integrum Lotharii regnum pro se suisque successoribus acceperit. Quid sit locarium. — Ludovicus Bavariam invadit. Conciliatur tamen mox cum Carolomanno, quem Itali adhuc colunt. — Hincmari epistola ad Theodericum de statu regni. — Theodericus hic non fuit primus Hollandiae comes. — Ludovicus et Carolomannus in Galliae reges coronantur. — Boso ad regiam dignitatem aspirat. — Boso rex Burgundiae et Provinciae creatur. — Allocutio legatorum concilii Mantalensis ad Bosonem. — Bosonis responsio. Elogium ejus. Diplomata anno regni primo data. — Johannes papa Bosoni Italiae regnum optat. — Papa de successore in imperio et regno Longobardiae solicitus. — Carolum regem in Italiam vocat. — Ansbertum archiepiscopum Mediolanensem frustra ad synodum Romam vocat. — Ludovico Saxonum et Austrasiorum regi imperium offert. — Exarchatus potestatem sibi vindicare tentat. Jus in Comaclum controversum. — Legatos ab imperatore Constantinopolitano expectat. — Capuana, Amalphitana, Neapolitana. — Papa Angelbergae imperatricis curam gerit. — Carolus Crassus in Italiam abit, papa ei non multum favente. — Ansbertus excommunicatus tandem papae reconciliatur. — Carolus rex Longobardiae hoc anno factus. — Galliae reges Normannos vincunt. Hugo Waldradae filius Lotharingiam turbat. — Papa Bulgaros a Graecis avocare tentat. — Methodium increpat, quod missas lingua Slavorum celebret. — Photius in locum Ignatii defuncti restitutus. — A Johanne in concilio Romano patriarcha agnoscitur. — Contenta epistolae Johannis ad imperatores Constantinopolitanos de restitutione Photii. — Ejusdem argumenti continuatio. — Contenta epistolarum caeterarum in Photii causa Constantinopolin scriptarum. — Photius in literis his, dum eas in Graecam linguam transtulit, plura insolentius dicta mutavit. — Synodi Photianae acta. — Hac synodo fundamenta schismatis inter Graecam et Romanam ecclesiam jacta sunt. — Avo abbas Corbejensis et Balduinus Flandriae comes obiere.

A. 879. 1. Ludovicus rex Saxonum et Francorum orientalium Foracheimio ad fratrem invisit, qui jam usum loquendi amiserat, nec diu victurus credebatur. Optimates ad se venientes ea lege in fidem suscepit, ut, fratre defuncto, nulli nisi sibi regnum permitterent. Arnulfum enim filium Carolomanni, extra conjugium natum, inhiare regno, credebatur. Francofurtum reversus, ubi paschalia festa peregit, mortem Ludovici consobrini intellexit.

2. Is festum purificatio. Pontigone egerat. Inde Augustodunum contendens, ubi Bernardus Tosanus turbabat, Trecas pervenit. Sed ingravescente valetudine, iter s relegendum putavit. Bernardum Arvernicum primogenito Ludovico bolum constituit, et cum Hugone abbate et Bosone adesse filio suo jubeet Theodericum Augustodunum ire, ut in publica re suam curaret. Nammitatum Augustodunensem ipsi tribuit, ut Tolosano marchioni extorquenr. Ipse Compendium aegre attingens, morte instante per Odonem Bellocensem episcopum et Albuinum comitem regium apparatum filio natu nori mittit mandatque coronam imponi. Mox 4. Idus April. die parasceves d in vesperem inclinante, vita excessit, et postridie tumulatus est. At Odot Albuinus intellecta in itinere morte regis, apparatum regium Theodori tradunt; ipsi festini revertuntur. At qui primogenito aderant constituti regni causa, primores suarum partium Meldas vocant. Boso interiot Theodericus Hugone conciliatore paciscuntur, ut Theodericus Bosoni mitatum Augustodunensem (vicinum locis, ubi dominatum affectabat), hilli abbatias citeriores cederet. A. 879.

3. Ludovicus ab impeditiore gua Balbus appellatus est, neque ingenio promtior fuit: nam ob vaecoam cognominatum Nihil facientem, quidam veterum memorant. Aliorumnsiliis obsecutum, acta ostendunt, etiam antequam regnaret. Mitem et anitatis pietatisque amantem fuisse, Regino aequalis prodidit. Juvenis Agardem puellam, ex Kale monasterio abstractam, ut habet fragmenti historiae Francorum apud Quercetanum, ignaro patre in conjugium suit, quam filiam Harduini, sororem Odonis comitum fuisse, Bertiniani ad D. 862. tradunt. Sed pater matrimonium irritum voluit, filio Adelaide copulavit. Ex Ansgarde Ludovicum et Carolomannum suscepit, qui elegantiam formae et virtutem animi a Reginone non obnoxio commentur. His Gisala soror additur, uxor Roberti, mater Richardi comitis Trensis, ex quo Campaniae comitum stirpem deducunt. Adelaidem praantem Ludovicus reliquit, ex qua Carolus, qui dictus est Simplex, natust 17. Septembr. die S. Lamberti, quod in privilegiis suis ipsummet tori, Labbeus notavit.

4. At Gauzlinus abbas, memor accee ab iis injuriae, qui nuper ei abbatiam Sandionysiacam extorquere cobantur, et Conradus Parisiaci comes aliique, ab adversa factione aula eusi, convocatis aliquot episcopis, abbatibus et potentibus viris, Meldens congressum praevenientes, ad Isaram, qua Tharam recipit, colloquium tituunt, pt de rege deliberaretur. Gauzlinus nuper captus et a rege Lovico conjugeque Lutgarde humaniter habitus et in familiaritatem ascituConrado persuadet, effecturum se, ut summa rerum penes ipsum es, si Gallia regi Saxonum summitteretur. Credibile est, incerto vel potiabrupto Ansgardis matrimonio, praegnante Adelaide, jus Ludovici pueratrisve ejus Carolomanni dubium multis visum. Decernitur, Ludovicum gem accersendum, sive ut haeredem, sive ut posthumi, si quis nascere tutorem: neque enim satis causae invitationis explicantur. Illud disei scribitur, legatos non tantum ad regem, sed etiam ad reginam missoquam mariti potentem fuisse, multa ostendunt. Ludovicus, ut petieramMetas venit. Illi per

A. 879. *Sylvanectum* et secus Axonam, vastatis in itinere agris dissentientium, Virodunum obviam eunt. Eo et Ludovicus cum ingentibus copiis venit: damnis in via datis. Normannorum improbitatem aequatam, Bertinianus scribit. At Fuldensis tantum fatetur, negato Viroduni foro rerum venalium, in necessariam rapinam versos.

5. Sed qui pueris haerebant Meldis congregati, Hugo abbas, Boso et Theodericus comites aliique primarii viri, re intellecta, Vulturium episcopum Aurelianensem et Goiramnum Anschariumque comites mittunt, qui regi offerant, quicquid olim Carolus de regno Lotharii acceperat, si caeteris intactis domum rediret. Placuit conditio principi, magis uxoris ambitione quam sua impulso. Dimidium regnum, etsi mediocre, sine caede, sine periculo habendum, spei majoris imperii sed ambiguae praeferre, prudentis erat. Galliae possessionem sperare non poterat, nisi consensu populorum, qui longe aberat. Sin ventris curam gesturus venerat, alienam rem agebat. Ita Gauzlinus et Conradus utrinque excidere. Ludovicus adita per legatos trans Mosam missos possessione novae ditionis, Francofurtum redit. Hoc verum est initium juris Germanici in omne Lotharii regnum, quo non tantum regiones ad Mosam, Mosellam et Scaldim sitae, sed etiam Burgundia Transjurana Vesontioque, Lugdunum item et Vienna cum vicinis regionibus continebantur. Haec enim Carolo obvenerant in partitione regni Lothariensis a. D. 970. cum fratre instituta. Atque hinc etiam factum arbitror, ut Carolus Crassus et Arnulfus augusti jus supremum sibi in regnum Bosonis Viennam tenentis et filii ejus Ludovici vindicarent, ut suis locis intelligemus. Etsi enim Boso praeter Viennam etiam Arelatem seu Provinciam teneret, quae non in Lotharii, sed Ludovici caesaris fratris ejus sorte fuerat, tamen par ejus ratio esse visa est; nam Lothario obventura fuit, si fratri superstes fuisset. Et Arelas Viennae appendix videri poterat, quae tunc regionis, quam Boso tenebat, caput habebatur. Itaque Rudolfus rex Transjuranus et Ludovicus Bosonides majestatem supremam regum Germaniae obnoxii agnovere.

6. Cum totum Lotharii regnum ab hoc tempore juris Germanici permanserit, brevi Caroli Simplicis interruptione excepta, insistendum nonnihil est huic loco; quoniam viri quidam docti in Gallia, quos interest Philippus Labbeus, concessionem nonnisi ad tempus factam, et locationis conductionis speciem initam, contendunt ex annalistae Bertiniani verbis, qui Ludovico nostro a. D. 882. partem illius regni in locarium datam, scripsit. At idem autor ad annum praesentem cessionem puram, non sub modo nec ad tempus factam, significat; et Regino portionem illam regni Lothariani ex integro concessam scribit. Quid ergo sibi vult locarium annalistae? Id me aliquamdiu perplexum habuit, donec in alium ejus locum incidi, unde clara lux affulsit. Locarium ipsi et forte aliis coaetaneis est lytron seu pretium redemtionis. Vult ergo Lotharingiam Germanico regi in locarium datam, id est lytron pro Galliae regno, ut scilicet partis jactura totum redimeretur. Ecce locum ejusdem scriptoris, eo manifeste, quem damus, sensu ad a. D. 861: *Ad quorum*, inquit, (Danorum) *locarium quinque millia librarum argenti cum animalium atque*

...mense summa de regno suo, ne praedae esset, exigi Carolus praecepit. A. 879.
...e et simili sensu ad a. D. 864 Lotharius Lotharii filius, de omni regno ... quatuor denarios ex omni manso colligens, summam denariorum cum ... pensione farinae atque pecorum, nec non vini ac sicerae (id est, ... hodie cidram vocant) Rodulfo Normanno Herioldi filio ac suis locarii ... tribuit. Sed unde hic significatus? an confudere Semilatini vicina ... „louer" et „luere"? illud est locare, hoc lytrum solvere. Permu... autem pro lytro locarium prodiit. Caeterum ut manifestum sit, ...carium Bertiniano scriptori etiam hoc loco, ubi de concessa Ludovico ...tione loquitur, esse lytron seu pretium redemtionis rei majoris, seu ... (ut vulgo loquuntur) pro redimenda vexatione datur, ex collatione ...iborum ejusdem de eadem re ad hunc annum extantium manifestum ..., quae ita habent: *Miserunt* (Galli) *ad Ludovicum* (Franciae orientalis ...gem) *apud Virodunum* (haerentem) *ut ei offerrent partem de regno ...tharii junioris, quam Carolus* (Calvus) *acceperat, ut accepta illa por... in regnum suum rediret, et quod reliquum de regno patris sui Caroli ... Ludovicus* (Balbus) *habuerat, filiis ejus relinqueret.* Hoc scilicet ... lytrum *seu pretium*, cujus jactura reliquum redimebatur.

7. Moderationem Ludovico nostro suadebat etiam Bajoariae facies. ... Erambertum, primarium illic virum, aliosque Arnulfus honoribus ...raverat, quod Carolomannum offendisse dicerentur. Illi ad Ludovicum ...fugiunt; qui in Bajoariam profectus, pulsos restituit. Ea res multis ...qua, et juratis fratrum pactis contraria visa est, pene videntis viventis... haereditatem adire Ludovicum, et in alieno dominari. Quod Fuldensis ...iptor ipsi addictus male excusat, quasi prior Carolomannus violasset ...cta, dum Italiam subigit. Sed ille iniquo possessori extorserat, et partim ...fecerat fratribus, partim ad aequa omnia paratus erat. Res tandem ...posita est. Carolomannus, qui non multum vitae sibi restare videbat; ...cersito Ludovico, sese et uxorem et filium, cum loqui non posset, scripto ...mendavit, et servatis certis reditibus, rerum arbitrium fratri permisit. ...c tamen ab Italis non multo ante colebatur, et in appendice capitu... Baluziano extat praeceptum, monasterio S. Christinae non procul ... datum. *Baldo cancellarius ad vicem Thiotmari archicancellarii ...cognovit, 8. Kal. Maji, indict. 12. Actum Cunigust curte regia.* An ...bergae?

8. Circa haec tempora Hincmarum Theoderico scripsisse epistolam, ...itor, cujus summam nobis Frodoardus servavit. Significat nomina ...rum, quos in expeditionem ad regis jussa paratos mittebat. Unum ... ex fratribus regem Ludovicum norat; cui etiam pecuniam dono ..., quod in regione a Normannis vastata tunc agens, necessariis rebus ... abundaret. Monet deinde Theodericum pro amore suo, quo virum ...sequatur, ut commendatis a patre regiis adolescentibus invigilet, neque ... sibi nimium credat; nam periculose ab uno generalem regni admi...strationem tractari, quae plurimorum consensu egeat; scilicet scissiones ...videbat, si pauci omnia ad se traherent. Mittit etiam capitula, olim ... divisione regnorum inter filios Magni Caroli aut Pii Ludovici con...

A. 878. dita. An ut exemplo essent, si inter binos fratres regnum dividend videretur?

9. Hic est Theodericus, quem primum Hollandiae comitem faci historiae Batavicae conditores, velut Aegidius de Roya (sive Brando, quer secutus est), monachus Egmondanus, Reinerus Snoius aliique id genus; a Carolo Calvo principem Hollandiae creatum volunt; quod Matthaeus V sius de Theoderico, cubiculario Ludovici Balbi interpretatur, etsi me haerens. Sigeberti Vasconum principis filium iidem faciunt, et roga avunculo Haganone Sanctensium comite, Hollandiam ei feudi jure c cessam a. D. 863. Postea Ludovicum Germanicum a. D. 868 Walachri totamque Selandiam, sylvae Wasdae nomine, addidisse. Sed Hagano favor ad Carolum Simplicem pertinet, cui nihil juris fuit in his oris. etiam invertenda erat. Nam ex divisione Lothariani regni Hollandia nunc vocamus) Ludovico, sylva Wasda, ut opinor, Carolo cessit. regiones tunc a Normannis principibus, ad nostra sacra traductis, ben ciario jure tenebantur. Theodericus aliquis comes a Francorum regi inspector addi potuit: sed probationes deficiunt. In cubicularium re id est praesentem Theodericum, magnae in aula dignationis virum, non convenit. Sed verum Frisiae meridionalis comitem, Hollandico principum primum, in Caroli Simplicis tempora differre oportet.

10. Absente in Bajoaria Ludovico, Gauzlenus et Conradus ad gardem veniunt, et spes maximas regis facilitate destitutas querun Regina bono eos animo esse jubet, dum maritus rediret, et in Gall remittit, additis, quorum autoritate et consiliis adjuvarentur. Illi Ludovic rebus in Bajoaria compositis, mox cum exercitu affore per Gallias sperab Ea re commoti Hugo et caeteri proceres, Ludovicum et Carolomann filios defuncti regis, in monasterio Ferrariarum dioecesis Senonensis Ansegisum aliosque episcopos ungi in reges et coronari curant. Ea opt vitandae scissionis ratio visa, quanquam pater uni primogenito insignia r destinasset. Albericus negat, metropolitanum sacro coronationis affu

11. At Boso jam tandem in meditatum diu facinus erupit. Di mularat consilia hactenus; Hugonem certe abbatem fefellit, fidum reg adolescentibus et rei publicae Francorum. Jam dudum tamen ma privato spirabat, impellente uxore, imperatoris Latini filia, filio impera Graeci destinata; quae se vivere nolle dicebat, si maritum facere re non posset. Cum jam in eo esset, ut regium nomen sumeret, Julio m tale diploma abbatiae Rameciensi dioecesis Trecensis, referente Nic Vignerio, dedit: *Ego Boso gratia Dei id, quod sum* (tanquam dubi quo se nomine appellaret), *et dilecta conjux mea Hermengardis pr imperialis, damus pro amore Dei monasterio Derno .... res nostras, dominus imperator Carolus serenissimus augustus nobis per praecep dedit, quae sunt in pago Laticensi. Et ego in Dei nomine Boso chartam donationis subscripsi et firmari rogavi. Hermengardis pr imperialis consensi. Signum Richardi comitis. Signum Teutbaldi com Signum Bernardi comitis. Ego Stephanus archicancellarius, jubente in et illustri viro domino Bosone sive conjuge ejus domna Hermanga*

c chartam scripsi et subscripsi. Datum 9. Kal. Aug. a. D. 879, anno A. 879.
post obitum Ludovici gloriosissimi regis. Itaque Ludovicum et Carolomannum pro nullis habebat, sive quod ii coronati tunc nondum essent, e quod ipse jam desciscere meditaretur.

12. Amoto ergo Ludovico Germanico, videtur Boso specie obeundi icii ab aula et caeteris proceribus in Provinciam cum uxore discessisse; i mox partim minis, partim promissis abbatiis et villis effecit, ut ab iscopis Burgundiae et Provinciae in regem asciscerotur; spretis adoscentibus, quos degeneres habebat, quod mater eorum rejecta esset; gdunum ingressum ab Aureliano urbis metropolitano aliisque pontifibus regno Burgundiae per unctionem inauguratum, memoriae Regino didit. Electio celebrata est in Mantala, villa ad Rhodanum, territorii ennensis, ipsis Idibus Octobris, extatque quaedam concilii Mantalensis ecies, cujus actorum fragmentum Guilielmus Paradinus annalibus Burndiae inseruit. Episcopi ajunt, rege extincto necessitatem sibi incumre circumspiciendi, cui onus imponeretur gubernandae rei publicae ndaeque ecclesiae, quam passim improbi infestarent: denique divina piratione unum sapientibus omnibus virum occurrisse; virum, inquam, lum sub principatu Caroli defensorem necessarium ecclesiarum, mox a filio imperatoris ob prudentiam amplificatum et ab ipso maximo ponice pro filio habitum laudatumque, cui et reduci tutelam praestitisset. que Christo duce, pari voto, clarissimum principem dominum Bosonem l regalem curam electum esse: hunc, etsi tantum laborem defugerit, dem divinae voluntati collum summisisse. His actis electus Deo itur, preces funduntur, divina gratia postulatur. De unctione et corona il lego, sive dilata sit in commodiorem locum, quod ex Reginone suspire, sive omnino praetermissa.

13. Extat et legatorum concilii ad Bosonem allocutio, electionem nifestantium, et responsio electi. Legati significant, sacram synodum nomine Domini congregatam, una cum primoribus ex ipso quaeri jusse, qualem se in principatu gerere velit, in quem eum attollere conerint. An honorem Dei quaesiturus sit et fidei catholicae decus; an que praestiturus mamburgium (hoc est tutelam) et justitiam administurus, exemplo bonorum principum praedecessorum, accessibilis omni, justus patritius majoribus minoribusque, a saevitia, superbia, avaritia, iditatibus alienus, disciplinae palatinae servans, monstrorum domitor, e in vitiis vigent; talis futurus, ut nemo unquam habeat, cur synodo primatibus viris ei assentientibus irascatur; talis denique, ut per omnia in omnibus Deo benedicatur?

14. Rex electus in responsione humilem se Christi vernaculum vocat, ias caritati eorum rependit. Se quidem conscium conditionis suae et nenti fragilis, suo judicio imparem visum tanto negotio, nisi divino nutu nes velut una anima, uno corde dato, in se conspirassent. Itaque Deo tantis sacerdotibus et tot fidelibus reluctari non audere. Amplecti holicam fidem, conservaturum ecclesiarum privilegia, jus cuique suum dditurum. De moribus suis hoc polliceri etsi peccatorem, bonis tamen

A. 879. obsequentem, malis adversum fore. Si qua in re lapsus fuerit, id s
consilio episcoporum emendaturum, quos in se honoratos velit. Deni
rogat, ut triduanis indictis supplicationibus Dei opem exorent. Ar
episcopi synodo affuere: Otramnus Viennensis, Aurelianus Lugdunen
Teutrannus Tarantasiensis, Rotbertus Aquensis, Rostagnus Arelaten
Theodericus Vesontionensis, ac praeterea episcopi decem et sept
Apparet, proceres ac populos sibi tunc quasi ex divina inspiratione
sumendi regis attribuisse. Boso postea, solitis ambitiosae audac
fatis, vitam miseram et perpetuis periculis obnoxiam duxit; sibi nom
nomen quaesivit, at filio demum capere licuit paterni criminis fruc
Regino plus virum ex dignitate nova odii quam emolumenti retulisse
statur: reges eum omni vi persecutos, nomenque Francis tam exos
fuisse, ut in perniciem ejus non principes tantum, sed et vasallos
juramenta et execrationes auterari mos esset. Ingenii tamen perspicaci
et domi virtutem laudat; nam nec circumventum assiduis inimicor
insectationibus, nec unquam suorum insidiis appetitum, etsi id saepe
hostibus tentatum esset. Extat in appendice capitularium Baluzii pr
ceptum Bosonis pro ecclesia Augustodunensi, ubi Adalgario Heduor
quaedam concedit, et ea in jus S. Nazarii transfert. *Manibus propr*
inquit, *subterfirmantes, annuli nostri impressione jussimus sigillari. S*
num Bosonis gloriosissimi regis. Elibertus cancellarius ad vicem Aureli
episcopi recognovit. Dat. 6. Idus Nov. indictione 12, anno 1. regni dom
Bosonis gloriosissimi regis. Actum Lugduno civitate I. D. N. F. A. Al
ibidem habemus, ubi Boso misericordia Dei rex, petente Siuwaldo com
fideli suo, monachis Cariloci in comitatu Matisconensi super Somam, ab
tiolam quandam concedit. *Signum Bosonis serenissimi regis. Stepha*
notarius ad vicem Adalgarii recognovit. Dat. 4. Non. Dec. ind. 12, ann
Bosonis regis. Actum Karíloco monasterio I. D. N. F. F. A.

15. Interea dum Italia quasi pro derelicta habetur, pontifex Johan
in ambiguo erat. Carolomannus spem literis fecerat mittendi Teutn
archiepiscopi Juvaviensis: eum non venientem pontifex nequicquam vo
vit. Carolomannus ad res gerendas inutilis factus dicebatur. Boson
ei successorem, si licuerat, dedisset; neque enim in hunc affectu tant
sed et consilio propendebat, facile intelligens, principem ortu potentia
minorem, in pontificum potestate fore. Itaque epistolam Johannis
ad Bosonem scriptam existimo, etsi inscriptio desit. *Arcanum*, inq
quod Trecis inter nos constitutum est, inviolatum tanquam thesaur
quendam pectore conditum servo, et destinata perficere nitor. Tuae que
excellentiae est (ea tunc regum aut regibus similium cognominatio er
cogitata in rem conferre. Nam juxta apostolum admonentem, ecce n
tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Credo, Ludovici mortem
Carolomanni invaletudinem designat, et sacris verbis in profanas m
tiones abutitur. *Nos vero*, inquit, *sponsionis tuae effectum praestolan*
multa tristes patimur a paganis, nec tamen aliunde opem petivimus. Ita
rem aggredere, aut certe, quid sentias, sine mora rescribe. Sed Boso i
propiora cogitabat, et plus satis in Burgundia laborabat.

16. Johannes igi Ansberto Mediolanensi circa haec tempora scri- A. 879.
psit, Carolomannum oris infirmitate gravatum, regnum retinere non posse: itaque de novege cogitandum. Jubet ergo, ut Kal. Maji hujus 12. indictionis Romaad synodum veniat; interea neminem pro rege recipiat. *Nam*, inqu*qui a nobis ordinandus in imperium est* (id est, qui consecrandus inrator) *a nobis primum et potissimum vocatus et electus esse debet.* i non tantum primariam rei Romanae curam sibi sumit, sed et Rom imperii ac regni Longobardorum jura confundit. Sed Anspertus ad odum non venit. Pontifex ergo pendens animi, nec satis rumoribus fide legatos ad Carolomannum mittere statuit, Johannem et Paschalem episcos, qui cognoscerent, quo in statu esset; quibus et epistolam credit 7.mii ind. 12. datam, qua petit, ut subveniat laboranti ecclesiae. Eosdemmen Wibodum Parmensem convenire in itinere jubet; a quo petit, ut vel mes illis eat, vel certe virum idoneum adjungat. Quodsi iter ad Carolomnum inutile videatur, ad Carolum ejus germanum eos proficisci faciat. aulo post eidem significat, se a Saracenis pressum, cujuscunque regisuxilia accepturum. *Itaque*, inquit, *si Carolomannum posse putas, apuipsum; sin minus, apud Carolum rem ecclesiae age. Quodsi archicaplanus Caroli venerit, ut significasti, et Romam adire cupiat, rogo, ut comes venias; sin minus, certi omnia, quae compereris, nobis perscribe.* Literas lectas combri petit.

17. Epista ad ipsum Carolum egem daa jam 3. Non. April. Hortatus erat, ut veiret, et interim legatoquamprimum mitteret, cum quibus de honore sedi apostolicae et regis ipus tracare posset. Postea, mirari se, ait, quod saepius ad honorem Dei suumipsius vocatus, venire distulerit. Se quidem pressum ab hostibi fidei diutius parem malis esse non posse; ut metum injicere voluissepute de Graecis in auxilium vocandis, si Franci deficiant. Quodsi Carus pse sibi non desit, se neque spe emolumentorum, neque terrore minaumab ejus amicitia discessurum. Et ne Carolomannus rem moretur, huice sripsisse; quando ipse venire nequeat, haud sine periculo animae sua ali impedimento futurum, quominus ecclesiam Dei tueantur.

18. Aliam etiam synodum Romae indit in 4. Idus Octob. eoque Ansbertum, ob spreta hactenus imperiancretum, iterum vocat. Epistola 14. Kal. Jun. data. In eundem sensum imul episcopos ejus suffraganeos scribit. Ad hos enim epistolam proxima pertre judico, etsi soli Ansberto inscriptam: simul ei mandat, ne se iconsultplacitum celebret cum rege aliquo Francorum, si quis forte in taliam cenderit; jubente apostolorum canone, ne quid episcopi gerium simapitis conscientia faciant, dum vicissim princeps pontificum nill inconsis caeteris gerat. Ita unanimitatem spiritus fore. Ansbertumtandem emmunicavit, nihil Romana jussa curantem: qui non eo seciu sacra celavit, et legatos pontificis, Johannem Ticinensem et Walperum Portuem episcopos, contemtim habuit; quod ei alia epistola expbrat Johan, qua ad causam in synodo dicendam nequicquam vocatur. Jhannes to imperando non pariturìs auctoritatem decoxit.

A. 879. obsequentem, malis adversum fore. Si qua in re lapsus fuerit, id se consilio episcoporum emendaturum, quos in se honoratos velit. Deniq rogat, ut triduanis indictis supplicationibus Dei opem exorent. Arch episcopi synodo affuere: Otramnus Viennensis, Aurelianus Lugdunens Teutrannus Tarantasiensis, Rotbertus Aquensis, Rostagnus Arelatens Theodericus Vesontionensis, ac praeterea episcopi decem et septe Apparet, proceres ac populos sibi tunc quasi ex divina inspiratione j sumendi regis attribuisse. Boso postea, solitis ambitiosae audaci fatis, vitam miseram et perpetuis periculis obnoxiam duxit; sibi nom nomen quaesivit, at filio demum capere licuit paterni criminis fruct Regino plus virum ex dignitate nova odii quam emolumenti retulisse t statur: reges eum omni vi persecutos, nomenque Francis tam exosu fuisse, ut in perniciem ejus non principes tantum, sed et vasallos p juramenta et execrationes auterari mos esset. Ingenii tamen perspicaci et domi virtutem laudat; nam nec circumventum assiduis inimicor insectationibus, nec unquam suorum insidiis appetitum, etsi id saepe hostibus tentatum esset. Extat in appendice capitularium Baluzii pra ceptum Bosonis pro ecclesia Augustodunensi, ubi Adalgario Heduor quaedam concedit, et ea in jus S. Nazarii transfert. *Manibus propri* inquit, *subterfirmantes, annuli nostri impressione jussimus sigillari. Si num Bosonis gloriosissimi regis. Elibertus cancellarius ad vicem Aureli episcopi recognovit. Dat. 6. Idus Nov. indictione 12, anno 1. regni dom Bosonis gloriosissimi regis. Actum Lugduno civitate I. D. N. F. A.* Ali ibidem habemus, ubi Boso misericordia Dei rex, petente Siuwaldo com fideli suo, monachis Cariloci in comitatu Matisconensi super Somam, abb tiolam quandam concedit. *Signum Bosonis serenissimi regis. Stephan notarius ad vicem Adalgarii recognovit. Dat. 4. Non. Dec. ind. 12, ann Bosonis regis. Actum Kariloco monasterio I. D. N. F. F. A.*

15. Interea dum Italia quasi pro derelicta habetur, pontifex Johann in ambiguo erat. Carolomannus spem literis fecerat mittendi Teutm archiepiscopi Juvaviensis: eum non venientem pontifex nequicquam voc vit. Carolomannus ad res gerendas inutilis factus dicebatur. Boson ei successorem, si licuerat, dedisset; neque enim in hunc affectu tant sed et consilio propendebat, facile intelligens, principem ortu potentiaq minorem, in pontificum potestate fore. Itaque epistolam Johannis 1 ad Bosonem scriptam existimo, etsi inscriptio desit. *Arcanum,* inqu *quod Trecis inter nos constitutum est, inviolatum tanquam thesaur quendam pectore conditum servo, et destinata perficere nitor. Tuae quoq excellentiae est* (ea tunc regum aut regibus similium cognominatio era *cogitata in rem conferre. Nam juxta apostolum admonentem, ecce nu tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Credo, Ludovici mortem Carolomanni invaletudinem designat, et sacris verbis in profanas me tiones abutitur. *Nos vero,* inquit, *sponsionis tuae effectum praestolant multa tristes patimur a paganis, nec tamen aliunde opem petivimus. Itaq rem aggredere, aut certe, quid sentias, sine mora rescribe.* Sed Boso ip propiora cogitabat, et plus satis in Burgundia laborabat.

16. Johannes igitur Ansberto Mediolanensi circa haec tempora scripsit, Carolomannum corporis infirmitate gravatum, regnum retinere non posse: itaque de novo rege cogitandum. Jubet ergo, ut Kal. Maji hujus 12. indictionis Romam ad synodum veniat; interea neminem pro rege recipiat. *Nam*, inquit *qui a nobis ordinandus in imperium est* (id est, qui consecrandus imperator) *a nobis primum et potissimum vocatus et electus esse debet*. Is non tantum primariam rei Romanae curam sibi sumit, sed et Romani imperii ac regni Longobardorum jura confundit. Sed Anspertus ad synodum non venit. Pontifex ergo pendens animi, nec satis rumoribus fidens, legatos ad Carolomannum mittere statuit, Johannem et Paschalem episcopos, qui cognoscerent, quo in statu esset; quibus et epistolam credit 7. Junii ind. 12. datam, qua petit, ut subveniat laboranti ecclesiae. Eosdem tamen Wibodum Parmensem convenire in itinere jubet; a quo petit, ut vel comes illis eat, vel certe virum idoneum adjungat. Quodsi iter ad Carolomannum inutile videatur, ad Carolum ejus germanum eos proficisci faciat. Paulo post eidem significat, se a Saracenis pressum, cujuscunque regis auxilia accepturum. *Itaque*, inquit, *si Carolomannum posse putas, apud ipsum; sin minus, apud Carolum rem ecclesiae age. Quodsi archicapellanus Caroli venerit, ut significasti, et Romam adire cupiat, rogo, ut ei comes venias; sin minus, certe omnia, quae compereris, nobis perscribe*. Literas lectas comburi petit.

17. Epistola ad ipsum Carolum regem data jam 3. Non. April. Hortatus erat, ut veniret, et interim legatos quamprimum mitteret, cum quibus de honore sedis apostolicae et regis ipsius tractare posset. Postea, mirari se, ait, quod saepius ad honorem Dei et suum ipsius vocatus, venire distulerit. Se quidem pressum ab hostibus fidei diutius parem malis esse non posse; ut metum injicere voluisse putes de Graecis in auxilium vocandis, si Franci deficiant. Quodsi Carolus ipse sibi non desit, se neque spe emolumentorum, neque terrore minarum ab ejus amicitia discessurum. Et ne Carolomannus rem moretur, huic se scripsisse; quando ipse venire nequeat, haud sine periculo animae suae aliis impedimento futurum, quominus ecclesiam Dei tueantur.

18. Aliam etiam synodum Romae indixit in 4. Idus Octob. eoque Ansbertum, ob spreta hactenus imperia increpitum, iterum vocat. Epistola 14. Kal. Jun. data. In eundem sensum simul ad episcopos ejus suffraganeos scribit. Ad hos enim epistolam proximam pertinere judico, etsi soli Ansberto inscriptam: simul ei mandat, ne se inconsulto placitum celebret cum rege aliquo Francorum, si quis forte in Italiam descenderit; jubente apostolorum canone, ne quid episcopi gentium sine capitis conscientia faciant, dum vicissim princeps pontificum nihil inconsultis caeteris gerat. Ita unanimitatem spiritus fore. Ansbertum tandem excommunicavit, nihil Romana jussa curantem: qui non eo secius sacra celebravit, et legatos pontificis, Johannem Ticinensem et Walpertum Portuensem episcopos, contemtim habuit; quod ei alia epistola exprobrat Johannes, qua ad causam in synodo dicendam nequicquam vocatur. Johannes toties imperando non parituris auctoritatem decoxit.

A. 879. 19. Idem solita levitate etiam Ludovico, Saxonum regi et Austrasiorum, spem imperii fecit. Nam cum ille, misso Astaldo comite, significasset, nihil se majoribus suis imperatoribus in propensa ad defendendam Dei ecclesiam voluntate concedere, sed nunc ob Ludovici defuncti regnum negotiis distineri; tum pontifex: *Magnas*, inquit, *excellentiae vestrae gratias agimus, quod nos, a paganis pene oppressos, invictae tuae potentiae auxilium sperare jubes. Itaque oramus, ut quamprimum venias, et perdita recuperes, certus et gloriae inter mortales et mercedis apud Deum. A nobis certe super id omne honorabere, quod majoribus tuis praedecessores nostri praestitere. Neque est, quod te cognati regnum moretur, cui, sumto Romano imperio, caetera regna subjecta erunt.* Ludovicus vivo fratre nondum satis Bajoariae potens, longinquas spes propioribus ex Gallia incrementis posthabebat.

20. Erant et aliae pontifici per Italiam curae. Marchatus sibi potestatem vindicabat, et Romano archiepiscopo Ravennatum indignabatur, quod injurias passus et insidiis appetitus, ad opem suam non confugisset. Etiam cum Berengario expostulat, Hadriaci litoris custode, quem gloriosum comitem vocat (Eberhardi filium intelligi, non dubium est, qui postea regnavit), quod Stephanum, quem ipse papa Comiacli episcopum ordinasset, in tuendo ecclesiae suae jure et possessionibus, curaque ducatus retinenda non adjuvisset; etsi per Petrum episcopum et Johannem ducem, pontificis legatos, rogatus. *Quodsi*, inquit, *tua erga nos voluntas mutata est, saltem hoc Deo et justitiae dabis, ut tuos homines nostris obstare non patiaris, cum rebelles nobis et impedientes coercebunt, ne post biennii jacturam, etiam hujus anni censum perdamus.* Ex quo loco intelligimus, jus Comacli jam tum inter reges Italiae et pontifices Romanae urbis controversum fuisse. Pontifici praedia quaedam privata et census in illis non negabantur; sed jura ducatus publica, quae episcopo committere volebat, concessa, non apparet.

21. Multa alia negotia Johannem circumsistebant, a Graecis vicinisque principibus. Gregorius (quem gloriosum primicerium et imperialem bajulum vocat) misso Stephano candidato significaverat, oratores Basilii venire, qui de pacanda ecclesia Constantinopolitana acturi essent; Ignatio scilicet extincto et Photio revocato. Rescribit pontifex, legatos sibi gratissimos fore, et se, qua fas esset, voluntati imperatoris non defuturum. Pandulfo Capuano comiti commendat, ut legatis venientibus conductum praestet. Quid in negotio Constantinopolitani patriarchae actum sit, mox dicemus.

22. Landulfus Capuae episcopus, magnae vir autoritatis et ducis more agens, nuper obierat. Hic ex tribus fratribus Landone, Pandone et Landenulfo nepotes habebat, ex quibus Pandonis filium Pandenulfum caeteris praetulit, et mox licet a se alienatum, successorem tamen reliquit. Consobrini regionem inter se trifariam dividunt; gastaldiam tamen seu comitatum Capuae Pandenulfo relinquunt. Pax 4. Idus Martii jurata, vix in Majum duravit. Itaque scribit pontifex Landoni filio Landonis et fratribus, et Landulfo filio Landenulfi ejusque germanis, ut cum Pandenulfo

pacem colant. Et quia Landonis Landenulfo nati filius, Landulfus adolescens, a quibusdam electus fuerat episcopus Capuae, eique Pandenulfus fratrem Landenulfum, nuper conjugatum et vix presbyterum, opposuerat, pontifex episcopatum postea divisit. Nunc autem significat, sese Kalendis Octobris ad Trajectum Liris venturum, et cum principibus vicinis de publica salute deliberaturum. Illic et ipsos et Guaiferium Salerni principem affuturos sperare. Idem et Guaiferio scribit, qui Pandenulfo ejusque fratri favebat. Eodem vicinos episcopos vocavit. Pulcarem Amalfitanorum praefectum ob pactum cum Saracenis reprehendit, et decem millia mancosorum reposcit, Romani litoris tuendi causa data. Colloquii ad Trajectum (si causam episcopatus excipias) aut nullus fructus aut exiguus fuit. Pandenulfus ab Athanasio episcopo Neapolitano adjutus primum et mox desertus, a patruelibus tandem captus est. Lando Landenulfi filius in gastaldia successit. Pontifex Amalfitanos 24. Octobr. excommunicat, quod a Saracenorum foedere non discessissent. Idem Athanasio minatur episcopo Neapolitano et Cajetanis hypatis, Docibili ac Johanni; sed surdis canebat. Praesentior erat metus ab hoste quam a sacerdote; tametsi Athanasius spem Johanni fecerit, ut ex alia hujus epistola apparet; cui juncta ad Amalfitanos, minis ecclesiasticis promissum annuae pecuniae miscet. A. 879.

23. Angelbergae etiam imperatricis curam gerebat pontifex, cujus bona a nonnullis diripiebantur. Itaque Egifredo, Supponi, Eripaldo, Berardo Bonifacii filio et Gotefredo gloriosis comitibus scribit, ut ei opem ferant. Tres priores possis Supponis filios suspicari, consobrini Angelbergae, quem nuper obiisse, ex epistola ad hanc apparet, ubi se pro anima Supponis Deum precari, pontifex scribit. Tres Supponidas memorat poeta Berengarianus libro secundo. Berardus, Bonifacii filius, Adelberti Tusciae marchionis frater fuerit. Cum etiam Liudfredus quidam comes et conjux Garelinda monialem ex ipso Angelbergae monasterio Placentino (volentem, ut apparet) per fraudem abstraxissent, excommunicantur, donec restituant, adjecta, ni faciant, anathematis comminatione. Etiam Antonium episcopum Brixiensem et Berengarium gloriosum comitem monet, ne cum homine communicent, aut alios communicare sinant. Odelricum quoque complicem, ut apparet, excommunicatum pronuntiat.

24. Carolus rex proprio ingenio et pontificis literis ad res Italiae capessendas animabatur. Cum ergo nihil amplius obstare Carolomannus videretur, dum Ludovicus sibi Bajoariam vindicat; ipse tandem expeditionem Transalpinam autumno imminente suscepit. An ambo consenserint in partitionem fraternarum ditionum, an quisque praebentes se rerum occasiones secutus sit, non traditur. Illud constat, Carolum, antequam montem Jovis transiret, ad Urbam Helvetiorum cum Ludovico et Carolomanno sobrini filiis, regibus Galliarum, collocutum. Illic rata habita sunt, quae illi cum Ludovico Caroli fratre nuper pepigerant, et Lotharingiae reliquae translatio ad Germanos confirmata, ut postea Galli proceres agnovere. Ante Octobris decursum Alpes superatas, et regionis natura suadet, et ex eo ostenditur, quod pontificem Ticinum in Kal. Nov. invitarat

A. 879. Carolus formularum incuriosus, hoc sufficere putarat: at pontifex captator inanium expectarat non literas tantum novas, quibus significaretur adventus, sed et legatos, a quibus illae afferrentur. Etiam conditiones quasdam extorquere voluisse, apparet: quae omnia neglecta, questus est. Ravennae tandem congressi sunt. Id pontifex magnopere imputat regi, tanquam honorem nulli a majoribus suis habitum ante Romanam coronationem. Sed revera id agebat, ut Carolum Roma excluderet, donec desiderata obtinuisset. Nihil magni actum, dum alter alterum magnificis promissis suspendit. Carolum ipsum apparet non ausum recipere coronam, antequam ei cum fratre Ludovico, natu utique majore, convenisset.

25. Ansbertum, excommunicatione contemta, functionem episcopi et metropolitani exercentem, Johannes ab officii administratione suspenderat in synodo Romana, Octobri mense acta. Carolus cum pro restitutione Ansberti scripsisset, respondit pontifex, quod synodi judicio factum sit, extra synodum retractari non posse. Ad depositionem usque tandem processisse, apparet ex literis, quibus clero Mediolanensi novam electionem mandavit. Sed res exitum non habuit, Carolo se interponente. Reconciliatos utcunque Johannem et Ansbertum, et hunc in synodo aliqua redintegratum, intelligas ex epistola pontificis, Novembri anni sequentis ad ipsum scripta. Johannes sumere iras et ponere facilis fuit.

26. Carolomanni annum secundum adhuc 16. Kal. Decemb. tabulis in Italia ascriptum, supra notavimus. Sed mox Carolum a proceribus in regem susceptum apparet, qui et pro Ansberto intercessit apud pontificem; et vicissim Carolo pontifex Ansbertum ad Vercellensem episcopatum commendavit, utique ut Longobardorum regi. Ansbertus Josephum Vercellensibus antistitem consecrarat. Id pontifex sententia synodi irritum pronuntiaverat, quod hoc excommunicatus fecisset; et Consbertum (an Cunibertum?) Carolomanno suggesserat (qui ep. 171. Gonsbertus), a quo approbatum affirmat, petitque, ut ejus exemplum Carolus sequatur. Joseph postea Astensem episcopatum accepit. Cunibertus an obtinuerit sedem, dubitandi ratio est, nisi mox defunctum aut dejectum credamus. Nam anno sequente jam Luitwardus Caroli archicapellanus ab ipso Johanne Vercellensis episcopus in literis appellatur. Widonem etiam Lamberti successorem in Caroli potestate fuisse, ex sequentibus intelligemus. Lambertum circa haec tempora decessisse apparet. Reditum Caroli congressumque cum fratre Ludovico, in annum proximum differre oportet. Nam 6. Id. Januar. anni sequentis adhuc in Italia egisse, ex tabulis binis intelligitur ea die, *anno incarnationis Domini 881, ind. 13. datis, anno regni serenissimi regis Caroli in Francia 4, in Italia 1*, quibus Wibodo Parmensi episcopo, praecepta totidem, a divae memoriae Carolomanno germano suo concessa, confirmat. *Inquirinus notarius ad vicem Liutvardi archicancellarii recognovit.*

27. At reges adolescentes a colloquio cum Carolo reversi, ipso die S. Andreae in Normannos, a Ligeri excurrentes, incidunt. Multi hostium occisi, plures in Vigenna flumine summersi sunt, quod inter Turones et Andegavos in Ligerim fertur. Ludovici nostri ditionem nuper acquisitam

Hugo, filius Lotharii et Waldradae, infestabat. Quidam ejus complices A. 879.
castellum prope Virodunum insederant; sed mox a regiis vi captum eversumque est.

28. Cum Bulgaris etiam et Slavis Johanni res fuit. Non Michaeli tantum regi Bulgarorum, sed et consiliariis ejus Petro, Cerbulae et Syndicae scribit, ut Graecos missos faciant, qui quotidie novis dogmatibus ecclesiam turbent. Legatum ad Bulgaros Sedesclavo commendat, quem vocat gloriosum comitem Sclavorum, cujus per terras iter erat. Serviam aut vicina loca tenuisse, suspicere. Alius Sclavorum princeps Branimirus, misso Johanne presbytero, devotionem erga ecclesiam apostolorum Petri et Pauli ostenderat. Id pontifex de reditu a Graecis ad Romanos interpretatur epistola 7. Junii data. Ejus et episcopus Theodosius anno sequente aut proximo Romam venit, cui Michael rex legatos adjungere suos frustra pollicitus erat. Nunc autem pontifex, Johannis presbyteri usus reditu, ad Michaelem 6. Id. Jun. iterum scribit, et Petri cognati Johannisque et Martini olim ad Nicolaum missorum meminisse jubet. Postea cum Functicus quidam a Michaele venisset et dona attulisset, sibi illique gratulatur, et, ut Graecos deserat, suadet.

29. Twentaro etiam de Marauna (an Zuentibaldo de Moravia?) per Johannem eundem literas mittit, significatque, relatum sibi de Methodio Moraverum archiepiscopo, quem Hadrianus ordinarat, quasi aliter doceat, quam Romae sit professus. Methodium ipsum (quem archiepiscopum Pannoniensem appellat) ad dicendam causam Romam evocat, culpatque, quod missas in barbara, id est Sclavina, lingua cantare dicatur, etsi epistola, per Paulum Anconitanum episcopum perlata, prohibitus; cum toto orbe nonnisi Graece Latineque dicantur: in quo valde errat, Syrorum, Armenorum, Aethiopum ignarus. Quod omnis lingua confiteatur Dominum, id ad praedicationem, non ad celebrationem mysteriorum pertinere arbitratur. Methodius anno sequente Romam veniens, sese abunde purgavit, ut illic dicemus.

30. Johannes idem in alia re multo graviore facilis fuit, et praedecessorum Nicolai Hadrianique, et ingentis simul synodi scita evertit, Photio restituto. Itaque Baronius, zelo pontificii honoris commotus, Johannem papam Johannae papissae nomen tulisse censuit mollitie sua; eleganter, si per jocum hoc dixit cardinalis, ridicule, si serio cunabula fabulae quaesivit. Ignatius patriarcha anno superiore octuagenarius de vita migraverat. Ea aetate causa mortis quaeri non solet: eo iniquior eorum maledicentia est, qui Photium veneni dati accusant. Photius dudum revocatus a principe ob doctrinae magnitudinem morumque illecebras, in palatii augustalis parte habitabat, quae Magnaura appellabatur, et jam resumta parte potestatis, cum senecta gravaretur Ignatius, exarchos per ecclesias constituebat et ordinationes agebat: sed a legatis Romani pontificis, Paulo Anconitano episcopo et Eugenio Ostiensi, vitabatur, qui nihil sine mandato in ejus causa agere audebant.

31. Itaque Basilio et Photio legationem ad Johannem destinari placuit, apud quem partim necessitas temporum, partim flexilis animus quidvis

A. 879. impetrabile faciebat. Imperatoris oratoribus suum legatum Photius addidit, hominem callidum, Theodorum vulgo Santabarenum, Euchaitarum episcopum. Hi facile persuasere Johanni, pacem ecclesiae Constantinopolitanae, nisi restituto Photio, reddi non posse: imperatori etiam gratificandum, magno rei christianae defensori et terrori Saracenorum, qui Italiae ipsique propemodum Romae imminebant. Res in synodo Romana conclusa est. Ego non tam Johannem culpandum censeo, qui Photium restituit, quam Nicolaum et Hadrianum, qui conati sunt efficere non tantum, ut dejiceretur, sed etiam, ne restitui posset, tanquam ultra vitam regnaturi. Johannes legatis suis tertium submisit, Petrum Romanae ecclesiae diaconum, novis mandatis oneratum. Huic ad imperatorem, ad Photium, ad clerum Constantinopolitanum, ad Constantinopolitanos literas credidit 16. Aug. ind. 12, quae extant. Sed et commonitorium legatis misit (instructionem hodie appellant), quae non extat, nisi ut a Photio interpolata est.

32. Ad imperatorem, vel potius ad imperatores Basilium, Constantinum et Alexandrum, ambos scilicet Basilii filios, scribens, laudat, quod more majorum reverentiam Romanae sedis conservent, cunctaque ejus autoritati summittant, cujus fundatori, apostolorum principi Dominus dixerit: *Pasce oves meas.* Romam scilicet omnium ecclesiarum caput, beatorum patrum regulis et orthodoxorum principum statutis declarari. Vicissim decere ait, ut, quod religioso studio desiderent principes, sive ratione, sive temporis necessitate suadente, apostolico jure perficiatur. *Petitis*, inquit, *ut reverendissimum Photium in patriarchatus honorem et summi sacerdotii collegium recipiamus et nostrae communionis participem faciamus. Nos, intellecta morte Ignatii piae memoriae patris, ad ea pertinere judicamus, in quibus veniae locus est, quod Photius nobis inconsultis interdictum sibi officium usurpavit. Itaque autoritate regularum ecclesiasticarum tuti et speciatim Nicaeni concilii cap. 2, ubi plura per necessitatem contra ecclesiasticas regulas facta tolerantur; et Gelasii ep. 6, qui dixit, necessitatis tempore locum habere dispensationem; Leonis item et Felicis et Innocentii praedecessorum nostrorum, et concilii Africani, clericos Donatistarum recipientis, consentientibus caeteris patriarchis omnibusque archiepiscopis, episcopis et sacerdotibus cleri Constantinopolitani; Photium satisfacientem et misericordiam coram synodo de more petentem, fratrem, comministrum, consacerdotem recipimus.*

33. Id se facere, ait, generali potestate ligandi solvendique, Petro speciatim concessa, qua Athanasius et Cyrillus Alexandrini, Flavianus et Johannes Constantinopolitani et Polychronius Hierosolymitanus etiam post synodorum damnationes restituti sint. Statuit etiam, ut nemo in posterum de laicis curialibus eligatur Constantinopoli, sed de presbyteris et diaconis Constantinopolitanae sedis, et ut nemo cito per gradus ecclesiasticos decurrat. Conditionem etiam concessionibus suis addit, ut Bulgari Romanae dioecesi reddantur. Denique jubet, ut ordinati ab Ignatio recipiantur. Excommunicat refractarios, qui cum patriarcha Photio communicare nolint.

34. In epistola ad clerum Constantinopolitanum suadet, ne in posterum neophyti et, ut Hadrianus I. jam de Tarasio scripserat, apocaligi,

a caliga militari, ad honores ascendant. A Photio exigit, ut veniam petat in synodo; ut omnes tractet suaviter; ut Bulgariam restituat. Postremo in epistola ad Constantinopolitanos, id est ad Johannem, Leonem et Paulum patritios, Stylianum, Johannem et Metrophanem metropolitas, omnesque clericos et laicos, concordiam commendat, et revocatis censuris cum Gelasio monet, nullum esse vinculum insolubile, nisi circa eos, qui in errore persistunt. In commonitorio a Photio interpolato inter caetera cavetur, ut synodus habita adversus Photium irrita habeatur, neque inter sanctas synodos numeretur; quae verba Johanni tribuenda non credo. A. 879.

35. Nempe cum multa essent a pontifice scripta, quae non Photii tantum, sed et imperatoris et Constantinopolitanorum aures haud ferrent; Photius literas in suam potestatem redactas, praetextu vertendi in Graecum sermonem pro arbitrio mutavit, et quales Graece fecerat, in synodo legi jussit; legatis aut ignaris aut colludentibus ignorationemque fingentibus: nam postea corruptionis accusati sunt. Quae pontifex de sedis suae universali potestate, de summissione principum, de sua dispensandi facultate magnificentius dixerat, Photius ad veterum pontificum modestiam revocavit; laudes imperatorum tenuius dictas extulit, conditionem sibi injunctam petendae veniae plane suppressit.

36. Acta synodi Photianae, mense Novembri hujus anni habitae, Graeca in bibliotheca Vaticana, Augustana et Columnensi, cum epistolis Johannis, transformatis potius quam translatis, reperta sunt, quibus usi sunt Baronius et Raderus. Ex iis apparet, episcopos affuisse 383. In prima actione Johannes, Heracleae Thraciae episcopus, Nicolaum et Hadrianum accusat, Johannem laudat. In altera actione recitatae sunt literae Johannis ad imperatorem et epistolae patriarcharum orientis. In tertia aliae lectae sunt epistolae Johannis, et causa Bulgariae ad imperatorem rejecta. Quarta actio in vigilia nativitatis Domini celebrata est. Ibi, quae Romani legati proposuisse dicebantur, de dioecesi Bulgariae, de laico non eligendo Constantinopoli, item ne patriarcha ex alia sede sumeretur, ut synodus habita contra Photium abrogaretur, ut excommunicarentur, qui cum Photio non communicarent, approbata sunt; sed Bulgariae causa ad imperatorem remissa. Quinta actione 26. Januar. habita synodus septima pro cultu imaginum (Tarasiana scilicet) tanquam oecumenica confirmatur. Placuit, ut Johannes et Photius alter ab altero excommunicatos non reciperent; quo appellationes Romanae tollebantur. Statuitur etiam, ut episcopus, habitu monachi sumto, episcopatum retinere non possit. Hunc canonem tanquam ex octava synodo oecumenica Gratianus citavit. Sextae actioni, quae 10. Martii feria tertia ind. 13, non ut priores in ecclesia, sed in palatio celebrata est, imperator interfuit, et fidei definitionem a synodo postulavit. Ibi recitatum est symbolum Nicaenum, cautumque, ne quid adderetur aut detraheretur. Ita tacite Latini sugillabantur. Tum ipse imperator decretis subscripsit post triduum, die dominico. Novissima actione in magna ecclesia per anathematismos in eos detonatur, qui aliquid fidei paulo ante praescriptae, addituri aut subtracturi essent. Basilius pontifici rescribens, etiam Bulgariae dioecesin Romanis reddendam

A. 879. spondere visus est. Sed ea res, novis simultatibus supervenientibus, effectu caruit.

37. Ita finita est synodus, quae schismatis inter Latinos Graecosque fundamenta jecit, et a Graecis pro octava oecumenica venditata, ab utrisque aliquando cum nupera Ignatii confusa est. Photius usus ignorantia aut proditione legatorum, decreto de symbolo non augendo pessulum Romanae dominationi obdidit, ne imperium in Graecos proferret. Sciebat enim, additionem, etsi nondum Romana autoritate probatam (quod sub Henrico Sancto demum factum ajunt), jam tamen receptam apud Latinos, et eam credebat Romae obstinationem esse, ut nunquam, etiam convicta, corrigeretur, nedum ubi argumentis adjuvaretur. Leo Allatius, Graecus ex Chio, vir doctus et Vaticanae bibliothecae tandem primarius custos, magno studio in Photianam synodum scripsit, aliaque elaboravit, in quibus torsit se, ut Graecis praesens schisma dissuaderet et acta Romana defenderet. Sed apud Graecos Romanosque hodie bonis malisque argumentis tantundem effeceris, quibus receptum pro vero est.

38. Avo Corbejensis abbas cum tribus annis monasterio praefuisset, decessit 5. Idus Novemb. Successit Bovo, qui laudabili titulo Fratrum amator a monachis suis appellatus est. Balduinus etiam Flandriae comes, Caroli augusti gener, hoc anno obiit, si Miraeo credimus, filiosque Balduinum Calvum in Flandria, Rudolfum in Cameracensi comitatu, successores habuit.

ANNO CHRISTI 880.

Ludovicus Saxonum et Austrasiorum rex iterum in Galliam movet. Pax inter eum et Gallos, ut et cessio regni Lothariagiae firmantur. — Ludovicus Normannos in Carbonaria sylva caedit. — Normanni in Saxoniam irrumpunt. — Clades Ebbekesdorfensis. — De tempore et loco cladis. — Ericus rex Normannorum victorum erat. — Episcopi, quos in hoc praelio occisos falso recentiores ferunt. — De fundatione monasterii Wunsterpiensis a Theoderico. Cujus generis ille fuerit. Marquardo Wicbertus successit Hildesheimi. — Errores recentiorum de proceribus in praelio hoc occisis. — Cladis modus. — Caesi inter martyres relati. — Slavi in Thuringia a Poppone caesi. — De Saxoniae ducibus. — Elogium Carolomanni regis nunc defuncti. — Ludovicus Bajoariam occupat. Filium amittit. Arnulfus princeps Carantanorum. — Galliae reges regnum inter se partiuntur. Ludovici Germanici regis exercitus in Hugonem missus. — Conventus Gundulfensis, cui Carolus interfuit ex Italia redux. — Gesta adversus Hugonem Waldradae filium et Bosonem regem. Hujus diploma. — Carolus in Italiam redit. Papae desideria. — Papae literae ad Carolum. — Papae displicent legatorum Constantinopoli acta et Photii mutationes in literis eo scriptis. Victoria Graecorum de Saracenis. — Wilfridus Ludovici II. imperatoris sororius. — Carolus Crassus fit imperator. Anni incarnationis diplomatibus addi coeptae. — De additione symboli Nicaeni *Filioque* controversia. Epistola ea de re Walberti patriarchae Aquilejensis. — Epistola haec genuina. — Methodius se Romae purgat. Missarum celebratio in lingua Slavonica a papa permissa. — De Cyrillo et Methodio Moravorum apostolis.

A. 880. 1. Ludovicus Saxonum Austrasiorumque rex, constitutis in Bavaria rebus, Francofurti natalitia Domini celebrat. Inde, solicitantibus conjuratis, iterum in Galliam media hyeme movit. Regina expeditioni adesse

voluit, ut mariti animum vacillantem firmaret. Duodeciacum primum venere, ubi Gaucelinum et Conradum obvios habuere. Inde per Attiniacum Axonae assitum et Ercuriacum usque ad Ribodi montem progressi sunt. Sed imminuta factio erat; nec promissi proceres affluxere. Itaque adolescentibus pacem petentibus, saniora consilia Luitgardis ipsa probavit. Rata mansit Lothariensis regni cessio, et nunc, quae dudum pars ejus erat, abbatia S. Vedasti apud Atrebates adjecta est, olim Lothario regi a patruo extorta. Congressis regibus, pax sacramentis firmata est, placitumque Junio mense ad Gundulfi villam indictum. A. 880.

2. Noster in reditu ad Scaldin flexit, jam suum, sed cui tunc Normanni incubabant, Gandavo capto ac munito. Et illi commodum latibulis egressi, cunctaque vastantes, in Carbonaria sylva a rege deprehenduntur, cum praeda onusti demum redirent. Thimnim Regino locum vocat, qui ad jus regii fisci pertinebat. Fragmentum a Quercetano editum de rebus Ludovici et Carolomanni fiscum Tinnon; Miraeus Thuin ad Sabim interpretatur in annalibus Belgicis. Praelio conserto, quinque amplius hostium millia caesa sunt; reliqui sese in castellum recepere. Ibi Hugo, filius regis ex pellice natus, cum incautius dimicaret, graviter vulneratus capitur. Pater recipiendi adolescentis spe, oppugnationem suspendit. Sed hostes noctu dilapsi sunt: rex tristissimus filium extinctum in Laurishamensi monasterio tumulari jussit.

3. Dum haec in Belgio prospere geruntur, ingens in Saxonia clades accepta est. Ludovicus Germanicus magnitudine nominis sui et virium experimentis Normannos a finibus suis longe arcuerat. Et maluere illi eo vertere arma, ubi tutius grassabantur. Sed intellecta morte ejus, erectae sunt spes barbarorum, cum et intestina inter filios bella expectarentur. Itaque anno uno alteroque inter deliberationes apparatusque consumto, tandem sese in Saxoniam magna Normannorum vis effudit, ipso Erico rege eos ducente.

4. Huic sese, contractis raptim ex Ostfalia Angariaque viribus, objecit Bruno, dux Saxonum, Ludolfi filius, Luitgardis reginae frater. Sed infeliciter pugnatum est: Bruno ipse cum duobus episcopis, et duodecim comitibus cecidit, hostes magnam captivorum multitudinem in servitutem abstraxerunt. Tutissimum erit ipsa annumerare verba annalium Fuldensium: *Normanni superiores facti occiderunt duos episcopos Theodericum* (Mindensem) *et Marquardum* (Hildesemensem) *et duodecim comites his nominibus appellatos: Brun ducem et fratrem reginae, Wigmannum* (ejus opinor generis, quod postea Billinganum appellatum est), *Bardonem* (an ex iis, quorum aliquis postea Thuringiam rexit?), *Thiotherium, Gerricum, Liudulfum* (an ex gente, unde marchiones Ecberti, id est, ut suo loco dicam, ipsius Ludolfi ducis?), *Fulcwartum* (hujus nominis est frater Immadi, et Ermiholdis primae abbatissae Ringelhemensis, sed is posterior videtur), *Avan, Thiotricum* (an ex Witikindea gente?), *Liutharium* (an ex Stadensibus, vel ex Walbeccensibus?) *cum omnibus, qui eos sequebantur*. Additur et octodecim satellites regios cum suis hominibus desideratos; quos Aventinus praefectos vocat, ego interpretor nobilissi-

A. 880. mos viros, comitibus dignatione suppares, et ut fere tunc mos erat; nisteriales aulae regiae, insignium praediorum beneficiis autoratos, masque suas ducentes. Nomina subjicio: Aderam, Alfwin, Addasta, Alcer, Aida, Dudo, Bodo, Wal, Adalwin, Werinhard, Thiotrich, Ail Caetera a librariis omissa, apparet. In codice manu scripto S. Trud quem consuluit Henschenius, de martyribus quos vocant Ebbekesdor sibus agens, nomina quorundam paulo alia dialecto exprimuntur, a inter Wal et Adalwin ponuntur Halilf et Hunild, Aventinus addit A vistum (a se fabricatum, ut apparet) et Isenothum. Haec nomina vete Saxonum illis similia sunt, quae hodie unis fere Frisonibus supers Corpora caesorum Ebbekesdorfii tumulata sunt; qui mox inter mart relati, ut solebant tunc, qui in bellis contra hostes christiani nominis ciderant, cultum posterorum meruere. Ebbekesdorfium villa est Lu burgici tractus, monasterio puellarum nunc insignis; quae olim ex regu Benedictinae praescripto vivebant.

5. Haec in summa de re celeberrima pro certis dici possunt: s circumstantiae facti pleraeque tenebris antiquitatis obruuntur. In an assignando annales Bertinianos ac Fuldenses secuti sumus, quibus ma ma est in horum temporum rebus fides. Bertinianorum exscriptor, q Aimoinum continuavit, idem habet; quo minus locum corruptum suspic mur. Nam de Fuldensibus dubitari potest, quia codex S. Trudonis, He schenio citatus, annum praecedentem ponit. Et similem codicem secut est annalista noster Saxo nondum in lucem missus. Minus Adamum Br mensem moramur, qui 12 Remberti archiepiscopi Hamburgensis annu id est Domini 877, aut Cranzium, qui 876. computat. Nec minor de di concertatio est. Annalistae contemporanei cladem in hyemem aut ver initia retulere, ut ex narrandi serie apparet. Et Ditmarus 4. *Nona* Febr. designat, id est festum purificationis B. Virginis, ut habet auto chronici Mindensis Pistoriani; quae sententia merito placuit doctissimi hagiographis, tametsi apud legendarium, quem inter scriptores Brunsvicensia illustrantes edidimus, Kalendae Augusti scribantur. Et fieri potest ut ea die translata sint ossa, aut solenni ritu composta. De loco non minor dubitatio est; utraque legenda, quam dedimus, trans Albim apud Hamburgum caedem factam tradit; ossa vero caesorum Ebbekesdorfium relata. Sed cur tam longe? An viciniores ecclesiae deerant? Credibilius est, Ebbekesdorfium ipsa clade nobilitatum.

6. Pro Danis Slavos substituunt legendarii, ad posteriorum temporum faciem respicientes: sed iidem ridicule papam Benedictum ex sequente seculo in castra adducunt, quem scilicet Hamburgi defunctum intellexerant; quas ineptias recte Cranzius refutavit peculiari *opella*, Metropoli subjecta. Ego autoritatem Erici Pomerani Danorum regis, non spernendam censeo, qui in historia gentis Danorum memoriae *prodidit*, Ericum regem, qui vulgo Eric Barn, vastasse Saxoniam; Brunonem ducem et duodecim comites in praelio occidisse, succendisse templa, urbes evertisse. Barn, id est puer, dictus est, quod tenera aetate ad regnum venisset, cum plerique regiae stirpis in bello perissent. Rem

mat legendae fragmentum, quod dedimus. Id enim ducem paganorum arachum vocat; est autem Haruch veteribus, qui Eric. Itaque corrigenda est legenda prior, nostro volumini inserta, ubi corrupte legitur aruch. A. 880.

7. Sed et de caesis variatur. Cranzius non optimos autores secutus, ene omnes Saxoniae episcopos ibi pro Christo mortem oppetiisse scripsit. enos aut septenos nominant acta Padebornensia manuscripta apud Henchenium et chronica Mindensia edita inedita, Pistorii, Meibomii, nostra; heodericum Mindensem, Dudonem Padebornensem, Drogonem Osnabrugensem, Dodonem Monasteriensem, Ansfredum Trajectensem, Rembertum Hamburgensem, Erlulfum Verdensem. Sed Padebornae praeerat Luitharius, quem mox biennio abhinc superfuisse, ex diplomate Schatenius evicit. Dodonem Monasteriensem superstitem videri Dudani Padebornensi, Henschenius notavit. Osnabrugae hoc tempore non Drogonem, sed Gosbertum praefuisse, apparet. Ansfredus Trajectensis post centum abhinc annos floruit. Nunc sedem episcopalem tenebat Odibaldus, quem a. D. 899. decessisse, Regino notavit. Heligando Verdensi successit Erlulfus, quem a. D. 831. consecrationi Anscharii interfuisse certum est. Sed eundem *Erlulfum* a. D. 847. non amplius superfuisse oportet, quia jam tum *Waldgarius* concilio Moguntino assedit. Remberti mortem Adamus Bremensis in a. D. 888. retulit, domesticus testis, et in tali causa fidus. Itaque Cranzius Halberstadensem pro Hamburgensi substituit; sed nihilo rectius, quando Hildegrinum juniorem Haimoni surrogat Fuldensis annalista a. D. 853, ejusque mortem in annum 887. vitae Ludgerianae autor confert. At boni scriptores nonnisi binos episcopos caesos agnoscunt, Theodericum Mindensem et Marquardum Hildesemensem.

8. Si chronicis Mindensium credimus, Theodericus monasterium monialium Wunstorpiense fundavit, ecclesiamque loci sanctis anargyris Cosmae ac Damiano dicavit. Quae si vera sunt, ex comitum, credo, stirpe fuerit, qui tractum inter Halleram, Leinam et Visurgim tenuerunt, et divisis lineis Hallermundenses, Wunstorpienses, Lewenrodenses, Luccenses appellati sunt. Nam clericis olim portionis haereditariae retinendae alienandaeve jus erat, quam illi fere in aedium sacrarum dotes vertebant, ut ea commendatione ad dignitates summas eniterentur. Ita magna terrarum pars paulatim ab ecclesia absorpta est. Hoc vitae virorum in sanctis habitorum, Bernwardi, Meinwerci, Annonis et similium, clara stirpe ortorum, satis superque ostendunt. Theodericum etiam sepulcrum Wunstorpii accepisse, in Leerbeccii Mindensibus habetur, quae nuper edidimus. Successit ei Wulfarius. Marquardum inter caesos fuisse, confirmat electio Wicberti successoris, quam hoc anno factam, annalista Hildesemensis notat, falliturque Corbejensis, qui in a. D. 883. differt.

9. Annales Fuldenses diserte habent, cecidisse illic Brun, ducem et fratrem reginae; quod Aventinus errans ita accepit, quasi alius a Brunone esset frater reginae, et hunc Bardonem vocat: sive Bardo illi pro Tancwardo, quem posteriores inter Ludolfi filios recensent, sive in annalibus ipsis aut aliquo eorum expilatore, male Bardonem pro Brunone

A. 880. legit. Inde jam factum est, errore errorem trahente, ut unus Bardonum, qui inter caesos nominatur, patruus S. Conradi, Constantiensis episcopi, etiam ab Henschenio haberetur aliisque ab Aventino persuasis, cui scilicet regina Luitgardis Guelfa, et ejusdem episcopi amita credebatur. In quo cur lapsus sit, mox aperiemus. Fridericum etiam, Ditgremi comitis Rochlicensis filium, occisis quidam recentiores addunt nulla autoritate. Brunonem ducem non sine liberis obiisse, et Ecbertum comitem ex eo natum videri, atque inde principes Brunsvicenses posteriores, Brunones Ecbertosque, continua per mares serie exortos, infra dicemus, quando de Ottonis III. caesaris successione agemus, quam princeps quidam Bruno ex illa gente speravit. Diplomata ad hunc Ecbertum pertinentia referemus ad a. D. 892, ex quibus apparet, magno eum in honore fuisse apud Arnulfum regem.

10. Postremo cladis ipse modus in controversia est. Annales contemporanei pro solita brevitate nihil explicant. Witikindus proprior aliis, Brunonem ait, cum ducatum administraret totius Saxoniae, duxisse exercitum contra Danos, et inundatione repentina circumfusum, cum non haberet locum pugnandi, perisse cum omni exercitu. Inundationem aquarum verba animo ingerunt, et ita accepit episcopus Ditmarus. Sed non apparet, unde tanta apud Ebbekesdorfium vis aquae. Itaque inundationem Danorum interpretatus est noster annalista nondum productus, eademque interpretatio aliunde cl. Sagittario placuit. At Ditmari sensum caeteri secuti, commentis auxere. Chronicon ducum Brunsvicensium vetus Brunonem et Tanquardum, victis hostibus revertentes, inundatione gravi imbrium mersos habet. Gelenius (in sacris Agrippinensibus) etiam glaciem addidit, quo magis nostri impedirentur: et anni tempus favet, siquidem res hyeme gesta est. Placuitque Schatenio inventum. *Anceps diu pugna*, inquit, *qua postremum Saxones circumventi sunt, compulsique in paludes glacie constrictas; quae ubi pondere armatorum pressae consederunt, haesit soluta glacie immersus abruptusque a se miles, cui nec emergendi nec pugnandi facultas erat*. Ita commenta commentis tegi oportet, ne perpluant.

11. Miracula non addo, quae ex chronicis Mindensibus nostrae alienaeque recensionis, uberius vero ex hagiographis Antverpiensibus peti possunt. Ad martyrii sacri honorem tunc suffecit, a paganis caesos, pro patria occubuisse; et publica tandem veneratio accessit. Johannes pontifex, consultus ab episcopis Germaniae, an, qui pro defensione ecclesiae et rei publicae contra paganos in praelio cecidissent, indulgentiam delictorum consecuti essent? respondit; haud dubie illis vitae aeternae requiem concessam; itaque et a se absolvi, et precibus Deo commendari. Captivorum non paucos Slavis venditos, apud Stetinenses, Stargardenses, Dantiscanos servitutem diuturnam pertulisse, et constantes Christi confessores egisse, legendarii produnt.

12. At Slavorum populi, Bohemi, Dalamincii, Sorabi, intellecta Saxonum clade conglobati, et Thuringis minantes, adulto jam vere ad Salam usque fluvium processere; quos Poppo opportune occurrens magna edita strage compressit. Annalistae Fuldensi comes et dux Sorabici limitis appellatur. Tunc enim marchionis et ducis confusa in his

ris officia erant, quae nondum ad haeredes ibant, magisque in potestate extraordinaria missatici muneris quam territorio vertebantur, cum comitatus dudum liberis relinquerentur; sed mox ducatus quoque in vassatica beneficia versi, eandem legem subiere. A. 880.

13. Brunoni caeso, fratrem Ottonem haud dubium est suffectum a sororio rege in comitatuum honores. Sed totius Saxoniae ducatus, qui Westfalos, Angarios Ostfalosque complecteretur, tunc certo haereditarioque munere, quantum intelligo, nullus extabat. Ecbertus, Reginbernus, Ludolfus copiis praefecti hostium repellendorum gratia, simul missorum regiorum jure utebantur, quibus in caeteros comites autoritas erat. Eam Ludolfo aetas, et merita, et natalium decus; filio etiam Brunoni patris favor, et sororis reginae potentia dabant. Otto in fratris ditiones successit; sed haud scio, an omnem statim autoritatem obtinuerit, magnitudine Henrici ducis (quem generum ejus faciunt) aliquamdiu obscuratus. Is Popponis, Thuringorum rectoris frater, victoriis inclytus sub Carolo Crasso, bellum administravit. Sed et paulo ante Egino comes, inter Saxones potens, Popponis Thuringi adversarius memoratur. Henrico tamen in Gallia caeso, ad Ottonem, post edita virtutis specimina, redisse apparet imperii militaris et missatici regii potestatem. Itaque sub Arnulfo in Italiam copias duxit, proximusque a rege nominatur. Haec ad intelligendam temporum faciem notanda fuere. Gobelinus statim ab eo repressos victosque Normannos, nullo bono autore scripsit.

14. Ludovicus rex paschale festum Francofurti celebravit. Ibi ei nuntiatum est, Carolomannum 11. Kal. April. decessisse. Apud Odingas (qui locus nunc quoque per religionem celebratur) regio more tumulatus est. Pietatem principis, morum honestatem, quin et literarum scientiam Regino commendat. Addit, pulchritudine insignem, viribus corporis admirabilem, nec animi magnitudine inferiorem fuisse; solertem in negotiis, justum in causis, crebrum victoriis; regni denique amplificatorem, et Slavorum domitorem: sed legitima sobole destitutum, ob infoecunditatem conjugis, ex nobili puella elegantis formae filium suscepisse Arnulfum, qui tandem imperavit. Conjugem Ernesti ducis filiam fuisse discimus ex annalibus Bertinianis ad a. D. 861, qui optimatium Ludovici Germanici aliquandiu summus annalibus Fuldensibus dicitur ad a. D. 849 et 861. Quidam Hildegardem vocant puellam illam nobilem. Ipse filius ejus Arnulfus Ludswindam vocat in tabulis, quibus monasterium Mosburgense post obitum ejus, in jus Frisingensis ecclesiae cedere debere constituit 13. Kal. Aug. a. D. 995. ind. 13. anno regni octavo. Extat in Metropoli Salisburgensi. Quidam nullo autore Slavam ortu faciunt, quod (ut in Ottonis M. filio) ambo scriptores credo non tacuissent. Germanam, nec mediocri genere ortam fuisse, verisimilius arbitror. Eaque de re dicetur adhuc aliquid ad a. D. 907. Sunt apud Stumpfium, qui Arnulfum frustra legitimum volunt. Mendum alteri diplomati Arnulfi inesse crediderim, quod Miraeus produxit, ubi diem 10. Kal. Octob., quo genitor ejus decesserit, in Leodiensi et Lobiensi ecclesia anniversario ritu celebrari jubet.

A. 880. 15. At Ludovicus mox Ratisbonam veniens, Bajoarios in sua verba juramentis adegit. Arnulfo datum a patre Carentanorum principatum confirmavit, cujus sedes tunc erat in castro Mosburgo, impenetrabili palude munito, ubi Arnulfus deinde rex factus matri (ut notavimus) proventus assignavit. At Ludovicus, dum Ratisbonae moratur, filium unicum ex Luitgarde cognominem miserabili casu amisit. Nam cum infans, nullo observante, fenestrae adrepsisset, inde praeceps delapsus, fracta cervice, omnem parentibus regnandi dulcedinem corrupit. Frustra Lothariensis regni, frustra Bajoarii accessio ambitionem satiabat, quam natura opinione potior orbitate puniebat.

16. Interea reges adolescentes Galliam inter se partiuntur. Ludovico, quod Franciae residuum erat ex paterno regno, cum Neustria cessit; ita Bertinianus. Carolomanno Burgundia et Aquitania obvenere. Hic Franciae Neustria opponitur, quae olim pars Franciae censebatur, et ex adverso Austrasiae statuebatur. Credo Neustrios jam habitos, qui intra Sequanam Ligerimque jacebant, citra Sequanam Francos; unde Lotharienses decerpti erant novo pacto. Ea re fratrum regnum a paterno distinguebatur. Pascha deinde Domini Compendii celebrant fratres, et medio Junio per Remos Catalaunosque ad Gundulfense placitum proficiscuntur. Eo Ludovicus, jam pene totius rex Germaniae, cum Francofurti morbo retineretur, legatos misit: simul in Hugonem Lotharii filium, Henrico et Adalberto ducibus, suos ire jussit. Henricum arbitror esse Popponis Thuringorum ducis fratrem.

17. Conventui Gundulfensi Carolus rex ab Italia reversus interfuit. Nunquam meliora consilia a Francis capta sunt. Decretum est uno animo, communi ope rem publicam Francorum sustentandam. Apparet, Caroli autoritatem omnes secutos. Nam Ludovicus absens ex morbo jacebat, regesque adolescentes sub rectoribus agebant, et Carolus educationi eorum superintendebat animo; quod ex Hincmari epistola intelligimus, jam imperatori mox scripta, qua gratias ejus curae agit, hortaturque, ut prudentibus viris ad regendam eorum adolescentiam utatur. Placuit regibus absentisque Ludovici legatis, ut Carolus Italiam tueretur, et cum Ludovico pariter adolescentibus contra Bosonem auxilio esset; Hugo et Normanni junctis Ludovici et adolescentum viribus propulsarentur.

18. Hugo, Lotharii filius ex Waldrada, sese patris successorem ferebat, mox cognatorum principum potentiae impar. Comitatibus aliquot acceptis, quietem spoponderat, sed quae non diu durabat memori, unde decidisset. Sororem ejus Bertam in matrimonio habebat Theobaldus per Burgundiam potens, quem Hugonis regis Italiae patrem suo loco monstrabimus. Is totis viribus Hugoni aderat, copiasque ejus ducebat, Bosoni haud dubie foederatus. Dum ergo superiora Hugo ipse infestabat, Theobaldus Attiniacum usque descendit, credo, ut Normannis jungeretur, ad Axonam agentibus. Sed coadunatis in eum Ludovici et regum juvenum scaris, praelio commisso, fusus fugatusque est, eamque non incruentam victoriam apud Attiniacum dux Henricus obtinuit. Fratres reges praelio affuisse, Bertinianus scriptor innuit. Theobaldus sese ad Hugonem re-

pit. Pars deinde virium regiarum in Belgio relicta est, ut Normanni, A. 880.
stellum Gandavi insidentes, coercerentur. Pars militum Ludovici cum
gibus in Bosonem contendit. Trecis Carolus cum exercitu accessit.
ptum est in itinere Matisconense castellum, dejectoque Bosonis prae-
idio, Bernardo commendatum, qui Planta-pilosa cognominabatur. Ab hoc
unt descendisse Matisconenses comites haereditarios, quorum familia
a duravit. Boso impar, trans Rhodanum fugiens, sese montibus abdit.
iennae, in omnem casum munimentis commeatuque provisae, sese Ir-
mengardis includit, ut praesens imperatoris filia praesidiarii militis con-
antiam sustentaret. Sub exitum anni Odorannus archiepiscopus, etiam
ienna digressus, abbatiam S. Andreae inferiorem ecclesiae suae a Bo-
one impetravit: *Boso misericordia Dei rex* (ita tabulae) *pro remedio*
animae scilicet) *gloriosissimae memoriae Caroli* (II.) *imperatoris, ac*
latio conjugis ejus aeque bonae memoriae Hirmintrudis, atque prole
orum Ludovici (Balbi) *piissimi regis, nec non et nostro et carae conju-*
is nostrae Hirmingardis. . . . Signum Bosonis serenissimi regis. Dom-
us rex fieri jussit. Stephanus cancellarius. Datum 15. Kal. Februar.
ndict. 14. (leg. 13.) *anno secundo regni domni Bosonis. Actum Tau-*
iaco villa I. D. N. F.

19. Protracta obsidione, pactis inter reges sacramento firmatis, Ca-
olus in Italiam perrexit: fratrem Francofurti decumbentem prius adisse
redo, etsi non legatur. Illud constat, bona ejus voluntate, communi
rancorum consensu, regni Italici et rei Romanae curam suscepisse. Ei
uper paulo ante, quam Italia excederet, Johannes papa, misso Marino
piscopo, Romanae sedis arcario et Petro Senogalliensi, scripserat, ut
uitwardum Vercellensem antistitem cancellarium suum, Manigoldum
lium Adelberti, Adelbertum primum pincernarum Romam mitteret, con-
tituendis rebus pactisque ineundis; questus Ravennensi congressu se
ihil consecutum. Mox etiam, intellecto Transalpino itinere Caroli, ex
talia ad colloquium cum fratre properantis, pontifex per Arnulfum nepo-
tem suum petiit, ne praetermitteret, quae interim ad tutandam Romanam
ecclesiam pertinerent; redeuntique Arnulfo adderet e latere suo legatum,
uicum rei publicae consulere posset.

20. Ista per hyemem acta crediderim. Carolo deinde Alpes trans-
gresso Lausanensem antistitem Hieronymum et Theodericum Chrysopo-
litanae, id est Vesontinae, sedis archiepiscopum Johannes commendat,
eandemque ob causam simul et Luitwardo scribit. Tum Carolo aliis
iteris, 23. Junii datis ind. 13. gratias agit, quod auxilium polliceatur;
ed nisi ipso aut legato ejus adveniente, a marchionibus Italis id frustra
xpectari addit, qui potius homines S. Petro obnoxios ad se trahant, et a
lefensione Romanae ecclesiae prohibeant. Cum vero Caroli literas Jo-
hannes Ticinensis praesul et Wibodus Parmensis Romam attulissent,
plenas officii, sed unde suspiciones quaedam tralucebant, quasi aut ad
Graecos respiceret pontifex, aut Bosoni faveret; rogat, ne calumniatori-
bus fidem adhibeat. Nulla sibi arcana cum Graecis consilia esse; Boso-
nis acta a se non probari, qui in talem tyrannidem erupisset; non alium

A. 880. a se, quam Carolum defensorem expeti. Grato animo accipere, qu episcopi comitesque vicini arma capere jussi essent, si hostis Roman finibus immineret; sed non magis a Saracenis, quam a malis christia se premi. Wibodi hortatu legati regii, ad colloquium cum Widone du in villam quandam sese exisse, Widonem non affuisse. Redire nunc regem Wibodum cum literis, et mandatis etiam vivae vocis oneratum: Johannem Ticinensem apud se adhuc mansurum, ut de supervenientib referre deinde posset. Aliis literis 4. Idus Sept. indict. 14. datis gaud quod rex spem adventus faciat; sed legatum interim non missum mir tur. Dolet, Georgium quondam nomenclatorem, etsi a se excommunica tum, et bonis ob crimina exutum, nunc cum homine Widonis ab au regia venisse, et quasi autoritate principis invasisse praedia olim sua, se legitimo judicio amissa, et divi Caroli autoritate nuper in ecclesiam Ro manam collata; neque hoc contentum, hostiliter agere, et viciniam depra dari. Tandem rogat, ut rata sint coramque impleantur, quae rex Rave nae ore proprio pollicitus fuisset, quaeve Luitwardus legatis pontifici affirmasset: sibi vicissim curae fore, ne qua in re promissis suis fide desit.

21. Pontifex interea per revertentes legatos Graecos, Basilio e filiis augustis respondens (Id. Aug. ind. 13.) gratias egit pro dromonibu contra Saracenos auxilio missis, de monasterio S. Sergii in urbe regi Romanae ecclesiae reddito, de Bulgaricae dioeceseos restitutione. De nique haec subjicit, unde suspicionibus tactum intelligas: *Ea*, inqu *quae pro causa restitutionis reverendissimi Photii patriarchae synoda decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt*, *recipimus*. *Sed si qu fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam praeceptione egerint*, *ea nec recipimus*, *nec firmitatem habere judicamus*. Photius i literis rationem reddiderat, cur misericordiam synodi implorandam no judicarit, qui criminis sibi conscius non esset. Respondit Johanne mirari se, cur multa mutarit. Humiliare se potuisse, ut exaltaretu Ambigue denique ad Photium, ut ad augustos, sensa animi flectens: *No* inquit, *quae tua causa misericorditer in synodo acta sunt*, *recipimus quae fortasse legati nostri praeter mandata egere*, *non probamus*. Syno dum deinde Romae habendam in 6. Id. Novemb. Johannes indixit, tu ob alia, tum, credo, ut legatorum Constantinopoli reversorum relatio ex aminaretur. Tandem 3. Idus Novemb. Carolo, de rebus Graecorum e Ismaelitarum sciscitanti, respondet Saracenos ingenti navali praelio Graecis victos. Se vero non eo secius ab infidelibus infestari, quibu alii sub fidelium nomine nihil malitia concedant. Itaque precatur, u omnibus aliis postpositis adventum maturet, et interea Luitwardum prae mittat. Saracenos vicerat missus a Basilio Nicephorus, patritius e domesticus scholarum, Nicephori postea imperatoris avus.

22. Wilfridus Ludovici imperatoris sororius a. D. 880, ind. 13, ann Carolomanni principis (Galliae scilicet regis) secundo a Johanne ponti fice et octodecim episcopis (in synodo scilicet collectis) obtinuit, ut mo nasterium S. Petri Flaviniacense in Burgundia consecraretur; chartamqu

per abbatem et vasallos ejus ac monachos fecit. Ita Hugo loci abbas A. 880.
chronico, quod Labbeus edidit. Quo sensu Wilfridus Ludovici junioris
gusti sororius fuerit? An sororem ejus duxerit, et an legitimam, alio-
m discussio erit. Videtur is esse, qui in synodo Ticinensi et alibi
alfridus appellatur, de quo ad a. D. 876.

23. Carolus ergo, relictis in Viennae obsidione regibus subnepotibus, ibus militem suum addiderat, datis utrinque sacramentis, bona eorum tia, cum modica manu, appetente jam hyeme, Alpes transcendit. Par-m suorum cum impedimentis praemisisse putem, antequam itinera ni-ibus impedirentur. Nam maritimos aditus Boso intercluserat, Provinciae ptens. Nihil ultra de itinere habemus, nisi quod rex Romam pervenit; t (si Bertiniano annalistae credimus) ipso natali Domini die imperii Ro-mani coronam de pontificis maximi manu accepit. A papa Johanne et natu Romanorum receptum, et imperatorem creatum, Regino, et ex eo Marianus Scotus scripsere. A pontifice et omni populo imperatoris et ugusti nomen sortitum, Otto episcopus Frisingensis; simul uxorem Rich-gardam (quam quidam Richildem vocant) imperialem coronationem un-ctionemque impetrasse, Hermannus Contractus addit. Ex eo annos im-perii Carolus numeravit. Regino et qui secuti, anno sequenti, qui est Domini 881. inauguratum scribunt; sed Regino annum hic a natali Domini ordiri potuit, ut Fuldenses quoque et alii non raro. Oboritur tamen diffi-cultas ex epistola pontificis, quae est numero 159, nisi in datae tempore error inest. Nam Carolo Romam se festinare significanti, respondet pontifex 8. Kal. Feb. indict. 14. (id est anno sequenti) iter sibi non pro-bari, nisi cum legatis, quos se mittere ait, omnia praeconstituantur, et destinatis pleno jure satisfiat. Postulatum pontificis absurdum appellarat Carolus. Ea vox pupugit Romanas aures, ejusque insolentiam pontifex increpat. Multum e re publica petisse pontificem, crediderim, sed parum impetrasse; Carolum legatos non moratum, recta Romam processisse, nec praesenti coronam negare ausum papam. Si pro Feb. mense Dec. substituamus in epistola, (neque enim rarum est haec male scribi aut legi) cuncta cohaerebunt. Hunc Carolum tertium ejus nominis impera-torem, vulgo Crassum, omnium primum literis tabulisque annos incarna-tionis Domini ascribere solitum, Johannes Aventinus praeclare notavit. Id exemplum caeteri principes secuti sunt. Novum augustum nihil de jure imperii remisisse, secuta ostendunt. Certe pontifex ipse postea petiit, ut legatorum ejus opera per totam terram sancti Petri perperam acta emendarentur.

24. Imperator Romam veniens, Sigonio memorante, Walbertum, Aquilegiae patriarcham in comitatu habuit. Eum esse arbitror, Baronio nomine ignotum, ad quem epistolam Photii ad a. D. 883. edidit cardinalis, quam tamen Johanne papa adhuc vivente scriptam apparet. Patriarcha, misso Constantinopolin legato ad Photium, ita scripserat, ut additionem ad symbolum Nicaenum improbare videretur. Ei gratulatus Photius, in ejus interpolatores invehitur; Leonem Magnum, Hadrianum I, Leonem juniorem seu III. pro sua sententia citat; et hunc etiam clypeis sincerum

A. 880. symbolum inscripsisse observat, ut in posteritatem incorruptum propag retur. Extat Johannis ipsius ad Photium epistola in appendicem conject qua negat, a se istud *Filioque*, symbolo Nicaeno additum, probari, det natque in hanc blasphemiam (ut vocat) sed quae tractu temporis conf mata, momento aut vi eradicari non possit. Itaque mansuetudinem a hibendam erga errantes, ut paulatim in viam revocentur.

25. Hanc epistolam Baronius et Binius supposititiam credi vellen nullo argumento, nisi quod hodiernis sententiis dissonat, quasi id nov esset. Sed hanc Latine extantem, et in occidente repertam, non faci Photius aut Photiani confinxerint. Adde, quod Photii intererat, non ab solvere Johannem ab hac criminatione, sed gravare. Et vero alios que que Romanos pontifices additionem aversatos, suo loco notatum es Johannes, ut erat mollis et ambiguus, aliter Photio scripsit, aliter do egit: et ne, Graecis satisfaciens, Latinos offenderet, torrenti facile cessi eoque non mirum, si librum sibi inscribi passus est, in quo additio de fendebatur. Nam Johannes, Romanae ecclesiae diaconus, vitam Mag Gregorii a se conscriptam Johanni huic pontifici mittens, queritur, in ver sione Graeca dialogorum Gregorii, a Zacharia pontifice Romano elaborat Graecos additionem eandem abrasisse. Ast ego vereor, ne eam om serit ipse Zacharias, neve ipsis Gregorii exemplaribus interseruerin posteriores.

26. Hoc anno Methodius, cujus accusationem praecedenti anno att gimus, Romam venit, et se purgavit. Johannes Junio mense ind. 1 a Sfentopulcrum (Zuentobaldum) gloriosum comitem datis, Methodium archiepiscopum ecclesiae Moraviensis, cum Semisisno fideli princip limina apostolorum venisse, interrogatumque de orthodoxa fide, sex versalibus synodis assensum praebuisse, neque aliter aut credere, psallere, quam S. Romana ecclesia probet. Itaque ad regendos populo a se remitti; Wichinum etiam Nitriensis ecclesiae electum episcopu a se consecratum esse. Tum literas Slavonicas a Constantino quodan philosopho repertas commendat; a psalmista dictum extare: *Laudat Dominum omnes gentes*; et apostolos Spiritu sancto repletos, omni lingu locutos magnalia Dei; et apud Paulum, omnes linguas Dominum Jesun in gloria Patris confiteri debere. Neque sane fidei vel doctrinae offic agnoscit, si missae lingua Slavonica canantur, sacrumque evangeliun vel alia divina verba ex utroque testamento bene translata legantur, au per horarum officia audiantur; quia, qui tres linguas primarias, Hebraeam Graecam et Latinam, creavit, idem et caeteras fecit. Jubet tamen, ut i omnibus ecclesiis regionis propter majorem honorificentiam evangeliun Latine legatur, ac deinde etiam Slavonice populo, Latina verba non intelligenti, annuntietur. Quodsi princeps cum proceribus suis missas Latine audire malit, id quoque in ejus arbitrio relinquit. Ita pontifex, qua nuper contra missas Slavonicas de cathedra sua pronuntiaverat, ex eaden cathedra retractavit. Vicissim Gregorius VII. quod Johannes VIII. indulserat, sustulit, Melchiore Inchovero in ecclesiastica Hungariae histori memorante.

27. Christannus, pronepos primi Bohemorum christiani principis ab ipso Methodio conversi, et S. Ludimillae, in hujus vita scribit, Quirillum natione Graecum, Graecis Latinisque literis instructum, a Bulgaris, qui multo ante crediderant, ad Moravos venisse, novisque apicibus inventis, vetus novumque testamentum, aliaque in Slavonicum sermonem transfudisse; et quod etiam missas Slavonice celebraret, Romae reprehensum, psalmistae autoritate vicisse: illic monachum obiisse, Methodium apud Moravos reliquisse; quae nos incertiores faciunt, quam dudum eramus. Nam Methodius ipse, a Romano pontifice culpatus, acta defendit. Nulla apud Romanos mentio Cyrilli; literarum Slavonicarum institutum Constantino philosopho tribuitur in ipsis ad Methodium literis, cujus frater dicendus erat, si fuisset. Itaque destitutus autoritate legitima, de Cyrillo judicium suspendo. A. 880.

ANNO CHRISTI 881.

Papa per imperatorem cum adversariis reconciliatur. — Induciae inter Graecos et Latinos. Caroli imperatoris itinera et diplomata. — Archiepiscopi Ravennatis acta cum papa. Albericus marchio. — Angelberga imperatrix in Alemanniam in custodiam missa. — Papae ad imperatorem literae de auxilio praestando adversus Saracenos, et legatio, qua perperam in patrimonio S. Petri acta emendari frustra petiit. — De Anastasio bibliothecario et libro pontificali. — Papae controversiae cum Athanasio episcopo Neapolitano. — Papae legatio Constantinopolin missa successu caret. — Acta synodi apud S. Macram. Papae literae ad proceres Galliae. — Victoria Ludovici Galliae regis de Normannis. — Historia hujus praelii ex epinicio Theotisco. — Ludovici Germanici regis adversus Normannos et in Lotharingia gesta. — Normannorum alia irruptio in regnum Ludovici Germaniae regis. — Slavi infestant Germaniam. — Mors Welfigenarum Welfi abbatis et Conradi comitis ac ducis.

1. Imperator aliquamdiu Romae moratus, rem publicam ordinavit; A. 881. Widonem Adelbertumque marchiones, Ansbertum archiepiscopum, pontifici utcunque reconciliavit. Mox enim pontifex Adalberto ita scribit: *Te quia conversum ad meliora, et fidelem ecclesiae cognovimus, sine conditione ab omni excommunicatione absolvimus: sed hominibus tuis ea lege communionem sacram reddimus, ut intra mensem Martium commissa emendent.* Josephum, Vercellensibus antea destinatum, rogatu Ansberti, electione cleri, applausu populi Astensibus probatum concedit. Anselmum archidiaconum Mediolanensem, praesuli suo obedire jubet. Ansbertus de Attone questus erat, potente apud Mediolanenses viro, qui cum filiis bona S. Ambrosii invaserat, eamque ob rem sententia praesulis a communione fidelium abscissus agebat. Eum Johannes, restitutis in integrum ecclesiae rebus primo quoque tempore satisfacere pontifici suo jubet; ni faciat, sententiam confirmat, et graviora interminatur.

2. Carolus Roma digressus, Ravennam venit, ibique foedus inter Venetos et Italos in quinquennium renovavit. Inducias interpretor inter Graecos Latinosque. Ibi etiam pactum est, ut Slavi, qui mare infestum habebant, communibus armis reprimerentur. Haec Sigonius, credo, ex Venetorum monumentis. Ticini deinde tabulas Erimberto, Brugnadensis

A. 880. symbolum inscripsisse observat, ut in posteritatem incorruptum propagaretur. Extat Johannis ipsius ad Photium epistola in appendicem conjecta qua negat, a se istud *Filioque*, symbolo Nicaeno additum, probari, detonatque in hanc blasphemiam (ut vocat) sed quae tractu temporis confirmata, momento aut vi eradicari non possit. Itaque mansuetudinem adhibendam erga errantes, ut paulatim in viam revocentur.

25. Hanc epistolam Baronius et Binius supposititiam credi vellent nullo argumento, nisi quod hodiernis sententiis dissonat, quasi id novum esset. Sed hanc Latine extantem, et in occidente repertam, non facile Photius aut Photiani confinxerint. Adde, quod Photii intererat, non absolvere Johannem ab hac criminatione, sed gravare. Et vero alios quoque Romanos pontifices additionem aversatos, suo loco notatum est. Johannes, ut erat mollis et ambiguus, aliter Photio scripsit, aliter domi egit: et ne, Graecis satisfaciens, Latinos offenderet, torrenti facile cessit eoque non mirum, si librum sibi inscribi passus est, in quo additio defendebatur. Nam Johannes, Romanae ecclesiae diaconus, vitam Magni Gregorii a se conscriptam Johanni huic pontifici mittens, queritur, in versione Graeca dialogorum Gregorii, a Zacharia pontifice Romano elaborata Graecos additionem eandem abrasisse. Ast ego vereor, ne eam omiserit ipse Zacharias, neve ipsis Gregorii exemplaribus interseruerint posteriores.

26. Hoc anno Methodius, cujus accusationem praecedenti anno attigimus, Romam venit, et se purgavit. Johannes Junio mense ind. 13. ad Sfentopulcrum (Zuentobaldum) gloriosum comitem datis, Methodium, ait archiepiscopum ecclesiae Moraviensis, cum Semisisno fideli principis ad limina apostolorum venisse, interrogatumque de orthodoxa fide, sex universalibus synodis assensum praebuisse, neque aliter aut credere, aut psallere, quam S. Romana ecclesia probet. Itaque ad regendos populos a se remitti; Wichinum etiam Nitriensis ecclesiae electum episcopum a se consecratum esse. Tum literas Slavonicas a Constantino quodam philosopho repertas commendat; a psalmista dictum extare: *Laudate Dominum omnes gentes*; et apostolos Spiritu sancto repletos, omni lingua locutos magnalia Dei; et apud Paulum, omnes linguas Dominum Jesum in gloria Patris confiteri debere. Neque sane fidei vel doctrinae officii agnoscit, si missae lingua Slavonica canantur, sacrumque evangelium vel alia divina verba ex utroque testamento bene translata legantur, aut per horarum officia audiantur; quia, qui tres linguas primarias, Hebraeam, Graecam et Latinam, creavit, idem et caeteras fecit. Jubet tamen, ut in omnibus ecclesiis regionis propter majorem honorificentiam evangelium Latine legatur, ac deinde etiam Slavonice populo, Latina verba non intelligenti, annuntietur. Quodsi princeps cum proceribus suis missas Latine audire malit, id quoque in ejus arbitrio relinquit. Ita pontifex, quae nuper contra missas Slavonicas de cathedra sua pronuntiaverat, ex eadem cathedra retractavit. Vicissim Gregorius VII. quod Johannes VIII. indulserat, sustulit, Melchiore Inchovero in ecclesiastica Hungariae historia memorante.

27. Christannus, pronepos primi Bohemorum christiani principis ab ipso Methodio conversi, et S. Ludimillae, in hujus vita scribit, Quirillum natione Graecum, Graecis Latinisque literis instructum, a Bulgaris, qui multo ante crediderant, ad Moravos venisse, novisque apicibus inventis, vetus novumque testamentum, aliaque in Slavonicum sermonem transfudisse; et quod etiam missas Slavonice celebraret, Romae reprehensum, psalmistae autoritate vicisse: illic monachum obiisse, Methodium apud Moravos reliquisse; quae nos incertiores faciunt, quam dudum eramus. Nam Methodius ipse, a Romano pontifice culpatus, acta defendit. Nulla apud Romanos mentio Cyrilli; literarum Slavonicarum institutum Constantino philosopho tribuitur in ipsis ad Methodium literis, cujus frater dicendus erat, si fuisset. Itaque destitutus autoritate legitima, de Cyrillo judicium suspendo. A. 880.

ANNO CHRISTI 881.

Papa per imperatorem cum adversariis reconciliatur. — Induciae inter Graecos et Latinos. Caroli imperatoris itinera et diplomata. — Archiepiscopi Ravennatis acta cum papa. Albericus marchio. — Angelberga imperatrix in Alemanniam in custodiam missa. — Papae ad imperatorem literae de auxilio praestando adversus Saracenos, et legatio, qua perperam in patrimonio S. Petri acta emendari frustra petiit. — De Anastasio bibliothecario et libro pontificali. — Papae controversiae cum Athanasio episcopo Neapolitano. — Papae legatio Constantinopolin missa successu caret. — Acta synodi apud S. Macram. Papae literae ad proceres Galliae. — Victoria Ludovici Galliae regis de Normannis. — Historia hujus praelii ex epinicio Theotisco. — Ludovici Germanici regis adversus Normannos et in Lotharingia gesta. — Normannorum alia irruptio in regnum Ludovici Germaniae regis. — Slavi infestant Germaniam. — Mors Welfigenarum Welfi abbatis et Conradi comitis ac ducis.

1. Imperator aliquamdiu Romae moratus, rem publicam ordinavit; A. 881. Widonem Adelbertumque marchiones, Ansbertum archiepiscopum, pontifici utcunque reconciliavit. Mox enim pontifex Adalberto ita scribit: *Te quia conversum ad meliora, et fidelem ecclesiae cognovimus, sine conditione ab omni excommunicatione absolvimus: sed hominibus tuis ea lege communionem sacram reddimus, ut intra mensem Martium commissa emendent.* Josephum, Vercellensibus antea destinatum, rogatu Ansberti, electione cleri, applausu populi Astensibus probatum concedit. Anselmum archidiaconum Mediolanensem, praesuli suo obedire jubet. Ansbertus de Attone questus erat, potente apud Mediolanenses viro, qui cum filiis bona S. Ambrosii invaserat, eamque ob rem sententia praesulis a communione fidelium abscissus agebat. Eum Johannes, restitutis in integrum ecclesiae rebus primo quoque tempore satisfacere pontifici suo jubet; ni faciat, sententiam confirmat, et graviora interminatur.

2. Carolus Roma digressus, Ravennam venit, ibique foedus inter Venetos et Italos in quinquennium renovavit. Inducias interpretor inter Graecos Latinosque. Ibi etiam pactum est, ut Slavi, qui mare infestum habebant, communibus armis reprimerentur. Haec Sigonius, credo, ex Venetorum monumentis. Ticini deinde tabulas Erimberto, Brugnadensis

A. 881. monasterii abbati, dedit. Ecclesia postea in episcopatum versa est, sita in Jannensi tractu; nunc culta quaedam et sylva ei confirmabantur. *Caroli serenissimi imperatoris augusti* † *signum. Waldo notarius ad vicem Liutuardi archicancellarii recognovit. Data 4. Non. April. anno incarn. Dom. 881, indict. 14, anno vero piissimi imperatoris Caroli 1. Actum Papiae palatio imperiali in Dei nomine feliciter amen.* Postea 9. Kal. Jun. Nonantulae egit, atque inde quaedam diplomata dedit.

3. Carolo Ravennae versanti applicuit sese archiepiscopus, Romani jugi impatiens, et antiquae aemulationis non immemor, et Albericum comitem ab imperatore rectorem regionis recepit. Id molestum sibi accidere, pontifex literis ad Romanum archiepiscopum scriptis testatus est. Jubet simul non sine minis, ut Dominicum archidiaconum Faventinis episcopum consecret, qui sibi dignus loco videatur. At praesul Ravennas cuidam Constantino presbytero favebat. Aliis etiam literis, tanquam in dominam suam Romanam ecclesiam recalcitrantem, ad futuram synodum, 8. Kal. Octobr. Romae habendam, citat. Ea postea in 6. Id. Novemb. translata est. Sed archiepiscopus Dominicum, sui cardinis presbyterum, et Johannem diaconum ad synodum misit. Pontificem accepisse satisfactionem, delinitum verbis, ex ep. 285. apparet. Albericum eum esse arbitror, quem marchionis nomine cum jugali Franca in Vangadiciensem ecclesiam beneficum reperi. Vangadicia postea in Estensium ditione fuit, antiquorum gentis principum sepulcris honorata.

4. Angelberga augusta vidua, suspecta ex Bosonis necessitudine, jussu imperatoris, ne quid in Italia turbaret, in custodiam data, et in Alemanniam ducta est. Id factum arbitror, postquam imperator Roma discessit. Pontificem ea res tetigit. Nam Romam illa velut ad aram confugisse videbatur, ex quo se S. Petro peculiari devotione commendarat. Pontifex etiam ab augusto marito moriente curam ejus injunctam sibi dictitabat. Credo, etiam exemplum ad se pertinere intelligebat, qui Bosoni nimis favisse dicebatur. Itaque imperatorem precibus aggreditur. Episcopos etiam et comites Italiae literis circularibus ad intercessionis societatem vocat, sponsoremque se Angelbergae offert, et apud se depositam, non minus in regno et potestate Caroli fore asseverat. Imperator rem ad se unum spectare negat: regum Galliae non minus interesse; horum consensu opus respondet. Itaque extant ad reges fratres Hugonemque abbatem literae Johannis in eundem sensum. Angelberga sequente demum anno remissa est. Johannes etiam ad Otoramum Viennensem increpatoriam epistolam scribit, quod non tantum faveret Bosoni, sed etiam sese ea in re pontificis maximi voluntatem sequi dictitaret.

5. Pontifex 4. Kal. April. imperatorem hortatur, ut promissum exercitum contra Saracenos mittat. *Propter Deum,* inquit, *succurre nobis, ne nationes in circuitu dicant, ubi est imperator eorum.* Alias etiam literas per Petrum, insignem palatii sui consiliarium communemque fidelem, et Zachariam episcopum ac bibliothecarium, legatos suos, mittit, quibus missos augustales expetit, quorum in praesentia emendentur perperam acta per totam S. Petri terram, et jura ecclesiae in integrum restituantur.

Eos imperatorem Ticini invenisse, et hunc a Petro episcopo liberiori A. 881.
verbo offensum, ex pontificis epistola alia apparet; cum acrius institisset, ne irritus abscederet. Imperatorem tandem trans Alpes hoc anno profectum, in historicorum silentio ex epistola papae intelligimus, 3. Idus Nov. scripta, qua gaudere se ait, quod in Italiam iter maturare velit, optatque, ut Papiam venire non contentus, propius accedat; quod anno sequente factum est. Neque epistola haec alterius anni esse potest. Nam praecedente Novembri nondum imperator appellatus erat; proximo in medio Germaniae, nulla tam promti reditus spe agebat.

6. Ex alia Johannis epistola intelligimus, Anastasium bibliothecarium jam amplius in vivis non fuisse; cui Zacharias episcopus, ex suburbicariis unus, in officio successerat. Vixit adhuc Anastasius a. D. 878, quo Baronius Photii epistolam, Anastasio presbytero et bibliothecario scriptam, refert. Pontificalis Romani concinnatio Anastasio tribuitur, ad usque Nicolai gesta. Quae deinde sequuntur, Guilielmo bibliothecario in codice quodam attributa, Onuphrius Panvinius tradit. Talem codicem sibi occurrisse, Baronius negavit. Tandem ipse cardinalis in appendice ad a. D. 1073. professus est, venisse in manus suas codicem manuscriptum *bibliothecae* Vaticanae de vitis pontificum, in quo Petrus *bibliothecarius*, quem *seculo* 11. floruisse constat, Petrus Guillermus (an Guillermi?) appellabatur. Ea res fidem Onuphrii firmat. Apparet tamen, alium codicem Onuphrio visum.

7. Pontifex, se Neapolin iturum, Ravennati praesuli scripserat. Fecit nequicquam: nam Athanasius episcopus, urbem pro duce regens, excusso pene Graecorum jugo, foedus cum Saracenis dudum percusserat; pontificem contraria suadentem, vana spe lactarat: qui tandem commotus, excommunicationis in eum sententiam in synodo promulgavit, eamque omnibus ad Capuam, Neapolin, Berolassim (an corruptum hoc?), Amalfim, Beneventum et Salernum episcopis misit. Accusat, quod turpis lucri cupiditate impulsus, hostibus fidei colludat, et de praeda partem capiat. Itaque, donec resipiscat, anathemati illigatur. Epistola Aprili mense data est. Veniam deinde petenti, Marinum episcopum sedisque apostolicae arcarium cum Sicone quodam egregio viro mittit, et absolutionis conditiones praescribit. De successu non constat. Athanasium, qui antea, ut Capuanos aliosque infestaret, Saracenos, ad radices Vesuvii considentes, ad se vocarat, tandem injurias eorum non ferentem; papa etiam multa minante et pollicente; mox abrupisse pactum cum barbaris foedus, Erchempertus docet. Accito ergo Guaimario, Salerni principe, et Capuanis reconciliatis, pepulit hostes loco. Illi se Agropolin recepere. Guaimarius Guaiferio patri paulo ante defuncto successerat.

8. Hoc anno Marinum a pontifice Constantinopolin missum arbitror, ut inquireret, an priores legati in synodo officium fecissent. Et credo, in itinere literas Johannis ad Athanasium Neapolitanum pertulisse. Successum negotii ex Stephani IV. ad Basilium literis, post aliquot annos scriptis, intelligimus. Marinus olim damnationi Photii interfuerat. Nunc Constantinopolin reversus, nec minis nec blanditiis adduci potuit, ut huic

A. 881. communicaret, aut synodi novissimae acta probaret. Itaque triginta diebus in carcere detentus est, ut postea Basilio Stephanus exprobravit; et aliis injuriis affectus, eversa concordia, Romam rediit. Ita Bulgaricae dioecesis restitutio intercepta est. Johannes tandem se delusum intelligens, legatos, qui synodo interfuerant, in ambone anathemate percussos deposuit, ut alius Johannes, qui postea Noni appellatione sedit, ad Stylianum scripsit. Sed et Formosus ad eundem scribens, affirmat, sententiam ab Hadriano in Photium dictam, Johannem ipsum adhuc archidiaconum alta voce promulgasse; et pontificem deinde factum, renovasse diras, quando ille Eugenium ejusque socios, Bulgariae causa legatos (mox synodo intervenientes) seduxisset. Sumto enim evangelio ambonem conscendentem Johannem ita dixisse: *Quicunque non damnatum habet Photium, sicut eum Nicolaus et Hadrianus damnavere, anathema esto.*

9. Extant acta quaedam synodi apud S. Macram, in finibus Remensis parochiae, anno incarnationis dominicae 881, indict. 14, 4. Non. April. Capitula Hincmari opus esse, credibile est. Primum distinguunt potestatem sacerdotalem et regiam; et dignitatem pontificum majorem, quam regum esse, contendunt, faventes sibi ipsis in sua causa judices; magno inter alia argumento, quod reges a pontificibus consecrentur, non vicissim. Non tamen reges ab ecclesiasticarum rerum cura excludunt, ut posteri fecere; sed volunt, ut missi regii cum episcopis etiam canonicorum monasteriorum visitatores instituant, rerum imbreviationes seu inventaria conficiant; etiam de numero personarum referant ad regem, ut augeri minuive pro re possit. In raptores rerum sacrarum graviter detonant; rei publicae administros officii admonent, recitatis anteriorum capitularium locis. Tandem ad regem conversi, Caroli Magni imperatoris ei exemplum ante oculos ponunt; qui felicissimus et rerum callentissimus, tamen nunquam non tres minimum ex sapientioribus viris consiliarios secum habebat, eosque per vices mutabat; et tabulas ad lectulum cum graphio habebat, quibus notaret, quae forte cum iis tractanda in mentem venissent: praeparata deinde ad collegium consiliariorum integrum et placita publica referebat. Itaque cogitare jubent, quanto magis juvenem regem et in particula regni tot aemulos habentem omnia deceat cum cura et consilio tractare. Mala publica in violentias cupiditatesque referunt, quando nemo sine pretio aut jus conservare suum, aut honores acquirere possit. His malis remotis, etiam virtutem Francis contra paganos a Deo redditum iri sperant. Circa haec tempora Johannes pontifex ad Hugonem abbatem, Bernardum, Guidonem aliosque regni comites scribens, laudat eorum fidem in regum juvenum rebus tuendis. Unde hos rerum tunc potitos intelligas. Bernardum Arvernicum interpretor.

10. Interea Normanni acrius insurgentes, iterum Galliam Belgicamque infestant; sive illis invaletudo Ludovici Germaniae regis, sive adolescentia regum Galliae, sive Boso Hugoque animos dabant. Ludovicus ergo rex juvenis, relicto in obsidione Viennae Carolomanno fratre, barbaris obviam ivit, qui jam Corbejam et Ambianos occuparant. Praelio commisso in pago Wimacensi ad villam Sathulcurtim, hostes caesi fuga-

tique sunt; sed tamen et Ludovicus cum suis fugiendo victoriam corrupit. Cum iterum hostes ingruerent, rex munitionem de ligno in loco Stromis struxit, quae posteà hostibus profuit, cum eam nemo tueretur. Cordemojus Estrienem in Artesia esse suspicatur. Autor fragmenti de gestis regum Ludovici et Carolomanni refert, Normannes Curtraco egressos (ubi se muniverant) Peronnam igne succendisse, et per quinquaginta sex et amplius miliaria diffusos, cuncta vastasse; sed ad Sathulcurtin maxima strage victos, Francia Curtracoque relictis, sese in Batuam recepisse, cunctaque circa Mosam vastasse. Etiam Regino plenam et gloriosam in Sodalcurka victoriam Ludovico attribuit. Et continuator Bedae: *Rex Ludovicus*, inquit, *in pago Viminiaco cum Normannis bellum gerens, triumphum adeptus est, et non multo post obiit pridie Nonas Augusti 883.* Sed in anno mortis labitur cum Reginone. Dicendum erat 882. A. 881.

11. Ad hanc victoriam pertinet epinicion, Ludovico regi antiqua Francorum lingua scriptum, quod ex monasterio S. Amandi Elnonensis Benedictinorum in Belgio a Mabillone erutum, Johannes Schilterus juris consultus, dum viveret, insignis primum Jenensis, deinde Argentoratensis, de antiquitatibus Germanicis optime meritus, cum notis eruditis edidit a. *D. 1696.* Recte judicat, ad filium Balbi Ludovicum, non ad Germanicum juniorem pertinere. Etsi enim hic quoque contemporaneus fuerit, et Normannos anno superiore ingenti praelio vicerit, et fratrem habuerit Carolomannum (sed non solum), minorem tamen aetate patre orbatum, dici non potest, quod poeta de victore:

Kind wart er vaterlos,
Dess warth ihme sehr boss,
* * * * * *
Das gedeilt er danne
Sar mit Karlomanne
Bruder sinemo
Thia sala wanniano.

Quae verba novissima sane obscura Schilterus interpretatur, nescio an recte, *thia sala* portionibus, *wanniano*, sive *ano wanni*, id est absque fraude vel defectu. Addit scriptor, Normannis prementibus, Ludovicum Dei instinctu, sumto Gunfanone, expeditionem in Franciam (id est inter Mosam et Sequanam) contra Normannos suscepisse; commilitones suos (*notstallon*) verbis promissisque animasse; conspectis hostibus canticum Deo cecinisse. Tum regem in hostes invectum, alios percussisse, alios perfodisse, ac denique victoria potitum fuisse. Atque ita ex hoc carmine regi dicato intelligimus, in aula regum Francorum occidentalium, nondum tunc sermonem Francicum in desuetudinem abiisse. Non recte Schilterus hanc victoriam in biennium differt, ab annalibus Fuldensibus deceptus; sed quibus Bertiniani, praesertim in Gallicis, praeferri debent. Regino annum mortis Ludovici Gallici (quanquam ne hunc quidem recte), non praelii indicat.

12. At Ludovicus Germaniae rex nonnihil ab invaletudine recreatus, superiore anno jam vergente Normannos obsederat, qui Neomagense

A. 881. palatium amplissimum et miri operis pro munimento tenebant. Obsidio in hyemem protracta est, captumque ibi Eberhardum Saxonem, filium Meginhardi comitis, Emessa mater magno pretio redemit. Eberhardi caedem memorabimus ad a. D. 898. Postremo, cum ob inclementiam aeris rex parum proficeret, pacto discessu Normannorum, obsidio soluta est. Hostes palatium et vicina loca exurentes, conscensis navibus, per ostia Rheni excedunt. Rex paschate acto in Lothariense regnum profectus, Hugonem Lotharii filium ad se venientem iterum in fidem suscepit, eique abbatias et comitatus beneficii lege concessit. Sed ille mox pacta infregit, novisque turbis excitatis, in Burgundiam fuga lapsus est.

13. Normanni appetente hyeme (qua anni tempestate praevalebant) majoribus viribus redeunt. Bini reges, Godefridus et Sigefridus, cum magna equitum peditumque multitudine Mosae ripam tenent, ibique ad Haslonam castra communiunt, ut tutam stationem navium haberent; in quam et praeda comportaretur. Ascloham vocat Fuldensis annalista, miliaribus a Rheno 14, Hermannus Contractus Canisii Ascaloham. Primo impetu Leodium civitatem, Trajectum castrum, Tungrensem urbem capiunt cremantque. Inde ad Ripuarios Rhenumque conversi, caedibus, rapinis, incendiis omnia deformant; Coloniam Agrippinam Bunnamque civitates adjacentiaque castella, Tulpiacum, Juliacum, Novesium; monasteria Indense, Malimundariense et Stabulense in cineres redigunt. Aquense palatium evertunt, et in magnifica aede, a Magno Carolo structa, equis pabulum praebent. Eo res Francorum deciderat, languente Ludovico rege, absente fratre ejus Carolo imperatore, turbatis hominum animit, ut in subito malo; neglectis consiliis salutaribus, quae nuper in Gandulfi villa capta erant. Reliquiae sanctorum, thesauri ecclesiarum Moguntiacum aliaque in loca tutiora transferuntur. Canonici, monachi, sanctimoniales diffugiunt, qua possunt. Plerisque sylvae latibula praebuere.

14. Circa haec tempora Slavos etiam vicina quaedam Germaniae loca infestasse apparet. In annalibus Hildeshemensibus notatur ad a. Dom. 885, vel potius 881, nam nihil interjectum est, hoc anno Wolfherum episcopum cum aliis multis occisum fuisse a Slavis. Et in fastis nostris ad a. D. 881. mors Wolfheri episcopi refertur, de cujus sede amplius inquirendum. Eum ad Saxones retulerim. Halberstadenses, Hildeshemenses, Mindenses episcopi satis noscuntur; Verdenses hujus temporis non satis; itaque ad illos pertinere suspicabimur, donec certiora cognoscantur.

15. Hoc anno (si chronico Senonensi credimus) defuncti sunt duo clarissimi fratres Welfigenae, Conrado fratre imperatricis Judithae et Adelaide regiae stirpis foemina geniti, Welfus abbas S. Germani Autissiodorensis et S. Columbae Senensis; et Conradus comes Parisiaci, quem et Rhaeticarum partium et vicinae Burgundiae ducem egisse constat. Hunc per Hugonem abbatem fratrem, sub adolescentibus regibus rerum moderatorem, reconciliatum dominis credibile est. Rudolfus filius ei in Burgundia successit; qui postea regium nomen sumsit, et in posteros transmisit.

ANNO CHRISTI 882.

Normannorum incursio. — Ludovici II. Germaniae regis mors et elogium. Ejus uxor et proles. Cometa. — Normanni regnum Lotharingiae vastant. — Lotharingi in Caroli augusti fidem concedunt. Ludovicus Galliae rex obit. — Carolomannus solus in Gallia regnat. Ejus acta. Vienna capta. Normanni discedunt. — Aliorum Normannorum incursus in Galliam. Caeduntur a Carolomanno. Hincmarus archiepiscopus Remensis obit. — Carolomanni diplomata duo. — Caroli Crassi imperatoris gesta. — Edictum Caroli Crassi imperatoris pro Italis. — Continuatio ejusdem argumenti. — Caroli imperatoris aliud diploma. Pontifici adversus Widones imperator favet. — Papa queritur, imperatorem sibi nullum adjutorium praestitisse. Angilberga augusta in Italiam remissa. — Johannis VIII. papae mors et elogium. — Quo mortis genere Johannes obierit. Marinus ei successit. — Expeditio imperatoris in Normannos. — Pax cum Normannis conclusa. — Cur pax cum Normannis inita. Pars Lotharingiae frustra a Gallis repetitur. Imperator in Italiam iter meditatur. — Privilegium Corbejense. — Fundatio monasterii Francofurtensis. — Saxonum et Thuringorum simultates et bellum. — De annalibus Fuldensibus eorumque continuatoribus, de Bertinianis item, Reginone et Metensibus.

1. Annus successit, Ludovici utriusque regum Francorum morte, sed magis Normannica clade funestus. Illi per hyemem vastato omni intra Rhenum et Mosam tractu, in Arduennam penetrant. Ipso die epiphaniae Domini praedonum manus monasterium Prumiense occupat, omnemque in circuitu regionem depopulatur. Hos agrestes, ex vicinis locis conglobati, infelici ausu aggrediuntur: vulgus rude non minus armorum, quam disciplinae expers, pecorum ritu mactatur; hostes cum praeda ad sua castra redeunt. Ignis relictus, cum nemo esset, qui extingueret, monasterium consumsit. Haec Regino (postea loci abbas) memoriae prodidit. A. 882.

2. Inter haec mala Ludovicus II. rex Germaniae, ingravescente morbo, 13. Kal. Febr. Francofurti vitam cum morte mutavit; princeps intrepiditate vultuque patri similis, nec ingenio inferior, sed non pari firmitate animi corporisque. Nam uxori obnoxius habitus est; et simul in fratris regnum invaletudinemque successit. Orbus obiit (si mares spectes) alienissimo rei publicae tempore, Luitgardemque Saxonicam Ludolfi filiam (Henrici postea regis amitam) viduam, et sobolem superstitem Hildegardem reliquit, cujus a. D. 894. mentio fiet. Quidam, nescio unde, Placentiam quandam inducunt vel Placidiam, Guilielmo Nangiaco sed perturbate memoratam, Conrado Francorum principi nuptam, ex qua Conradus rex natus fuisset. Aventinus conjugem Ludovici Guelfam origine Ethiconis filiam fecit; a Vito Arenbeccio, opinor, non optima monumenta secuto, deceptus. Ipse Crusium deinde aliosque in errorem induxit. Henrico tamen Guelfo quatuor mille mansorum beneficium in superiore Bavaria datum (de quo Wingartensis monachus et nos ad a. D. 819.); ab hoc profectum, Aventino libentius credo. Idem Odae socrui praedia insignia dedit, ea lege, ut usum fructum haberet, dum viveret; deinde in monasterium Gandesemense transmitteret. Obitum Luitgardis habebimus a. D. 885. In Laurishamensi chronico lego, viduae inter alia dotalia loca assignatum praedium Abrinesburgum in pago Lupodunensi, sed postea commutatione facta, in monasterium S. Nazario sacrum* collatum. Ibi Ludovicus apud

*) sacrum *addidit* Eckard.

A. 882. cognomines patrem avumque sepulturam accepit in aede, quae dicta est Varia, quam huic fini ipse construxerat. Paulo ante excessum principis, 16. Kal. Febr. cometa ingens prima noctis hora apparuit, comasque suas supra modum sparsit: is mortem regis cladem que gentis praesagire visus. Exercitus in Normannos missus, fatali sideratione mentium, audita domini morte, dilapsus est: nec satis apparet causa turpissimi discessus, quando nulla de successore dubitatio erat, nec spes metusve domum vocabat.

3. At Normanni intellecta regis morte exultantes, et pene vestigiis insistentes recedentium, omnia usque ad castellum Confluentium igni delent. Tunc Moguntiaci murus restauratus est fossaque circumducta. Urbem paulo ante 3. Kal. Januar. ingens terrae motus concusserat. Hostes adverso Mosella Treviros invadunt, civibusque caesis fugatisque, totam urbem ipsis Nonis Aprilis incendunt. Metas deinde petentibus Wala episcopus loci cum Bertulfo Trevirensi et Adalardo comite occurrit. In congressu barbari victores fuere; cecidit Wala, cui Goericus successit; caeteri fugam capiunt. Hostes tamen, cum essent qui resisterent, alio flexere, ubi praeda minoris constaret; qua tandem onusti, Haslonam rediere.

4. Extincto principe, proceres partis regni Lothariani, quae ei cessa erat, ad Galliae reges iterum respexere, a quibus avulsi erant jure locarii, ut annalista Bertinianus hic ait, id est in vim lytri seu ut parte jacta totum servaretur; quem sensum supra evicimus ad a. D. 879. Sed consilio primorum aulae recepti non sunt ob sacramenta Carolo augusto data, qui in fratris jura succedebat: et Caroli autoritatem ac fidem adolescentium regum consiliarii sequebantur. Sed nec horum major natu Ludovicus, nisi aliquot mensibus, supervixit. Nam cum Theoderico duce exercitum in Normannos citeriores misisset; ipse cum aliis copiis recepturus in fidem Britonum principes, et in Normannos Ligeri infestos bellaturus, ad Turones perrexit. Andegavis cum Hastingo et Normannis de pace tractantem morbus corripuit. Unde ad S. Dionysii monasterium lectica relatus, magnae spei juvenis, si Reginoni credimus, immatura morte decessit 3. Non. Aug., ut Mabilio in opere diplomatico ex chartario Folcuini monachi Sithiensis docet. Aimoini continuator quasi vanitatibus et immunditiis plenum deformat. Adeo judiciis variatur. Crediderim, manu promtum et ingenio, juveniliter exultasse. Paulus Aemilius, Andream, credo, Marchianensem, monachum Flandrum ineditum, Beslio etiam citatum, secutus, narrat, cum puellam persequeretur nomine Germondem, impetu equi in humilis ostii superius limen illisum, ex gravi attritu mortem oppetiisse. At a nimia fatigatione nuperi praelii morbum letalem contraxisse, Albericus Trifontanus ex Guidone transcripsit.

5. Proceres expedito nuntio Carolomannum a Viennae obsidione advocant: qua ille ducibus commendata, festinus venit, et 5. Id. Septembris in Carisiaco, petentibus episcopis, avi Caroli imperatoris, novissime in Italiam proficiscentis, capitula confirmavit. Tum exercitum in Normannos collegit: cumque in procinctu esset, laeto nuntio Viennam captam accepit. Obsidione jam in tertium annum protracta, obsessi rerum penuria ad deditionem adacti sunt. Richardus dux Burgundionum Cisjuranorum,

Bosonis frater, sed fidus rei publicae, Irmengardem cum filia in custodiam suam recepit et Augustoduni collocavit. Mox etiam intellectum est, Hastingum Normannorum ducem cum suis, relicto Ligeri, mare petiisse; pedo, absolutis tractatibus a Ludovico coeptis, auroque pacto. A. 882.

6. Normanni interim alii per Scaldim ascendentes, Condatum primum, deinde Quintini Fanum vastavere. Ita refert fragmentum de rebus Ludovici et Carolomanni apud Quercetanum. Mox sive per se, sive adjuncta eorum manu, qui a Mosella Mosaque veniebant, Laudunum usque pervenere, omnibusque circa castellum vastatis, jam Remis, Suessionibus, Noviomo minabantur. Eo terrore Hincmarus, nudatus praesidio (cum milites ejus in Carolomanni exercitu essent), convasatis ecclesiae ornamentis, cum corpore S. Remigii noctu in sella gestatoria ob invaletudinem trans Matronam amnem fugit, ibique Decembri (nam de mense convenit) diem extremum clausit. Ornamentum seculi sui, majore rerum ecclesiasticarum scientia, quam tempora ejus capiebant. Successit Fulco S. Vedasti et Bertini abbas, primariae vir nobilitatis (cum Widoni regi consanguineus fuerit), autoritate inferior Hincmaro. Is mox sub Carolo Simplice rem publicam administravit. Barbari cum in Remensem pagum penetrassent, urbem tamen non attigerunt. Carolomannus (quem, absente Hugone abbate, primores quidam tardaverant, se rei publicae subtrahentes) tandem recedentibus praedaque onustis superveniens, partem occidit, partem in Axona mersit. Reliqui, abjectis impedimentis, fuga evasere.

7. Carolomannus, vivo adhuc fratre, Aurelianensi ecclesiae praeceptum dederat in hanc fere formam: *I. n. s. et i. T. Karlomannus, misericordia Dei rex, sanctae ecclesiae Aurelianorum, cui praeest Gualterius, Caltesiam villam in pago Biturico* (et alia) *restituimus, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione jussimus assignari. Actum apud villam Petrafictam, anno 3. regni in mense Majo, ind. 14. Norbertus notarius ad vicem Vulfardi recognovi.* Idem paulo alia forma ecclesiae Gerundensi favit: *In nomine Domini Dei aeterni et Salvatoris nostri Jesu Christi Karlomannus, gratia Dei rex. Venerabilis vir Theodarius, Gerundensis ecclesiae episcopus, petiit, ut, quae in pago Emperitano et Gerundensi possidet, confirmaremus . . . cujus petitioni annuimus . . . manu propria etc. Signum Karlomanni gloriosissimi regis. Norbertus notarius ad vicem Vulfardi recognovi. Dat. 4. Kal. Sept. anno 3. regni, ind. 14. Actum apud Fosianum villam i. D. n. f. A.*

8. Sed nos ad imperatorem et Italiam redeamus. Eum superatis Alpibus, in Germaniam Galliamve superiore anno jam provecto venisse, supra ostendimus. Crediderim in Burgundiam descendisse et regibus Viennam obsidentibus affuisse ad capienda in commune consilia; cum Normanni magis magisque ingruerent et Bosonis Hugonisque factiones increscerent. Sibi etiam cavisse, arbitror, ingravescente fratris valetudine, ne, si quid ei humani eveniret, Galli Lotharingiam perturbarent. Neque inutilis ea cautio fuit. Procurrisse Francofurtum ad visendum fratrem, in tanto scriptorum silentio affirmare non ausim. Maturasse reditum in Italiam, ex dicendis apparet. Petierat pontifex, ut propius accederet. Itaque

A. 882. Ravennae congressi sunt Februario mense: quod etsi historici sileant diplomata produnt. Extat unum in Veronensi tabulario ab Ughello, summi diligentiae viro, productum, et similia alios episcopos impetrasse appare ut edicti instar haberi possit. Ejus autem haec potior pars est:

9. *In n. s. et i. T. Karolus d. f. cl. imperator aug. Venientibus nob Ravennam ad colloquium spiritualis patris nostri, Johannis videlicet summ Romani pontificis et universalis papae, innotuit maxima venerabilium episcoporum et populi proclamatio de plurimis superstitionibus et oppressionibus a seculari et publica potestate; ita ut contemto timore Dei . . . interdicta a praedecessoribus nostris, per plebes et ecclesias seu ecclesiastica praedia et domos placita habeant, distinctiones faciant* (an districtiones?) *in liberos massarios* (massarum seu praediorum possessores beneficiarios, emphyteuticarios et conductores?) *super ecclesiasticas residentes, et servos et aldiones* (sive libertos) *tributa ab eis, census donaria, angarias etiam et operas exigant; et non solum ab eis, sed etiam ab omnibus liberis erimmannis* (arimannis seu militaris ordinis viris) *aliis ecclesiae filiis . . . . Ideoque omnium fidelium nostrorum, tam reverendissimorum episcoporum, quam illustrium comitum reliquorumque fidelium nostrorum freti consilio generali, Dei nostraque imperiali autoritat omnes has superstitiones* (sic appellat novo significatu) *et importuna violentias . . . extirpandas radicitus . . . . decernimus, statuentes, ut sancta Veronensi ecclesia* (idem est, de quocunque alio episcopatu) *null comes nullusque judex vel quaelibet judiciariae potestatis persona, tam plebibus* (ecclesiis plebanorum), *quam in monasteriis, titulis aliisque ecclesiis vel domibus, seu urbanis vel rusticis possessionibus ad eam pertinentibus, placita tenere, massarios et colones liberos, aldiones vel servos quocunque residentes super res ad praedictam sanctam ecclesiam pertinent quolibet modo distringere, pignorare, angariare, census et redhibition et donaria aliqua exigere quoquo modo audeat: sed liberi massarii, qu legalis coactio exigit, per patronum seu advocatum ad placita ducanti ut legalis definitio contentioni finem imponat.*

10. *Haec etiam in omnibus liberis erimmannis, praefatae sanct Veronensis ecclesiae filiis, et in ejusdem dioecesi commanentibus massar et colonis jubemus, videlicet, ut ab iis nec donaria nec redhibitiones, neq pignorationes vel injustae districtiones exigantur, sed unusquisque c legalis censura exigit, a patrono suo ad placitum deducatur; ne pign rationis occasio aditum rapinae et depraedationibus in aliquo praest Interdicimus etiam, nemini licere alienas res invadere, quas chartula eo facta per legitimam vestituram non habuerit. Si quis autem acquisit extiterit, non ante res ecclesiae vel liberi hominis vendere possit, quam autore chartula legali et judiciaria definitione rem, cui vult, tribuen liberam facultatem adeptus erit. Haec nostra imperialis constitutio sancta autoritas in omnibus parochiis, comitatibus et marcis per toti nostri imperii fines, in toto regno Romanorum et Longobardorum, et p ducatus Italiae, Spoleti et Tusciae, per infinita tempora proprium rob obtineat . . . Quam si quis violare audeat, in centum libras auri sciat*

...positurum; quarum pars media ecclesiae laesae, media altera palatio ...iro cedat. Et ut hoc nostrae autoritatis praeceptum firmum et stabile ...maneat, propria manu firmavimus, et annulo nostro subtersigillari ...jussimus. Signum serenissimi Karoli imperatoris. Inquirinus notarius ...vicem Liutuardi archicapellani recognovit. Data 16. Kal. Mart. anno ...carnationis Domini 882, indictione quinta decima, anno vero imperii ...mini Karoli serenissimi imperatoris secundo. Actum Ravenna civitate ...Dei nomine feliciter amen. Ubi notatu dignum censeo, annos incarna...nis pro annis nativitatis accipi et a Kalendis Jannarii vel a natali Do...ni computari, quod et postea plerumque obtinuit. A. 882.

11. Extat aliud diploma, ibidem postridie datum Petro, abbati mona...terii Bremensis, quod et Brugnatense, de quo paulo ante, quo vis ejus ...bus fieri prohibetur. Waldo notarius ad vicem Liutwardi archican...cellarii recognovit. Data 15. Kal. Martii, anno incarnationis Domini ...882, indict. 15, anno vero piissimi imperatoris Caroli secundo ad Ra...vennam. In Dei nomine amen. In eo congressu pontifex obtinuit, ut ...terque Wido marchio, frater filiusque Lamberti, praedia Romanae eccle...siae praesente imperatore per reinvestitionem, id est solennitate tradi...tionis imaginariae, in judicio redderent. Sed idem mox literis queritur, ...traditionem realem non esse secutam, etsi missus imperatoris Adelardus ...episcopus (an Veronensis?) una cum ipso pontifice Fani agente multum ...in ea re laborasset. Utrum Widonum alia anterior epistola discriminis ...causa Rabiam appellarit, non apparet.

12. Digresso ex Italia imperatore, alias querulas literas de Sarace...norum progressibus pontifex ad Ricardim augustam et Liutwardum Ver...cellensem episcopum iisdem pene verbis misit. Quaesivimus adjutorium, ...inquit, et nunc muris Urbis egredi non audemus. Neque augustus ullam ...defensionem nobis praestitit, et homines civitatum nostrarum, solitos ser...vitium praestare ecclesiae, ab aliis contra privilegia subtractos, nobis non ...reddit. Ipsam vitam sibi gravem esse addit hoc habitu rerum. Rogat, ...Petro episcopo, dilectissimo familiari suo, molles aditus ad imperatorem ...procuratur, deleaturque ex animo ejus aspera a liberiore viri verbo ...dicta. Postremo augustam viduam regnatrici commendat, ut ab exilio ...suo remittatur, quod denique obtinuit. Nam, ut Bertinianus annalista ...refert, Angilbergam nunc tandem Luitardus ex Germania Romam reduxit.

13. Hoc anno crediderim pontificem Johannem Marino reduce priores ...partes et simul credulitatem suam damnasse. In Photium etiam ipsum ...damnasse, alius Johannes successor scripsit. Atque haec fortasse ultima ...partium fuere, viri non mali, ut arbitror, et ecclesiae suae profectum ...utilemque rei Romanae ardenti studio curantis, sed versatilis, nec satis ...constantis. Itaque suspectus principibus egit, et vana jubendo, quae ...implere non posset, autoritatem imminuit. Poterat dicere: Omnia tentavi, ...et nihil expedit. Sola igitur morte quietem invenit. Scribitur sedisse ...annos 10, dies 2: unde medio Decembri fato functum computant. Baro...nius iterum in Galliam cogitasse arbitratur ex epistola ad Supponem ...comitem, qua hunc monet, ut sibi ad montem Cinisium occurrat. Sed ea

A. 882. ad iter superius pertinet, non suo posita loco. Extat ejusdem de j cardinalium Romanae sedis constitutio, sed pertinens ad disciplinam oblationes, aliaque id genus. De libro Gothicae legis aliquid constitui ait magni chronici Belgici autor. Pertinet hoc, credo, ad supplement ejus, in synodo Trecensi constitutum, de quo supra; quod scilicet rei ecclesiasticarum invasores codex Gothicus non satis coercere videre

14. De genere mortis variant. Continuator annalium Fuldensi Freherianus memoriae prodidit, a propinquo veneno tentatum; ejus tardante efficacia, malleolo in capite percussum, laeso cerebro expiras Autorem sceleris, ad thesauros ejus dignitatemque aspirantem, terr turbae ingruentis, nullo percutiente, in mortem obriguisse. Baronius, hunc locum non vidit, moerore pontificem extinctum scripsit. Paucis p diebus Marinus olim diaconus, nuper iterum ad Graecorum august legatus, magno omnium consensu electus est. Tuscus erat ex Galle in Faliscis, filius presbyteri Palumbi. Id factione Tusculanorum comi factum, Sigonius scribit; cujus ego rei nullum in veteribus vestig invenio. Quando ordinatus sit, non traditur; et putem, augusti abse approbationem de more expectatam: Luitwardum autem ab augusto pr missum mox supervenisse, ejusque autoritate (nam omnia poterat) c secrationem processisse. Graeci, ob novissimam legationem irati v pontificatum ejus non agnovere, quod alterius ecclesiae episcopus co statuta canonum in Romanam irrepsisset. Nec apud Latinos defuere, rem novi exempli improbarent. Id facit diserte continuator annal Fuldensium, a Lambecio ex caesarea bibliotheca erutus; et frustra n nullis alius ab archidiacono, Marinus episcopus fingitur. Bulgari eum Hadriano papa archiepiscopum petierant nequicquam: alium ergo epis patum datum oportet. Sane Romanae ecclesiae arcarius idemque epis pus non poterat nisi in suburbicariis habere sedem suam. Formo restituit Portuensi ecclesiae, mortuo, opinor, Valentino, cujus per ma datum Solemniacensi monasterio Marini privilegium, in conciliorum to extat.

15. Ludovico Germanorum rege, Ludovici Germanici filio, exti augustum fratrem crebri ex Francia, Lothariensibus, Saxonia et Bajo nuncii ad capessenda tot regnorum sceptra vocabant: simul Norma furores significabantur, quibus unus ille obsistere posset. Itaque Car papam aut res Italicas non diu moratus, ut vires in itinere colligeret, Bajoarios in Franciam venit, et conventu generali mense Majo Worma habito, omnes fraternorum regnorum proceres in fidem suscepit. I ingenti cum exercitu in hostem movit. Normanni palantes sese in s Asloensis munimenti recepere; Allemanni et Lotharienses per sinist Rheni latus, Bajoarii et proximi illis Germani dextri descendebant. Andernacum pervenientes, in adversam ripam transiere: Thuringi, Saxo Frisii supervenere. Ibi divisae sunt copiae: expeditiores in binos e citus partiti, praemittuntur. Arnulfus Bajoarios, Henricus Francos duce Ille augusti nepos; hic Popponis Thuringorum ducis frater, expertae Lothariensi expeditione virtutis. Hostes improvisos occupare consil

i: sed a quibusdam auro corruptis barbaros admonitos ajunt. Aliqui A. 882.
men extra munitionem deprehensi caesique sunt.

16. Imperator deinde cum tota virium mole supervenit, hostesque
rona circumdedit. Inclusi erant bini reges, Sigefridus et Godefridus,
principes aliquot, quos inter Wormo et Halfo nominantur. In duode-
num jam diem obsidio duraverat, cum 12. Kal. Aug. erepto per caliginem
ridie, post fulgura et tonitrua immensa grando nubibus erupit. Globi
nt cornibus asperati tantae magnitudinis, ut vix pollice et medio digito
ctis circumdari possent. Passim homines cum bestiis percussi jace-
nt: equi efferati per castra discurrebant. Nec minor intus hostium
des, parte oppidi vi ventorum diruta, septoque aperto, nisi fossa aditum
gasset. Mox protracta obsidione, aestivus calor aerem cadaverum
tredine infecit. Cum ergo utrobique morbi grassarentur, de pace mentio
jecta est. Continuator Fuldensium Lambecianus Luitwardum episcopum
Wicbertum comitem accusat, quasi auro Normannorum corruptos. Luit-
rdum contra annales Metenses laudant. Bertinianus Caroli mollitiem
cusat, qui molestiarum intolerans, qualemcunque pacem praetulisset.
d Fuldensis annalista excusanti propior apparet. Obsidibus acceptis,
defridus ad imperatorem venit, qui sex miliaribus aberat a castris.
juravit, nunquam sese amplius regna ejus infestaturum. Inde Christum
fessus, augustum patrimum in baptismo accepit. Postremo lege fidei
tae beneficium ei concessum est in Frisia, quo Roricus olim post Heri-
lum sub Francici juris majestate fruebatur. Continuator Lambecianus
nim vocat, quae ad mare intra Mosam Flevumque quaerenda esset.
cumulum data uxor Gisela, filia Lotharii regis, soror Hugonis; quasi
ic ad res novandas talis affinitatis stimulo opus esset. Visus est id
se caesar, ut hominem non juramentis magis quam benefactis suum
ret; sed luporum catuli aegre mitescunt. Imperator tamen non expers
litatis, his illecebris Godefridum aeque atque Hugonem postea sub-
. Munera etiam data sunt in auro et argento, quantum bis mille et
ginta librae argenti valerent, viginti solidis in libram computatis. In
densibus annalibus contra caeterorum consensum, errore opinor, Sige-
us pro Godefrido nominatur. Caeterum et Sigefridus magnifice donatus,
e sacramentis affirmata, discessit; et (si credimus continuatori in Ca-
m iniquo) ducentas naves spoliis captivisque onustas secum abduxit.
munera ad libras 2412 auget, et barbaros in discessu Daventriam
ne portum cremasse addit. Pecuniam solutam ex thesauro S. Stephani
nsis sumtam, Bertinianus notavit.

17. Imperatorem credibile est, non temere pacem cum hostibus
e. Ingentem exercitum sub signis habebat, sed tumultuarie collectum,
m instructum necessariis rebus, ut tunc bellandi disciplina erat;
factionibus laborantem, quae mox inter Thuringos et Saxones eru-
. Morbis etiam grassantibus palustri loco, parcendum suis judi-
t, ne pernicies paucorum hostium magna totius Germaniae clade
retur. Certe pestilentiam Bajoarii domum reduces, per omne Noricum
sisse scribuntur. Ipse in Italiam festinabat, obtestante per omnia

A. 882. sacra pontifice, et prementibus magis magisque Saracenis. Ad Conflue Mosellae missio copiis data est, placito generali in proximum Novemb indicto. Eo Hugo abbas cum aliis legatis a Galliae rege venit, pai Lothariensis regni (nempe fratri concessam) reddi petens, tanquam Caroli ipsius promisso; quod non satis prioribus cohaeret. Cur enim pacto cum Carolo inito nuper dedentes se Lotharienses Galli rejecissi si restitutionem Carolus pepigerat. Itaque magis ex aequo et bono, q juris formula legatos egisse putem, quod Carolus tot regnis conte esse posset. Sed nihil impetravere. Absentiam Hugonis, cujus ma erat per Galliam autoritas, Carolomanni rebus nocuisse, jam notatum In eodem placito Hugoni, filio Lotharii regis se submittenti, praeter dudum concessa, dati sunt Metensis ecclesiae tunc vacantis proven Inde Liutwardus in Italiam praemissus est, Angelbergaque ei illuc re cunda credita. Moravorum etiam aliarumque gentium legati auditi s

18. Ibidem Novae Corbejae monasterio imperiale diploma conces est in hanc fere formam: *In n. s. et i. T. Carolus d. f. cl. imp. aug. Adiens serenitatem culminis nostri vir reverendissimus Puppo abba monasterio Corbeja, quod est super fluvium Wisera in villa regia, in l dudum nuncupato Huxeri, dicatum in honorem S. Stephani protomarty suggessit mansuetudini nostrae, ut idem monasterium talem immunita habere juberemus, qualem omnia monasteria in Francia habent . .* [Itaque] *decernimus, ut nullus judex publicus in ecclesias . . . . aut nasterii ad causas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut hom monasterii, tam ingenuos quam lutos distringendos, aut ullas redhibiti aut inolitas* (insolitas malim) *occasiones requirendas, ullo tempore ing audeat . . . Poterunt autem rectores hujus monasterii cum quibu hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare. Waldo cancella ad vicem Liutwardi archicancellarii recognovi et subscripsi. Data 8 Nov. anno inc. Dom. 882, indict. 15, anno vero piissimi imp. Karo Actum Wormatiae civitate in Dei n. f. A.*

19. Imperator hoc anno aedi S. Bartholomaei Francofurtanae tal dedit. Serrarius istis literis, ait, fundationem contineri. Wald cancellarium ad vicem Ludovici archicancellarii recognovisse a. D. ind. 5. Sed indictio est 15. et loco *Ludovici* legendum *Liutwardi.* eas Francofurti asservari. Inspectio dare poterit, autumno, an vere datae. Idem Serrarius de Luitberto archiepiscopo agens: *Tam Ludo pater,* inquit, *quam filius Carolus augustus, Francofurtensis mona* (quod postea in canonicorum S. Bartholomaei collegium vertit) *magi fundatores extitere.* Imperator natalem Domini in Allemannia celebr Inde in Bajoariam iter direxit.

20. Interea simultas inter Saxones Thuringosque in bellum er incentore Poppone duce Thuringorum, qui contra Slavos marchionis of excubabat. Et fortasse in Saxones quoque vicinos autoritatem sibi dicabat. Huic sese pro Saxonibus Egino comes objecit. Comm praelio, Thuringorum res inferior fuit. Ita Fuldenses annales du

praestantes. Plurimis caesis, Poppo cum paucis effugit. Ita continuator Fuldensium ex caesarea bibliotheca erutus, qui nulla Saxonum mentione, Thuringos cum Thuringis, Popponem cum Eginone conflixisse scribit; credo, quod Egino ex Nordthuringia esset, dudum Saxonibus attributa. Ita scriptores conciliantur. Itaque et Henricus Popponis frater his rebus mixtus non fuit; et hoc ipso anno Normannos quosdam, in Frisia, ut arbitror, tumultuantes, coercuit. Huc enim pertinere arbitror, quod de Daventriae clade relatum est. Rebus contra Normannos prospere gestis reversum, annalium Fuldensium autor scribit. A. 882.

21. Idem simul in ea re operi finem imponit, quale ex antiquo codice ediderat Pithoeus, quod ab a. D. 715. continuo hucusque filo decurrerat. Freherus deinde continuationem invenit ad annum usque Domini 900; sed ita, ut codice in fine imperfecto, plura secuta appareret. Ab hac diversa caesarei codicis continuatio, libro secundo operis de bibliotheca caesarea Lambeciani extans, ad a. D. 887. pertingit. Quae Freherus adjecit, tanquam Fuldensium annalium in sequentibus citabimus; Lambeciana continuatoris. Hoc eodem anno, quem nunc tractamus, et annales finiunt, quos ex S. Bertini monasterio Rosweidus eruerat. Putes Hincmari jussu, certe ab homine ei addicto, conscriptos, cujus etiam in morte desinunt. Ex eo etiam Aimoini continuator sapere simul et exscribere desiit. Ita simul bini optimi autores destituunt progressuros. Regino superest parum exactus in notandis temporibus, et cujus autoritas hactenus mediocris paulatim crescit, quantum accedit rebus, quas vidit. Hunc Metensis annalista exscribere solet. Nobis corroganda undecunque auxilia sunt, ad hiatus sterilissimorum scriptorum utcunque explendos.

ANNO CHRISTI 883.

Carolus venit in Italiam. Venetis privilegium concedit. — Caroli imperatoris gesta in Italia. Wido Spoletinorum et Tusciae rector exauctoratus. — Turbae in marchia Bavariae orientali. — Normanni caesi. Praesulum Germanorum mortes. Hugonis Waldrada nati gesta. — Carolomanni Galliae regis capitula et diploma. Normanni Galliam vastant. — Saraceni Garilianum arcem accipiunt.

1. Pascha Domini Carolus Radasponae celebravit, ibique conventum Bajoariorum habuit. Inde rebus ordinatis in Italiam transcendit et Veronae Nonis Maji et 3. Idus Mantuae egit. Ibi Venetis privilegium dedit, quod ex Andreae Dandoli ducis chronico Sigonius exhibet in hunc fere sensum: *Johannes dux Venetiarum per legatos suos, Vigilium episcopum, Vigilium ac Leonem, nostram clementiam rogavit, ut jura rerum sui ducatus, quas intra ditionem imperii nostri ipse aut sui haeredes, episcopi, abbates, populi ei subjecti, tenerent, praecepto confirmaremus, quemadmodum temporibus proavi nostri Caroli decreto cum Graecis sancitum esset. Petiit etiam, ut Venetus in locis regni nostri versans, subjectus ei maneret. Itaque decernimus, ut nemo de regno nostro, vel in finibus civitatis novae, vel ejus, quae dicitur Caput Aggeris, in possessionibus cunctisque locis, de quibus in pacto eorum legitur, aliquam pabulationem* A. 883.

A. 883. *aut venationem exerceat, unde ipsi aliquam vexationem patiantur. Volumus etiam, ut Veneti securi per nostras ditiones negotia sua peragant, modo telonaria et ripatica solvant. Sed et metropolitano Venetiarum et subjectis ei ecclesiis, justitiae administrationem, qualem ecclesiae Ravennati, praestari volumus. Nec quisquam nostrorum Venetos in nostris oris contra ducis sui praecepta jurisdictionemque defendet. Datum 3. Id. Maji, anno incarnationis Domini 883, ind. 1, anno imperatoris Caroli in Italia tertio, in Francia secundo. Actum Mantuae.*

2. Cum pontifice novo mox Nonantulae congressus est, habuitque conventum Longobardorum. Ibi ad querelas Romanorum aliorumque Wido, Spoletinorum Tusciaeque vicinae rector, majestatis accersitus exauctoratusque est: alii etiam optimates Italiae eadem ruina perculsi sunt. Beneficia, quae avi atavique eorum habuerant, vilioribus data, ait continuator ille Carolo iniquus; indeque animos in principem concitatos. Wido fuga capitis supplicium vitavit. Erchempertus ei imputatum tradit, quod legatos Constantinopolin misisset, et pecuniam a Graecis accepisset. *Quamobrem*, inquit, *ab imperatore captus est, et nisi fugam arripuisset, capite plectendus erat.* Alii ad Saracenos respexisse prodiderunt. Missus in eum cum copiis Berengarius Eberhardi filius, imperatoris consanguineus (ita annalista Fuldensis), partem regionis recepit; sed quominus omnino pelleret rebelles, morbis per exercitum grassantibus et tota mox Italia sparsis, prohibitus est. Imperator ipse malo tentatus, et deinde sanatus ex voto, ad S. Alexandri ecclesiam invisit, ac 3. Kal. Aug. jura ecclesiae confirmavit. Ita Sigonius. Ego vero in Murgola curte regia 3. Kal. Aug. egisse, ibique Garibaldo, Pergamensis ecclesiae episcopo, ternis tabulis privilegia donaque novasse reperio, praesertim, quae a Grimoaldo et Autare regibus Longobardorum data erant. *Inquirinus* bina *ad vicem Liutwardi archicancellarii recognovit*, tertium Waldo. Papiae deinde resedisse imperatorem et juri dicundo vacasse, Sigonius iterum habet. Ibi et Sangallensibus praeceptum concessisse, apud Vadianum reperio, hac clausula: *Data Non. Octobr. anno incarnationis Domini 883, indictione secunda, anno vero imperii domini Caroli in Italia 3, in Francia 2. Actum Papiae i. D. n. f.* Hic Franciae nomine orientalis accipienda est, mox enim et ab occidentalibus ascitus regni annos in Gallia numeravit, tanquam Franciae opposita. Porro memorabile sigillum appensum erat, quod Vadianus ita describit: *Imperator in eo laureatus cernitur, cum hac inscriptione*: *CAROLVS M. AVGVSTVS, et in altera sigilli parte haec verba: RENOVATIO FRAN.* Conferatur simile quoddam Carolo illi vere magno tributum et ad a. D. 800. memoratum, nam et hunc Crassum, et illum Calvum Magni titulum affectasse constat.

3. Absente imperatore, passim per Germaniam et regnum Lothariense turbae nascebantur. Ludovicus Germanicus Wilhelmo et Engelscalco fratribus limites Bajoariae tuendos commiserat, qua orientem spectant. Regioni ergo praeerant, quam hodie Austriam appellamus. Crebra illis cum Moravis caeterisque Pannoniae Slavis certamina fuere, Zuentibaldo maxime infesto. Vita munereque cum laude defunctis successor a Ca-

rolo Aribo datur, filiis adolescentibus neglectis. Tres Engelscalcus reliquerat, Megingozum, Popponem, Werinharium. Hi cum propinquis Aribonem loco pellunt. Aribo cum Zuentibaldo, juvenum hoste, foedus facit, ejusque ope in regionem redit. Werinharius et propinquus ejus Wezilo comes trans Danubium capti a Zuentibaldo, barbara crudelitate dextra, lingua, genitalibus denique, ad Graecorum morem, penitus multantur. Adolescentes sese Arnulfo commendant, qui tunc Pannoniam pro imperatore regebat. Zuentibaldus ab Arnulfo satis pro imperio exigit, ut hostes suos ne recipiat, ut juramento affirmet Bulgaros a se superiore anno in Moravos non concitatos. Arnulfo haec spernente, Pannoniam per 12 integros dies vastat; praelio ad Arrhabonem commisso, Megingozus et Poppo flumine merguntur; frater Bertoldi comitis aliique multi capiuntur, quidam truncati ut supra remittuntur. Haec praesenti anno, partim et sequenti gesta. A. 883.

4. In Thuringia bellum recruduit, Poppoque iterum ab Eginone victus cessit. Normanni resumta audacia Belgicam infestant et usque in Arduennam penetrant. Ibi prope Prumiam ab Henrico internecione delentur; ipse, gravi vulnere accepto, curatus mortem evasit. Alii Normanni per Rhenum ascendentes, a Luitberto Moguntino praesule victi, praeda exuuntur. Bertoldus Trevirorum archiepiscopus Idibus Febr. decessit: electione cleri et populi Ratbodus succedit 6. Id. April. Is mox 10. Kal. Maji Robertum Metensibus praesulem consecrat. Ita Hugo reditus ecclesiae Metensis percipere desiit. Itaque mox ad ingenium redit. Orbitas caesaris animos dabat. Ei ex proceribus Stephanus, Robertus, Wicbertus comites, aliusque Stephanus cum Alberico fratre manibus datis accedunt, nihiloque Normannis deteriores, omnia vastant. Sed mox Hugo homo efferus Wicbertum comitem, quem ab ineunte aetate faventem habuerat, interficit; deinde Bernarium nobilem virum, amicum fidelissimum, dolo obtruncari curat, ut uxore ejus Friderada, formae praestantis foemina, potiatur, quam et sibi conjugem sumit. Hoc anno et Giselam ejus sororem Godefrido Normanno datam, continuator Fuldensium memoriae prodidit. Inde ambo majores in rem publicam animos sumsere.

5. Carolomannus Galliae rex 8. Kal. Mart. feria 6, anno regni in Francia primo (nam prius in Burgundia jam Aquitaniaque regnaverat), in Broilo Compendii palatii quaedam capitula constituit, ex quibus extant statuta in rapinae reos. Mox et Adalgario Augustodunensi episcopo (jam reconciliato) bona ecclesiae suae confirmavit. *Signum gloriosissimi regis Karlomanni. Norbertus notarius subscripsit. Dat. pridie Non. Martii, anno 5. regni, ind. 1. Actum apud Trupchiacum villam i. D. f. A. Theodericus et Anscharius comites ambasciaverunt.* Normanni more suo vergente anno iterum in Galliam irrumpunt. Mense Octobri Somam ingressi fluvium, mox Terracia sylva superata, Iseram transeunt; quos rex insecutus, ad Anablas deprehendit. Commisso praelio Normanni vincuntur, mille et amplius caesis. Sed illi mox viribus aucti, iterum a Somona venientes Viromanduos vastant; S. Quintini fanum et S. Mariae Atrebatensis incendunt. Rex iterato congressu repulsus, sese trans Isaram recepit. Barbari in Ambianis hyemarunt.

A. 883. 6. Johanne pontifice extincto, successoribus brevis vitae nihil magni molientibus, res Italiae in pejus lapsae sunt. Et nunc demum, arbitror, Saracenos a Docibili Cajetae hypato, percusso foedere, Garilianum arcem ad Lirim amnem obtinuisse. Docibilis illis, hortante pontifice, bellum inferens, infeliciter pugnarat; multosque suorum captos, tradito demum Gariliano, recepit. Si fecisset vivo et vivente Johanne, cujus tot habemus epistolas nec Docibilem silentes et vicina satis explicate repraesentantes, nullus in eum tragicarum exclamationum, nullus minarum aut denique anathematum finis vel modus fuisset. Exinde Saraceni per quadraginta ferme annos infestam regionem habuisse Leoni Ostiensi scribuntur: receptam autem constat a. D. 916. Numerum rotundum pro vero expressum a Leone, puto; nolim tamen rem differre diutius: et ne prius factum dicam, iter nuperum Johannis ad Neapolitanos silentiumque tantae rei in viro, etiam minora exaggerante, persuadent. Erchempertus etiam non ante meminit Gariliani a Saracenis insessi. Hoc certe anno incensum ab his insigne monasterium S. Vincentii ad Vulturnum, nongentosque incolas trucidatos, Johannes loci monachus ad papam Pascalem II. apud Baronium scripsit.

ANNO CHRISTI 884.

Conventus generalis in Alsatia habitus. Praelia cum Normannis in Germania. — Placitum Wormatiae. Bavarici motus compositi. Zuentibaldus et Wratislaus se submittunt imperatori. — Marinus papa obit. Succedit Hadrianus III. Monasterium Casinense a Saracenis combustum. — Carolomanni regis Galliae capitula hujus anni. — Normanni Galliam vastantes pecunia data placantur. — Carolomannus Galliae rex decedit. Normanni iterum Galliam invadunt. Regnum hoc Carolo imperatori commendatur. — Normanni in Frisia caesi. — Victoria Graecorum de Saracenis in Calabria. — De charta Adalberti senioris Tusciae marchionis, unde Estenses processere. — Charta integra refertur.

A. 884. 1. Imperator ex Longobardia in Allemanniam venit, et cum adhuc in Murgola, regia Longobardiae curte, 3. Idus Januar. ind. 3. anno imperii quarto, a. D. 844 Josepho Astensi episcopo diplomata combusta novasset: mox circa purificationis festum Columbariae Alsatiae oppido conventum generalem egit. Ibi decretum est, ut Franci et Saxones in Normannos expeditionem susciperent; Bavarorum manus in Italiam mitteretur, quae sese Longobardis contra Widonem conjungeret. Hugo Lotharii filius in potestate se fore simulavit. Jam ante hunc conventum Henricus (continuator Lambecianus Henricum comitem vocat) et Arno episcopus (scilicet Wurzeburgensis) adducta Francorum orientalium manu, cum Normannis Saxoniam invadentibus pugnaverunt. Multi utrimque cecidere; victoria tamen penes nostros stetit. Corpora caesorum hostium, insigni specie et proceritate insolitum nostris spectaculum praebuere, ut remotiores quidam barbari interfuisse viderentur. Post Columbariense placitum Henricus, rursus copias ducens in alios Normannos Rhenum infestantes, semel atque iterum feliciter pugnavit: jamque munitionem eorum obsidere nostri parabant, cum illi timore perculsi, fugam noctu iniere. Henricus tamen Rheno transmisso secutus, nonnullos deprehensos occidit.

2. Medio Majo Wormatiae alio placito novae vires in Normannos destinantur. Eo cum Gisela Gedefridi uxor venisset, ab imperatore aliquamdiu retenta est. Ibidem 3. Id. Junii ind. 2, anno regni 8, imperii 4 Gerardo abbati Laurishamensi pro anima patris et fratris, in ecclesia S. Nazarii tumulatorum, in villa Alesheim curtem dat indominicatam, ad usus monachorum et ecclesiae luminaria. *Segoinus notarius ad vicem Luitwardi archicapellani.* Donatio apud Miraeum in notitia ecclesiarum Belgii extat. Imperator deinde ad Bavariam pacandam tetendit. Ibi conventus in Pannonico limite habitus est ad Tullinam amnem sub Comageno monte, ad quem Zuentibaldus veniens, sacramenta fidei augusto dedit, acta excusans, tanquam et suos et imperatoris hostes ultus esset. Sed vi ac praedis abstineri jussus est, paxque utrique parti imperata. Ibi et Wratislaus, dux interamnensium Slavorum, quos Savus Dravusque claudebant, per manus imperatoris homo efficitur, qua loquendi forma homagium praestitum significatur. Nam manus manibus domini jurans inserebat. Is est, qui deinde Arnulfo contra Zuentibaldum affuit. Carolus per Carantanos in Italiam reversus, Papiae natalem Domini celebravit. A. 884.

3. Obierat Marinus Romanorum pontifex post unius anni et aliquot mensium sedem. Ita Hermannus Contractus et alii. Sigonius tamen et *Baronius*, certiora, opinor, nacti, 15. Kal. Febr. obiisse scripsere, quos secutus est Labbeus. Addit Baronius, cum sedes biduo vacasset, electum Hadrianum III, cui prius Agapeto nomen fuisse, nescio, unde Sigonius hauserit. Hunc Papebrochius ait prima die Martii ordinatum; re credo huc usque dilata, quod imperatoris approbatio expectata esset. Sed haec discutere non vacat. Saraceni interea ex Gariliani munimento in vicinos grassabantur. Et tunc ab iis, vel certe anno praecedente, nobile monasterium Casinense combustum est, Berthario abbate occiso. Monachi, convasatis quae poterant, Theanum confugere.

4. Nec res in Gallia meliore loco erant, non Normannis tantum, sed et aliis hominibus improbis cuncta miscentibus. Carolomannus Vernis palatio regio placitum habuit, cujus capitula fere contra raptores diriguntur. Missi dominici, comites, vicecomites, centenarii caeterique ministri rei publicae et omnes Franci homines ad malum coercendum conniti jubentur. Placuit etiam, ut episcopus alterius episcopi dioecesanum ob vim rapinamque excommunicare possit. Si vasallus dominicus praedas egerit, comes, in cujus potestate est, eum ad emendationem vocabit.

5. Normannis interea agrum circa Somonam impune vastantibus, missus est ad eos Danus quidam, Heorici nepos, ad fidem Christi conversus, ut de pace tractaretur. Primum induciae factae sunt: pactum tandem initum est, ut duodenis librarum argenti millibus acceptis, regno abirent. Pecunia inde a paschate colligi coepit, et passim ecclesiae ornamentis thesaurisque spoliabantur. Mense demum Octobri finiente confecta est summa. Rex ipse collecto exercitu affuit, ut, si fidem fallerent hostes, fortuna tentaretur. Sed Normanni, pecunia accepta, incensis castris, transmisso Isera, se Bononiam recepere. Inde pars mare transit, pars in Lotharianum regnum transgressa, Lovanium munit.

A. 884. 6. At Carolomannus venatum profectus, in Basua sylva infelici casu interiit. Quidam ab apro ictum ajunt: sed constantior fama est, telum a Bertoldo quodam in feram missum, repercussu arboris regem in tibia tetigisse; qui dissimulare autorem voluerit, ne homo innoxius circumstantium indignatione periret. Trigesimo Novembris vulneratus, sexto Decembris, decimo octavo aetatis anno, decessit. Mirum est, Baronium aliosque ab Aimoini continuatore deceptos, filium ei et successorem Ludovicum tribuisse, raptorem sanctimonialis, caetera nihil agentem: quae ad Ludovicum Balbum ejus patrem pertinere, Falcetus * recte notavit. Ipse enim juvenis filium, quod constet, non habuit. Aimoini continuator, ex quo annales Bertinianos, quos sequeretur, habere desiit, inepta non pauca protrusit. Normanni, audita morte regis, quasi sacramentis soluti, regnum iterum infestare coepere, irriso Hugone abbate et proceribus, qui pacti admonebant. Itaque etsi Carolus infans, frater defuncti regis, superesset (qui postea Simplicis nomen tulit), placuit tamen imperatori commendare regnum, qui unus tuendo par videbatur, et continere primores in officio posset. Puer Hugonis abbatis institutioni creditur.

7. Alii Normanni ad Chinheimium Godefridi beneficium in Frisia occidentali, id est, ut nunc loquimur, in Hollandia situm, a Denemarca venientes (utor verbis veterum) recepti a populari suo, Rheno adverso Duisburgum usque ascendunt, locoque pro more munito, per hyemem praedatum exire parant. Sed ab Henrico, castris ab adverso positis, intercluduntur. Suspicatus aliquando sum, Chinheim non differre a fisco regio Thinno, ubi a Ludovico Germanico juniore Normanni a. D. 880. caesi sunt. Sed situs non consentit. Tertia barbarorum manus in orientali Frisia applicans, plerisque occisis, ad naves compellitur. Continuator Fuldensium Norditi locum vocat, et epistolam Remberti Bremensium archiepiscopi ad Luitbertum Moguntinum de victoria citat. Eandem historiam Adamus Bremensis attigit; pagum Frisiae Nordwide appellat (qui Norderlandia hodie), et Bevonis abbatis Corbejensium, sui temporis acta scribentis, verba affert. Unde intelligimus, in recessu interiore ad litus oceani rem actam; ibi christianos, Remberti hortatu animatos, dena hostium millia trecentosque ac septuaginta quinque prostrasse; multos praeterea in fuga mersos. Colliculum, in quo vir sanctus, dum pugnatur, oravit, perpetua cespitis viriditate notari, additur. Norda nota est inter Amisium et Visurgim, dioecesis olim Bremensis.

8. In hunc ego annum insignem Graecorum victoriam de Saracenis refero, cujus Erchempertus et Constantinus augustus et Cedrenus, sed anno non designato, meminere. Saracenis Italiae incubantibus ex Africa novus dux regiae stirpis supplementa adduxerat. Itaque cum illis jam vires suae placerent, accensis omnium animis contracto exercitu, spe debellandi contra Graecos in Calabriam movent. At Basilius augustus Nicephorum Phocam patricium in Italiam miserat, virum acrem, victoria navali a Saracenis parta clarum, Nicephori, qui postea imperavit, avum. Magnis utrinque animis concursum est; sed Graecorum res superior fuit. Saraceni pene omnes cecidere; quos inter magna praesidiariorum pars

*) Fauchet *Leibn. in marg.*

periit, qui se ab Acropoli et Gariliano caeteris junxerant. Graeci deinde Amanteum castrum Tropasque et Sanseverinum oppidum cepere. Haec facta manifestum est, cum jam Garilianum Saraceni tenerent; quod non ante praecedentem annum contigit. A. 884.

9. Hujues anni est memorabilis in res nostras charta Adalberti senioris Tusciae marchionis, quam a Manfredo ex marchionibus Malaspinis, Barnabae filio ex linea de Terra Rubea, nactus est Cosmus Arena, et operi de antiquis Tusciae principibus inseruit et Cl. Muratorius, nova a d. Josepho ex marchionibus Malaspinis de S. Margareta impetrata communicatione supplevit. Per eam manifestum fit discrimen inter Adalbertum patrem Rotildis maritum, quae soror Widonis regis fuit, et Adalbertum filium, quem Wido nepotem vocat, maritum Bertae, Lothario rege natae, quem Divitem ex Luitprando appellant. Sed quod caput est, hinc cognoscimus quaedam bona patrimonialia Adalbertorum Tusciae principum, quae postea ad indubitatos Estensium majores pervenere, magno argumento, hos ab illis ortos; ipsosque Adalbertos marchiones Lucae sedentes, etsi cum posteris computatos Longobardis, ultima origine Bajoarios fuisse. Nam cur quinque testes nationis Bajoariae in Tuscia vel Liguria conquisisset Adalbertus marchio, nullo Longobardo vel Romano adhibito, nisi ipse Bajoaria lege ex jure nationis vixisset, paterque ejus indubius Bonifacius idem esset (quod quidem in dubium sine causa vocavere) cum illo Bonifacio comite utique Bajoario apud ipsam Lucam memorato in charta Richildis abbatissae Ludovici Pii temporibus, ab eodem Arena adducta et a nobis ad a. D. 823. repraesentata. Et notatu dignum est, testes (ut memores essent scilicet) per aures hic tractos; nempe Bavarico more, ut diserte legitur in instrumento fundationis monasterii Banziensis a. D. 1070. ab Alberada Hermanni Vohburgii vidua dato, quod Hoennius vir doctus in rebus Coburgensibus refert, notatque in illa vicinia hunc morem superasse, ut, cum lapides terminales ponuntur, spectatoribus praesertim junioribus auricula vellatur. Sed et in Arnoldo ex Vohburgensibus comitibus monacho in mirandis S. Emmerani legitur, neptem autoris ad altare accessisse, et praedia ecclesiae ademta reddidisse,* *manibus* (per aures scilicet) *attractis more Bajoarico testibus.* Sed ecce chartae tenorem:

10. *In Dei omnipotentis nomine. Regnante domno nostro Carolo, divina favente clementia imperatore augusto, anno imperii ejus quarto, sexto Kalendas Junii, indictione secunda. Manifestus sum ego Adalbertus, in Dei nomine comes et marchio, filius b. m. Bonifacii olim comitis, quia inspirante me Dei omnipotentis misericordia, et pro salute animae meae, seu et pro jam fati Bonifacii genitore meo, sive salute animae b. m. Bertae genitricis meae, sive salute animae Rotildis dilectae conjugis meae, seu et pro anima Anonsuare* (Anonsuerae) *olim conjugis meae, atque pro salute animabus filiorum meorum, a fundamentis construere et elevari feci, in proprio territorio meo, fundamentum et fabricam illam, in loco, ubi dicitur Confienti positos inter flumes Macrae et Aulae, infra ipso castello, quem ego Deo auxiliante construere feci, nec non fundamentum et fabri-*

*) reddisse *codex.*

A. 884. *cam, quae ibi provideri factum esse volo, ut conservata* (consecrata) *ecclesia esse debeat in honore Dei et beatae genetricis Mariae semper virginis et aliorum sanctorum pignoras* (pignora), *quae ibi re condita fuerint, ubi et de rebus meis ibi offerre provideor. In primis ipsum fundamentum cum terra et ecclesia, et aedificia posita esse videntur una cum terra vacua et plena inter flumina duos de parte orientis, et meridiem et occidentem et de aliis partibus, ubi abbas et monaci simul deserviant, suas officinas habeant cum curtis et hortis. Jus similiter et offerre in ipsa ecclesia casam et curtem meam illam domnicatam in loco, ubi dicitur a Bartiulo, et ecclesia mea illa sita prope illam ipsam curtem una cum casis et rebus domnicatis, et massaritiis in loco, ubi dicitur Polentiana. Jus similiter et portionem meam de terris et silvis, quam habeo in loco, ubi dicitur Gajo, trans flumen Macrae et Baruscajo, omnis et silva mea Ampacina domnicata, quae ad nullum pertinet nisi mihi. Similiter do et offero Campo Massari super stratam cum decima et labore de terris meis illis, quas habere visus sum inter fluvios Taucione et Civilia jus, excepta silva mea, quae dicitur Mormana, quas ibidem offerre provideor, sed in mea reservo potestate faciendi exinde, quod voluero. Quidem et ibi offerre provideor casis et rebus meis illis in loco, ubi dicitur Abbia finibus Lunianense cum omnia adjacentia et pertinentia sua, quantum ego in ipsa villa Abbia habere visus sum jus. Hec non offerre provideor casis et rebus meis illis, quas habeo in loco Comano, excepta exinde silva mea in loco, ubi dicitur a Puntiolo. Seu et offero ibidem casis et rebus meis in loco et finibus Lunensis, quae mihi advenerunt de parte Iconii parente meo; et casis rebus ipsis in finibus Lunensis cum pasculis et silvis ad eam pertinentibus, item pro anima mea, et ipsius Iconti parente meo in ipso sancto loco offerre provideor. Similiter et offerre provideor in jam fata ecclesia vero servo meo nomine Johanne cum muliere sua, nec non ipsi servus et ancilla deserviant in ipsa ecclesia, et ad abbatem et monachos, qui in ipsa ecclesia pro tempore ordinati fuerint. Similiter et offerre provideor casas et res illas, quas habeo in loco, ubi dicitur Vallesio, qui regitur per Stephano massario, atque casa et res illa in eodem loco Vallesio, qui regitur per Johanne massario, atque casa et res illas in eodem loco una cum rebus et pecunia illa, quas ipse Stephanus et Johannes exinde ad manus suas habere et detinere videtur, una cum censu et redditum illud, quos ipsi Stephanus et Johannes massarii exinde reddere et persolvere debent, et consuetudo fuerit reddendi. Item similiter casa et res illa in eodem loco, qui regitur per Temprando et Veriere, casa et res illa seu pecunia, quantas exinde ipse Temprando et Veriere ad manus suas habere videtur . . . , atque cum res mea illa in eodem loco Vallesio, quas Johannes ad manus suas habere videtur, res ipsas equidem et casa et res illa in eodem loco, qui regitur per Clavisino cum omnia res, quantas exinde ipse Clavisinus ad manus suas habere videtur. His omnibus praescriptis casis et curtis seu rebus nominatis atque casis et rebus massaritiis cum fundamentis et universis fabricis suis cum curtis, hortis, terris, vineis, olivetis, silvis, virgaretis, pratis, pasculis, cultis vel incultis, movile seu semovile,*

seu qui se moventibus sint servi et ancillis, omnia et in omnibus, qualiter superius legitur, quas ibi offeri Deo et ipsius ecclesiae, et in honorem Dei et beatae Mariae semper virgini, aedificare cupio, offerre provideor. Et quidem vero et statuere provideor, ut censum, quod ipsi . . . . . reddere debent, cum illis pensi, quale hominibus de casis de ipso castello mihi reddere debent, ut in ipsa ecclesia sanctae Mariae et ad abbatem illum, qui pro tempore ibidem ordinatus fuerit, ipsum censum singulis annis reddere debent. Itemque volo, atque et illi duo, ut omnes decimas et nostras fruges de curia mea illis in finibus Lunianense et Garfaniense quantum in jam dictis locis Lunianense et Garfaniense jure patronatus nomine habeo, ut singulis annis sint in ipsa ecclesia pro remedio animae nostrae data et offerta, et ipsam decimam abbas habeat cum monacis in ipsa ecclesia, cum monaci ordinati fuerint. Nonae vero partes in ipso fruges esse debeant ad ipsum hospitale intra ipso castello pro animae nostrae remedio ad pauperes distribuendae, excepta exinde illa decima, quas ipsi manentes in plebibus consueti sunt dare, sic eas dent in ipsis plebibus juxta ipsorum consuetudinem. Me autem vero omnibus nutriminibus meis majoris vel minoris dominicalis, quantas in finibus Romae de finibus Clusiae habuimus, et decimas et nonas in ipsa ecclesia sanctae Mariae in ipso castello venient, decimas ab ipso abbate et monacis, qui in ipsa ecclesia deserviant. Nonae vero exinde ad hospitale nostrum illic de ipso castello venient, pro animae nostrae remedio pauperes reficiens, excepto de illis nutriminibus majoris vel minoris, quanti ubique in quolibet locis nos cum aliis hominibus in societate habemus vel habuimus, unde minime ad ipsa ecclesia de ipso castello veniant. Nonae vero de illis curtis nostris dominicatis, ubi ecclesiae nostrae constructae sint, omnibus exinde ibi sint datae decimae. Omnes vero de meis illis de curtis nonae et . . . . . et de valle plana sint datae in ecclesia mea illa, quae posita est in illo castello Aulla. Nam nonae vero fruges de ipsis casis et curtis dominicatis, sive nutriminibus semper singulis quibuscumque annis ad ipso hospitali de suprascripto castello esse debeant datae et persolutas, animabus nostris remedio ad pauperes reficiendos. Hec omnia, qualiter superius legitur, habeant praedictae ecclesiae sanctae Mariae offerre provideor pro animae nostrae remedio in eo ordine, ut omnibus suprascriptis casis et rebus seu movilibus vel immovilibus, quas ibi offerta sint, in potestate praedictae ecclesiae sanctae Mariae vel suisque rectoribus, habendi, providendi, impor . . . laborare faciendi, et usufructuare fata superius ecclesia sanctae Mariae, seu casis et rebus, quas ibi offeri, cum ipsa ecclesia elevata fuerit, sicut ego cupio, hoc constituo, jubeo ego auxiliante Domino in hoc seculo adjuvare meruero, in mea sint potestate, suprascripta videlicet ecclesia seu casis et rebus atque movilibus vel immovilibus, quas ibi offerent sacerdotes in eadem ecclesia ordinati et confirmati, quod ibidem officium Dei et luminaria seu missarum solemnia die noctuque peragere debeant, qui pro nostris peccatis Domino deprecentur misericordiae. Et post vero meum obitum et de illis presbiteris, quos ego in ipsa ecclesia auxiliante Domino ordinavimus, cum casis et rebus movilibus et immovilibus, quas ibi offeri, A. 884.

A. 884. *in potestate de heredibus et proheredibus meis in ipsa ecclesia ordinatae, quae ibi officium Dei et luminaria et missarum solemnia die noctuque peragere debeant, quod pro nostris peccatis Domino deprecentur misericordiae. Et si forsitan inter ipsos heredes aut proheredes meos orta fuerit contentio de abbate ordinando, unanimiter ordinare voluerint juxta ista mea statuta, tunc ipsi heredes et proheredes mei, qui juxta ipsam meam voluntatem et constitutionem, et ordinare voluerint, adhibeat suum ille, qui hoc facere et adimplere voluerint sacerdotes, sive laicos homines exinde vicinos homines Deum timentes, quales ipsi heredes aut proheredes mei, qui juxta ista mea statuta adimplere voluerint una cum d.d. bonis et creditis homines, qui ibi aggregati fuerint, sacerdotes bonam famam et opinionem habentes elegerint ipsum presbiterum, potestatem habentes heredes, quo proheredes meos in ipsa ecclesia ordinari et confirmari juxta istam dotem et meam institutionem. Et illi heredes et proheredes mei, qui exinde subtrahere voluerit, et in hanc ordinationem minime contentare voluerit ad ipsum abbatem ordinandum, quem ipsi vicini sacerdotes et laici exegerint cum ipso herede aut heredibus meis, qui haec mea statuta adimpleverint, ordinatus fuerit, nulla de ipsa ecclesia, neque de casis et rebus seu movilibus vel immovilibus, quas ibi offeri, nullius heredis aut proheredis sint potestate de abbate ordinando, qui et juxta ista mea statuta, de presbitero ordinando, et nullus quilibet de herede vel proheredibus meis in aliquo de supradictis rebus et casis movilibus aut immovilibus, quas in supradicta ecclesia offeri, contendere, nec minuere, neque dividere, neque per ullum argumenti ingenium subtrahere, nisi tantummodo de adversis hominibus defensandi, sicut melius postulaverint, et semper ipsa ecclesia de presbiteris ordinata sit, et non remaneat inordinata in eo modo, sicut superius legitur. Et hoc volo, atque per hanc dotis titulo instituere videor, ut si forsitan quilibet de heredibus aut proheredibus meis per haec mea statuta se subtrahere voluerit, et bonis monacis ipsam ecclesiam ordinare noluerit, qui omnia adimplere debeant, sicut superius legitur, tunc non habeant potestatem ipsi heredes aut proheredes mei, qui se exinde subtraxerint, nullum de supradicta ecclesia seu casis et rebus movilibus vel immovilibus, quas ibi offeri, intentionandi, nec subtrahendi, nec alio modo ordinandi, et sint exinde inanes et vacuae, nisi nullius de heredibus aut proheredibus meis sint potestate, qui talia adimpleverint, sicut superius a me institutum est, et presbiteros sic ibi ordinaverit juxta istam dotem; et insuper qui se exinde subtraxerit et ista non adimpleverit, Deum exinde traderit retributorem, et habeat exinde rationem cum Juda, qui tradidit Salvatorem, et insuper anathema sit. Et si ego Adalbertus comes vel heredes aut proheredes mei contra hanc dotis offertionis meae bonorum remanserimus, aut eam infringere vel dirumpere quaesierimus quolibet ingenio per nos aut submissam personam hominum, cui nos dedissemus aut dederimus, et sic nos promiserimus permanere, sicut supra disposui, tunc componere debeamus ad partem praefatae ecclesiae vel suisque rectoribus poenam auri librarum decem, argenti ponderis quinquaginta, et nec sic valeat dirumpi, sed praesens causa omni tempore in*

suprascripto ordine firmam et stabilem permaneat semper cum stipulatione subnixa. Unde ego qui supra Adalbertus comes bergamena cum atramentario et penna de manibus meis de terra levavi, et ad scribendum tradidi Petro notario, et duo datis eorum uno tenore scribere rogavi, una ad partem ipsius ecclesiae habendam, et illam aliam mihi et heredibus seu proheredibus meis habendam, et ostensam et testibus obtuli roborandam. Actum Lucae feliciter. Signo manus Adalberti comitis et marchionis, qui haec donationis cartam fieri rogavit. Signo manus Adalberti comitis filii suprascripti Adalberti comitis et marchionis testis. Signo manus Bonifacii filii ipsius Adalberti testis. Signo manus Barenti ex genere Bavario per aurem tracto testis. Signo ex manu Gumensi ex genere Bavarico per aurem tracto testis. Signo manus Galsinchesii item ex genere Bavarico per aurem tracto testis. Signo manus Infisa etiam de genere Bavario per aurem tracto testis. Ego Limprado per aurem tracto testis. Signo manus Poeractis et Arinchi germanis ex genere Francorum testis. Ego Arnaldus notarius rogatus ab Adalberto comite me testis. Ego Adalbertus notarius rogatus ab Adalberto comite me testis. Ego Petrus notarius post tradita complevi et dedi. A. 884.

ANNO CHRISTI 885.

Carolus imperator Widonem recipit, et in Saracenos ducem mittit. Fit rex Galliae. — Godefridus Danus Rheni oram ad Confluentes usque desiderat. — Godefridus occiditur. — Hugo Lotharii et Waldradae filius captus, excoecatur, et in monasterium S. Galli mittitur. — Caroli imperatoris diplomata Wibelingae et Francofurti data. — Carolus imperator regnum ordinare constituit. Papam Hadrianum in Germaniam evocat. Sed is in itinere obit. — Decreta Hadriani papae a Sigonio conficta. — Hadriano Stephanus subrogatur. — Misera ecclesiae Romanae conditio inventa. — Neapolitana, Salernitana et Capuana. — Widonis ducis Spoletini expeditio in Saracenos. — Normanni in Hasbania et Saxonia caeduntur. — Normanni in Galliam irruentes usque ad urbem Parisiorum veniunt. — Placitum Wormatiense, in quo auxilia Gallis promissa. Bavaricae res compositae. — Luitgardis vidua Ludovici II. Germanici regis obit. — Gerberga abbatissa Gandeshemensis obit. — Literae Stephani acres ad imperatorem Constantinopolitanum.

1. Imperator sub ipsa anni initia conventum regni Longobardici in epiphaniae festo egit. Eo Wido sibi metuens accessit, et se juramento purgans, in gratiam recipitur. Caeteri quoque optimates offensi se submittunt. Credibile est, magnitudinem principis, quotidie per agnatorum mortes crescentem, omnibus terrori fuisse. Tunc etiam expeditionem in Saracenos decretam arbitror, Widonemque ducem copiis datum: hoc enim anno, quantum intelligi potest, cum exercitu in Apuliam venit. At imperator, rebus Italiae utcunque compostis, vocantibus Gallis, primum per Rhaetiam Allemanniamque in Lotharii regnum descendit, et ad Gundulfi villam proceres ex Carolomanni regno sese commendantes suscepit. Deinde in ipsam Galliam Pontigonem usque progressus est (ut habet chronicon de gestis Normannorum). Ibi conventu habito, Galli caeteri sese ejus imperio subdiderunt. Locum placuisse arbitror, quod Burgundi etiam et Provinciales eo commode accedere possent, neque imperator nimis ab Italia Germaniaque abesset. Ita jam solus regnator suae stirpis, A. 885.

A. 885. totam Magni Caroli potentiam in se unitam vidit, quod ei spectrum praedixisse jactabatur. Sed lubricum supremae magnitudinis fastigium est: multi ubi ascendere desierant, ruere coepere. Idque vix quisquam magis hoc Carolo expertus est. Caeterum a Gundulfensi conventu regnum ejus in Gallia computatur, quando jam pridie Idus Junii ad Gundulfi villam Cabillonensibus electionem suorum episcoporum confirmavit. Praeceptum in conciliis Gallicis Sirmondus edidit. Ulteriores Gallos in Pontigonensi placito accessisse, credibile est. Frustra novissimus historiae Gallicae ad Capetinos usque deductae scriptor*, vir doctus et diligens, sed saepe ingenio indulgens in nectendis eventibus, Odonem comitem Parisiorum aliosque potentes in Gallia viros obsequium caesari negasse, credidit, nullo ex veteribus argumento, autoribus in alia omnia abeuntibus. Unde etiam in chronici Fontanellensis praefatione (citante Pagio) recte legitur, Carolum regem Suavorum, filium Ludovici regis Noricorum, monarchiam totius imperii Francorum et Romanorum assumsisse, anno Verbi incarnati 885, indict. 3.

2. Interea, Hugone Lotharii filio instigante, Godefridus Danus res novas moliebatur: Gerolfum et Gardolfum Frisiorum comites ad caesarem mittit, sibique Rheni oram ad usque Confluentes credi petit, praetextu sumto, quod regio concessa vini expers esset. Vicissim fines regni sibi commissos tueri pollicebatur. Sed insolens postulatio visa est, et vel nimium petentis e re publica, vel praetextum bello quaerentis. Principem praedonum praedones populares suos arcere, intutum erat; periculosius, illi aperire viscera regni. Et parum in Godefrido fidei esse, jam aliquot documentis constabat. Suspecta etiam Hugonis affinitas, curas imperatoris intendebat. Ergo consilia capiuntur, Luitwardo quam Carolo aut Henrico digniora, ut barbarus dolo peteretur; tanquam justa in perfidos perfidia esset, et qui fidem saepe fefellisset, extra juris commercia haberetur. Godefridus in locis pene inaccessis tutus agebat; unde arte eliciendus erat. Itaque legati humanissimo responso suspensi redeunt. Promittitur, affore Willibertum archiepiscopum et Henricum ducem, summos viros, cum ampla transigendi potestate.

3. Henricus fidos homines in Saxoniam mittit, qui milites non agmine facto, sed sparsim, constituto die locoque adducant. Ipse assumto archiepiscopo in Batavos proficiscitur. Adest Godefridus ad locum Herispich, unde Rheni fluenta et Vahalis uno se ex alveo resolvunt, Batuamque insulam suo recessu incingunt. Ibi colloquio instituto, multisque ultro citroque disceptatis, dies in occasum vergit. Legati insula excedunt, hospitia repetunt. Postridie Henricus praesulem monet, ut Gisalam ad se vocet, et ad pacem suadendam hortetur. Ipse interea cum Godefrido causam Eberhardi comitis tractat, qui possessiones sibi ademtas querebatur. In congressu Eberhardus (ex compacto) proclamare altius; Godefridus contumeliose respondere. Tum Eberhardus, quasi justo dolore, evaginato gladio Dani caput ferit. Accurrentes Henrici satellites jacentem confodiunt. Normanni per Batuam sparsi trucidantur.

*) Cordemojus *margini Leibnitius ascripsit.*

4. Eodem fere tempore Hugo ad Gaudulfi villam promissionibus attractus capitur, oculisque erutis, in monasterium S. Galli traditur. Quem deinde in patriam remissum, tempore Zuentibaldi regis, Regino ipse abbas Prumiae sua manu totendit, quo in loco tandem extinctus sepultusque est; potiturus facile toto paterno regno, si Carolo augusto incolumis supervixisset. Nam Arnulfo ipse, et quanto magis Zuentibaldo ejus filio bis degenere, nascendi jure potior erat, quando legitimo Waldradae conjugio multa argumenta favebant; et in ipsa Gallia ambiguum jus erat omnium Ludovici Balbi filiorum, aut Ansgardis aut Adelaidis matrimonio laborante. Sed feritas hominis Carolum ab eo alienarat: qui orbus fido et submittenti sese libentius fortasse, quam ipsi Arnulfo favisset. Certe Bosonis usurpatoris manifesti filium, sed ex augusti filia natum, biennio post pene in filium adoptavit. Continuator Hugonem primo in Fuldense monasterium detrusum, et eandem cum eo fortunam avunculum ejus subisse, scribit, Waldradae, opinor, fratrem, consanguineum comitum Allemannicorum, ex quibus inclytum Habesburgiorum genus descendit. A. 885.

5. Sigonius ait, extare Caroli diplomata Wibelingae data *8. Kal. Sept. anno imperii in Italia quinto, in Francia* (orientali scilicet) *quarto, in Gallia primo*. Quo posito, dicendum est, ex Lothariensibus in Germaniam redisse. Inde Francofurtum venit, ibique 6. Idus Sept. anno regni 8, imperii 5, rogante per missum hominem Luthardo episcopo, ecclesiae Padebornensi jus liberae electionis stabilivit. Diploma a Ferdinando episcopo erutum Schatenius publicavit.

6. At imperator jam totius Francorum imperii potens, ac sese liberis destitutum videns, valetudini etiam vacillanti parum fisus; non malo consilio cuncta in futurum ordinare constituit, et re Francofurti cum suis deliberata, ut major esset destinatorum autoritas, Hadrianum papam in Franciam evocat ad generale placitum Wormatiae habendum. Credo, et coronam regnorum recens quaesitorum ab eo sibi imponi volebat. Continuator iniquus principi, episcopos quosdam injuria deponere molitum; Bernardum etiam ex concubina filium in regnum attollere cogitasse insimulat. Bonis malisve consiliis aeque successus defuit. Papa veniens, transmisso jam Pado, morbo oppressus, in Nonantulae monasterio sepulturam invenit. Baronius scribit, 7. Id. Maji defunctum; Papebrochius octavo Julii die, quo a Nonantulensibus S. Hadrianus colitur, quae conjectura non inepta est. Et ex serie gestorum malim differri et tardari, quam praecipi mortis diem. Hadrianum Nonantulenses per errorem Primum interpretantur, fabulosa narratione confecta, quae in Mabillonis Museo Italico legi potest.

7. Vix pauca de rebus Hadriani Tertii extant; veluti, quod Basilius imperator literas ad eum dedit, sed serius Romam allatas, quibus successor respondit. Sigonius vacuum historiae hoc loco ex ingenio supplevit, continuato de Tusculanorum comitum ambitione potentiaque commento. Horum factione vult expressum huic pontifici, ut duo gravissima decreta conderet; unum pro Romanorum libertate, uti pontifex designatus consecrari sine praesentia caesaris aut legatorum ejus posset, alterum pro

A. 885. dignitate Italiae, uti moriente Carolo III. augusto regnum Italicis principibus una cum titulo imperii traderetur. Sed tantae rei neque vela neque vestigium in veteribus reperitur: ut mirer Pagium, virum eruditae libertatis, fidem habere fingenti potuisse, qui frustra in arcanis a clero Romano habitum decretum suspicatus est. Nihil tale pro illorum temporum habitu, nisi in synodo, papa decernere poterat, id est palam. Quis vero credat, post tam audax inimicumque factum potuisse Hadrianum Carolo carum fidumque haberi: habitum autem, ipsa ad res magnas perficiendas evocatio, et promtitudo evocati probant, qui Romam ipsam discedens credidit legato augusti. Itaque multa cum cautione legendi sunt historici, qui more Sigonii (cujus exemplum nimis Cordemojus sequitur) cogitata perinde ac reperta promulgant.

8. Intellecta morte pontificis, clerus populusque Stephanum Romanum, virum nobilem, a Zacharia bibliothecario consanguineo eruditum, presbyterum cardinalem tituli sanctorum quatuor coronatorum, elegit, magno studio plebis, quod homo dives et liberalis multos pauperes, fame a locustarum clade grassante, sustentasset. Erat Romae Johannes Ticinensis episcopus, missus imperialis. Hunc probasse juvisseque electionem, ex libro pontificali intelligi potest. Itaque Johanne comitante, omnes scholae Romanae electum ad Lateranense palatium trahunt; omenque a pluvia accepere, quae eo ipso momento effusa, arescentem jam dudum terram rigavit. Unde rem aestate, aut certe multo ante hyemem actam intelligas; secutaque proximo dominico die consecratio est. Itaque nihil invito imperatoris legato actum est. Si tamen continuatori Fuldensium credimus, imperator gesta non probavit, et Luitwardum archicancellarium cum episcopis aliquot Romam misit, ut causam cognoscerent. Tandem tamen, intellecto omnium consensu, acta rata habuit. Ego vereor, ne continuatorem nostrum rumores deceperint. Nam archicancellarius sub exitum demum anni Romam missus est: at imperatorem tam diu distulisse tanti momenti causam, parum verisimile judico. Et ipsi Fuldenses annales, quales apud Freherum producuntur, principi aequiores, nullo dissidii vestigio, invitante apostolico, initio anni sequentis petisse Italiam Carolum simulque Luitwardum Romam misisse, produnt, quibus potior fides.

9. Antequam administrationem attingeret papa novus, cum legato augusti et episcopis supellectilem et thesauros Romanae ecclesiae inspici voluit. Sed pleraque expilata invenit. In vestiariis vix pauca aderant stragula, quibus mensae festis diebus operirentur. In sacrariis pleraque donaria et ecclesiae ornamenta desiderabantur: crux ipsa aurea defuit vetus Belisarii patricii donum. Horrea denique et cellaria vacua reperta sunt; neque aderat, unde redimerentur captivi, aut eleemosynae in egentes erogarentur. Itaque suis ipse et paternis opibus miseros pavit, et necessitatem publicam privatis facultatibus sublevavit.

10. Widonis ducis expeditio in Apuliam ab Erchemperto contemporaneo memoratur. Eam ad haec tempora refero. Ageltrudam, Adelgis Beneventanorum ducis filiam, in matrimonio habebat. Vicissim Guaimario Salerni domino filiam dederat, ut quidam scribunt: sed ego Lam-

berti fratris filiam, Widonis junioris sororem fuisse, anonymis Salernitano et Beneventano apud Camillum Peregrinum potius credo. Adelgiso propinquorum machinatione occiso, successerat Gaideris natus Radelgario, Adelgisi fratre majore et praedecessore. Sed Widonis arte capitur Gaideris et Francis traditur, substituto Ajone filio Adelgisi. Gaideris elapsus, ad Graecos confugit, et Constantinopolin missus, cum honore rediit, Doria accepta, unde populares infestaret. Salerni Guaimarius Guaiferii filius inde a biennio regnabat, primum Romani, mox Constantinopolitani imperii majestatem comiter agnoscens, cum prementibus Saracenis, Latinorum auxilio destitueretur. Nam in tabulis, paulo post primo anno Leonis augusti confectis, professus est, sese Leonis et Alexandri augustorum permissu Salerni principatum tenere, qualis olim divisus erat a Beneventano inter Siconulfum et Radelgisum. Uxor ei Jota vel Juta ejusdem Widonis filia ascribitur. Neapolin adhuc Athanasius episcopus ducis potestate moderabatur; Graecos nomine colens, sed nulli se urbemque credens, fluctuansque inter Saracenos et Romanos. Capuae comitem gastaldumve Pandonulfus, Pandonis olim gastaldi filius, hactenus egerat; sed nuper Athanasii fraude capto Landenulfi filius Lando consobrinus successerat. A. 885.

11. *Hoc* rerum habitu Wido dux Spoleti, filius Widonis, Lamberti frater et successor, Carolo augusto jam reconciliatus, missu ejus cum exercitu Francorum et Longobardorum in Apuliam venit, ut Saracenos persequeretur, Graecis obicem poneret, indigenas principes in fide retineret, apud quos, affinitatibus alligatos, plurimum posse videbatur. Wido Garilianum veniens, Saracenos resistere ausos acie vicit, castris exuit, in montana dispersit. Inde non Liri tantum, sed et Vulturno transmisso, relictis a tergo Capuanis, qui urbem clauserant, in Samnium usque persecutus est hostes. Redeuntem rebus prospere gestis, Capuani territi tandem in urbem recepere.

12. Interea bellum contra Normannos in Germaniae regno non male administratum est. Illi, vergente ad exitum superiore anno, ex Lovanio Hasbaniam invaserant (quae nunc Leodiensis est juris), locoque ad munimentum delecto, praedis ex vicino actis, frumentum convehebant; incolis ut servis utebantur: cum Luitbertus archiepiscopus (nupero successu ex praesule in ducem versus) et Henricus comes inopinantibus supervenere. Plurimi caesi sunt, receptae fruges; ipsi in munitiuncula obsessi, vix fuga evasere. Postea alii Normanni, a Godefrido invitati, cum nondum ejus fata didicissent, in Saxoniam impressionem fecere. Consequens est, ut, medio aliquo inter Albim ac Visurgim loco exscensionem fecisse, credamus. His pauci Saxones obvii, ubi multitudo hostium opinione major apparuit, terga vertere. Normanni studio persequendi abrepti, longius a navibus recedunt; cum forte advecti in naviculis Frisii, naves vacuas invadunt, hostesque a tergo aggrediuntur. Illi casu improviso turbantur; Saxones quoque animos resumunt: barbari ancipiti malo circumventi delentur. Frisii praedonum spoliis mirifice ditantur. Hos Deisterbantios continuator appellat. Alios ab illis puto, quos Gelris attribuimus. Deistera sylvae densae atque obscurae appellatio est.

A. 885. 13. Sed hostes in Germania repulsi, vim omnem in Galliam converterunt, unde plus praedae periculo minore sperabant. Galli in nonnullis fluminibus munimenta struxerant, per quae illis navigatione interdiceretur. Tale Parisiis ad Sequanam, tale ad pontem Isarae surrexerat. Normanni, qui hactenus Lovanium aliaque loca tenuerant, Novembri mense Iseram vel, ut scriptores loquuntur, Isam ingressi, secundo flumine ad pontem veniunt, castrum obsident: quod mox Aledrannus praesidii praefectus, vitam sibi suisque pactus, dedere cogitur, Bellovacumque discedit. Normanni in Sequanam descendunt. Asser Menevensis, qui sub Aelfredo rege vixit, alios Normannos a mari Sequanam ingressos, scribit. Conjunctis viribus tanta hostium multitudo apparuit, ut Sequana per duas leucas lintribus tegeretur. Crederes, sylvas ex montibus in flumina descendisse. Septingentae erant naves majores, naviculae innumerabiles. Quadraginta millia hostium computat Abbo, S. Germani monachus, qui obsidionem Parisiorum versu spectator descripsit. Is postea monasterium decani titulo rexit, cum Robertus nondum rex abbatiam teneret, quemadmodum Jacobus Breulius, carminis ab Abbone compositi editor, ad Aimoini continuatorem notavit. Sigefridus, Sinericus, aliique Danorum reguli aderant. Sigefridus Gauzelinum, Parisinae urbis episcopum, data fide adit, transitum sibi per flumen petit, qui structis turribus negabatur. Spondet, neminem urbi ac civibus nociturum; episcopi quoque Odonisque comitis et caeterorum praefectorum res intactas fore. Gauzelinus, sibi Odonique a maximo regum Carolo basileo, orbis post Dominum dominatore, loci tutelam commissam, respondet; quaeritque a Sigefrido, quid facturus ipse esset, si suo loco ageret. Ille minas spirans, discessit. Ita oppugnatio secuta est. Sed licet Novembri mense hujus anni coepta sit, narrationem in annum sequentem differemus.

14. Interea imperator Francofurto Moguntiacum, inde Wormatiam venit; ubi episcopi et comites Galliarum placito affuere, et de Normannis reprimendis deliberatum est, qui acrius insurgebant. Decreta statim Francorum orientalium Saxonumque auxilia sunt, et Henricus, Normannorum terror, dux promissus. Augustus in Bajoariam movit, et Ratisbonae natalem Domini egit. Tunc etiam Arnulfus et Zuentibaldus a caesare reconciliati, in conventu principum quietem publicam sacramentis affirmavere.

15. Hoc anno Luitgardis regina, uxor Ludovici Germanici secundi, filia Ludolfi Saxoniae ducis, obiit 1. Kal. Decembr., et in Aschafaburgo conditur, dotali, ut apparet, loco: in quo celebratas olim nuptias ejus, ex Gobelino dictum est. Haec unus annalista Saxo notavit, cui in anno necrologium Fuldense consentit. Aventinus per errorem Guelfam fecit; Sammarthani Hildegardem vocant. Buscelius Gallus, vir rerum genealogicarum peritissimus, memoriae lapsu, ut arbitror, in tabula Carolinae stirpis Bilmari filiam, Benonis (pro Brunone) sororem scripsit. Ei praeter Ludovicum filium, cujus infelicem casum a. D. 880. tetigimus, Hildegardem filiam tribuunt, quam a. D. 894 Arnulfus velari jussit.

16. Roswita igitur poetria recte notavit, Lutgardem paucis post maritum annis obiisse. Eadem ecclesiae Gandeshemensi plurimis a regina

beneficiis affectae novum mox dolorem natum ait, ex morte Gerbergae abbatissae, quae duobus et viginti annis coenobio praefuerat. Cui soror Christina successit. Diem obitus habet Trithemius vigesimum quartum Julii, qui inter sanctas Benedictini, id est sui ordinis, refert. Secuti sunt Bruschius, Menardus et in praetermissis hujus seculi sanctis ipse Mabillio. Bruschius, Bucelinus, Rupius, rerum Gandeshemensium scriptor ineditus (cujus excerpta vidimus), nonnihil anticipant annum, Leuckfeldius usque in a. D. 896. differt. Roswitae testimonio standum est. A. 885.

17. Hoc tempore Basilii augusti epistola ad Hadrianum Stephano reddita est, acris, nec convitiis abstinens. Ei Stephanus mista jurgiis reverentia respondit: *Cum sit penes te justitiae aequilibrium*, inquit, *novit pia potentia tua, manui regiae dignitatem nostram apostolicam non subesse. Tibi leges condere, jura reddere, vim coercere coelitus datum: nobis dominici gregis cura commissa est.* Tum illud solenne carmen cecinit de Petro et petra, et portis inferorum, et clavibus regni. *Qualis fuerit, qui te seduxit, licet nos*, inquit, *silentio praeteream*us, *lapides clamant*: Photium intelligit. *Quis te pontificum judicem constituit? Deo te aequalem facis, qui ejus angelos judicare audes. Audio, in te mansuetudinem laudari, magnificentissime imperator. Non te latet, quid Ambrosius adversus Theodosium fecerit? Marinum scribis non potuisse ad aliam sedem transferri. Sed Gregorius Nazianzo ad vos translatus est, Meletius Sebasta Antiochiam, Dositheus Seleucia ad Tarsum Ciliciae, Reverentius Archiphoenicis Tyrum, Johannes Gordolia Proconnesum, Theodorus Apamea Selymbriam, Alexander ex Cappadocia Hierapolin, alii aliter. An ignoras, in prima Nicaena synodo B. Sylvestrum proclamasse per legatos, praesente ibidem sancto Constantino: primam sedem a nemine judicari. Sed non mirum, si talem fabulam Graeci ignorant.* Pergit: *Cuinam apud vos scribat Romana ecclesia? Laico scilicet Photio; in quem, nisi te amaremus, graviora quam praedecessores nostri vindicaremus.* Tandem reprimens se Stephanus, gratulatur, quod Stephanum filium sacerdotio dedicarit: rogat etiam, ut classem mittat imperator, quae per aestatem excubet ad Saracenos Italia prohibendos. *Reliqua*, inquit, *silentio praeterimus, cum nec oleum nobis sit pro luminaribus ecclesiae ad debitum Deo honorem.* Sed literae sequente demum anno, extincto Basilio, Constantinopolin pervenere.

ANNO CHRISTI 886.

Carolus imperator in Italiam venit. Acta ejus cum papa. — Widonis ducis Spoletini gesta, et favor ejus apud papam. — Normanni Lutetiam Parisiorum obsident. Urbis hujus defensores. — Oppugnatio frustra fuit. — Tandem Sequanam Normanni ascendunt, et omnem Neustriam vastant. — Henricus dux Gallis auxilio venit. Normanni a Parisiis recedunt. — Gauzelinus episcopus et Hugo abbas Guelfigena obiere. — De Odonis et Roberti, mox regum Francorum, origine regia. — Odo imperatorem adit, auxilium petiturus. Mittitur Henricus, qui in oppugnatione Normannorum occisus. — Pax cum Normannis constituta, sed non diuturna fuit. — Carolus imperator Neustriam inferiorem Normannis non concessit. Diploma illius. — Caroli imperatoris diploma pro Wilhelmo Arverno. — Stephani papae privilegia Hildesheimensi, Corbejensi et Heriverdiensi ecclesiis concessa. — Mors Hil-

degrini junioris episcopi Halberstadiensis. — Basilii Macedonis imperatoris Constantinopolitani mors. — Leo Philosophus succedit, qui Photium deposuit.

A. 886. 1. Superatis Alpibus media hyeme, imperator ex Bavaria in Italiam venit, et Luitwardum Romam misit. Ibi inter alia ad caesaris interrogationem decretum est, ut episcopis, quorum parochiae a paganis vastatae erant, aliae concedi possent. Occasionem praebere potuit Frotharius, ad quem minaces literas Stephanus dederat, quod a Pictavio ad Bituricenses transisset. Ajunt tamen, Pictavium rediisse, ibique sepulturam accepisse. Die sancto palmarum seditio Papiae inter satellites regis et cives excitata est, in qua multi perierunt. Imperator in curte Olonna festum paschale egit.

2. Wido dux iterum expeditionem in Apuliam suscepit. Nam ipso digresso, Capuani a Chasano Graeco et Athanasio Neapolitano premebantur; qui Pandenulfum etiam liberaverat, quem prius in Landonis gratiam captum tenebat. Itaque Lando cum filio Landulfo episcopo Spoletum profectus, opem ducis expetivit. Is cum exercitu Capuam veniens, Ajonem uxoris fratrem ad se vocatum, credo, quod Pandenulfo favisset, consilio Capuanorum cepit; Beneventum in potestatem redegit. Sed cum Sipontum ingressus esset, seditione civium coactus, Beneventanum principem in libertatem restituit. Accepto deinde nuntio de rerum per Franciam statu (jam enim, declinante augusti valetudine, primores nova moliebantur), Beneventanos Ajoni relinquit, Capuanos convecta annona ad se tuendum hortatur. Ipse reditu maturato Romam contendit: unde in Longobardiam festinasse, arbitror, ut caesarem discessurum deprehenderet, et cum Berengario aliisque consilia conferret. Quidam usque in Galliam profectum scribunt. Widonem Stephanus pontifex in filium adoptavit, non levi indicio, quid moliretur. Bosonis scenam renovari apparebat. Rem intelligimus ex Fulconis Remensis archiepiscopi epistola apud Frodoardum, qua pontifici gratias agit, quod hunc honorem propinquo suo habuisset. Eam hoc anno scriptam innuitur, cum scilicet urbs Parisiorum obsideretur.

3. Normanni anno priore sub exitum Novembris Lutetiam Parisiorum aggredi coeperant. Obsidio varie remissa aut exasperata, in hujus anni Novembrem duravit. Tota tunc urbs insula Sequanae continebatur, quam nunc quoque Civitatem appellant. Uterque alveus ponte suo stratus erat, et pontem turris defendebat, ne perrumpere naves hostiles et adverso flumine altius ire possent. Normanni enim fluminibus bellum vehebant. Porro urbem tuebantur Gozelinus episcopus, nuper abbatis nomine a nobis memoratus; Ebolus episcopi nepos, abbas Sandionysianus, quem Buccetius fratrem Ranulfi rectoris Aquitanorum facit. Tum comes ipse Parisiorum Odo, filius Roberti Fortis, mox rex futurus, cum fratre Roberto; Ragenarius comes (ex Mansuariis, opinor) Wito, Erilangus aliique multi insignes viri. Hostes pontem septentrionalis alvei magnis viribus per triduum frustra oppugnant. Primo assultu episcopus ipse leviter vulneratus est; Odo et Ebolus, duo fulmina belli, incredibilia fortitudinis documenta dabant: neque abbas comiti robore audaciaque cedebat. Catapultis etiam, igne, saxis pugnabatur. Hostes repulsi majora parant, atque interim sese per agros diffundunt, et circa Sandionysii fanum omnia caede, terrore, fuga

compleat; munimentum etiam ad Sequanae ripam prope S. Germani monasterium struunt. A. 886.

4. Novo deinde apparatu redeunt ad oppugnationem; carros adducunt sedecim rotis sustentatos, sexaginta homines sub tecto, quasi equi Trojani alvo, ferentes. Sed aurigis percussis, carri inutiles fuere. Mox mille plutei ambulantes, tergoribus boum tecti, ad turrim subiere. Quaterni singulis homines inerant. Sed irritus labor fuit, testudinesque clypeorum telis saxisque perfringebantur. Frustra arietes ab hostibus ad portas adducuntur, frustra naves igniferae ponti immittuntur. Episcopus ex turri quendam videns captivos neci dantem, in hunc telum direxit aut dirigi jussit. Barbarus prostratus, terram momordit. Quid multa? Normanni exeunte Januario obsidionem solvunt, et ad vastandam Austrasiam vertuntur.

5. Quod omnis hostium vis tanto tempore non potuerat, una nocte Sequana fecit. Soluta hyeme pons minor, qui meridionalis alvei ripas jungebat, aquarum impulsu concidit. Ita turrim ab urbe divisam hostes, igne admoto, cepere. Duodecim praesidiarii contra fidem datam caeduntur, uno servato Hervaeo eoque invito, qui ob augustam speciem fortitudinemque dignus vivere visus; vel unde insigne redemtionis pretium sperabatur. Hostes, aperto jam Sequanae alveo, quod diu quaesierant, per fluvium ascendunt, totaque Neustria diffunduntur. Ingens intra Sequanam Ligerimque vastitas facta est; sed Carnuntum urbem frustra tentavere. Itaque deceptum rumoribus Reginonem apparet, qui Normannos Sequanae ascensu a Parisinis prohibitos, naves per siccum ad duo passuum millia traxisse, atque ita Hionnae infusos Senonensium urbem obsidione cinxisse scribit; qua durante obierit archiepiscopus Everhardus, cui Waltharius successit. Haec ad alium annum retulere viri quidam docti, et obsidiones Parisiorum multiplicavere; quibus convincendis silentium Abbonis sufficit, qui praesens carmine rem gestam exposuit.


6. Interea Henricus dux cum expeditis ex Germania copiis magnis itineribus appropinquat. Mense Februario, iniquo anni tempore, exierat, milesque frigore insolitae hyemis, mox effusis imbribus afflictatus, aegre procedebat. Tandem adventans dux, quicquid hostium extra munitionem deprehendi potuit, caedit; annonam, et quae ex usu erant, urbi infert. Inde multae velitationes factae sunt. Hostes enim munimento clausi, praelium vitabant. Ita usque ad rogationum dies tempus extractum est. Henricus, sublevata urbe, majoribus cum copiis rediturus, recedit: neque enim Normannis omnibus tunc par erat, ubi se a praeda sparsi recollegissent. Forte inter pugnandum Odonem cum Sigefrido loquentem Normanni capere tentant. Ille ictu hastae terram percutiens, fossam, ut erat armatus, transsilit: ex eo Sigefridus viri robur admiratus, de discessu magis cogitare coepit. Cumque eum sociis persuadere non posset, novum oppugnandi experimentum sumi consuluit. Sed binos principes cum multis aliis hostes amisere. Sigefridus, sexaginta argenti libris acceptis, mare repetit.

7. Post haec Gauzelinus Parisiensium praesul decessit. Quidam dubitant, an idem fuerit, quem supra abbatem saepe memoravimus. Sed suadet hoc continuator Fuldensium his verbis: *Hugo et Gozilin, abbates*


A. 886. *et duces praecipui Galliae regionis, in quibus omnis spes Gallorum contra Normannos posita erat, defuncti sunt.* Nempe mox etiam Aureliae Hugo abbas obiit, Guelfigena, Conrado natus, filio Guelfi, fratre Judithae imperatricis. Idem Hugo regiae prosapiae fuit, ut pontifex Johannes ei scripsit; sed per Adelaidem matrem, quam Lotharii regis materteram Bertinianus appellavit. Eadem deinde Adelais Roberto Forti Odonem, de quo nunc agimus, Robertumque genuerat. Hugo Aurelianos et vicinas regiones autoritate ducis rexerat. Hanc uterini fratris administrationem, olim patri suo creditam, Odo, nunc ad imperatorem profectus, impetravit, seque propius ad spem regni admovit. Post Gozelinum et Hugonem demum extinctum apud Senonas Everhardum praesulem Abbo innuit.

8. Quia nuspiam, quod constet, Odo et Robertus de regno mox certantes ad originem regiam provocavere; suspicetur aliquis materteram proprie accipi, et Adelaidem Irmengardis sororem fuisse, Lothario augusto nuptae. Sed quia hoc schemate admisso regia Hugonis prosapia concideret, materteram laxe sumi malis pro amita. Itaque Adelais Ludovici Pii filia fiet. Unius affirmatio omnium silentio praeferenda est, si sit a contemporaneo et fide digno, qualem hic Johannem papam quis neget? Nisi quis morosior, pontificem laxius blandiusque locutum, prosapiam vice propinquitatis posuisse, putet. Nam etsi Adelheidis nonnisi soror Irmengardis augustae fuisset, erat tamen Hugo per patrem Caroli Calvi, per matrem Ludovici et Lotharii augustorum et regum consobrinus; et suspicionem auget ipsum Hugonis nomen inter Guelfos haud usitatum; quod ab avo Hugone comite Alsatiae, Irmengardis et Adelheidis patre*, sumtum videri posset. Itaque rem in medio relinquo. Utrumque schema subjicio.

Schema primum.



Schema secundum.



9. Protracta in aestatem obsidione, morbi, ut fit, invalescebant, et praesidiarii imminuebantur. Itaque placuit, Odonem ad principem mitti, qui auxilia peteret adduceretque. Ille strenue rem simul publicam suamque curavit; imperatoreque, quantum apparet, invento, confecto negotio, tres fortium virorum turmas adduxit; quae, erumpente Ebolo, Normannis

*) matre ms.

utrinque laborantibus, feliciter urbem tenuere. Abest deinde rursus Henricus ab imperatore praemissus, cum majoribus copiis secuturo; et munimentum hostium incingere parans, ad situm loci cognoscendum cum paucis progreditur. Hostes circa castra fossam duxerant trium pedum profunditate, latitudine minore, cespiteque obtexerant, semitis tantum relictis, quas ipsi noscebant. Dux, propius ascedens, cum equo cadit et confoditur, antequam succurri posset: corpus tamen vi suorum receptum et apud Suessiones tumulatum est. Haec Regino, non tutissimus autor, et qui eum sequuntur. Abbo, qui omnia certius norat, narratiunculae fidem silentio elevat, simpliciterque Henricum occisum scribit, quando Danos obsidione vallare moliebatur; cum soleat in minuta descendere ornando poemati, ubi aliquid memorabile offertur. Ita cecidit vir, sui temporis nulli virtute inferior, et cum eo Caroli imperatoris fortuna autoritasque, quam ille armis consiliisque sustentabat. A. 886.

10. Paulo post Sinericus Danorum regulus, Sequanam trajecturus, naufragio perit; hostes noctu Lutetiam improviso aggressu capere frustra tentant. Imperator per Burgundiam in Lothariense regnum veniens, Julio mense conventum procerum Metis egit. Inde copias colligens, vergente jam aestate, quantum judico, in Normannos profectus est, et cum exercitu ad Martii (an martyrum) montis radices consedit. Ibi Ascherious Parisiensibus episcopus datur. Sed cum multo tempore opus videretur ad capiendam hostium munitionem, et Sigefridus cum novis viribus adventare diceretur; tandem ingruente hyeme mense Novembri pax conclusa est in has leges, ut septingentae argenti librae Normannis penderentur, hybernaque in Senonensi tractu, quippe intacto, assignarentur, donec primo vere, id est mense Martio, Gallia exirent. Ita Abbo rerum de proximo testis; quo nihil sinistri annotante, cum Sammarthanis libenter crediderim, exaggeratas exclamationes eorum, qui Burgundiam rapinae datam scripsere. Ipse Abbo Burgundorum pigritiem accusat, qui vicinis amicisque Neustriis in periculo defuissent, eoque merito plexos. Atque hoc forte est, quod innuit Regino, Burgundos imperatori obtemperare noluisse; nempe cum in expeditionem vocarentur. Duravit concordia per hyemem, quantum ex obscuris Abbonis versibus intelligitur, mixtique Gallis Dani miraculo erant. Et falsum est, quod ex chronico de gestis Normannorum quidam tradunt, obsessam Senonum urbem, praesule Everhardo tutante, quem ante pactum obiisse, ex Abbone certum est. Sed proximo vere pax abrupta est, cum discedendi tempus esset. Imperatori animum ducemque defuisse, arbitror. Luitwardus, in tranquillo validus, pacem quocunque pretio emendam putabat. Rollonis Normanni gesta contra Frisios et Walachros Dudo et Gemeticensis monachus ad hoc tempus retulisse videntur; ego cum Alberico in a. D. 896. differre malim.

11. Ex verbis Reginonis male intellectis error natus est, Carolum III. angustum aquilonaribus advenis Neustriam maritimam attribuisse, quae inde Normanniae nomen induerit. Scripserat Regino, regiones trans Sequanam Normannis concessas, superiora significans Burgundiam versus, et ad breve tempus. Sigebertus et Martinus Polonus de inferioribus

A. 886. regionibus accepere, qua Sequana in mare fertur. Sed ea res ad Carolum Simplicem referenda est. Imperator Parisiis Theotario Gerundensi episcopo res suas confirmavit: *In nomine Domini Dei aeterni et Salvatoris nostri Jesu Christi, Karolus divina propitiante clementia imperator augustus .... Signum Karoli piissimi imperatoris, Amalbertus notarius ad vicem Leutardi recognovit et subscripsit. Data Kal. Nov. anno secundo imperante Karolo piissimo imperatore in Galliis, ind. 6. Actum Parisius urbe, i. D. n. f. A.* Itaque Baluzius in appendice capitularium in annum sequentem retulit; sed legendum *indictione quinta*. In Gallia annos aerae christianae nondum tabulis ascribi receptum erat.

12. Tunc etiam, cum imperator in Gallia ageret, Wilhelmo Arverno praeceptum dedisse puto, cujus anni corrupti vel ambigui sunt. Apud Beslium extat, unde haec decerpsimus: *I. n. s. et i. T. Karolus gratia Dei imperator aug.... Wilhelmo comite adeunte nostram celsitudinem, exorati sumus ab ipso ... ut ad memoriam reduceremus ... cum quanta animi virtute et permanente fidelitate Bernardus gloriosus comes et marchio* (pater ejus) *se opposuerit contra hostes nostros et insidiatores ac devastatores regni, contra Bosonem tyrannum et sequaces ejus, et quam promto animo mori in bello contra supradictos infideles, pro excellentia nostrae fidelitatis pugnans, amaverit.* [Itaque] *decentissimum reperimus, ut, quod filius ejus Wilhelmus comes et marchio postulabat, exequeremur,..... Sigillum Caroli gloriosissimi imperatoris augusti. Amalbertus notarius ad vicem Lithuardi recognovi. Act. 15. Kal. Sept. anno 5. regnante domino Karolo imperatore, in Francia 5, in Italia 4, ind. 6. feliciter.* Agitur de dono, quod Wilhelmus pro anima patris dat ecclesiae Nivernensi. His actis imperator sese in Alsatiam recepit, ibique aliquamdiu aeger decubuit.

13. Hoc anno Stephanus Romanus pontifex Hildesemensibus et Corbejensibus nostris communi epistola jura ac privilegia confirmavit. Epistolae haec forma est: *Stephanus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo Wicberto, episcopo sanctae ecclesiae, quae vocatur Hildesheim, patricinio sanctae Dei genetricis semper virginis Mariae dominae dedicata; seu Bovoni abbati venerabilis monasterii, quod vocatur Nova Corbeja, ex dedicatione et nomine Christi protomartyris S. Stephani, ubi in sacris requiescit membris B. Christi martyr Vitus .... Utrasque supranominatas ecclesias* [volumus] *sub B. Petri apostolorum principis tuitione et sedis apostolicae speciali defensione per hoc nostrae apostolicae confirmationis privilegium omnibus modis submissas, perenni jure consistere .... Scriptum per manum Gregorii scriniarii sanctae Romanae ecclesiae in mense Majo, indictione 5. Valete. Datum 3. Kal. Junii per manum Leonis sacellarii sanctae sedis apostolicae, imperante domino piissimo Carolo augusto a Deo coronato magno imperatore anno sexto, et post consulatum ejus anno sexto, indictione quinta.* Aliam ejusdem epistolam originalem hodiedum Herisienses virgines servant, in cortice literis Longobardicis scriptam, quae ob implexos literarum ductus legi a Schatenio non potuit; qui ad annum sequentem refert. Bisonis episcopi Padebornensis rogatu confirmatam monasterii fundationem, apparet.

14. Hildegrinus junior, quartus Halberstadensium episcopus, hoc A. 886.
anno 12. Kal. Junii debitum naturae persolvit, Egiulfo successore, si chronico Halberstadensi a nobis edito stamus. Indictio enim quarta, quam ponit, in annum Domini 886. incidit, non 888, ut corruptus numerus habebat, quo extinctus erat Carolus Crassus, cujus tamen dejectionem anno posteriorem ordinatione Egiulfi idem chronici autor facit. Hildegrinus iste clarorum virorum Ludgeri et primi Hildegrini ex sorore nepos fuit. Itaque et in Werdinensi monasterio, hactenus familiae eidem fundatrici suae addicto, tumulatus scribitur. Extinctus est anno ordinationis suae trigesimo quarto; nam a. D. 853, ind. 1. ordinatus erat. Monasterium suae ecclesiae, ab antecessoribus coeptum, consummavit et dedicavit a. D. 859, ind. 6, die nona Novembris. Egiulfus hominem exuit a. D. 894. anno ordinationis suae nono, de quo ibi.

15. Basilius Macedo orientis imperator Kalendis Martii (ex Labbei calculo) vita functus est, cum a decessu Michaelis per annos undeviginti regnasset. Res Graecorum labantes armis restituit: leges etiam ordinare aggressus est Justiniani exemplo; et primum procheiron juris 60 titulis edi jussit: deinde basilicorum sexaginta libros ex libris Justinianeis in unum collatis, opera Sabbathii protospatarii confici curavit. Filium Leonem non multo ante obitum in vincula conjecit, Theodori cujusdam Santabareni, a patris nomine dicti, Euchaitarum episcopi, calumniis in suspicionem parricidii cogitati adductum. Forte psittacus quidam edoctus dicere: *heu, domine Leo,* suspensus supra mensam, cui proceres admoti cum augusto coenabant, has voces lugubri sono aliquoties edidit. Convivae ex compacto cibo abstinent. Mirante interrogantequе imperatore, perfusi lacrimis, ajunt, se ab ave officii admoneri; et in preces pro salute principis effunduntur. Basilius eos bono animo esse jubet, reque discussa Leonem libertati reddit; nec diu supervixit. Extant monita ejus ad filium non spernenda.

16. Leo, quem vulgo Philosophum cognominant (ob eruditionem magis quam ob mores), ubi solium conscendit, Theodorum Santabarenum in vincula conjici jussit; et quia is amicus Photii habebatur, vindictam usque in hunc porrexit. Calumniatores suggesserant, interitum principis quaesitum, ut Photii cognatus imperaret. Nihil aut a Santabareno aut aliis, vel per tormenta, exprimi potuit, unde Photius gravaretur: patriarchatu tamen dejectus est, Stephanusque, principis frater tertius, successit. Is cum diaconatus gradum ordinante Photio obtinuisset, ea res Romanos perplexos habuit, qui Photium pro laico accipiebant. Sed quicquid hoc fuit, tandem dispensationis emplastro curatum, aut potius dissimulatum est. Nam Stephanus Romanus cum Stephano Constantinopolitano patriarcha, tanquam fratre, postea communionem ecclesiasticam coluit. Photium quietam vitam elegisse, Leo imperator Romano pontifici scripsit; annoque Domini 891. mortuum, Pagius calculo non inepto ostendit. Sui seculi lumen merito habetur. Bibliothecam, nomocanona, epistolas reliquit, quae prostant: lexicon ineditum in bibliotheca Guelfica superest. Romanorum fastum calcavit alio fastu; et quanquam privatim haud satis

A. 886. felix, ecclesiam Graecorum a Latinorum jugo liberavit. Graeci postea Ignatium Photiumque legitimos patriarchas habendos decrevere, quicquid in alterutrum dicebatur, aequaliter damnantes abolentesque.

ANNO CHRISTI 887.

Imperator aegrotat. Conventus Weibelingensis. Berengarius marchio Veronensis se imperatori subjicit. — Synodus Coloniensis. — Carolus imperator Ludovicum Bosonidem in fidem recipit. Arelatense regnum Germanici regni pars. Luitwardus et Richildis augusta accusantur. Augusta in monasterium secedit. — Luitwardus et imperatrix se purgant. Hujus posthaec gesta. — Luitwardi ologium. — Crimina Luitwardo impacta diluuntur. — Caroli imperatoris diploma Paderbornense et Herisiense. — Caroli imperatoris depositio. Ei Arnulfus subrogatur. — Quo tempore Arnulfus regnare inceperit. — Berengario Italiae regnum Carolus Crassus destinavit. — Adenulfus Capuam occupat, et postea etiam Beneventum. — Normanni Galliam, Burgundiam et Lotharingiam vastant. — Diploma Corbejensibus et Herifordiensibus datum suspectum est.

A. 887. 1. Decumbebat in Alsatia imperator. Paulum deinde recreatus a morbo, in Allemanniam ad Castrum Podamum venit, quod lacui nomen facit. Ibi ob intolerabiles capitis dolores incisionem passus est. Paschate transacto, conventus agitur Weibelingae, quae villa regia; a qua deinde Gibellini principes nomen invenere (an castellanorum seu burgigravionum jure?), nisi aliam extra Allemanniam in Francia orientali Weibelingam quaerere malimus. Berengarius Forojuliensi marchiae sive, quod idem erat, Veronensi praefectus, ex Italia affuit. Is Luitwardo iratus, anno superiore Vercellensi urbe exspoliata, episcopi res agi ferri jusserat. Sed ubi ira detumuit, veritus, ne pacis turbatae reus ageretur, ad satisfaciendum venit, caesaremque verbis, Luitwardum muneribus placavit. Id exspirantis potentiae novissimum specimen episcopus dedit.

2. Anno incarn. dom. 887, indict. 3, Kal. April. in ecclesia S. Petri urbis Agrippinensis, consensu gloriosissimi imperatoris Caroli et Moguntinae sedis Luitberti archiepiscopi, Willibertus, humilis ejusdem praefatae urbis archiepiscopus, Franco Tungrensis sedis episcopus, Odilbaldus Trajectensis, Wulfelmus Mimigarnafurdensis (Monasteriensis), Drogo Mimidonensis (Mindensis), cum consensu venerabilis Rimberti episcopi, praesentibus etiam bonae devotionis abbatibus, Nevelongo Indensis monasterii, Andulfo Werdinensis, Folchario Aquisgrani palatii abbate; cum praefatarum sedium presbyteris et diaconis celebrarunt synodum; cujus ex praefatione haec verba sumsimus. Ibi Drogo rogatu cleri Mindonensis episcopus ordinatur. Inde in raptores rerum ecclesiasticarum anathemata vibrantur. Ea tunc quotidiana synodorum materia erat. Luitberti et Rimberti consensus adducitur, quod ab iis literae vel legati affuissent. Rimbertus tamen Coloniensem metropolitanum non agnoscebat.

3. Imperator ad villam Kircheimiam Rheno adsitam filium extincti nuper Bosonis Ludovicum, cum matre Irmengarde venientem, honorifice suscepit ad hominium (*ad hominem* habent annales), et quasi filium adoptivum habuit. Ex eo Arelatense regnum Germanici pars beneficiumque haberi coepit. Bosonem 3. Id. Januar. obiisse, praeter necrologium Vien-

manse antiquum etiam epitaphium habet, quod in basilica S. Mauritii urbis A. 887.
Viennensis extat. Caeterum hoc loco Carolus, corpore animoque aeger, persuaderi sibi passus est, Luitwardum, non contentum gubernaculis rei publicae, etiam thori jura pro caesare usurpare. Morum suavitas imperatrici familiarem fecerat. Itaque cum dedecore pellitur aula; imperatrix ipsa in crimen vocatur. Ajunt, maritum ira coecum, eo usque prorupisse, ut in conventu procerum post decennale matrimonium a se intactam profiteretur. Illa: *Bene habet*, inquit, *domine, quod testimonium ipse perhibes virginitati meae; quam neque alteri patuisse, igne, ferro, divino humanoque judicio, ut placuerit, comprobabo*. Itaque mox flammeo sumto, sanctimonialis ritu egit. Carolus olim juvenis comitiali morbo correptus, eadem de uxore professus erat; quae tunc furori imputata sunt. Haec probrosa caesari Regino liberius narrat: annalium continuatores dissimularunt.

4. Luitwardum se publice pro concione purgasse (sumto, ut arbitror, corpore Domini), Sigebertus refert. Hermannus Contractus, qualem Urstisius edidit, etiam imperatricem aquae judicio (ferventis an frigidae, non additur) innocentiam probasse, tradit; nisi pro *aquino judicio* legendum sit *divino*, quod mihi verisimilius videtur, quia ita Canisii editio et aliud fragmentum apud Urstisium habent. Richardam inscriptiones literarum Johannis papae; diplomata rectius Richildem appellant. Post divortium in Italiam profectam, Ticini in S. Marini parthenone rudimenta severioris disciplinae posuisse; Turegi deinde eandem vitae normam secutam, Bruschii fide (non certissima) Browerus notat. Tandem in Alsatia Andeloviensem aedem, Fabiano et Felicitati sacram, in virginum velatarum usum exstruxisse, convenit. Ejus depositionem, tanquam sanctae virginis, ad 18. Sept. nonnulla martyrologia celebrant.

5. Luitwardus, gente Allemannus, genere humilis, ingenii vigore et nativis quibusdam illecebris ad summam apud Carolum potentiam pervenerat; et accrescentibus regnis, pene unus Francicum orbem gubernabat, cum imperatoris animum in potestate haberet. Tantam magnitudinem invidia procerum aegre tolerabat. Sed (quantum intelligi datur) vivo Henrico non erupit, cum vir potens et rei militaris arbiter, aeque imperatori fidus et archicancellario amicus esset. Primus Berengarius episcopum aggredi ausus est; et quanquam satisfactione data, receptus in gratiam, caeteris viam ostendit. Apparebat, Luitwardo remoto, nudatum consilio imperatorem omnibus ludibrio fore, cujus aeger animus male tegebatur. Et jam ambitiosa palam consilia agitabantur, dum quisque spe partem imperii ad se trahebat. Itaque destinatis perficiendis Luitwardum everti, necessarium erat. Ejus casum Allemannorum maxime conspirationi imputat Fuldensis scriptor, qui scilicet inde a juventute familiariores principi, in aula dominabantur. Post Luitwardum etiam caeteri Vercellenses episcopi sibi archicancellariatum Italiae aliquamdiu vindicarunt, quod Ughellus ex libro privilegiorum ecclesiae Vercellensis notavit.

6. Continuator a Lambecio editus in virum acriter invehitur. Pseudoepiscopum appellat, Hamani comparat; infimo genere natum, pecuniae avidum, archicancellarium nomine, re imperatorem egisse, ait: cognatis

A. 887. suis splendida matrimonia vi fraudibusque conciliasse, Unruochi comitis filiam, propinquam imperatoris, ex Brixiensi monasterio raptam, nepoti suo nuptum dedisse. Hinc Berengarii irae, ut arbitror; cujus frater natu major (sed mature extinctus) Unruocus memoratur in patris Everhardi testamento, quod olim Miraeus in donationum piarum codice, postea Dacherius produxit. Postremo etiam in blasphemiam prorupisse, Luitwardus insimulatur, et unam Christo substantiam tribuisse, cum ecclesia in duabus substantiis unam personam agnoscat; quae quidem ambiguitate vocabuli inanis quaestio erat. Sed odioso homini etiam haeresis impacta est, novissima calumniarum. Video tamen, caeteros scriptores nihil in Luitwardum durius dicere; Reginonem illi etiam favere. Doctrinam, vel certe doctrinae amorem non abfuisse, vel inde intelligas, quod Notgero Balbulo monacho Sangallensi codicis Graeci epistolarum canonicarum copiam fecit, ut in hujus vita legitur. Innocentem in tanta potestate praestare non ausim; sed tamen, quae imputantur, aut nihili sunt, aut potentibus recepta. Pulsus sese ad Arnulfum contulit: hoc crimini dat scriptor adversarius, eoque consilio factum interpretatur, ut imperatori ruinam machinaretur. Sed ad quem alium, quam successorem, purgandi tutandique sui causa confugisset. Imperatoris manifesta calamitas imbecillitasque delatore non indigebat.

7. Luitwardo ejecto, Luitbertus Moguntinus archicapellani per breve, quod superfuit Carolo, tempus officium obiit. Duo enim Schatenius diplomata affert, quorum uno Bisoni Padebornensium (post defunctum Luthardum) episcopo, altero Herisiensibus virginibus jura confirmavit. Utrumque *Amalbertus cancellarius ad vicem Luitberti archicapellani recognovit 11. Kal. Octobr. anno dominicae incarnationis 887, indict. 5. Anno regni Caroli serenissimi imperatoris augusti in Italia 7, in Francia 5, in Gallia 3. Actum in Lustinawa* (in altero *Justinawa*) *curte regali*: an quae Liptina olim; potest enim vox esse corrupta. In priore imperator Bisonem vocat episcopum *ecclesiae, constructae in honore S. Mariae semper virginis et S. Chiliani, quae dicitur Paderbrunna.* More jam recepto eximit res ecclesiae a judiciaria potestate: additque, homines eidem monasterio (cathedralem aedem intelligit) famulantes in Horstemora-marca, qui Saxonice malman dicuntur, in principis tutela et mundiburdio fore: nec judicialiter examinari debere, nisi coram episcopo aut ejus advocato, quem episcopus ipse delegisset. Alterae tabulae definiunt, Herisienses sanctimoniales, quarum monasterium a Luithardo praedecessore Bisonis et sorore illius Waldburge structum et Padebornensi ecclesiae addictum erat, extincta Waldburge, jus eligendae abbatissae habituras: ita tamen, ut episcopi consensus accederet.

8. Imperator deinde Francofurtum venit, et in S. Martini festum ad Triburias conventum indixit. Ibi conspiratio procerum Germanicorum in apertum erupit. Affuit Arnulfus cum Bajoariis: ad hunc Franci, Saxones, Thuringi defecere. Imperatorem obnitentem et arma parantem, etiam Allemanni sui deseruere. Qui restitabant, beneficiis exuebantur. Ambigua sanitas Caroli et intervallis distincta, tutorem rei publicae necessarium faciebat: sed dignitati tamen tanti principis consulendum erat; cui si

simulacra regni relicta fuissent, poterat imperii integritas conservari. Sed ea procerum ambitioni non satisfaciebat. Arnulfus, si patrui majestatem tueri voluisset, fortasse Gallos Italosque in fide retinuisset: sed plenam maluit, quam totam majestatem. Galli Italique sibi consuluere. Posterioribus quibusdam ridicula persuasio obrepsit, Carolum accusatum in curia (Romana scilicet) et ob stultitiam depositum, Arnulfum successorem accepisse. Ita loquitur Helmoldus. Unde intelligi potest, quanto in errore homines antiquitatis ignari versati sint circa sedis Romanae potestatem, quam ex suis temporibus aestimabant. Imperator exautoratus et ab omnibus desertus, filium Bernardum et Luitbertum etiam archiepiscopum Moguntinum ad Arnulfum misit, qui curarent, ne tantus princeps indigne haberetur. Archiepiscopus etiam sanctae Crucis fragmen ostendit, quo ille tacto fidem domino jurarat. Arnulfus in lacrymas effusus, aequa omnia pollicetur. Fiscalia per Allemanniam praedia sustentationi imperatoris destinantur. Sed pauci, nec nisi inferioris ordinis, obsequio ejus constanter haesere. Bernardum praedia a patre data tenuisse, libentius crediderim, quam quod Gobelinus, nescio unde, habet, ad Widonem in Italiam confugisse. A. 887.

9. Miraeus in notitia ecclesiarum Belgicarum diploma Arnulfi affert, quo Franconi, Tungrensis et Leodiensis ecclesiae episcopo, interventu Engilscaldi et Izzingi procerum, abbatiam Laubiensem concedit *anno dom. inc.* 888, *ind.* 7, *anno secundo regni domini Arnulfi regis*, 17. *Kal. Dec.* Unde intelligas, Arnulfum hoc anno ante hunc Novembris diem regnare coepisse; non tamen ante 5. Idus, si diplomata Sigonius Veronae a. D. 893. ea die anno regni sexto data vidit. Sed quod additur apud Miraeum, *datum in Franconofurt curte regia*, falsum puto. Tunc enim in Italiae finibus versabatur. Et sunt alia menda in illo diplomate, quae suspectum facere possint. Nam 10. Kal. Octobr. diem, quo genitor obiit, anniversaria memoria celebrari in ecclesia Leodiensi jubet; cum Carolomannum verno tempore obiisse constet. Albericus a. D. 890 Franconi abbatiam Lobiensem et praeposituram Fossensem acquisitam refert.

10. Berengarium affuisse in extremis posito, et Italiam voluntate ejus regendam adisse, innuit poeta incertus, qui Berengarii panegyricum scripsit. Quod ego non absurdum judico, si non ad mortis tempus (ut poeta vult), sed destitutionis vicinae referatur. Nam Berengarius cum semel adesset Weibelingae, potuit tantae rei exitum expectare; et Carolus eum cognatum esse meminerat; neque alium aspiciebat, cui Italiam mallet, etiam alias in propinquos indulgens, ut in Bosonis filio ostendit. Luitprandus Ticinensis episcopus memoriae prodidit, Berengarium et Widonem fide data pactos, ut mutuo auxilio hic Galliam, ille Italiam haberet: sed Widonem, cum Gallia excidisset, regnum Longobardorum concupisse, cujus partem ulteriorem dudum obtinebat.

11. Hoc anno Adenulfus, ejecto fratre Landone, Capuam sibi vindicavit. Faventem habebat Athanasium Neapolitanum: praeterea Spoletum profectus, absente Widone duce, Suabilum gastaldum Marsorum cum trecentis armatis conduxerat, dum Lando Theani ex febre decumbebat.

A. 887. Deinde juvenes egenos et rerum novarum cupidos Capuae sibi concilia et captato tempore 7. Idus Januar. sabbato post epiphaniam, sedition mota, Landonis filios urbe ejecit, atque ita sese gastaldum vel comiten appellari jubet. Filium Athanasio obsidem dederat, donec foedus initum a Widone probaretur; quod factum est. Adenulfus deinde Stephano pontifici fidem suam obtulit, pollicitus reddere Cajetam, impugnare Garilianum aliaque multa; quorum nihil implevit. Tandem, sed serius, etiam Beneventum in potestatem redegit, et dominatum in posteros propagavit.

12. Si recte tempus computat autor chronici Normannorum, Sigefridus primo vere in Galliam rediit. Normanni septingentas libras promissas a Parisiensibus obtinent; sed cum excedere regno deberent, rursus praedas agunt, quosdam capiunt aut occidunt. Ea re commoti Parisin (ut Abbo refert) quingentos ex illis in urbe deprehensos, per tumultum occidunt: quosdam Aschericus episcopus, cura sua conservatos ob foederis religionem, dimisit, cujus fiducia urbem ingressi erant. At Normann jam abruptae pacis culpam in Gallos transferentes, rursus omnia miscent et Casiacum villam regiam ad Matronam muniunt; ubi eos anno sequente hyemasse, Asser Anglus memoriae prodidit. Intellecta deinde imperatoris destitutione, quasi soluti pactis, Burgundiam etiam et Lotharii regnum infestant. Sigefridus sub autumnum in Frisiam profectus, credo, ut Godefridi jura repeteret, obtruncatur.

13. Arnulfus inde a Novembri regem agens Germaniae, uno diplomate Corbejensibus et Herifordensibus privilegia confirmavit in hanc formam: *In n. s. et i. T. Arnulfus d. f. cl. rex .... Fidelis noster Bovo* [abbas] *monasterii, quod vocatur Nova Corbeja, insinuavit celsitudin nostrae, qualiter ipsum monachorum coenobium sibi commissum, nec non et monasterium puellarum, constitutum in loco Heriford nominato, cu praeest abbatissa nomine Hathwic ... sub nostra tuitione suscipientes omnes donationes atque concessiones, a progenitoribus atque praedecessoribus nostris eis collatas, nostrae autoritatis praecepto firmare vellemus ... Itaque decernimus, ut utrumque coenobium .... plenissimae immunitati securitate fruatur, sicut ab antecessoribus nostris eis concessum fuerat ... neque publicis exactionibus, vel quibuscunque modis illorum homines qualibet judiciaria potestate distringantur; nec praefatus abbas ejusque successores in hostem* [exercitum] *ire cogantur: sed sicut antea eis a praedecessoribus nostris concessum fuit, omnes vasallos suos nobiles secum in patria ab expeditionibus vacantes habeant* [hoc sincerum esse aegre credo], *inferioris vero conditionis, quantis opus habuerint, ad legationem nostram et ad monasterii utilitatem, prout necessitas flagitat, peragendam ... Episcopi, qui ecclesias, ad ea* [coenobia] *pertinentes, officii causa debent adire, non exigant majores sumtus ad sua mansionatica, quam primum statutum fuerat, et in capitulari libro scriptum habetur ... Praeterea, quod ab exordio constructionis eorundem monasteriorum ... constitutum est ... ubicunque casas vel curtes habuerint, ex rebus, qua ibidem suis laboribus acquirunt, decimas dent ad portam monasterii, ne alibi; ut ... peregrinis et hospitibus serviatur .... Manu propria subte*

m (concessionem) *confirmavimus, et annulo nostro assignari jussimus.* A. 887.
ignum domini Arnolfi gloriosissimi regis. Engelbert notarius ad vicem
Theotmari archicapellani recognovi et subscripsi. Data 3. Id. Dec. anno inc.
im. 887, anno primo regni domni Arnolfi piissimi regis. Actum in For-
heim palatio regio in Dei n. f. A. Erat tunc archiepiscopus Salisburgen-
sium Theotmarus. Hunc ego Arnulfi archicapellanum habeo. Caeterum
diploma, si vetus est, interpolatum suspicor a posterioribus, quorum a
phraseologia erant nobiles abbatis vasalli: quos etiam ab expeditionibus
publicis eximi hoc tempore, ineptum est. Arnulfus natale festum, Domini
et pascha sequens Ratisbonae egit, Italiam fortasse meditans; sed mutato
dein consilio, animum ad res Gallicas adjecit.

ANNO CHRISTI 888.

Carolus Crassus obit. Ejus elogium. — Caroli imperatoris constitutio de expeditione Romana. — Carolus Crassus II. sui nominis imperator appellatus est. — Monarchia Francorum in diversos discissa. — Odo rex Galliae factus. — Alia de regno Odonis. — De initio regni et diplomatibus Odonis regis quibusdam. — Odo regnum retinet, Arnulfi consensu. — De genere Odonis. — Rudolfus rex Transjuranus Arnulfo se submittit. — Odo Aquitanos regno suo adjungit. — Lis de comitatu Pictaviensi. Ortus ducum Aquitaniae. — Normanni Meldense oppidum capiunt. — Wido regnum Galliae aut Lotharingiae frustra affectat. — Berengarius fit rex Italiae. Francus est origine. — Berengarii mater filia fuit Ludovici Pii. — Arnulfus Berengarium subigit. — Arnulfi diploma Bovoni abbati Corbejensi ad Portum Naonis datum. — Wido frustra regnum Italiae ad se trahere tentat. A Berengario vincitur. — Ajo Beneventanus Barium recipit et amittit. Praelium navale Graecos inter et Saracenos. — Rembertus archiepiscopus Hamburgensis obit. — Adalgarius Remberto succedit. — Ottonis ducis Saxoniae et salinarum Dalhemensium mentio fit in diplomate Arnulfi. — Diploma integrum Arnulfi. — Arnulfi diploma pro Werthinensibus. — Synodus Moguntina. — Exemptio monasteriorum Corbejensis et Hervordiensis ab episcopo Paderbornensi. — De tempore habitae synodi hujus. — Synodus Metensis.

1. Carolus tertius imperator Nidingae ad Danubium in Suevia decessit, altero mense immeritae calamitatis, et in Augia Allemanniae monasterio sepulturam accepit. Obiisse Idibus Januar. Fuldensis habet, id est octava epiphaniae, ut Hepidannus; etsi Petrus bibliothecarius 3. Nonas scribat, Regino pridie Idus. Princeps non malus, cum morbus animi abesset; caeterum dubiae sanitatis, et qui fido administro ad tuendam autoritatem indigeret. Larvis aliquando agitabatur, emotae mentis terriculamentis, quae superstitione temporum intendebantur. Malus quidam genius, qui furorem juveni immisisse videbatur, magnitudinem praedixisse dicitur, idque creditum est, etiam antequam evenit. Extant apud Malmesburiensem, quae de visione quadam sua triennio ante mortem consignavit; quando complures principes et episcopos in locis inferis torqueri vidit, quod civilium bellòrum fomitem succendissent. Habitus tanto gratior superis, quanto contemtior terris. Nam cum hominem exueret, coelum apertum multis visum, fama sparsit. Ea seculi credulitas erat. Sane cum ad se redisset ante mortem, infortunium patienter tulit, et multa cum significatione pietatis decessit. Ita Fuldensis. Sed Hermannus Contractus A. 888.

A. 888. a familiari ministro strangulatum scripsit; quod aegre crediderim, nul sceleris pretio. Beslius in idem veterem scripturam ex Andrea Marchi-nensi citat. Sed qui veneno potatum tradidit Botho, Brunsvicensis chroni vernaculus scriptor, Calvum Crasso confudit. Nullus hactenus Europa principum ad ejus magnitudinem, usque ad Carolum illum Austriacum pervenit, quem in imperio quintum numeramus.

2. Circumfertur sub Caroli Crassi nomine constitutio de expedition Romana, a Velsero inventa, a Goldasto edita*. Sed hodie inter erudite convenire arbitror, multis post seculis scriptam. Quidam ad Conradum II alii, quod malim, ad Carolum IV. pertinere, arbitrantur. Nam, ut temporum notationem non congruere taceam, et res et vocabula a seculi noni us abhorrent. Praeterea quando Carolus noster Romam proficiscebatur, mini mam Germaniae partem, Sueviam scilicet Helvetiamque, tenebat, cum frate natu major Ludovicus superesset. Ita tali constitutioni locus non erat.

3. Observavi, Carolum Calvum illis temporibus a Germanis pr Romanorum imperatore non habitum, sed Carolum hunc, quem Crassum dicimus, Secundum appellari. Hoc discimus ex aliquot traditionibus San gallensibus, quas Goldastus tomo secundo Allemannicorum ex Vadian collectaneis publicavit. Nam numero 19. Hugprechtus commutat quaedam cum monasterio S. Galli *Id. Febr. anno imperii Caroli Secundi secundo* Et n. 28. Salomon junior Constantiensis sedis episcopus, et Hartmotu coenobii S. Galli abbas, commutationem instituunt: ille abbati et fratribu concedit decimam in quibusdam locis *cum salica terra et hobis, ut in su erant vestitura* (id est possessione), et alia recipit. Et placuit chartar pacationis ex utraque parte allevari, quod Tuitisce Suonbuoch (librum suonae seu transactionis) nominamus. *Actum in villa Romanishorn ann regnante imperatore Carolo II. sub comite Adalberto mense Junio, di Veneris, indictione 15.* Et n. 85. *anno secundo domni Arnolfi reg* factum est placitum in pago, qui dicitur Para. Et sacramento in sancto rum reliquiis praemisso, *sicut et nuper factum est in diebus Karoli impe ratoris secundi*, testificati sunt primores populi, ad quosnam pertinere jus ordinandi ecclesiam in Leffingen.

4. Morte Caroli monarchia Francorum in partes dissiliit. Arnulf Germaniam sine controversia habuit; neque aut Poppo Thuringorum princeps, aut Otto Saxonum, aut Burcardus Allemannorum, ad scept aspirasse scribuntur. Alii eo tempore autoritate praevalidi non mem rantur. In Gallia Odo, recentibus defensae Lutetiae meritis, visus corona dignus, quam et tueri posset, cum Normanni adhuc visceri regni incubarent. Praeter comitatum Parisiorum etiam ducatum Aur lianensem et marchiam Britanniae, id est Andegavenses, paterni hono exemplo et recenti imperatoris beneficio, gubernabat. Itaque lon potentia eminebat inter proceres, favebatque Richardus, Burgundiae C juranae rector, moderati vir ingenii, qui sororem ejus uterinam Adelaide in matrimonio habebat. In Aquitania et Septimania (alterius regni m teria) nemo unus satis excellebat. In Burgundia ulteriore Bosonis vid

*) quam Freherus notis eruditis illustravit *addit Eckardus.*

cum filio Rhodanum inter Alpesque, jam quasi confesso jure regnabat, postquam hoc imperator indulserat. Ejus exemplo Rodulfus superiora sibi vindicare ausus est, seu quicquid inter Juram et Alpes jacet, ipse Guelfigena, ex vicina Allemannia oriundus. Wido, Galliae spe depulsus, Thusciae; Berengarius Longobardiae citeriori incubans, de regno Italiae contendebant. Omnes tamen, Widone excepto, visi sunt comiter agnoscere Arnulfi majestatem: Berengarius, Rudolfus, Ludovicus, Odo ipse, sua sceptra ejus beneficio assensuque tenere profitebantur. Itaque et Asser Anglosaxo, aequalis rei gestae, Earnulfum, Hrotwulfum, Odam, Bearngarem, Witham regnasse scripsit; sed caeteros reges fidem et obedientiam Earnulfo promisisse, sicut dignum erat: cui soli jus haereditarium esset, et cui principalis regni sedes cessisset. Sed haec uno obtutu libata, nunc particulatim introspiciemus. A. 888.

5. Odonem, quem insignia fortitudinis documenta, et species proceritasque rege digna, et sapientiae opinio commendabant, a Francis, Neustriis et Burgundis mox a Caroli morte regem creatum, diadema regni suscepisse, Abbo certus testis prodit. Franci hoc loco sunt, qui cis Sequanam Galli; Neustrii, qui cis Ligerim; superiores utrisque Burgundi, sed *illi tantum*, qui cis Juram Rhodanumque jacebant. Aquitani vero (qui trans Ligerim) serius accessere. Hermannus Contractus, Ranulfum ibi regnum affectasse, scripsit. Odo Neustrius habitus est, quod pater ejus Robertus in Neustria sedem fortunarum honoresque habuisset. Sed Abbonis verba expendere, operae pretium erit.

Interea Karolus regno, vita quoque nudus,
Viscera opis divae complectitur abdita tristis;
Laetus Odo regis nomen, regni quoque numen,
Francorum populo gratante faventeque multo,
Ilicet, atque manus sceptrum, diademaque vertex.
Francia laetatur, quamvis is Neustrius esset:
Nam nullum similem sibimet genitum reperiret.
Nec quia [leg. *quoque*] *dux illi Burgundia defuit, ejus*
Neustria ad insignis nati concurrit honorem.
Sic uno ternum congaudet ovamine regnum.
Praeterea astutos petiit praeceps Aquitanos,
Mox sibi subjectis, Francorum regna revisit.

6. Itaque Philippus Labbeus, caetera Gallicanae, imo omnis historiae peritissimus, qui Odonem statim Franciae et Aquitaniae regem electum, uno autem sequente a Walthario, Senonensi archiepiscopo, coronatum credidit, in errorem lapsus est, quod Abbonem non satis in consilium adhibuisset; ex quo patet, coronationem ilicet secutam, Aquitanos serius accessisse. Deceptus est Labbeus a Reginone et aliis, qui Everhardi Senonensis mortem in hunc annum contulere, quem Abbo diserte durante Parisiorum obsidione, id est anno praecedente, decessisse, notavit. Odonis etiam diplomata Hieronymus Vignierius in bibliotheca historica protulit, in quibus annus praesens primus regni numeratur. Tale unum habet: *Dat. 2. Kal. Octob. ind. 6, anno inc. d. 888. anno 1. regnante Odone*

A. 888. *gloriosissimo rege.* Sed ante coronationem regis nomen tunc non sumsisset. Extat etiam in collectione capitularium *promissio Odonis regis, quando unctus est a Waltherio episcopo Senonensi anno* 888. Nam Fulco Remensis archiepiscopus, cui coronandi praecipuum jus erat, Widoni scilicet, an puero Carolo favens, electionem non probarat. Odo promittit defensionem ecclesiarum, conservationem juris ecclesiastici, emendationem corruptelarum. Creatum regem (an et unctum?) Compendii, Conradus abbas Ursbergensis et Albertus Stadensis, anterioris haud dubie autoritatem secuti, memorant. Tutorem Caroli pueri (qui Simplex dictus) regnique gubernatorem factum, Aimoini continuator affirmat; et breve chronicon tom. III. Quercetani scribit, ad tempus in regnum electum. Sed reges ad tempus non sumuntur, neque quicquam tale monumenta probata ostendunt. Facile tamen, hanc Francorum mentem fuisse, crediderim, ut puero aliquando jus regnandi salvum esset.

7. Initium regni in Aprilem confert Labbeus. Annus utique certus est, et proinde error esse debet in binis praeceptis appendici capitularium a Baluzio insertis, quae Idibus Junii a. D. 888, ind. 6. anno regni secundo data praeferuntur, in monasterio S. Maximini, quod est Senonense puellarum. Sed annum regni primum ponere oportet, et eodem in loco paulo ante diadema acceperat. Unum praeceptum monasterio Solemniacensi, in Limovicensibus sito, datum est. *Trohanus notarius ad vicem Eblonis recognovit.* Alterum obtinuit monasterium Montis Olivi in dioecesi Carcassonensi. Utrumque ostendit, Aquitanos ad eum respicere coepisse. Illud incipit: *In nomine Dei, summi et aeterni regis;* hoc vulgato jam tunc usu: *In nomine sanctae et individuae Trinitatis.* Utrobique: *Odo gratia Dei rex.* Et videtur variasse: nam aliud in eadem appendice diploma exhibetur, Adalgario Augustodunensi datum, quod incipit: *I. n. s. et i. T. Odo, clementia Dei rex.* Tempus desideratur. Et quartum pro monasterio Juncellensi dioecesis Bituricensis: *In nomine Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, Oddo divina ordinante clementia rex. Arnebodus scripsit ad vicem Ildefredi referendarii et subscripsit.* Sed haec satis suspecta nomina, et tempus male notatum. Nam additur: *Dat. 11. Kal. Dec. ind. 8. anno tertio regnante Oddone rege. Actum Sylvanectis.* Sed November indictionis 8. (in Septembri utique incipientis) est anni 889. inciditque in annum Odonis secundum.

8. Arnulfus, quem Fuldensis annalista paulo diutius, quam necesse erat, in Bajoaria moratum significat, tandem post pascha ad generalem conventum populorum Germaniae Francofurtum venit. Eo adversarii Odonis, Fulco Remensis archiepiscopus, Johannes Rotomagensis, et episcopi Dodilo Cameracensis, Honoratus Bellovacensis, Herdilo Noviomensis venere, ut ex synodo Moguntina colligo. Fulconi Balduinum Flandriae comitem Beslius addit. Apparet, Germanos non ad consilium tantum, sed etiam ad bellum confluxisse. Nam inde rex in procinctu fuit, ut Rhenum Wormatiae transiret, ac deinde in Galliam moveret. Sed Odo tempestatem modestia sua avertit. Venit ipse ad regem Wormatiam usque, ostendit necessitatem rei publicae consensumque populorum

suque in Arnulfi potestate futurum spondet, si jussu ejus assensuque regnaret. Fuldensis scriptor ait: maluisse Odonem cum gratia regis pacifice regnare, quam contra ejus fidelitatem superbire; denique humiliter venientem, fuisse gratanter receptum. Witikindus addit, Odonem Arnulfo regni insignia obtulisse, tanquam ab ejus manu recepturum, ad feudi oblati formam, ut posteriores appellavere. Quod quidem verum esse, pro certo non affirmaverim. Nam si homo Arnulfi factus fuisset, hoc scriptor Fuldensis, autor gravis et aequalis rei gestae, haud tacuisset. Illud malim, quod Regino dixit, consensu; quod Godefridus Viterbiensis, autoritate Arnulfi, Odonem Franciam occidentalem tenuisse. Inter ipsos convenisse non dubium est, ut regnum Lotharii et Burgundia Transjurana penes Arnulfum esset. Arnulfus, cum se nuper privatum et in arcto meminisset, fortunam reverenter habendam putavit, alios quoque regnare passus. Sunt, qui Odoni diadema misisse, eoque hunc Remis a Falcone coronatum 13. Novembris. Ita Beslius, scriptor non spernendus; sed vellem, autores bonos laudasset. Neque enim hoc sine autoritate ab ipso affirmatum crediderim. Anno regni primo, rogatu comitis Megingozi, Ribiniacum villam ex fisco regio in monachos S. Maximini contulit, apud Browerum ad a. D. 896. Unde statim a Lotharienşibus receptum intelligimus. A. 888.

9. Aimoini continuator, et Aimoinus Floriacensis, scriptor miraculorum S. Benedicti, scribunt, Robertum Odonis regis patrem fuisse Saxonici generis virum: abbates Ursbergensis et Stadensis, communi, ut arbitror, autore usi, patrem ei dant ex equestri ordine Robertum, avum Witikinum nescio quem, ex Germania profugum. Witikindus Corbejensis (lapsus alioqui non parum in narratione sua) Odonis originem ex Francia orientali accersit; unde in Galliam venerit, uno tantum servulo comitatus. Sed Robertum ejus patrem virum illustrem genere, inclytum gestis, praecipuum autoritate apud Neustrios fuisse, dubitari non debet, etsi de origine ejus non satis constet, quam supra excussimus.

10. Arnulphus, Odone ad suam voluntatem adducto, in Rodulphum vertit. Rudolfus Guelfigena, Hugonis abbatis ex fratre comite Conrado nepos, conventu episcoporum et procerum apud S. Mauritium, hoc est Agauni, habito, coronam regni Transjurani sumserat, quo Helvetiae pleraque cum Sabaudia continebantur. Tigurinus tamen pagus, aliaque loca Rheno proxima, excipienda sunt, quae semper apud Germanos reges fuere. Posteri Rudolfi se aliquando Allemanniae reges appellavere; et Arelatense sceptrum suo junxere. Richardus dux Burgundiae citerioris, inter Odonem et Rudolfum medius situ affinitateque, sororem utriusque, sed nonnisi uterinam Odonis, Adelaidem, in matrimonio habebat. Et vidit tabulas Quercetanus, Burgundicae historiae scriptor, quibus Rodulfus sororis ducissae abbatiam in Valesia confert. Regionem Transjuranam, inter Rhenum Isaramque jacentem, olim Lotharius Austrasiorum rex tenuerat paterna divisione; mox fratri Ludovico caesari cesserat. Itaque non venit postea in divisionem regni Lothariensis inter Ludovicum Carolumque, patruos Lotharii, quod caesar superesset. Sed hoc quoque extincto, Carolus Galliae rex, mox imperator, cum caetera haereditate etiam

A. 888. hanc partem invasit; quam et filius Balbus retinuit, etsi Italia excidisset. Itaque hactenus juris Gallici erat, et Ludovico et Carolomanno, Balbi filiis, manserat, licet omni caetero Lotharii regno cessissent. Nunc Arnulfi opera in jus Germaniae translata est. Is cum exercitu in Alsatiam venit; sed cum intellexisset, Rudolfum in rupium inaccessa confugisse nec magnis viribus opus esse in fugacem, dimissis copiis caeteris, persecutionem hostis Allemannis mandavit. Rudolfus, inito cum primoribus Allemannis (cognatis suis) consilio, Ratisbonam profectus, se regi commendavit; nec dubito, hominem ejus factum. Errat ergo Regino, qui perpetuum Arnulfi hostem facit. Verum est, recruduisse simultatem.

11. Odo metu Arnulfi solutus, ad Aquitanos festinavit, eosque regno suo adjunxit. Id Abbo memoriae prodidit. Ibi jam Idibus Junii egisse in monasterio, quod dicitur S. Maximini, diplomata bina, in appendice capitularium a Baluzio relata, testantur, unum pro monasterio Solemniacensi, sito ad fluviolum Brivantiam, alterum pro monasterio Montis Olivi in territorio Carcassensi. Pervasitque novi regis autoritas usque trans Pyrenaeos, quando dedicationem ecclesiae S. Mariae Rivipullensis factam, sic scribitur: *Anno incarn. Dom. 888. indict. 6. anno 1. imperii Odonis regis, 12. Kal. Maji, epacta 14.* ut apud Baluzium in marcae Hispanicae appendice extat: ubi et habetur monachus Rivipullensis, autor libri de gestis comitum Barcinonensium, qui circa 1290. vixit, affirmavitque, Guifredo promissam a rege Francorum haereditariam comitatus ditionem, si suis viribus Saracenis resistere posset. Sed haec sine pacto tunc per se procedebant. Comes, Saracenis usque Ilerdam remotis, cum uxore Widinilla monasterium Rivipullense construxit.

12. In Aquitania de comitatu Pictaviensi lis erat, quam Beslius ita explicat: Emmenoni, quod Pipino contra avi Ludovici Pii sententiam favisset, comitatus ademtus a. D. 839. et Ranulfo datus erat; cui Ranulfus filius succedere debebat, etsi Bernardus Arvernus patruus pro eo ditionem teneret, ut Beslius annotavit. Emmeno reconciliatus, Engolismensem acceperat; sed, cum relicto puero Ademaro, decessisset a. D. 866, tutor huic datus cognatus Vulgrinus, frater Hilduini abbatis Sandionysiani, comitatum Engolismensem administravit, et filio Hilduino reliquit, ut alteri filio Guilielmo (cognomine Pio) Petrocoricensem, cujus a matre veniebat, Guilielmo Tolosano nata; Ademaro filiam Sanciam* despondit. Defuncto Bernardo Arverno (ut arbitror) Ranulfus paternos honores petebat; nec minus Ademarus, ope fratrum conjugis, Pictaviense beneficium, quasi injuria patri ademtum, reposcebat. Guilielmus Arvernus, Bernardi filius, Ranolfo favebat. Ranulfi fratres erant Ebolus, S. Dionysii abbas, fortissimus Abbonis elogio, et Gosbertus. Aquitani inter se divisi, facilius sese Odoni summisere, cujus autoritate controversia secari posset. Obiter annotari operae pretium erit, comites Engolismenses, ab Hilduino deductos, diu durasse; Guilielmi posteros mares defecisse, Petrocorios in Bosonem marchiae comitem, filiae Emmae maritum, transmisisse; utrumque comitatum diu in hac gente haesisse; Ademarum orbum decessisse;

*) [Cordemojus Sanciam, Vulgrini neptem, Guilielmi filiam facit] *in margine.*

Pictavos, quos ab Odone obtenuerat, tandem ad Ranulfi genus redisse, A. 888.
qui postremo ducum Aquitaniae nomen tulere.

13. Interea Normanni, cum Chaziaci hyemassent, diu per Galliam de more vagati, tandem ad Meldensis oppidi obsidionem accessere. Odonem in tempore succurrere causae multiplices prohibuere, et sero auxilia contrahebantur. Normanni, non pro barbaris agentes, ex tumulo structo urbem machinis fulminabant. Muro labante, cives fracti deditionem fecere, pacta salute ac libertate. Sed digressos, cum vix Matronam transissent, insecuti Normanni, omnes, quos deprehendere potuere, cum episcopo cepere. Urbs crematur, muri evertuntur. Odo tandem, congregato exercitu, prope Parisiorum urbem sub autumnum castra metatus est, ne illa iterum obsideretur. Normanni igitur ex Matrona in Sequanam reversi, descensuque apud Parisios prohibiti, sursum iter vertere; Hionamque flumen ingressi, ad ejus ripas sibi hyberna statuerunt. In his Abbonem sequor, qui post Meldas eversas Lutetiam ab Odone defensam scribit. Tunc et Trecas captas, Senones redemtos puto.

14. Wido cum in Italia et Burgundia vires contraxisset, in Galliam venit. Beslius, nescio unde, scribit, apud Lingones in Burgundis coronam sumsisse, episcopo Geilone imponente. Egilonem intelligi, puto; sed cujus tunc controversa erat ordinatio, ut ex epistola Stephani papae ad Fulconem Remensem patet: et Egiloni Odonem regem favisse, ex responso Fulconis discimus, non facturum, si Egilo aemulum coronasset. Praeterea archiepiscopi id munus habebatur. Belgicam, id est Lotharii regnum, affectasse Widonem, habent annales Fuldenses. Atque huc pertinet fabella Luitprandi, praemissum a Widone dapiferum, ad episcopum Metensem venisse, et laute habitum, dixisse: *Si mihi equum dederis, faciam, ut tertia hujus obsonti parte Wido contentus sit.* Episcopus negavit, regem sordidum Francis convenire. Sed episcopum graviores causae a Widone avertebant: nam satis constabat, Arnulfum nulla Germaniae parte cessurum. Illud facilius crediderim, quod Luitprandus scribit, Widonem sero venisse, cum jam Franci, sumto Odone, sibi consuluissent. Itaque reditum in Italiam praecipitavit, ne utrinque excideret. Sed Berengarium jam coronam praeoccupasse invenit.

15. Berengarius post patrem Everhardum Forojulii et limiti Italico praeerat, et cum exercitu ad Avares, Slavos, aliosque barbaros arcendos excubabat. Unde Evrardum marchionem apud Frodoardum Fulco Remensis vocat. Itaque et Berengarius comitis nomine, ducis potestate agebat; neque illi quisquam in regno Longobardorum comparari poterat, Widone excepto, cui cum Spoletina provincia alius exercitus creditus erat, Graecis et Saracenis oppositus; etsi Adelberti etiám, Thusciae marchionis, non spernendae opes essent, qui oram inferi maris tuebatur. Nec mora, Berengarius post Caroli augusti mortem et Germaniae Galliaeque divortium, episcopos et proceres Ticinum convocat, et ex eorum sententia, ut ex poeta, ejus panegyrista, intelligimus, coronam sumit, imponente Anselmo, praesule Mediolanensi, si modo Sigonio credimus. Rem ante 4. Non. Maji actam, ex concessione Berengarii, hac die anno regni nono,

A. 888. incarnationis Domini 895. ind. 13. data, colligitur, qua Veronensibus, post multos lapsu circi laesos, opera publica ruinam minitantia demoliri permittit. Haec prima Longobardici regis coronatio fuerit. Veteres reges tantum sublimes tollebantur. Franci hactenus in Italia Romano diademate contenti fuerant; etsi aliud ingerere soleat Sigonius, suas suspiciones secutus. Hinc idem jam cum vulgo Italos reges computat. Sed recte Valesius disputat, omnes genere Francos fuisse, etsi pleriqne in Italia nati fuissent. Everhardum, Berengarii genitorem, Francum nobis monumenta demonstrant: Widonem ad Francos ipse refert poeta Berengarianus, et nunc Gallicum heroa, nunc Rhodanicum ductorem appellat; et a Francis traxisse consanguinitatis lineam, Luitprandus ait. Ludovicus Bosonis filius, Rudolphus Burgundiae rex, Hugo Viennensis, Berengarius junior Eporediae marchio, non minus Francici generis fuere; neque quisquam horum omnium lege Longobardorum aut Romana vixerat. Rem intellexit Leo Marsicanus, qui Berengarium II. ultimum regum Francicorum fecit; etsi in eo lapsus, quod Teutonicos omnes a Francicis sejunxit, cum a Saxonibus ad Francos imperium redisse constet.

16. Berengarius caeteris regnorum invasoribus eo praestabat, quod avum Ludovicum Pium habebat: ex hoc natam matrem ejus Giselam, primus notaverat Miraeus in codice donationum piarum. Eum secuti sunt Andreas Quercetanus et fratres Sammarthani in genealogia Francica. His se opponit Hadrianus Valesius in notis ad panegyricum Berengarii 1. cap. 2, aitque, reperiri a se apud veteres Alpaidem (Begoni nuptam) filiam Ludovici Pii, nuspiam Giselam; sed cum scriberet Valesius, cujus opusculum a. D. 1663. prodiit, nondum in lucem missus erat Spicilegiorum Lucae Dacherii tomus duodecimus, ubi historia Cisoniensis monasterii ab Everhardo, patre Berengarii regis, et Gisela fundati prodiit, nec tantum testamentum Evrardi, quod jam Miraeus ediderat, conditum anno 24. Ludovici non Pii (ut Miraeus crediderat) sed junioris augusti, nempe in regno ejus, in comitatu Tarvisino; sed et donationes Giselae jam viduae continentur, in quibus diserte Carolum regem germanum suum (*si dicere audeam*, inquit) vocat. Prior data est *Victreiaco villa publica, 17. Kal. Maji, ind. 1. in anno 29. regnante Carolo rege* (id est a. D. 868.) posterior *Fisco Cisonio apud monasterium, 4. Non. April. anno Verbi incarnati 870, anno 31. regnante domno et serenissimo Carolo.* An legitima soror fuerit, dubitari adhuc possit, ob illam repetitae aliquoties modestiae parenthesin, *si dicere audeam.* Sed hanc dubitationem tollit locus Agnelli contemporanei, historici Ravennatis, qui in rebus Georgii archiepiscopi, eorum, quorum res explicat, ultimi: *Antequam*, inquit, *hic moreretur, augustus* (Ludovicus Pius) *divisit imperium suum inter reges filios suos. Cessit Lothario augusto maxima pars, Pipino Aquitaniae regnum, Ludovico Bajoariae; hi Ermengardae filii. Carolo vero plus fertilem et optimam largitus est partem, et filiam Giselam suam tradidit marito Curado nomine.* Legendum est Eurado, ut soleat C et E in manuscriptis facile permutari. Addit: *hunc et hanc Judith augusta parturiit.* Eurardus in Italia potens Italo scriptori notus fuit, Begonem in Gallia cum Alpaide ignoravit.

17. Arnulfus, intellecto Berengarii ausu, expeditionem in eum decrevit: sed prius cum Odone et Rodulfo transegit. Deinde cum Bajoariorum copiis Italiam ingressus, Berengarium Tridenti obvium habuit: qui se imparem agnoscens, et aemulum Widonem intelligens, ad Arnulfi fidem confugit, sueti jam ignoscere regibus, nec invidere fascibus sibi summissis. Scribit Fuldensis, Berengario nihil regni ademtum: excipiuntur *curtes navium et sagum*. Qui locus corruptus aegre intelligitur. An curtes quasdam regias in Germaniae vicinia sibi Arnulfus servavit, in signum supremi dominatus? Sagenae erant navium species, sed non apparet, quid eae ad rem. Venit etiam in mentem pro curte navium Portus Naonis, ubi mox diploma datum. Arnulfus deinde tot expeditionibus utcunque defunctus, dimisso milite, per Forum Julii cum paucis in Carantanos penetravit, et in vetere regia sua (Mosburgi, ut arbitror) natalem Domini celebravit. A. 888.

18. Rex vicinus mari Hadriatico, apud Portum Naonis Bovoni abbati novae Corbejae in comitatu ejus (ut apparet) agenti 13. Kal. Sept. anno regni secundo ind. 6. res proprietatis regiae, quas nobilis vir Hohwardus in beneficium habuerat, in proprietatem concessit; quicquid scilicet et ille habuerat in pago Huverango in comitatibus Ekberti et Reighardi et Herimanni, et in locis Diringisa-Marca, Schidera, Adikenhusen et Muchohusen, hobas scilicet 25. Res acta ad curtem Portenaha. Schatenius in annum sequentem retulit, quod curtis Portenahensis situm non observasset, quem videtur in Westfalia quaesisse. Indictio sexta, non septima ponenda est. Male etiam nomina pleraque propria edidit, ex Bovone abbate facit Bodonem, ex Reighardo Reithardum, ex Diringa Piringam, ex pago Himmeltago pagum Huverango vel Huveitago, quae Paullinus in libello de pagis correxit.

19. Interea Berengario Tridentum digresso, Wido cum Gallis Tuscisque in Longobardiam irrupit, regnum sibi vindicaturus. Reverso Berengario, concursum est ad Brescianam civitatem, (ut ait Erchempertus) magna utrinque clade: sed potior Berengarius, spolia caesorum legit. Inde induciae usque ad epiphaniae festum pactae sunt. Luitprandus, hoc praelio perinde ac sequente victum Berengarium, scripsit: sed Erchemperti autoritas potior est. Seriem gestorum poeta docet:

— — Princeps aberat, pacemque parabat
Imperio, Veronae Athesis qua culta salubris
Irrigat: ecce gradu celeri petit alta minister
Tecta ducis, sudore madens: Fortissime rector,
Inquit, adesto tuis.

Deinde obvium isse Berengarium, praeliumque commissum describit. Widonem fortissime pugnantem, sed a milite desertum, altera die cadavera ad sepulturam petisse. Hac velitatione praetentata est fortuna: mox ambo majore apparatu bellum instauravere.

20. Dum Wido regno inhiat, pulcherrima in Apulia occasio rei bene gerendae amissa est. Barienses hoc anno Graecis rebellant, Ajonem Beneventanorum principem Siponto ad opem ferendam vocant, quem

A. 888. urbem tradunt. Inde Ajo auxilium Adenulfo contra Athanasium et Graecos tulit, commissoque praelio ad S. Carsium, Athanasius victus est. Nec multo post Ajo cum Constantino dapifero, Graecorum patritio, congressus, plerisque suorum amissis, cum paucis in urbem penetravit. Haec anno praesente, id est indictione 6, gesta, ex breviculo chronico apparet, quod Camillus Peregrinus Johanni abbati Casinensi tribuit, si scilicet illud cum Erchemperto comparetur. Porro cum Ajo obsidionem in annum et ultra tolerasset, frustraque a Francis et Adenulfo opem oraret, tandem urbem, tanto labore olim Saracenis extortam, Graecis tradere coactus est. Hoc etiam anno, mense Octobri, in ipso freto Siculo praelio navali inter Graecos Saracenosque certatum est, memorante Erchemperto; ubi Graeci pene omnes periere.

21. In Saxonia Rembertus, secundus Hamburgensium archiepiscopus, post multos apostolicos labores ad meliorem vitam transiit, diesque ejus natalis quarta Februarii recolitur; et tamen Adamus Bremensis depositionis diem facit 3. Idus Jun. Anno superiore in synodo Coloniensi memorabatur; at in Moguntina hujus anni, successor Adalgarius affuit. Itaque de anno obitus dubitari non potest; quem etiam confirmat necrologium Fuldense, et dispositione ipsa, qua nomina defunctorum anni recensentur, Adamo in die assignanda favet; at synodus Moguntina loci fastis. In Turholto oppido Flandriae puerum scholam frequentantem Anscharius sibi delegerat erudirique curarat. Adultum ad se vocavit, et individuum comitem legationum habuit, tandemque sibi successorem destinavit. Probatum clero et populo, Luitbertus Moguntiae consecravit. In reditu Adalgarium ex Nova Corbeja socium delegit, quem denique pari fato successorem habuit. Pallium Rimberto Nicolaus papa misit; Ludovicus rex Germaniae (non caesar, ut magister Adamus) ferulam pastoralem dedit. Mari terraque nulla pericula defugit, ut Christi doctrinam propagaret. Reges quosdam Daniae Sueciaeque sacro baptismo tinxit, victoriam contra Normannos in Frisia obtinuit. Dicitur et quendam regis filium a daemonio liberasse. Affuit fortasse, cum Carolus, Ludovici Germanici filius, furore corriperetur, caeterorumque precibus suas jungens, plus aliis meruisse visus est opinione sanctitatis. Extat ejus vita, ab autore aequali scripta, quam Henschenius suo more praeclare illustravit.

22. Successit Adalgarius, qui ferulam pastoralem ab Arnulfo, pallium a Stephano, consecrationem ab archiepiscopo Moguntino Luitberto accepit. Adamus Bremensis Sinderoldum Luitberti successorem nominat: sed pro Luitberto stant acta synodi, quae mox dabuntur, ubi decreto Luitberti *Adalgarius, ecclesiae Hammaburgensis archiepiscopus, consensit et subscripsit.* Aderat tunc et Willibertus Coloniensis, cui mox successit Herimannus. Is veterem de Bremensi jure litem Adalgario intentavit. Utrumque Stephanus Romam vocavit; Herimannus defuit. Itaque Fulconi Remensi papa rei discussionem commisit, mandavitque, ut synodum ad Vangionum civitatem convocaret, cui Herimannum Coloniensem et Sinderoldum Moguntinum adesse jussisset. Sed an Fulco haec agere po-

tuerit volueritque in alio regno, non constat. Lis certe ad Formosi tempora protracta est. A. 888.

23. Ottonis ducis Saxoniae (etsi sub comitis nomine) hoc anno in veteri monumento mentionem factam invenio, ob commutationem praediorum cum Corbejensibus institutam: qui sitis trans Ovacrum locis cessere, ut vicissim haberent, quae in pago Nithersi Otto tenebat. Ita utrique consuli rex ait; magno indicio, multum territorii Odonis Ovacro assitum fuisse. Integrum regis praeceptum transcribere operae pretium erit, in quo non pauca observari merentur. Cum ex jurisprudentia illorum temporum nihil ecclesiis, nisi allodiali jure daretur; rex bona, quae Otto beneficii lege habebat, ecclesiae jure proprietatis concessit: contra, quae ab ecclesia vicissim acceperat, in Ottonem jure beneficii transtulit. Notanda etiam inter litos colonosque differentia est, et salinae jam tum in villa Dalheim exercitae, quae nunc Salzdalem appellatur, et a duce Brunsvicensi Antonio Ulrico (ut majora nunc taceam), elegantissimi ingenii principe, mirifice ornata est. Ex his intelligimus, Brunsvicensem tractum ad Ovacrum illis temporibus in Ottonis, et mox in filii Henrici Aucupis jure fuisse. Nam Dalem villam et Guelfebytum, sedem hodie ducum, idem collis de propinquo oculis subjicit. Pagus, qui hic Nithersi, in diplomate Ottonis II. Corbejensibus a. D. 980. dato apud Paulinum in pagis Nitherse appellatur; ubi alia hujus pagi loca nominantur. Idem erit qui Niterga vel Nithega in diplomatis Henrici Sancti et vita episcopi Meinwerci, scilicet ad amnem Nettam (qui paulo supra Huxariam Visurgi miscetur), unde ad Dimolam porrigebatur. Sequitur praeceptum Arnulfi regis.

24. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Arnulfus divina favente clementia rex. Convenit regiae excellentiae, ut inter fideles suos mutuam utilitatem providere, et de singulorum rationabilibus commodis assensum praebere velit. Quapropter omnibus notum esse volumus, quoniam inter fideles nostros Bovonem abbatem et Oddonem comitem pro mutua utilitate hanc commutationem fecimus, ut res proprietatis nostrae in Godeleveshem* [forte hodie Kulsem] *et in pago, qui dicitur Nithersi, Oddoni beneficiatas ad monasterium Novae Corbejae, cui praefatus praeest abbas, in jus proprietatis traderemus, cum omnibus familiis, mancipiis, terris, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, et omnibus omnino rebus, tam mobilibus, quam immobilibus, qualenus ex hoc ad praedictum monasterium cum omni integritate mancipentur. E diverso autem res ejusdem monasterii, in orientali parte ultra fluvium Ovaccram conjacentes, in nostrum jus cum omnibus, quae ad eas pertinent, receptas Oddoni in beneficium concessimus, id est in Dalhem litos 14, colonum 1, et sextam partem salinarum. In Odenhem litos 14, colonos 2. In Kikthi* [Kichi, forte *Sikthi*] *litos duos. In Leri litos 11, colonum 1, mansos duos et dimidium. In Lauhingi colonum unum. In Stoderstet litos duos. In Mulhumstedi litos 3. In Sephingi mansos 5. In Vridus* [Uredus, Urdelen] *litos 7, mansos 12. In Rodinesleva litos 20, mansos 60. In Dallangibulli* [Dallangibuch 51] *colonos et mansos 15. In Beriwidi*

A. 888. *colonos et mansos 16. In Sladforde colonos 7, et octavam partem totius marcae. In beneficio advocati mansos 8. In Ailmundesrothe mansos 20. Utrique ergo parti per hoc consuluimus, eo quod utrimque major commoditas in locorum situ habeatur, quam antea fuerit. Et ut firmiter ista omnibus in futurum temporibus constent, manu propria roborata annuli nostri impressione signari praecepimus. Signum domini Arnolfi serenissimi regis. Aspertus cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi et subscripsi. Data 4. Idus Junii anno dom. incarnat. 888. indict. 6, anno autem domini regis Arnolfi largissimi regis primo. Actum Franchonofurt palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.*

25. Regem 10. Kal. Sept. ad Rhenum in curte regia Gernesheim in aditu Alsatiae egisse, ostendit charta praecepti, quod ab eo Hembill, abbas monasterii Werthinensis hoc anno, indictione scilicet 6. anno regni primo, anno incarnationis Domini 888. impetravit. In quo habetur monasterium a beatae memoriae sancto Liudgero episcopo in propria haereditate constructum monachisque traditum, et defensione gloriosissimorum regum, Luthewici filii magni regis Karoli, pro aeterna ipsorum omnisque generosissimi generis memoria hactenus conservatum. Concedit autem rex, ut ubicunque dominicatos mansos habent monachi, decimae, quas alias tollunt episcopi, ad portam monasterii concedantur, neque eas alibi dare cogantur; ut scilicet inde peregrinis et hospitibus inserviatur. Insuper fratrum collegio eligendi abbatem inter se potestas conceditur. Abbas monasterii ad castra et in hostem (id est exercitum) ire non cogatur, nisi forte regia liberalitate adjuvetur. Haec fere ad exemplum eorum, quae nuper Carolus III. Corbejae Novae concessit. Unde suspicio interpolationis confirmatur, quae nobis tunc nata erat: nam illic suspecta hinc absunt. Ansbertus cancellarius in proximo commutationis diplomate, Ernestus notarius in praesenti, uterque ad vicem Theotmari archicapellani recognovit.

26. Hoc anno insignis Moguntiae synodus habita est. Quo anni tempore, incertum, nisi quod intelligi potest, Remberto Hamburgensi et Reginardo Strasburgensi extinctis celebratam, quia horum successores nominantur, intervenere Adalgarius et Baldramus. Dubia est fatalis Remberto dies, Reginardus in catalogo Ercanbaldi successoris scribitur extinctus hoc anno sexto Idus Maji; ibidem dicitur, in periculo quodam (tumultuante, ut arbitror, populo) ad aedem martyrum Cosmae et Damiani, tanquam ad salutare asylum confugisse. Baldramus obiit a. D. 906, ubi de ejus morte dicemus. Credibile est, sub initium aestatis synodum habitam, cum rex Francofurtum venisset. Nam orationes pro glorioso rege Arnulfo et ejus conjuge decernuntur, placetque, ut annuntietur ei, quid sit rex, et quod officium regis. Caetera capitula fere aliunde repetita, aut non ignoti juris. Caeterum in praefatione deplorantur mala publica, exusta templa, eversa coenobia, diruta altaria, trucidati sacerdotes, multa christianorum millia occisa aut in servitutem abstracta: haec peccatis principum et populi imputanda, remediumque a morum emendatione petendum.

27. In hac synodo tractata est controversia, quae Corbejensibus et Herivordiensibus cum Bisone, episcopo Padebornensi, intercedebat. Bovo Corbejensis abbas, pro suis et Herivordiensibus agens, chirographa principum, et novissimum Arnulfi gloriosi regis, his ipsis diebus noviter ad regnum provecti, cartas etiam Romanorum pontificum Hadriani et Stephani produxit. Itaque Luitbertus archiepiscopus: *Nos*, inquit, *tantis autoritatibus subscribendo, confirmamus, ut nullus episcopus Padebornensis aliquam ex iis accipiat portionem, neque in his, quae regiminis locum tenent, vel in ipsis congregationibus, vel in ipsis coenobiis potestatem obtineat; neque in clericis, neque in famulis: neque ad monasteria vel cellas eorum vel ipse per se episcopus, vel oeconomus ejus, vel archipresbyter, vel archidiaconus, vel quaelibet ex ejus agentibus persona, potestatem accedendi habeat, nisi necessitatis gratia vel dilectionis, vocatus advenerit; neque in ecclesiis subjectis aut in presbyteris earum aliquam perturbationem facere tentet. Ordinationes, quae contrariae* (lego: *necessariae*) *fuerint monasteriis, agere non differat, altaris quoque et basilicarum benedictiones sive consecrationes, prout necessitas postulaverit, vel in ipsis monasteriis, vel in agris eorum concedat: chrisma quoque oleumque consecratum per singulos annos praebere non differat, et pro his omnibus nullum munus exigat. Idem et ad alios episcopos pertineto, quorum in dioecesi loca eorum sita sunt. Habento potestatem eligendi abbatem vel abbatissam in utroque monasterio, non canonicum, aut laicum, neque alterius monasterii monachum; in quo nos audire dignetur regia dominatio. Rectoris non dejiciantur, nisi crimine comprobato; potestas etiam a metropolitano ad apostolicum appellandi servetur.* Subscribunt *Fulco metropolitanus, ecclesiae Remensis episcopus, Willibertus Agrippinensis, Thiadmarus Salzburgensis, Redbodo Trevirensis, Joannes Rotomagensis, Hildegrinus Halberstadiensis episcopus, Adalgarius ecclesiae Hammaburgensis archiepiscopus, Arn Wirtziburgensis ecclesiae episcopus, Liawardus Vercellensis, Hrodbertus Mettensis, Adalhelmus Wurmacensis, Godethancus Spirensis, Wicbertus Hildineshеimensis, Deth Wirdunensis, Dodilo Cameracensis, Honoratus Belvacensis, Herdilo Noviomagensis* [Noviomensis], *Balthramnus Stratzburgensis, Waldo Frisingensis, Thiadulfus Curacensis* [Curiensis].

28. Fulconis praesentia, et aliquot aliorum Galliae episcoporum confirmat, synodum actam, antequam Arnulfus Odoni conciliatus est. Videntur enim Germaniae regem excivisse, qui novo Galliae principi adversabantur. Sed postea Fulco Odonem regem agnovit, ut ex literis ad Stephanum papam datis patet, quas Frodoardus nobis conservavit. Atque hinc etiam malo, Rembertum non Junio mense, sed Februario decessisse*.

29. Huc etiam synodum refero, a Ratbodo in suburbio Metensi, ecclesia S. Arnulfi celebratam ipsis Kalendis Maji. Nam hunc annum diserte praefatio habet. Affuere suffraganei episcopi, Robertus Metensis, Dado Virdunensis, Arnoldus Tullensis, Stephanus denique abbas. Sirmondus Kalendas Martias praefert, et in a. D. 893. differt; quae etiam

*) *Leibnitius addiderat:* Baldrami etiam Argento . . . . .; *quam sententiam non finitam Eckardus expunxit.*

A. 888. Broweri sententia est. Oportet ergo variare codices: faveo tamen huic anno, quod supplicationes pro rege Arnulfo decernuntur, prorsus ut hoc eodem anno in synodo Moguntina factum est, cui aderat Radbodus ipse cum duobus suffraganeis suis. Neque est, cur id officium in eum annum cum Sirmondo differamus, quo rex ipse in Lothariense regnum venit. Nihil in canonibus hujus synodi singulare est, nisi quod vetantur Metenses cum Judaeis loci manducare aut bibere, aut esculenta vel potulenta ab ipsis accipere, qui nostros cibos immundos judicent. Quanquam enim hoc aliis olim conciliis (Agathensi et Matisconensi) cautum esset, tamen observatio in desuetudinem venerat.

ANNO CHRISTI 889.

Conventus generalis Forchemii. — Concessiones Arnulfi pro ecclesia Trevirensi et Adalgero comite. — Donatio praediorum Gerolfo Frisiae comiti facta. Ottonis Saxoniae ducis matrimonium. — Expeditio in Obotritos. Metelensis monasterii fundatio confirmata. — Odo rex Normannos vincit. Alii Normanni castrum S. Laudi obsident. — Riculfi episcopi Suessionensis constitutio synodalis. Fraternitatis Kalendarum origo. — Berengarius et Wido vires undique contrahunt. Widonis socii. — Berengarii socii. — Vincitur a Widone Berengarius. — Wido regis nomen hoc anno assumit. — Luitbertus archiepiscopus Moguntinus obit: succedit Sunderoldus. — Papae responsa de probationibus vulgaribus et canonibus synodi Nicaenae ad Luitbertum. Hujus epistola ad Ludovicum regem et ad eam responsio. — Hungari nunc primum Germanis innotuere. Jornandes eorum meminit. — Origo Hunnorum ex interiore Scythia Siberiaeque confiniis. — Scythia omnis aut Fennici aut Sarmatici aut Turcici generis incolas habuit. — Hungari cur se Magyares vocent. Non venere ex Juhra, neque ab Urgis descendunt. Cur ad Danubium processerint nunc. — Migratio Hungarorum in Pannoniam. Qui sint Patzinacitae.

A. 889. 1. Arnulfus paulo maturius, quam necesse videbatur, de successore cogitans, in conventu generali Forcheimensi, in confinio Franciae et Bajoariae habito, id egit, ut proceres utrique per sacramenta promitterent, si quid ei humani contingeret, filios ejus ex concubinis genitos, Zuentibaldum et Ratoldum, regnaturos. Franci aliquamdiu dubitarunt; tandem ea lege assensere, si legitimi nulli extarent. Haec annalista Fuldensis memoriae prodidit. Aventinus una matre genitos scripsit Helmrada; quae unde hauserit, non constat. Legati etiam a Normannicis et Slavonicis populis affuere, amica omnia pollicentes. Exercitus deinde in Abotritos destinatur. Conventus alius Francofurtum indicitur in aestatem.

2. Ibi rex ipsis Kalendis Julii Rathbodo Trevirensi archiepiscopo, ut ecclesiae damna sarciret, Trajectensem S. Servatii abbatiam in comitatu (id est pago) Moselant diplomate dato concedit, quod apud Miraeum in notitia ecclesiae Belgicae extat; sed emendatius apud Browerum ex originali. Tunc et, intercedente Sunderoldo Moguntino antistite, Adalgerus comes in pago Lisgau, comitatu suo, villis Wolfenni et Halafald, hobas 21 et mansos 4 a rege in proprium accepit, ex tabulis, quas Schatenius refert: credo, ut eadem in pia loca transferre posset. Data charta 2. Non. Jul.; actum Franconofurti.

3. Mox pridie Nonas Augusti Gerolfo comiti bene merito praedia

inter Rhenum et Suithardes-Hagam rex concessit in comitatu ipsius, in A. 889. locis Northa, Aspretoshem, Bedokenlo, Alburg, Horna, Huvi, Theole, Aske. Reginoni Frisiorum comes appellatur, is, opinor, quem Godefridus Danorum regulus nuper ad imperatorem miserat. Ei filios tribuunt Walgarium comitem et Theodericum, eum, opinor, quem Hollandiae comitem quidam volunt, de quo ad a. D. 923. Circa haec tempora Arnulfus Ottoni Saxonum duci filiam Lutgardem in matrimonium dedit, si Cranzio, Schatenio etiam, et aliis viris doctis credimus. Sed nulla apud vicinos rei scriptores hujus conjugii vestigia sunt, ex quo Henricum regem natum volunt; sed cui Hadwida mater apud Ditmarum. Henricus, coronam unctionemque nobilioribus se relinquere, modeste dixit, non dicturus, si Arnulfum avum habuisset. Lutgardem sororem Ottonis Ludovico Germanico juniori nuptam (aliud necessitudinis regiae vinculum) conjugi ejus confusam, apparet. Nec Blondello assentior, Ludovico Germanico natam Hadwigem: an enim tantam affinitatem, decussatamque praeter alios veteres Roswita ignorasset aut siluisset? quae filiam Ludolfi filio Ludovici jungit, non vicissim; cum tamen posterius magis pertinuerit ad decus gentis, quam celebrabat. Arnulfus Francofurto in Allemanniam digressus, ea lustrata, Ratisbonam rediit, ibique natalem Domini egit.

4. Deinde in Obotritos movit. Quid effecerit, non constat. Opera Ottonis Saxonum ducis usum, credibile est. In itinere Corbejae Novae agens, litem Osnabrugensem terminasse videtur, de qua anno sequente. Sed et praeceptum religiosae foeminae Friduwi concessit, quo Metelensis virginum coenobii fundatio ab ea facta confirmatur. *Aspertus cancellarius ad vicem Diethmari archicapellani recognovit. Dat. 10. Kal. Sept. anno inc. Dom. 889, ind. 7, anno secundo Arnulfi piissimi regis. Actum Novae Corbejae.* Metelense monasterium nunc quoque floret. Friduwis ibi primam abbatissam egit; accessit ei filia Wiburgis; templum SS. Cornelio et Cypriano dicatum voluere. Mox Oda dotem auxit, quae ex Benthemensium familia creditur, ut Schatenius annotavit.

5. Odo vero rex ipso festo Johannis baptistae die insignem de Normannis victoriam ad Montem Falconis prope Axonam reportavit. Venanti nuntiatur, undeviginti millia Normannorum in vicinia esse: ipse non plures millenis secum habebat. Sed cornu venatorio ex edito loco caeteros vocat. Valles montesque respondent: turbantur hostes, Franci acrius incumbunt. Normannus aliquis securim in caput regis destinat; ictus inclinatione galeaque frustratus, in humerum descendit. Rex feriendi certior, barbarum obtruncat. Denique Normanni magna strage vincuntur. Haec Abbo; sed quem numeros victi exercitus auxisse credibile est. Haec cum inferioribus Normannis acta. Superiores cum sub autumnum iterum descendere per Sequanam, et ad aperiendum sibi iter, Parisios aggredi cogitarent: Odo affuit, pecuniaque data ita cum illis pactus est, ut innoxii secus urbem navigarent. Ita secundo flumine mare repetierunt. Sed mox, quasi jam soluti pacto, pars navibus, pars terra Constantiense territorium petunt, et castrum S. Laudi circumsident; credo, quod incolarum opes in castro, tanquam munitissimo loco, depositas scirent. Obsidio in longum extracta est.

A. 889. 6. Extat Riculfi Suessionensium episcopi constitutio synodalis, (ut apparet) hoc anno confecta. Ibi jubentur sacerdotes memoriter tenere psalmos, et sermonem fidei catholicae, cujus initium: *Quicunque vult salvus esse etc.* Unde intelligas, nomine symboli Athanasiani parum tunc notum fuisse; alioqui hac circumlocutione opus non erat. Jubetur etiam unusquisque eorum habere missalem, lectionarium, evangelium, martyrologium, antiphonarium, et librum quadraginta homiliarum B. Gregorii correctum. His tunc necessaria sacerdotis bibliotheca constabat. Apparet etiam ex hac constitutione, presbyteros rurales tunc scholae quoque magistros egisse; ita tamen, ut puellas in scholam suam non admitterent. Intelligimus etiam, presbyteros in Kalendis cujusque mensis per singulas decanias convenisse, scilicet sub suis decanis vel archipresbyteris, vel, ut postea dicti sunt, archidiaconis, qui superintendentibus nostris respondent. Jubet ergo Riculfus, ut non tam pastui et potationibus, quam precibus et utilibus collationibus de necessitatibus ecclesiarum vacent. Ex hoc more serius fraternitates Kalendarum natas apparet.

7. Berengarius et Wido in Italia pro se quisque vires contrahunt. Wido Spoletinos Camerinosque suos in arma ciet. Thuscos ab Adalberto sororio; Gallos a cognatis proceribus summissos, in auxiliis habebat. Inter caeteros Albericus quidam nominatur, Camerinorum gubernacula sperans, de quo ita poeta Berengarianus:

Pauper adhuc Albricus abit, jam jamque resultat
Spe Camerina; utinam dives sine morte sodalis!

Quae non satis intelligimus. Venit et Ubaldus, is, credo, quem Bonifacii Spoletinorum et Camerinorum marchionis patrem, singulari duello Bajoarii provocatoris victorem, Luitprandus laudat. Ejus jam supra mentio a nobis facta est. Maginfredum non nominat, sed indicat poeta, cum sic ait:

— — Jubet tandem Lamberticus horror
Praecipuum truncare.

Hunc enim irati Lamberti, Widone nati, jussu capite plexum, infra videbimus.

8. Berengarii deinde socios poeta recenset. Ignotos non attingo; caeteros inter

— — — — Tria fulmina belli
Supponidae coeunt, regi sociabat amato
Quos tunc fida satis conjux; peritura venenis,
Sed postquam haustura est inimica hortamina Circes.

Supponis comitis inclyti tres filios supra nominavimus. Apparet, sororem eorum Bertilam in Berengarii matrimonio fuisse, et tandem infidam viro, tragice interiisse.

— — — — Nec segnis abibat
Albricus, Tiberine, tuas non sanguine lymphas
Qui fraude infecit; quingentaque robora belli
Eduxit patriis horrentia viribus, atque
Francigenis olim duris exercita ludis.

Albricum hunc Francum fuisse, nescio an hinc inferri possit: qua A. 889.
inde Tiberim infecerit, frustra divinabitur. Eumne esse putabimus comitem, qui Carolum II. imperatorem in conventu Ticinensi agnovit; quem Carolus III. Ravennae, invito pontifice Johanne, praefecit, cujus, cum more Franca, diploma habetur?

Jamque morae impatiens glomerat Bonifacus amicos,
Alter ab adverso, ac paribus circumdatus armis
Berardus; numero ter centum maxima vulgi
Pars: Italo vibrant omnes de more sarissas,
Orbe latusque tegunt clypei pro Martis sinistrum.

Berardi alias erant Marsorum comites, sed Franci origine, ni fallor, non Itali.

Advolat Azo ferox, subigens in bella sodales,
Vicinoque suos cogens ab limite turmas
Olricus, Latium Hadriacis qua clauditur undis.
Et labor est saevis gladios praetendere Abaris.

Hic vir historiae scientissimus, Hadrianus Valesius, annotat, Azonem Atestinum videri, sive Estensem, cum Ateste parum distet Hadriatico mari, et Olricus vicino a limite undisque Hadriacis manum suam coegisse scribatur. Unde Azonem situ propinquum Olrico intelligimus. Sed alia esse nobis aperuit origo principum, qui postea Atestini sunt appellati, et Ateste serius obtinuere. Olrico apparet Berengarium, nomine regis sumto, tutelam limitis contra Avares Slavosque credidisse, qui a Foro Julii ingruebant; quam ipse prius post patrem sub regibus Francorum curarat. Olricus natione Suevus, comitem palatii apud Berengarium egit, tandemque ab eo defecit, de quo Luitprandus historicus.

9. His utrinque viribus concurritur ad Trebiam flumen circa Placentiam. Nam Brixiense praelium anterius fuisse, Erchempertus probat, contra Sigonii dispositiones. Si poetae credimus, neutro victore nox pugnantes diremit. Sed ille Berengario suo favet. Widonem superiorem fuisse, Luitprando credi malim; et eventus consentit. Nam Berengarius Arnulfi opem poposcit. Et Regino: *Ad extremum*, inquit, *Wido victor existens, Berengarium regno expulit*. Idem addit, hunc usque ad Arnulfum profectum ad opem petendam; in quo vereor, ne scriptor parum diligens priorem Berengarii accessum transposuerit, quem silet. Wido non tantum Ticinensi regia potitus est, sed etiam Berengarium ita in angustum redegit, ut vix Veronae tutus esset, rursusque ad Arnulfi opem fidemque confugere cogeretur: qui apud poetam aegre fert, eo rem devenisse, ut cognatus princeps nec domi suae requiescere posset:

Nostra ut progenies propria vexetur in aula.

Itaque Zwentibaldum ei auxilio destinavit in annum sequentem.

10. Widonem jam 3. Kal. Jul., nondum 7. Kal. Jun., nomen regis sumsisse, ex binis diplomatibus elicitur, quae his diebus dedit. Unum extat apud Baluzium in Actorum veterum appendice ad capitularia. Ibi Wido d. f. cl. imp. augustus b. virginis et martyris Christinae coenobium, in Italico regno constructum haud procul a curte regia Olonna (ubi abbas

A. 889. Rudolphus), in tutelam recipit, interventu Ageltrudae imperatricis, ei libertatem electionis aliaque privilegia confirmat. *Sign. domini Wido serenissimi imperatoris augusti. Helbuncus archicancellarius, jubente d Widone imperatore, recognovi. Datum 3. Kal. Julii ind. 9, anno inca Dom. 892. anno domini Widonis regni ejus quarto, imperii secundo. Act Papiae in D. n. f. A.* Alterum 7. Kal. Jun. Zenobio dedit, Fesula episcopo, agens in Taurinensi comitatu *a. D. 890. ind. 8. anno re primo. Helbuncus cancellarius jubente Widone rege recognovit.* Itaq frustra, praeterquam ad confirmationem, annotatur, 9. Kal. Mart. mon Wibodi Parmensis archicapellani sui a. D. 892 Ageltrudi conjugi mon sterium S. Agathae tribuisse; ubi alius, qui legi non potuit, vice Helbu jam archicancellarii recognovisse scribitur. Et aliud, Idibus Aprilis imperatore interventu Ageldtrudis augustae Agilulfo abbati Bobiensi co cessum, anno regni quinto, a. D. 895. Helbuncum postea Wibodo in Pa mensi episcopatu successisse, apparebit ad. a. D. 897.

11. Luitbertus archiepiscopus Moguntinus post 26 annorum praes latum nunc obit (teste etiam Fuldensi necrologio), clarus moribus literisqu imo quod tunc non inutile in episcopo habebatur, etiam armis. Inter Da nubium et Rhenum neminem ei doctrina aequalem habitum, epigramm encomiasticum apud annalistam Fuldensem testatur. Otfridus Weisse burgensis monachus ei evangelicorum Francico carmine expresso opus inscripsit. Fidum se regibus suis praestitit, et (quod imprimis laud Carolo augusto ad extremum adhaesit. Sunderoldus, quem quidam co tracto vocabulo Sunzonem appellant, Trithemius monachum facit, Luitber successit; *Poppone duce Turingorum et Arnulfo rege annuente*, ut Regino. Unde intelligas, intervenisse non regis tantum potestatem, sed autoritatem ducis; etsi non appareat, quid Turingorum rectori cum electio Moguntina. Sed credibile est, ob multa Moguntinae sedis praedia p Thuringiam Popponis commendationem valuisse. Neque enim haec i accipienda sunt, tanquam etiam ducis consensus necessarius fuerit. Su zonis religionem, et modestiam, et doctrinam, idem autor laudat.

12. Extat ad Luitbertum epistola Stephani papae, ab Ivone et Gra tiano in decretum inserta. Quaesisse, ait, si infantes, in uno cum parentib lecto dormientes, mortui reperiantur, utrum ferro candente, an aqua fe vente, an alio examine se parentes purgare debeant. Respondet, monend parentes, ne tenellos in eodem lecto collocent. Nam tali examine ex queri confessionem, sacri canones non probant. Sapiens responsum, contra inolitum gentium morem, qui tali quaestionis genere in homi de infima plebe utebantur. Apparet, pro torturae genere accepisse. abhorrebant plane Romanae leges, quibus facilis per tormenta quae in servos: et servis Germanicae gentes imam plebem comparabant, quas jam Taciti aevo servi suos penates regebant. Hoc ergo benefici clero et Romae debent populi, quod tam barbarus mos cessavit. Humb tum espicopum Moguntinum vocant editiones canonici corporis, Pithoeana emendat in notis. Extat ad eundem aliud ejusdem papae resp sum, ubi alia corruptione nominis Luithobius appellatur. Ivo ple

habet, quam Gratianus. Res huc redit: Athanasii testimonio 70 canones Nicaenae synodi conditos, sed eorum nonnisi 20 extare. Extat et epistola Luitberti ad Ludovicum regem, quam Cordesius suae editioni operum Hincmari adjecit; et hujus literas ad Luitbertum Frodoardus recenset. A. 889.

13. Hoc primum tempore in occidente Hungarorum audita sunt arma, qui Daciam, et mox Pannoniam ingressi, hinc Moravos, inde Bulgaros vexare coepere; in illos ab Arnulfo, in hos a Leone augusto solicitati, de quo infra. Hunugaros Jornandis esse apparet. Nam Scythiam describens: *Hunugari*, inquit, *hinc sunt noti*. Hinc, inquam, id est trans Hunnos, qui alii Aviri, alii Aulzingri (an Agaziri?) nominantur; ex quibus posteriores Chersonen et Pontum attingunt, sed aestate ob pabulum in interiora recedunt. *Trans Hunnos ergo Hunugari sunt noti* (ut ad verba Jornandis redeamus), *quia ab iis pellium murinarum venit commercium, quas tantorum virorum formidavit audacia*: *quorum mansionem primam esse in Scythiae solo juxta paludem Maeotidem, secundam in Moesia Thraciaque et Dacia: tertio supra mare Ponticum rursus in Scythia legimus habitasse.*

14. Addit et fabulam de illis circumferri, quasi in Britannia vel alia insula *servi*, olim unius caballi pretio redemti, discessissent. Ex quibus intelligimus, gentem jam Jornandis, id est Justiniani M. tempore, notam fuisse, partemque eorum, ex interiore Scythia venientem, ipsis Hunnis metum injecisse (hi enim sunt illi tanti viri, quorum Hunugaros formidavit audacia), et paulatim usque in Daciam penetrasse, sed postremo domum redisse, et odio vicinorum per fabulas contumeliis proscissos. Paludes Maeotides saepe cum Caspio mari, Tanaisque fluenta et Volgae confunduntur a Jornande et similibus, quibus Volga (Rha veteribus, Ethel Tartaris) ignotus. Certe Hunnos Maeotidem duce cerva transmisisse, ineptum est, nec patitur situs. A Tanais ulteriore ripa venisse Hunnos, a Volgae Hungaros; Bulgaros primum, deinde Hungaros puto; Bulgaros autem vicinos Volgae, Hungaros multo ulteriores fuisse. Murinas pelles appellat, quas nos mardurinas et sabelinas, quod animalia de murium genere censeantur. Unde intelligas, antiquam Hungariam versus Siberiae hodiernae confinia assurrexisse: quod etiam ex Rubruckii legatione Tartarica judicari potest, Ludovici Sancti autoritate suscepta. Nec Aeneas Sylvius plane ignoravit. Sed certior omnibus testis lingua Hungarorum, multis vocabulorum centuriis Finnonicae cognata. Unde judicare licet, unum ingentem populum, olim a Cronio mari pene ad Caspium fusum; quem postea Sarmatae interrupere. Hujus reliquias non tantum in Lapponibus et Finnis et Hungaris superesse, sed et nuper in media Tartaria a legatione Suecica Persas petente inventas, comperi; ubi Fennus comes itineris ab incolis nonnihil intelligebatur.

15. Itaque Scythiam in tres magnas nationes divido: Fennos, Sarmatas, Turcas; ex quibus Sarmatae occidentem, Turci orientem, Fenni trans utresque septentrionem colebant. Sub Fennis Lapponas (forte et Estios), Hungaros, et horum superstites progenitores Euroboreos comprehendo; sub Sarmatis Slavinos, Alanos, Roxolanos seu Russos, Hunnos, Bulgaros,

A. 889. Chazares: nam et Russiam olim Hunigardem dictam, Helmoldus notavit. eoque nomine postea septentrionalibus Germanis, Danis scilicet, Norwagis Suedis, venit, ut ex veteribus eorum libris constat. Graeci quidem, qui paulo post Constantinum Magnum scripsere, Hunnorum nomen latius extenderunt, ut nos hodie Tartarorum, ut omnes Scythas orientales comprehenderent, Turcaeque ipsi dicuntur illis Hunnicum genus. Sed haec tunc facta sunt, cum nondum Hunnos propius nossent. Ego gentes linguarum indicio discerno. Itaque Hunnos ad Sarmatas, sed Asiaticos refero. Turcarum genus continet Turkistaniae habitatores, Boccharos sive Usbeccos, veteribus Massagetas dictos, tum notos olim seculo XII. et XIII. ad Pontum Euxinum Cumanos, Tartaros etiam, ex quibus ulteriores nunc in Kalmuccos et Mugales dividi solent. Horum enim omnium usque ad Sinas cognata Turcicae lingua est, quod etiam ex nonnullis vocabulis Tartarorum Sinas tenentium, a Bouveto Jesuitici ordinis missionario erudito mihi relatis, didici. At Bulgarorum Slavonicam vel, quod mihi idem est, Sarmaticam fuisse, ex eo collegi, quod in Thracia vicinisque locis, ubi olim Bulgaria fuit, non alius sermo auditur. Sed rem certam fecit Bogomilorum nomen haereticorum apud Bulgaros ex eo dictorum, tempore Alexii Comneni augusti, quod tertio quovis verbo divinam misericordiam implorarent. Chazares etiam Sarmatae fuere; nam qui Methodius Moravis, idem et ipsis verbum Domini praedicarat. Denique Hunnos Avaresque, qui Hungaros in iisdem sedibus praecessere, eodem argumento ad Sarmatas refero. Nam tota Pannonia Slavice loquuntur, quicunque Hungaricae originis non sunt. At Hungaricus sermo non minus quam Germanicus a Slavico distat.

16. Ipsi Hungari se Magyares vocant eo sensu, quo Germani se Teutones, Sarmatae Slavos, id est gentem, homines κατ' ἐξοχήν. Man, Madur, Magur, Mogor, Mugal, Magyar per Germanicos Scythicosque populos diffunditur pari sensu. Hungaros ex Juhra, Russici imperii provincia, petendos, sola nominis affinitas quibusdam persuasisse videtur apud Herbersteinium. Urgi etiam Strabonis, ad Istrum siti, multum ab Hungaris aberant. Porro Hunugarorum Transvolganae gentis portio paulo serius, exhaustis jam per migrationes Hunnorum gentibus, vel sponte vel Turcarum metu domo egressa, diuque in Scythia vagata, tandem circa haec tempora, sive propria cupiditate illecta, sive (ut Regino) urgentibus a tergo Patzinacis, intra Tiram tunc Istrumque colentibus (de quibus et Suidas), ad Danubium Pannonesque processit. Pazenatos (an Peucinos veteribus, a Peuces, ostii Danubiani, nomine dictos?) et hos qui Falones vocantur, crudis carnibus et immundis, velut equinis, caninis, vesci, et fugientes etiam sagittis nocere, Albericus a. D. 893. scripsit.

17. Graeci scriptores Hungaros semper Turcas appellant, Hungariam Turciam; ea etiam appellatione utitur eorum exemplo Luitprandus. Nempe Turcas dixisse videntur omnes trans Sarmatiam Asiaticam Scythas, seu qui Sarmatici, id est Slavonici, generis non essent, qui a nobis hodie generali itidem nomine, non minore abusu nominis, Tartari appellantur. Sed veros Turcas ex Turkistania egressos, qui Saracenis serius pulsis Persidem, Syriam, Aegyptum et partem Asiae minoris tenuere, quando ex occidente

ad recuperandum sepulcrum Domini bella ciebantur, Graeci scriptores A. 889. Persas appellant, non ab origine, sed a sede, quam tenebant; et veteribus nominibus, tanquam antiquae magnitudinis imagine, delectabantur, bella Persarum cum Romanis, id est Turcarum cum Graecis, memorantes. Constantinus augustus capite 40. libri de administrando imperio, quem ad filium Romanum scripsit, ait, Turcas (Hungaros semper intelligit) olim tenuisse loca, quae interlabitur fluvius Etel et Cuzu, *ubi nunc*, inquit, *Patzinacitae commemorantur*, *a quibus pulsi sunt Turcae*. Id Pagius ad a. D. 958. de Transylvania interpretatur, sed fluvius Etel est Volga, et Hungaros Transvolganos fuisse, dubium non est. Interim verum puto ex nostris etiam scriptoribus, a Patzinacitis pulsos Hungaros loco, at non primo, ut Constantinus putavit (nimis saepe falsus in longinquioribus), sed secundo, id est regione inter Tanais et Borysthenis ostia comprehensa, nam illic fere consedisse Patzinacitas, vel inde intelligitur, quod Boleslaus Polonus ex iis mercenarios habuit temporibus Henrici secundi. Patzinacitas autem apparet fuisse quandam ulterioris Scythiae gentem, Turcicae vel Tartaricae originis (quales deinde dicti Cumani), quae Hungaris supervenit. Addit Constantinus, esse in Turcia (id est Hungaria) antiqua quaedam monumenta, inter quae pons Trajani ad initia Turciae, et Belegradam, quae triduo inde distet, et turrim sancti et magni Constantini (quae hodie, ni fallor, ignoratur), et Sirmium, quod Belgrado absit itinere bidui, inde magnam esse Moraviam, baptismo carentem, cujus princeps olim Sfendonoplocus. Nam ille magnae parti Pannoniae imperabat, et magnae Moraviae nomine totum ejus regnum hic comprehendi videtur. Caeterum inepta quaedam de Hungaris habet abbas quidam S. Germani de Monte Falconis in epistola continuationi annalium S. Vitoni Virdunensis in Spicilegio Dacherii subjecta, qui quasi famelicos interpretatur, quia „Hunger" Germanis est fames.

ANNO CHRISTI 890.

Motus Bohemici. Expeditio in Zuentibaldum Moravum. — Arnulfi praeceptum pro Cobbone comite. — Ludovicus Bosonides regnum Arelatense beneficiario jure ab Arnulfo accipit. Irmengardis reginae ejus tutricis diploma. — Ludovicus fit rex Arelatensis. — Quomodo rex factus sit. — Synodus Forchemensis, in qua Herisiensis coenobii fundatio confirmatur. Regino fit abbas Prumiensis. — Herimannus Coloniensis archiepiscopus Adalgarium Bremensem sibi subjicere conatur. — Arnulfus in Allemanniam pergit. Salomon episcopus Constantiensis defunctus Salomonem III. successorem habet. — Bovo abbas Corbejensis obit; succedit Godescalcus. — Arnulfus filium Zuentibaldum in Italiam mittit, ut Berengario adversus Widonem auxilietur. — Quid ea expeditione actum. — Luitprandi relatio de hac expeditione. — Ajo Beneventanus obit; succedit filius Ursus, a Graecis mox dejectus. Adalbertus Tusciae Longobardicae marchio, nepos Widonis regis. — Odonis regis Galliae diploma. — Normanni Galliam vastant. Eorum clades in Britannia. — Waltgarius comes Odoni regi rebellis capite plectitur. Quomodo Odonis consobrinus fuerit.

1. Arnulfus sub regni initium (ut arbitror), ut pacem domi assereret, A. 890. dum Italiam Galliamque cogitat, Zuentibaldo Slavo magis devinciendo, ad Moravorum provinciam Bohemos adjecerat; amico olim, ut filium etiam

A. 890. ab eo de baptismi fonte levari, nomenque idem ferre passus sit. Sed Bohemis alienum respuentibus, inde datus rebellandi praetextus: mox tamen majestatem Moravi regis ex cognata gente comiter agnovere; qui ex eo agere superbius coepit. Itaque rex media quadragesima cum exercitu in Pannoniam profectus est. Zuentibaldus imparatus, et inexspectata regis celeritate perculsus, dissimulatis consiliis, Omentesburgum venit, seque in potestate fore pollicetur. Haec annales Fuldenses. Regino, Zuentibaldum vim expectasse, sed non tulisse, addit; quod in annum 892. differendum apparet.

2. Non ante 18. Kal. April. Ratisbona digressum Arnulfum, docet praeceptum, quo Coppeni (Cobboni alias, quem hic dilectum et, credo ob aetatem, venerabilem comitem vocat) in comitatu suo, loco Piun, 30 hobas regias cum annexis dedit. Ejus largitionis hanc causam suspicor. Cobbonis majoris autoritate Osnabrugensi ecclesiae decimae praediaque, ademta Corbejensibus et Herifordiensibus coenobiis, cesserant, quibus praeerant cognati ejus, quemadmodum apud Erdmannum et Cranzium legi potest. Ea lis tot annis suspensa, anno superiore (ut apparet) synodali judicio, an transactione, certe regis autoritate terminata erat, cum in his oris versaretur. Jacturam Corbejensium pensavit, opinor, munere 25 hobarum, anno superiore datarum. Cobbonem patris, an patrui acta praestantem et de suo suppleturum, quae perirent Herifordiensibus, pari munere indemnem esse jussit.

3. Rex deinde Majo mense conventum Forcheimii in Francorum finibus egit. Eo Irmengarda, caesaris Ludovici filia, cum filio Ludovico venit, et Arnulfum, ut nuper Carolum, sibi placabilem muneribus fecit; quem Caroli exemplo Arelatense regnum adolescenti beneficiario jure indulsisse crediderim. Regnaverat hactenus Ermengarda reginae nomine, tutricis potestate; et in conciliorum collectionibus et alibi, a Guichenonio editum extat decretum ad Varennas, quo Balma cella, Bernoni Gigniacensis monasterii abbati ablata, restituitur. Id anno Domini 889. indict. 8. (inclinante scilicet anno superiore) factum, cum Ermengarda, et cuncti principes Ludovici filii Bosonis convenissent. Berno cellam praecepto Rudolfi regis (Transjurani, opinor) tenebat. Usurpator se Ludovici juvenis munere habere dictitabat. Sed hoc sive non creditum, sive spretum est. Signavit *Ermengardis regina, quae chartam fieri jussit:* tum *Rostagnus archiepiscopus Arelatensis, Andradus episcopus Cabilonensis, Isaac Gratianopolitanus, Richardus gloriosus comes;* comitesque: *Ragenardus, Vindo, Vigo, Ratterius, Teubertus, Bernardus* ipse, *qui inverpituram,* id est renunciationem, *fecit.* Richardum non dubium est Burgundiae ducem fuisse, Bosonis fratrem. Et sane gloriosi comitis epitheton plerumque illis tunc dabatur, qui ducali aut alia potestate eminebant. Gigniacense monasterium in territorio Lugdunensi situm est. Berno inter sanctos habitus, Cluniacensis congregationis autor celebratur, quae labantem Benedictini ordinis disciplinam revocavit.

4. Nunc autem autoritate Arnulfi Ludovicus ad regnum promotus est in conventu, qui concilii Valentini nomine extat. Actorum, quae

supersunt, hic est tenor: *Anno incarnationis dominicae 890, indictione 8. Bernoinus Viennensis archiepiscopus, pro publicis necessitatibus Romam profectus ad domnum apostolicum, cui cura est omnium ecclesiarum, de hujus regni malis retulit, ostenditque, quantum inde a Caroli augusti obitu partim a propriis incolis, regem aut principem non habentibus, partim a paganis, Normannis Saracenisque, premeretur. Quibus illacrymans Stephanus pontifex, verbis scriptisque monuit, ut concordes Ludovicum, gloriosissimi quondam imperatoris Ludovici nepotem, regem constituerent. Itaque simul convenimus in civitatem Valentiam, domni archiepiscopi, Aurelianus Lugdunensis, Rostagnus Arelatensis, Arnaldus Ebrodunensis, ipseque Bernoinus Viennensis; assensique sunt omnes, neminem rectius regem hic fieri posse, quam qui ex prosapia imperiali prodiens, bonae puer indolis jam adolescebat. Cujus etsi aetas nondum ad reprimendos barbaros idonea esset, tamen nobilium principum prudentia et fortitudine, Deo juvante, sustentari posse; Richardi maxime accedente ope, inclyti ducis eximiique principis* (patrui scilicet Ludovici) *et dominae Hirmengardis gloriosissimae reginae, et episcoporum procerumque consilio. His igitur freti, secundum Dei voluntatem, ut credimus, supradictum Ludovicum excellentissimi Bosonis regis filium, eligimus, atque in regem ungendum decrevimus, judicantes, illum ad hoc dignum; cui praestantissimus Carolus imperator* (scilicet Tertius) *concesserat dignitatem et cui Arnulfus successor Caroli per suum sceptrum perque suos sagacissimos legatos, Reoculfum videlicet episcopum et Bertaldum comitem, fautor regni autorque adest. Itaque communi consensu hanc regiam conscriptionem fieri decrevimus, ratamque volentes, manibus propriis singuli subscripsimus.* A. 890.

5. Hoc regni collati documentum primus edidit Sirmondus; et simul observavit, diplomata complura Ludovici regis extare, Alexandri archicancellarii nomine signata, qui Viennae archiepiscopus sedit. Hoc loco pontificis maximi consilium, sed* Caroli imperatoris et Arnulfi regis autoritas ab archiepiscopis praefertur; et memorabile est, quod additur, Arnulfum per suum sceptrum autorem intervenisse: quod ita accipiendum constat, ut sceptro Arnulfi tacto acceptove, juvenis investituram potestatis receperit, hominem sese, beneficiarium ac fidelem principis majoris professus. Et tamen admista erat quaedam electionis species, in episcoporum procerumque consensu; quem unctio deinde secuta est. Ex eo regnum Arelatense Germanico cohaesisse, apparet, cujus semel majestatem comiter agnovisset. Hugonem, qui postea in Italia regnavit, tunc ab Arnulfo Arelatensibus praefectum, Aventinus fortasse ex ingenio scripsit.

6. Cum rex Forchemii ageret, ibi quaedam synodi species fuit, in qua praeter alia Padebornensi episcopo petenti Herisiensis coenobii confirmatus est status. Decreti haec verba sunt: *Ego Sunderholdus, humilis Moguntiacensis sedis episcopus, una cum venerabili Coloniensis civitatis archiepiscopo Herimanno, nec non et aliis coepiscopis et consacerdotibus nostris, qui nobiscum ad praesentem synodum convenerunt, petitionem fratris nostri Bisonis censeo gratanter accipiendam*; et quae sequuntur.

*) ac *Eckardus correxit.*

A. 890. *Actum Forechein. palacio regio, anno incarn. Dom. 890, regni vero piissimi regis Arnulfi anno 3. ind. 8.* Praeter archiepiscopos ambos signavere episcopi, *Arn Wurciburgensis, Wibertus Verdensis, Hrobertus Metensis, Godethankus Spirensis, Egilmarus Osnabrugensis, Erkambeldus Aichstadensis, Adelgarius Bremensis, Dado Virdunensis, Biso Padebrunnensis, Altmarus* . . . . . ., *Agiulfus* (Halberstadensis, opinor), *Drogo Mindensis, Wicbertus Hildesemensis, Wolfhelmus Mimigardensis.* Abbates: *Lihardus, Farabertus, Hatto, Gerhardus, Godescalcus.* Hattonem Augiensem intelligi, opinor, qui anno sequente ad Moguntini praesulis dignitatem surrexit; quo anno Faraberto Prumiensi, officium deponenti, Regino historicus successit. Wicbertus Verdensis in hoc conventu a rege obtinuit, ut quaedam praedia sua, in Westfalia sita, in ecclesiam, cui praeerat, conferre posset, de quo dicemus ad a. D. 908.

7. Ex hoc loco colligendum est, Willibertum non hoc anno, sed praecedente obiisse; siquidem 11. Septembris ei fatalis fuit. Herimannus Adalgarium Bremensem sub sua jura vocavit, ex veteri lege, sed dudum antiquata. Nam novissime per Nicolaum Bremam Hammaburgensi metropoli conjunctam constabat. Sed hactenus Anscharius et Rembertus ob res tenues vix se archiepiscopos meminerant, et non raro inter simplices praesules sedebant et signabant. Inde Coloniensibus causa litigandi praebita est. Stephanus utrumque ad se vocavit. Affuit Adalgarius, Herimannus defuit. Itaque pontifex Fulconi Remensi causam in synodo apud Vangiones cognoscendam commisit, ad quam Sunderholdus et Herimannus vocarentur. Haec Frodoardus docet. Quid actum fuerit, nec ipse scivit. Fortasse Fulconem turbae Gallicae et secuta mors pontificis distinuere; et grave esse potuit, haec agere alieno in regno. Ab Hattone Moguntino rem actam, mox patebit. Adalgarius a Stephano pallium obtinuit, Hammaburgensi metropoli nunquam negatum: sed mox in Bremensi causa sub Formoso ad tempus succubuit, de qua re suo loco.

8. Arnulfus Forchemio in Alemanniam progressus, ut Burgundis vel Arelatensibus propior esset. Augiae monasterium orationis causa adiit. Constantiam quoque invisit. Defunctus est hoc tempore Salomon episcopus, cui tertius Salomon ex Sangallensi abbate successit. Illum Fuldensis, hunc Regino laudat, ejusque etiam nobilitatem commendat. Bruschius eum ex Turgoviensibus comitibus deducit. Isonem insignem virum adolescens magistrum apud Sangallenses habuerat. Inde capellanus Ludovici regis vulgo Germanici, Elwangensibus adhuc canonicus, mox et Campidonensibus praefectus est, favente ei Grimaldo Sangallensi abbate ejusdemque regis, si Ekkehardo Sangallensi credimus, archicapellano. Ego vero non credo. Porro processu temporis ipse Salomo Sangallensis abbas factus est, et postremo Moguntini amicitia Constantiensis episcopi decus obtinuit. Augiense etiam monasterium rexisse, scribitur. Haec si recte Ekkehardus; sequente demum anno, id est post Hattonis elevationem, antecessori cognomini suffectus fuerit.

9. Circa haec tempora Bovonem abbatem Corbejensem obiisse, tradunt, quem pium et fratrum amatorem vocat vetus translationis S.

Justini narratio et annalista noster. Successit Godescalcus, is opinor, qui A. 890.
in Forchheimensi synodo inter abbates subscripsit. Quod si verum est, rectoque chronicon Corbejense Meibomianum diem mortis assignavit 3. Kal. Nov., mors in annum priorem referenda fuerit. Commentarium de rebus sui aevi scripsit, quem nuper ex Adamo Bremensi ad partes vocavimus. Intercidisse Lexnerus ait.

10. Regem hoc anno a Formoso papa in Italiam ad capessendam imperii coronam vocatum, Fuldensis scriptor innuit. Si vera invitatio est (de quo multum dubito), a Stephano facta fuerit, quem sequenti demum anno decessisse ostendemus. In Italia tunc Wido, victo nuper Berengario superior, proceres plerosque sibi vi, minis, blanditiis conciliarat; urbes plerasque et arces in potestatem redegerat. Itaque Berengario laboranti sub aemulo, patronus Arnulfus filium auxilio misit. Id enim diserte habent Luitprandus et poeta panegyristes. Hoc anno detonuisse tempestatem, ex eo definio, quod sequente (uti mox demonstrabimus) Romam ire Widoni, et coronam imperii capere vacavit; anno hinc proximo etiam filio eandem imponi curavit, tertio Arnulfum ipsum in Italia hostem sensit, eoque decessit. Sigonio, Zuentibaldi expeditionem in annum sequentem differenti, rerum nexus non favet.

11. Eam poeta describens, ait, in Alpibus ipsoque limite Italiae Berengarium juveni obviam factum: juncto deinde utriusque exercitu imparem ingruentibus Widonem, latebras petisse: illos regionem in potestate habuisse. Tum Sinbaldum (sic vocat) suadente Berengario, domum repetisse: sed tertio post mense novum a Widone turbinem erupisse, qui tandem (sed paulo serius) Arnulfum ipsum excirit.

12. Luitprandus Cremonensis episcopus, cujus fere hinc incipit historia, Widonem ait in Papiam se abdidisse, fluviumque Vervavolum, qui urbem alluit, sudibus copiisque munisse, ne trajici posset. Ita exercitus unum et viginti dies in conspectu fuisse, nec raro velitationes factas; et Bajoarium quendam equitem aliquoties Italis ignaviam et equitandi inscitiam exprobrasse: tandem Hubaldum, Bonifacii patrem Camerinorum et Spoletinorum marchionis, clypeo arrepto, obviam tetendisse; Bajoarium artis ostentatorem nunc vertibilem equum cum impetu admisisse, nunc retractis habenis flexisse. At Hubaldum recta perrexisse, medioque in flumine, in ipsa conversione viri, lancea per scapulas in cordis usque penetralia adacta, hostem in aquas praecipitasse, arreptoque per frenum ejus equo, laetum et opima spolia referentem, ad suos acclamantes redisse. Comitivam palatii a Widone accepisse, colligi potest ex charta apud Ughellum in Florentinis, ubi *Berta abbatissa filia bonae memoriae Ubaldi, qui fuit comes palatii*, sub Andrea episcopo memoratur, atque adeo ante annum Domini 896. Luitprandus deinde, Zuentibaldum morae pertaesum, accepto a Widone non parvo argenti pondere, ad patrem repedasse, scribit, eique Berengarium comitem addit, ad auxilia majora petenda; quod cum poeta pugnat. Mox secutum, recrudescente Widone, lubentius credam.

13. Hoc anno in Transtiberina Italia Ajo Beneventi princeps obiit,

A. 890. cujus soror Ageltrudis in Widonis matrimonio erat. Ajoni Ursus filius successit, cui mox, distentis alibi Francis, Graeci dominatum extorsere, quanquam sint, qui ipsum Ajonem diutius vixisse, et anno sequente expulsum scribant, de quo ibi. In Tuscia Longobardorum jam rerum potitum Adalbertum juniorem, quem Luitprandus divitem vocat, discimus ex diplomate Widonis anno superiore citato, ubi ita inquit: *Adalbertus, dilectus nepos noster et marchio, depreeatus est celsitudinem nostram, ut Zenovio, S. ecclesiae Fesolanae episcopo dilectoque fideli nostro, cortem quae vocatur Sala sub castro Fesolano . . . concederemus 7. Kal. Jun. anno Domini 890. Widonis regni primo, ind. 8* Nepotem vocat proprie, ex sorore Rotilde et Adalberto seniore natum, quem cum a juniore seu filio non distinxissent Luitprandus et alii, inde perplexitatum seges nata est. Res omnis clarescit ex charta Adalberti senioris, quam dedimus sub exitum anni Domini 884.

14. Odo rex mense Majo Aurelianis egit, et ibi Theodardo Narbonensi archiepiscopo praeceptum donationis dedit; quod ex Catelli Laudegothicis Labbeus in Chronico technico produxit. *Trocaremus notarius* (supra a. D. 888. *Trohannus*) *ad vicem Ebolonis recognovi. Data 5. Kal. Junii, ind. 8, anno tertio, regnante Odone. Actum Aurelianis civitate. Asquerius Parisiensis episcopus ambasiavit hoc.* Apud Catellum post diem mensis ascriptum erat: *Anno inc. Dom. 888.* Sed recte notat Labbeus, legendum: *890.* Et cum nondum Odonis praeceptis anni Christi ascribi solerent, annum incarnationis hic glossatoris errori tribuo.

15. In Neustria Normanni castellum S. Lautonis tandem capiunt, incolis aqua prohibitis et siti ad deditionem adactis, vita tamen pacta; sed nulla fidei cura barbari a munitione digressos obtruncant, episcopo ipso Constantiensi jugulato. Apud Britones tamen ultorem invenere. Alanus illic et Widicheil vel Judicail fratres de regno partiendo contendebant: supervenientes conflictantibus Normanni, ambos male mulctant, omnia usque ad Blavitam fluvium vastant. Tum primum aemuli male edocti, sepositis contentionibus, in hostem junguntur. Eum Judicail, aetate fervidior, non expectato fratre, adortus, multis millibus caesis, quod superest, in quendam vicum compellit, et dum pertinacius instat, cadit. Alanus jam totius gentis potens, decimam bonorum Deo et Petro, Romanae ecclesiae patrono, vovet. Mox voti damnatur: commisso praelio, barbari magna strage delentur; ex quindecim millibus vix quadringenti ad naves refugerunt. Alii Normanni circa festum omnium sanctorum ex Sequana Isam ingressi, Noviomum adverso flumine navigant. Odo rex ripam exercitu tuetur. Illi terra ad Mosam Scaldimque transeunt; iter locorum vastitate designant. Rex secutus, manum hostium ad Scaldim deprehendit: sed illi in turmas dispersi, per sylvas ad suos evasere, et in maritimis deinde hiberna posuere.

16. In hunc annum refero Waltgarii comitis audaciam poenamque, qui in publico conventu gladium in regem Odonem evaginavit, eamque ob causam capite deinde plexus est. Tanta enim insolentia non contentus, rebellionem concitavit, et mense Julio cum armatis ingressus est Laudu-

suum castellum, paterni beneficii sedem. Nam Lugdunum apud Reginonem nominatum, Metensis recte Clavatum interpretatur. Sed ab Odone obsessus et ad deditionem adactus, poenas dedit. Id factum Regino scribit paulo ante, quam Odo contra Ranulfum in Aquitaniam proficisceretur; quod sequenti anno fecisse docebimus. Errat ergo idem Regino, qui supplicium Waldgarii in a. D. 892. distulit. Et credo, hunc scriptorem res non annotasse, cum gerebantur, sed serius et memoriae fiducia; adeo saepe in temporum designatione errat. Waltgarium consobrinum Odonis facit, filium scilicet avunculi ejus Adalelmi; quem Laudunensium comitem fuisse, ex charta Sandionysiana, sub Carolo Calvo anno ejus 28, indict. 15. data, Buccelius probat. Sed fratrem patris Roberti potius quam matris Adelaidis fuisse, non probat: hanc enim Ludovico Pio natam fuisse, nondum certum est. Adalelmi inter primarios comites Carolus Calvus mentionem fecit, cum in novissimi itineris procinctu consiliarios filii nominaret. Fulco Remensis archiepiscopus Didonem Laudunensem antistitem increpat apud Frodoardum, quod Waltgario absolutionem sacraeque communionis viaticum morti proximo, sepulturam vero et orationes etiam extincto negasset. A. 890.

ANNO CHRISTI 891.

Wido in imperatorem coronatur. — Imperii Widonis epocha ex diplomate. — Confirmatur eadem et ex aliis diplomatibus. — Anni imperii Widonis diplomatibus ascripti. Privilegium Venetis concedit. Leges fert. — Stephanus papa obit. — Formosus eligitur papa. — Formosus Constantinopolin rescribit de ordinatis à Photio. — Beneventum a Graecis capitur. — Arnulfo cum Moravo negotium. Ratisbona conflagrat. S. Justinus Corbejam novam transfertur. — Exercitus contra Normannos Lotharingiam vastantes ductus infeliciter pugnat. — Sunderoldo archiepiscopo Moguntino occiso sufficitur Hatto. — Arnulfus majore exercitu in Normannos movet. — Insignem de Normannis victoriam refert. — Arnulfus in Allemanniam tendit. Hugo fit abbas Fuldensis. Formosus hoc anno non venit ad Arnulfum. — Gesta in Gallia. Turbae in comitatu Pictaviensi, comitumque successio. — Fulconis archiepiscopi literae ad Formosum de monasterio Cisonio. Everhardi marchionis Forojuliensis filius Rudolfus. — Saraceni Hispani Fraxinetum occupant.

1. Vix sese aut pecunia aut fortuna Wido absolverat a Zuentibaldo, cum ad sumendam imperii coronam animum homo ambitiosus adjecit, magis ut fastis nomen inscriberetur, quam quod mensuram tituli implere speraret. Ludovico II. caesari vix tertia pars tertiae partis Francicae potentiae obtigerat; agnoscebatur tamen, quod rite promotus esset. Huic omnia miscenti, vix decima octava portio, neque illa certa aut secura obvenit. Certe in Tuscia et Apulia precario regnabat, et magis propinquitatis necessitudine quam imperii potestate. Forum Julii et Veronenses ad Berengarium suum respiciebant. Venit tamen Romam, et a Stephano dudum favente et Fulconis consanguinei amico gratanter susceptus unctusque est, ac diademate redimitus 9. Kal. Martii (ut Sigonius etiam notavit), quae hoc anno dominica fuit: idemque honor simul conjugi delatus est. Wido donationes, a Pipino, Carolo M. et Ludovico Pio Romanae ecclesiae factas, de more ratas habuit. Luitprandus, non ex- A. 891.

A. 891. actissimus scriptor, Widonem jam dudum, antequam spe regni in Galliam contenderet, Romae coronam quaesisse, eaque mora regno popularium excidisse, credidit.

2. Extat, temporis constituendi causa, insigne diploma, unde sequentia excerpsimus: *I. n. s. et i. T. Wido d. f. cl. imp. aug. Wibodus S. Parm. eccl. venerabilis episcopus et archicapellanus noster precatus est celsitudinem nostram, ut dilectissimae conjugi nostrae Ageltrudi, imperatrici et consorti imperii nostri, monasterium in honorem S. Agathae* [conditum] *autoritate nostra confirmaremus, quod ante per praeceptum regale ipsi episcopo concesseramus. Concedimus igitur et confirmamus dilectissimae conjugi Agiltrudi, haeredibus suis ac prohaeredibus, monasterium superius insertum .. Figura signi d. Widonis excellentiss. imp. .... Notarius ad vicem Helbunci archicancellarii recognovi. Data 9. Kal. Mart. indict. 9. anno incarnationis Domini 891, regnante domino Widone in Italia, anno regni ejus 3, imperii illius die prima. Actum Romae in D. n. f. A.* Legitur apud Ughellum in Parmensibus episcopis sub Wibode. Hoc diploma jam a. D. 889. adhibuimus. Rarum est, archicapellanum ab archicancellario distingui: an quod Wibodus, aetate fessus, nonnisi sacrae rei procurationem retinere voluit?

3. Extant alia conspirantia monumenta, quale est diploma (apud Sigonium et Ughellum), quod Leudoino Mutinensium episcopo, hortatu Manfredi comitis sacri palatii, privilegia confirmat, datum *Lignaci, 10. Kal. Dec., indict. 10, anno incarn. Dom. 892.* (lege: *891.* quod caetera exigunt) *regnante domino Vidone in Italia, anno regni ejus quarto, imperii primo.* Et ex Baluzio paulo ante citatum *3. Kal. Julii ind. 9. a. D. 892. anno regni 4. imperii 2,* et quae mox ex Florentino referemus. Haec, ut pleraque chronologica, jam tum constituimus, antequam Pagii integrum opus extaret, et saepe aliter, quam ille. Is hoc loco sententiam nostram confirmat, et chronico monasterii Casae aureae nititur, quod tom. 5. Dacheriani Spicilegii extat. Ibi habetur, Widonem successisse in augustale imperium a. D. 891. Utitur et Sigonii autoritate: sed nos huic dedimus majorem autoritatem. Unus obstat Frodoardus, apud quem Formosus scribit, Widonem coronatum eodem anno, indictione decima. Sed non addit, coronatum a se. Oportet, corruptum esse locum, vel Frodoardum potius non bene excerpsisse. Scripserat, credo, Formosus: *Indictione decima a. D. 891, 9. Kal. Feb.*, et eodem anno seu intra annum Widonem coronatum dixit. Unde Frodoardus etiam eandem indictionem male collegit.

4. Widonem imperatorem, quantum apparet, suis temporibus nec Gallia nec Germania agnovit. Hunc tamen coronae sumtae fructum tulit, ut ex eo tempore nomen ejus per Italiam diplomatis ascriberetur. Nam judicium Romani pontificis non exiguum pondus habebat. Antea apud Lucenses, etsi a nepote ejus Adelberto regerentur, anni numerabantur non Widonis, sed post obitum Caroli imperatoris, ut Florentinus notavit; ad decimum usque Julii diem a. D. 891, quo numeratus est annus Widonis imperatoris primus. Sigonius ex veteribus monumentis didicit, Widonem, post Romanam coronationem Papiam reversum, conventum regni gene-

ralem habuisse. Ibi Petro Venetorum duci vetus privilegium de justa A. 891.
rerum Venetarum per Italiam possessione firmasse; lege etiam perrogata statuisse, ut episcopi et comites contra raptores bonorum, et incestatores mulierum excubarent, curarentque transeuntibus (etiam hostibus) necessaria aequo pretio praeberi, ut depraedationum color cessaret. Vicinum comitem imploranti contra vim auxilio fore, alioqui honore et 30 libris argenti mulctandum. Inde Wido Berengarium ad Hadriaticum usque mare persecutus, 10. Kal. Dec., ut dictum est, Lignaci (hodie Lignanum est) egit, et biduo post Ferrariae etiam Veronensi ecclesiae beneficia superiorum regum rata esse jussit. Tabulas Sigonius citat. Ex quo maxime loco Berengarii calamitas intelligi potest, quando etiam a suis Veronensibus deserebatur. Itaque jam sese in Forum Julii, vel omnino in Arnulfi ditionem recepisse, credibile est. Alio conventu 22. Nov. Widonem sanxisse leges Papiae de jure principum in civitates beneficio datas, Labbeus aliorum fide annotavit.

5. Stephanus Romanorum pontifex, peracta coronatione, hoc anno decessit. Vigesima prima die Maji extinctum, Labbeus statuit, Sigonium secutus. Ego id paulo serius, etsi eodem anno, contigisse malim. Nam et antecessoris mortem in annum 885. magis produco. Sed gravius in anno ipso cum Baronio lapsus est Labbeus. Nam quae hec facta sunt, superiore anticiparunt. Sigonius rectius sensit; et poterant illi epitaphio revinci, ex ipsis Vaticanis monumentis descripto, ubi haec verba leguntur:

Hic tumulus Quinti sacratos continet artus
Praesulis eximii pontificis Stephani.
Bis ternis annis populum qui rexit et urbem,
Et gessit, Domini quae fuerant placita.

Extabat adhuc in atrio veteris ecclesiae S. Petri, tempore Manlii canonici, qui descripsit. Porro ipse nobiscum Labbeus Stephani inaugurationem refert in annum Dom. 885. Etiam Guilielmus bibliothecarius illi annos sex, dies quatuordecim ascribit. Erravit ergo Fuldensis annalista, qui Arnulfum anno superiore a Formoso invitatum scripsit.

6. Luitprandus refert, in suffectione successoris tumultum ortum. Pars Romanorum Sergium diaconum elegerat; at pars non infima Formosum Portuensem episcopum, religione et scientia clarum, malebat. Ubi ad ordinationem deventum est, Sergius altari depellitur, Formosus pontifex consecratur. Credi potest, Sergium vi et coitione praevenire molitum, per vim repulsum fuisse. Formoso episcopatus pristinus, et depositio a Johanne facta objiciebatur. Sed illum a depositione per decretum, ab episcopatu priore per exemplum, Marinus papa absolverat. Nam et ipse ab alia sede transiit ad Romanam, quod hactenus factum non erat; etsi alibi exemplis non careret, qua de re in Marino nuper. Sergium Sigonius nescio qua autoritate, contra diserta veterum testimonia, ex diacono presbyterum cardinalem facit, et ex comitum Tusculanorum gente petit: quanquam hoc posterius in altera editione mutarit. Illud ex Luitprando facilius credi potest, Sergium loco pulsum, apud Adelbertum Tusciae

A. 891. marchionem usque ad Formosi mortem latuisse. Sed re omni discussa, caeteram Luitprandi narrationem vanam esse, Sergiumque postea papam longe alium, non Formoso, sed Johanni Nono oppositum, infra verisimile reddemus a. D. 904.

7. Formosus mox epistolae, ad praedecessorem Constantinopoli a Styliano aliisque destinatae, rescripsit, mitti a latere suo episcopos, Landenulfum Capuanum et quendam Romanum: sed et Theophylacto, metropolitae Ancyrano, et Petro fideli suo mandasse, ut ante omnia sententia in Photium confirmaretur; ordinati ab ipso implorata misericordia tolerarentur. Quid actum sit, non satis constat. Mandata irrita fuisse, credo, quod ipse frater imperatoris Stephanus patriarcha a Photio ordinatus esset: et Formosus anno sequente ad Fulconem scribens, de Constantinopolitano schismate queri pergit.

8. Circa haec tempora pene in oculis Widonis, Beneventum a Graecis captum est, pulsusque Ajo, frater Ageltrudis imperatricis, postquam Beneventum annis sex, et cum filio Urso unum annum, tenuisset, ut ait anonymus Salernitanus. Alii Ursum pulsum scribunt, cum sedisset annum unum, menses sex, appellaturque puer decennis in brevi chronico principum Beneventanorum, in appendicula quadam septennis. Leo augustus injuriae ab Ajone acceptae memor, cui aegre Barim extorserat; continuis etiam Geuderisi exulis stimulis incitatus, et a Francorum dissidiis rei bene gerendae occasiones captans, Symbaticium patricium cum magnis supplementis in Italiam mittit. Is trimestri tandem obsidione Beneventum cepit 15. Kal. Nov., urbemque pro imperatore suo aliquamdiu rexit; cui mox Georgius patricius successor datus est. Is praefuit annis tribus, mensibus novem, donec Wido junior urbem recepit. Haec Leo Ostiensis docet.

9. Arnulfum interea ab Italiae cura Slavi et Normanni divertebant. Miserat legatos ad Moravum, qui pacem suaderent, foedera prorogarent. Ille aequa omnia pollicitus, prava consilia animo coquebat, neque interim a contumacia cessabat. Differri eum nuntiata Normannorum irruptio coegit. Interea Embricone Ratisbonae episcopo extincto, laudatae vitae viro, mox urbs tota conflagravit, quae tunc sedes regia erat; nec nisi duae domus sacrae servatae sunt, una S. Emmerani, altera in media urbe posita S. Cassiani. Godescalcus, abbas Corbejae novae, hoc tempore Vito Treviris socium adduxit Justinum, puerum et ipsum ac martyrem, quem sub Diocletiano passum ajunt; qua de translatione vetus narratio tomo II. Meibomii extat. Res perfecta est 6. Kal. Aprilis.

10. At Nortmanni alibi male mulctati, appetente vere in regiones Lothariorum infunduntur, quod longe illis Arnulfus esset. Intellecto periculo, decreta in eos Francorum expeditio est, ut Mosae transitu prohiberentur. Sed dum nostri ad Trajectum confluunt, hostes superiore loco circa Leodium transeunt flumen; et relictis a tergo nostrorum copiis, sparsi per sylvas obvia vastant, et plaustra capiunt, quae annonam ad exercitum ferebant. Contractae jam pene copiae erant circa festum Johannis baptistae diem. Non constabat de consilio hostium, an per

[...]rios Coloniam, an per Arduennam Treviros petituri essent; an nostris A. 891.
[...]entes, transvadata Mosa, mare et classem repetituri. Quicquid id [...]et, placuit ad hostem accedi. Rivus est Gulia, qui paulo infra Tra[...]ctum in dextram Mosae ripam cognomini loco influit; supra adjacet [F]alkeburgum castrum. Ad hunc rivum cum Franci venissent, credo, [u]t hostem Aquisgrano et Colonia prohiberent, apparuere speculatores [N]ormannorum; quos cum multitudo, inconsultis ducibus, tumultuarie persequeretur, peditum turmas in quadam villula offendunt, quae conglobatae facile inconditos nostrorum impetus frangunt. Audito clamore, supervenit hostilis equitatus: nostri palantes caeduntur.

11. Ibi cecidit Sunderoldus Moguntinus episcopus, et cum eo Arnulfus comes. Credibile est, eum esse, quem Carolus II. imperator, Italiam petiturus, Ludovico filio ad Mosam accedenti, cum Francone Leodiensi episcopo comitibusque Gisleberto, Matfrido aliisque adesse jubebat. Normanni victoria potiti, castra bonis omnibus referta diripiunt, caesisque captivis, onerati praeda ad classem revertuntur. Haec 6. Kal. Jul. acta; tametsi Treviris memoriam Sinderoldi 5. Kal. Jul. quotannis renovari, Browerus scribat. Ei successit Hatto Augiensis abbas, cujus perspicaciam jam tum scriptores laudant. Magna deinde in regno viri autoritas fuit. Obscuro genere natum et callidum faciunt annalista noster manuscriptus* ad h. a. et abbas Urspergensis ad a. D. 893. Sed vereor, ne quid odio datum sit, ex falsis rumoribus nato. Sunderoldi mortem etiam necrologium Fuldense in hunc annum refert.

12. Rex, qui majores vires contrahebat, audita suorum strage commotus, tota in hostem mole contendit. Allemannos tamen domum redisse, annalista Fuldensis tradit, quod morbi inter eos grassarentur. Audito Arnulfi adventu, barbari revocant suos in praedam sparsos, et prope Lovanium conglobati, ad Thielam flumen munitionem sepibus de more, terraque aggesta excitatam, castris suis praetendunt. Aderat non tantum piratarum septentrionalium promiscua colluvies, sed etiam ex ipsa Dania flos virorum, quorum fortitudo nullo in munimento hactenus expugnata dicebatur. At pars melior Francorum equestris erat, ut solent lautiores. Nam tunc plebs vilis, agris addicta, armorum fere usu prohibebatur, nec conductitius miles usurpabatur. Rex, transmisso amne, locum oculis lustrat: videt, castra hostium flumine, paludibus, vallo defendi, nullas equitum partes esse. Assidere diu non placebat. Nam, ut tunc militia erat, annona in longum non suppetebat, et ingluviem morbi sequebantur. Barbari ultro irridebant, et Guliam, Guliam ingeminabant.

13. Ergo concionem vocat; ostendit de propinquo impios hostes; quaerit, an Dei injuriam, an contumeliam Francorum, an propinquorum sanguinem ulcisci velint? Omnibus acclamantibus, ut duceret, ut impetu militis uteretur: *Ergo*, inquit, *descendendum est equis, quorum nullus hic usus est. Ego prior pedes ibo; sequimini signum manu praeferentem.* Talia dicenti pari omnes ardore applaudunt; desiliunt equis, promovent gradum. Passi tamen non sunt, ut rex praeiret; et periti necessarium

*) manuscriptus *expunxit Eckhart.*

A. 891. judicarunt, ut eques circumvolitaret cum delectis, lateraque suorum et terga contra improvisos casus tueretur. Magno deinde clamore sublato, itum est ad exscindendam munitionem aut paludes penetrandas; nec minus hostes acriter repugnabant. *Tandem nostri perrupere. Ibi promiscua barbarorum caedes facta est, dum plerumque sibi ipsis obstant. Fugae nonnisi per flumen locus erat; in hoc praecipites, per centenos et millenos mergebantur.* Ita Regino; quod alii deinde male accepere, tanquam centena hostium millia perissent. Ita forte numeri aliquando etiam in sacra historia crevere. Illud constat, paucissimos effugisse. Duo reges Godefridus et Sigefridus (eadem iterum nomina) caesi sunt, 16 regia signa capta, totidem regulorum notae, et in Bajoariam missa. Litaniae Deo in ipso loco dictae sunt. Memoriam victoriae nunc quoque Lovanii Kalendis Septembris perennare, Justus Lipsius scriptum reliquit.

14. Rex exercitum praeda onustum Moguntiam reducit. Inde dimissis copiis, in Allemanniam tendit et natalem Domini Ulmae celebrat. Annalista noster ineditus* habet, Sigehardum Fuldae munus abbatis sponte deposuisse; Hugonem praepositum, praesentibus legatis regiis Thietbaldo et Poppone, electum. Caeterum Formosum pontificem ad Arnulfum, et hoc quidem anno venisse, nescio quomodo Browero, doctissimo annalium Trevirensium conditori, in mentem venit. Fidem, opinor, nugatori habuit, qui S. Emmerani aedem ab hoc papa consecratam scripsit.

15. Hoc anno historia Gallica apud plerosque muta est. Labbeus et Cordemojus nihil, quod notarent, invenere. Ex Abbonis tamen poemate intelligimus, mox post victoriam Odonis ad Axonam turbas Aquitanicas coepisse, Odone illuc reverso; qui jam elatior, controversiae nodum nova ratione secarat, et regionem Pictaviensem, utrique contendentium abjudicatam, in Robertum fratrem transtulerat: nisi Ranulfi obitum praecessisse velimus. Nam Odoni reconciliatus circa haec tempora, cum apud ipsum versaretur, subita morte decessit. Ea veneno imputata est. Chronicon Mallesiacense in annum superiorem refert, declinantem, opinor. Inde dignitate in Robertum collata, intelligimus, unde Ademari irae, qui mox armis arreptis, stragem Odonianorum edidit,

Umbra fugat stellas, Ademarus ab agmine vitas,
Dormit Odo, consanguineus sua proterit arma,

ut ait Abbo. Consanguineum vocat: nam sorore Odonis natus creditur. Emmeno pater Ademari in notitia Carofensi apud Beslium frater dicitur Turpionis celebris comitis, qui a Normannis occisus est a. D. 863. Emmeno cum Landrico quodam congressus ex vulnere obiit a. D. 866; ambo comites Engolismenses habentur. Rex in Arvernos profectus, cum Guilielmum loco pellere non posset, Bituricensem ei comitatum ademit, et Hugoni dedit; cui exitiosum munus fuit. Congressu enim facto inter aemulos comites, Guilielmus mille et quingentos suorum amisit; at Hugonem cepit, et dolore percitus, infertis suorum immolavit. Haec Abboni debemus. Filium Ranulfi Ebolum puerum Gerardus Aureliacensis, quem quidam comitem appellant, ob mores inter sanctos habitus, et Odoni

*) *Hac voce expuncta* Saxo *addidit Eckhart.*

Cluniacensi laudatus, commendatum sibi a moriente, ad consobrinum ejus Guilielmum Arvernum duxit; ubi educatus, tandem patris avique honores recuperavit. Interea Ebolus avunculus, abbas licet S. Hilarii apud Pictavos, et S. Germani apud Parisinos, et nuper, post Gauzelini episcopi obitum, etiam Sandionysianus, Pictavii loco nepotis pro comite egit, Hugonis nuper abbatis exemplo: sed anno sequente quoddam castrum a suo comitatu obsidens, sagittae ictu vitam finivit. Tunc Ademarum successisse, resque pacatas apparet. Beslius hos omnes Pictavii comites, simul Aquitaniae duces facit. Sed ducum appellatio tunc magis autoritatis, quam juris nomen habebatur: illis tributa potissimum, quibus cum amplo comitatu exercitus credebatur. Odonem regem mox in Franciam Fulconis Remensis machinationes revocavere. Itaque ex temporum serie apparet, non sequente demum anno (ut Regino habet) Odonem contra Ranulfum et fratres in Aquitaniam contendisse. A. 891.

16. Fulconem Formosus per Bertam quandam abbatissam salutarat. Id Fulco sibi maximo gaudio fuisse, testatur in literis, quarum argumentum nobis Frodoardus servavit. Miratur, quod ad eas responsum non tulerit, quas Stephano scripserat. Petit, confirmari Remensis ecclesiae privilegia; et cum Evrardus marchio olim S. Kalixti papae corpus Roma impetratum, in monasterium intulisset praedio suo inaedificatum, atque filio Rudolfo abbati, hic Remensi ecclesiae reliquisset: Hucboldum quendam, Rudolfi sororis maritum, calumniis impugnare hoc munus, se praesidium a pontificis autoritate expectare scribit. Ex Fulconis literis ad Dodilonem Cameracensem discimus, Hucboldo comiti favisse Dodilonem. Condolet vicissim Romanae ecclesiae Fulco, quam mali homines turbent (Sergium, opinor, intelligit), opemque et obsequium spondet. Evrardum interpretor Berengarii regis patrem: quartum enim filium Rudolfum ipse nominat in testamento suo apud Miraeum in codice donationum. Monasterium Cisonium intelligendum est, in pago Tornacensi constructum in honorem S. Salvatoris et B. Virginis, ubi B. Calixtus papa et martyr corpore quiescit, ut loquitur Walgarius sacerdos, Everhardi capellanus, apud Miraeum in notitia ecclesiarum*. Postremo corpus Calixti papae Remos a Fulcone translatum est, ut Frodoardus habet.

17. Hoc etiam anno (ut Sigonius indicat) Saraceni Hispani, non plures quam viginti, parvo lintre vi ventorum ad Ligustici maris oram delati, in confiniis Italiae et Provinciae ad Fraxinetum applicant, Alpium Cottiarum castellum; locum occupant, et sociis domo accersitis tuentur. Luitprandus villulam primum, occisis incolis pulsisve, tenuisse; mox adhaerentem loco montem Maurum, sylvae, spinis dumisque obsitae, opportunitate munivisse, scribit. Sed verius est, ut locum jam munitum ex improviso occupasse credamus: ita tuti a vicinis, suorum auxilia expectare poterant. Ex eo deinde loco proximas regiones aliquamdiu infestas habuere; et credibile est, montem ab ipsis Maurum dictum.

*) Belgicarum addit Eckhart.

ANNO CHRISTI 892.

Wido filium Lambertum imperatorem coronari facit. — Lambertus imperator quo loco natus sit. — Diploma ea de re prolatum exponitur. — Hungarorum auxi Zuentibaldus Moravus subactus. — Hungari Pannoniam subigunt. Rascii Avar reliquiae. Slavonicae in Pannonia gentes. — Legatio Arnulfi ad Bulgaros. horum regibus. — Exercitus in Bohemos missus. Dux ejus Arno episcopus Wurz burgensis occisus. Successit Rudolfus patruus Conradi regis. — Poppo d Thuringorum deponitur. Sufficiuntur ipsi Conradus et mox Burchardus. — N manni regnum Lotharingiae vastant, et tandem ad Angliam secedunt. — Reg fit abbas Prumiensis. Megingaudus comes occiditur. Quis ille fuerit. — Comitat Megingaudi filio imperatoris Zuentiboldo datur. Imperator Francofurti Herivo diensi coenobio privilegia confirmat. — Annotatio in Herivordiense diploma. Lis inter Coloniensem et Bremensem ecclesiam Francofurti tractata. Form decisio. — Fulco Remensis archiepiscopus, Odoni regi adversus, Carolum Ludov Balbi filium ad regnum provehere molitur. — Synodus Viennensis, in qua Lud vico Arelatense regnum confirmatum. — Epistola Formosi papae ad Fulcon archiepiscopum Remensem de synodo generali habenda. Nuntiat eidem Lambe coronationem. — Diplomata Arnulfi pro Ecberto. — Pagi Bardunga, Lein Aleringa, Tilithi, Marstheim, Algida. Hoba, mansus, diurnalis quid. — An E bertus fuerit e familia Ludolfi Saxoniae ducis. — In hanc sententiam autor propend

A. 892. 1. Wido, quo sibi suisque firmaret Romae imperium, Lambertu filium, sive sub anni prioris exitum, sive potius, ut autor chronici Casa riensis, hoc anno, Romae a Formoso coronari curavit. Itaque ex inge fuit, quod scripserat ipse Sigonius, Widonem Sergio favisse. Alia om apparent ex epistola Formosi ad Fulconem apud Frodoardum; qua eti nuntiat, Lambertum secundo anno imperii patris novum imperator factum. Idem habet Casae aureae chronicon. Coronatus ergo fuerit in 9. Kal. Mart. (post absolutum patris annum) et 4. Idus, quos intra limi dominica in penultimum Februarii cecidit, eo quidem anno. Qua prein die solennitatem peractam, credendum est. Lambertum Martio vix coep jam imperatoris nomen gessisse, ex diplomate Lucensi apparet, qu Florentinus vidit, *datum quarta Martii die anno imperii Lamberti sex indict. 15. Amadeo comite palatii in Tuscia pro ipso agente.* Itaque mi quod Lambertum cum patre coronatum credidit vir iste doctus. A quoque Lamberti diplomata in hunc annum conspirant; quale in episco Bobiensibus habet Ughellus; ubi, *dat. 8. Kal. Aug. anno inc. Dom. 8 domini Lamberti serenissimi imperatoris 5. ind. 14. Actum curte Men* et aliud in Florentinis, *datum ann. inc. Dom. 898, domini quoque La berti piissimi imp. 7, 10 Kal. Junii indict. 1. Actum Ravennae.* Et terti in Mutinensibus, *dat. ann. inc. Dom. 898 domini quoque Lamberti piiss imp. 7, pridie Kal. Octob. indict. 2. Actum Marinio in nemore.*

2. Apud Baronium ex chronico monasterii S. Vincentii ad Vult num diploma Widonis imperatoris exhibetur in hunc sensum: *I. n. s. i. T. Wido imperator augustus. Notum sit omnibus, quod a Beneve redeuntes cum nostra conjuge, tandem pervenimus Balbam, cum ei insta pariendi tempus. Tandem per suggestionem Leonis venerabilis abba in cellam monasterii sui opulentam devenimus, quae in honorem S. Ru constructa e t in loco, qui dicitur Campus de Rocca. Ibi post tertium di dilectissimus filius noster Lambertus natus est nobis. Quocirca, ut super*

clementia nobis illum ad imperii gubernacula concedat, per rogationem A. 892.
nostrae conjugis [damus] *monasterio B. Vincentii martyris Christi ecclesiam S. Marcelli cum servis, ancillis, et omnibus ad illam pertinentibus. Insuper offerimus in eodem monasterio auri puri libras, quantum carissimus noster pensat filius. Dat. Id. Nov. ind. 10. Actum in Balba.* Hodie Valva est oppidum Marsorum, sedes episcopi.

3. Haec ita accipi debent: Wido Novembri anni superioris Romam tendens, ut filium mox coronari curaret, ubi Valvam venit, recordatus est, admonente loci vicinia, filium eundem olim sibi, Benevento cum gravida conjuge redeunti, in cella seu praedio monasterii Sanvincentiani natum. Itaque nunc, partim ut gratitudinem suam testetur, partim ut itineris successum Deo commendet, in monasterium liberalis esse studet. Baronius jocularí errore credidit, hoc diploma datum tunc, cum natus est filius, et jam tum Widonem imperatoris nomen sumsisse. Itaque eandem indictionem quindecimo retro anno designat. Quod cum Papebrochio doctissimo viro merito incredibile videretur, sciolum quendam mutasse titulum, et pro comite imperatorem substituisse, judicavit. Sed quod intus habetur, *consilium* petendae filio coronae, nec de anno dubitare sinit. Crediderim, *pondus* auri oblatum intelligi, non quod pendebat tunc Lambertus, sed quod pependerat recens natus; quale quid etiam postea apud Lauretanam aedem regibus usurpatum.

4. At Arnulfus, a Normannis liberior, in Moravum vertit, Ulmaque descendens, usque in marchiam Pannoniae cum exercitu, ex Allemannis, Bajoariis, Francis collecto, venit. Zuentiboldus adesse jubetur. Cum moras necteret, rex iratus, Bratislavonem, ducem Slavorum ulteriorum, quos hodie Croatas vocamus, jam Carolo III. obnoxium, ad colloquium vocat, et ostensa praeda, concitat in communem hostem. Suggerente, ut opinor, Croata placuit, ut ex immani Hungarorum gente auxilia accerserentur. Fabulatur Luitprandus more suo nescio quas clusas vel pylas reseratas, ut tanquam ferae ex caveis emitterentur. Inde ingens materia calumniarum in Arnulphum, qui nostrum orbem huic pesti aperuisset, sequentibus Luitprandum exscribentibus. Addunt quidam, saevissimam gentem illic a Carolo Magno obseptam; ut olim Turcae Caspiis portis ab Alexandro inclusi ferebantur. Sed talia abhorrent a locorum situ. Si quid veri inest narrationi, crediderim, per Jablunkae angustias Hungaros in Moravos irrupisse, dum hi Arnulfo, a Danubio venienti, sese objicere cogebantur. Itaque ancipiti malo circumventus Zuentibaldus, vastatis agris, cum jam et frugiferae arbores exscindi coepissent, extrema metuens, pacem petit, colla summittit, filium obsidem praebet. Nam quod Regino biennio ante prodidit, huc referendum apparet. Est enim ille non admodum severus temporum exactor.

5. Illud verius, extincto Zuentibaldo, everso sub imparibus filiis Moravorum regno, Pannoniam Hungaris late patuisse, quod nullus jam satis firmus agger inundationem barbaricam coerceret. At Zuentibaldus perculsus, non eversus est. Supra notavimus, Avaribus a Magno Carolo fractis, Pannonias novis ex Scythia irruptionibus vexari coepisse. Itaque

A. 892. praestiterat, Moravos ab Arnulfo fulciri, quam premi. Sed illi tunc suspectiores Hungaris habebantur, sub Zuentibaldo insolescentes, quem in ordinem redigere non postrema Francorum cura erat; cui fini utilis Hungarorum opera visa. Quisque sua fortuna, suisque occasionibus utitur, nec facile longinqui incertique mali metu retinetur. Ducem Hungarorum Cusalam Aventinus vocat, quasi jam tunc praefuisse constet, qui sequentibus temporibus cum Bajoariis conflictatus est a. D. 902. Illi post aliquot annos transmisso Danubio, omni inferiore Pannonia, a Leitha fluvio usque ad Dravum et ultra, potiti, Avares pristinos habitatores pepulerunt, quorum reliquiae nunc Rascii appellantur. Certe lingua Hungarorum has prae caeteris partes in Hungarici regni meditullio implevit, praeter eas, quas Rascii Slavissantes tenent. Postea etiam Croatas cum Wratislavonis regno subegere, et usque ad Hadriaticum mare regnavere. Sed Slavorum sermo mansit; qui etiam per Servios Bulgarosque, et ab altero latere per Jazyges Dacosque, superstes viget. Itaque quicquid gentium inter Danubium et Hadriaticum mare jacet ad Graecos usque, Slavicum est; nisi quod Hungari et Albani exceptionem faciunt, illi in Pannoniae parte, hi in Epiro, utrique nulli alii genti intelligendi. Sed et sinistra Danubii ripa inde a Moravis, tota pene usque ad exitum, Slavis colitur; nisi quod aliquando Hungari miscentur, et quaedam Germanorum coloniae Transsylvanorum oppida habitant; et Wlacci tandem non procul a Ponto, mira ratione corruptum fere ex Latino idioma conservant.

6. Arnulfus cum in expeditione Moravica esset, ad Laudomirum quendam Bulgarorum regem, trans Savum colentium, Septembri mense legatos misit. Qui cum Zuentibaldi metu terrestre iter tenere, aut Danubium sequi non auderent; per regnum Bratislavonis viam egere, secundo Colapis et Savi flumine, navigio usque ad Bulgaros deducti. Quanquam mihi Colapis aequo dexterior videatur, nec intelligam, ubi sit Odagra flumen, cujus aquis ad Colapem vel (ut Regino) Culpam venere. Hinc apparet, quam late tunc Zuentibaldus potentiam extenderit per utramque Istri ripam, si metu ejus legati Franci nec secundo flumine, nec terrestri per Pannoniam itinere, ad Bulgaros descendere ausi sunt. Itaque crediderim, Avarum reliquias, si non subditas viro, certe obnoxias aut foederatas fuisse. Bulgaris Simeon, non Laudimirus, hoc tempore imperabat, si Graecos audimus. An ergo dicemus, alium minorem Bulgarorum principem, viciniorem Pannoniae, ad Savum regnasse, ubi nunc Servia noscitur? Et in epistolis Johannis papae nuper principem propiorem Latinorum regionibus memoratum vidimus, quem ille non minus quam Michaelem Simeonis praedecessorem, a Graecis absterrebat. Sed turbat me ab altera parte, quod Simeonem Constantinus Porphyrogenneta filium Uladimiri facit, ejusdem, opinor, cum Laudimiro; etsi fortasse ab alterutro historico peccari potuerit, nostris credentibus, vivere adhuc Uladimirum defunctum, aut Graecis Simeoni maturius regnum tribuentibus. Itaque cum Michael Bulgarorum quondam rex, superstes fuerit, et amicus regnanti, ut mox intelligemus ad a. D. 896, quid prohibet Wladimirum Michaele natum credi, et Simeonem Wladimiro. Nam si in alios transisset regnum, vix

quietus senex inviolatusque vixisset. Sponte monasterium repetisse, filio natu minore (nempe Vladimiro) post pulsum majorem male regnantem, in thronum sublato, jam dictum est. A. 892.

7. Dum Arnulfus Moravos debellat, alius Francorum exercitus in Behemos moverat sub Arnone Wurciburgensi episcopo, impulsore Popponе Thuringorum duce; qui an ipse interfuerit, haud exprimitur. Regino in Slavos duxisse Arnonem, et praelio commisso cecidisse scripsit. Sed Ditmarus distinctius, cum rediret ab expeditione Bojemica, in pago Chutiziorum, non procul Camenza amne, fixo in colle tentorio, dum missam diceret, a barbaris oppressum. Locum in Misnia non procul Chemnicensi urbe designari apparet. Arnonis mortem etiam necrologium Fuldense in hunc annum refert. Ei suffectus est Rodulfus, frater Conradi et Gebhardi comitum; quem Regino nobilem, sed stultissimum appellat: poterat turbonem, ut ex a. D. 902. apparebit. Haec prima, ni fallor, familiae mentio est; quae deinde caeteris inter Francos orientales praelata, postquam aemulam Popponis et Adalberti oppressisset, in Conradi filio cognomine ad regnum pervenit.

8. Hoc anno Poppo dux Thuringorum honoribus privatus scribitur; et credibile est, infelicem expeditionis successum ipsi imputatum. Hactenus aliquoties memoratus, annales non semper aequos habet. Addit Regino, ducatum, quem habuerat (id est imperium in exercitum cum tuendi limitis cura et missi regii potestate), Conrado commendatum; qui brevi tempore tenuit et sponte deposuit. Conradus erat privignus Arnulfi, ejusque filius Conradus postea regnavit. Qua de re suo loco. Itaque provincia Burcardo comiti committitur, *qui hactenus* (inquit Regino) *strenue administravit*. Popponem ad comites Hennebergicos retulit Spangenbergius, historiam eorum scribens: nam in ea gente crebro Poppones memorantur; quorum unum traditiones etiam Fuldenses habent, et favent locorum situs. Nam Hennebergica regio inter Francones et Thuringos jacet.

9. Interea reliquiae Normannorum iterum in regno Lothariensi turbas tedere. Equidem chronici Normannici autor eos, qui Lovanio insederant, ob famem hoc anno Francia cessisse scribit, et trans mare perrexisse. Sed id de exitu anni acceperim; nam hactenus classis ad Scaldis ostia haesit: unde egressi, transmissa Mosa, per pagum Ripuariorum Bonnam usque vastando pervenere. Sed ubi ad Landolfasdorfum villam Franci occurrerunt, vitantes eos barbari, ad dextram per sylvas flectuntur*, et improviso adventu Prumiam opprimunt, ut vix abbati Faraberto* cum fratribus fugae tempus superesset. Quidam monachorum tardiores plurimaque familia in hostium manus venere. Multi interfecti, caeteri abducti sunt. Expugnatur et castrum in Arduenna, in quod plurimi agrestium cum rebus suis, quasi in locum tutum, confugerant. His internecione deletis, Normanni multa cum praeda ad classem reversi, tandem transmarinas regiones petiere, Angliam, ut arbitror. Nam Hastingus, quem Gemeticensis in Gallia disparuisse scribit, in Anglia comparuit, Hovedeni testimonio, et non procul ostio Tamesis ad Midletonam munimentum excitavit, sed tandem ab Alfredo

*) *In apographo postea correctum* flectunt; *ibidem in seq. linea* Faraberto *expunctum.*

A. 892. obsessus, datis duobus filiis obsidibus, ejurato hostili animo, dimissus est.

10. Tunc Farabertus abbas Prumiensis, indulgente rege, curam pastoralem deposuit, Reginoque fratrum electione suffectus est: sed diu non tenuit locum. Gerhardus et Matfridus, comites vicini et potentes, Richarium fratrem suum obtrusere. Matfridi jam Carolus Calvus mentionem fecit inter comites, quos filio, ad Mosam accessuro, officii et consilii causa novissima dispositione adesse jussit. De caetero hostium metus domesticas Lothariensium inimicitias non suspendit. Nam 5. Kal. Sept. Megingaudus comes ab Alberico quodam et sociis, in Rotila monasterio S. Sixti, interfectus est. Ita habet cum Metensibus annalista noster ineditus*, maleque Sotila apud Reginonem legitur. Browerus enim notavit, Rutilam monasterium fuisse ad Moseliae ripam juxta Sirckum oppidum, ubi nunc Cartusia sita est. Albericus quarto abhinc anno poenas dabit, simili fato. Manigaudum dextram Mosellae ripam, a Rheno usque ad Saram fluvium et ultra rexisse, vel inde intelligas, quod Fulco Remensis ei res suae ecclesiae, in Bopardo sitas, quod oppidum ad Rhenum etiam hodie noscitur, commendarat, ut Frodoardus docet. Eo extincto, ab Herimanno Coloniensi praesule curam earum geri petiit. Megingaudus comes is fuerit, de quo Sigehardus monachus, ejus seculi scriptor, fabulam narrat apud Browerum ad a. D. 894; S. Maximini monasterium Arnulfi munere invassisse: inde morbo immani correptum et mire deformatum, ad aram sancti viri veniam et salutem impetrasse. Idem autor Megingozi epitaphium exhibet, quod Moguntiae in D. Albini parietinis et ruderibus fragmento turris insertum invenit, et ad hunc pertinere arbitratur. Sigehardum Aquitanum natione facit Browerus a. D. 898. Megingaudum Albericus sanctum et martyrem vocat et de Hejo, seu Hoiensibus dynastis, Arnulfi serore natum; sed Odonis regis potius nepotem Regino facit.

11. Comitatum Megingaudi rex filio suo Zuentiboldo dedit; et eo, opinor, consilio, Moravica expeditione ex sententia peracta, Francofurtum anno vergente venit, ut Transrhenanis regionibus propior esset. Ibi Popponem depositum et Conradum provectum, credi par est. Regis iter (quod Regino in annum sequentem non recte differt) discimus ex tabulis, quibus Herivordiensis coenobii privilegia confirmantur; unde haec compendio damus: *Wicbrecht et Biso, venerabiles ac dilecti episcopi nostri, precati sunt una cum Chonrado fideli comite nostro, ut sororibus sanctimonialibus in monasterio Herivord, sub honore sanctae Dei genitricis constructo, electionem inter se intrinsecus corroboraremus. Nos quicquid boni antecessores nostri eis contulerunt, et omnia privilegia confirmantes, etiam arbitrium abbatissam inter se eligendi concedimus. Signum domini Arnulfi invictissimi. Signum domini Hludovici serenissimi regis. Ernestus notarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi et subscripsi. Data 3. Nonarum Novembrium die, anno inc. Dom. 892. indict. 11, anno regni Arnolfi regis 5. Actum Franconofurd in D. n. f. A.*

12. Haeret doctissimus Schatenius, et indictionem 11. in 10, annum

*) *Hac voce expuncta* Saxo *addidit Eckhart.*

5. in 6. mutare mallet. Sed diploma circa tempus in mendo non cubat. Indictio 11. Novembri mense jam dudum coepta erat; et transitus S. Martini, circa quem Arnulfi regnum coepit, incidit in 11. Novemb. atque adeo 3. Nonas nondum praeterierat. Sed quod *signum Hludovici regis additur*, a mala manu est. Nam hunc filium Arnulfo sequente demum anno natum, constat. Wicbertus et Biso episcopi sunt, prior Verdensis (an Hildesemensis), posterior Padebornensis. Verdensem Cranzius ad Witikindi Magni genus refert, nomine favente. A. 892.

13. In hoc apud Francofurtum conventu contigisse apparet, quod Moguntinus archiepiscopus (Hatto, ut arbitror) ad Formosum retulit, discussa Bremensi causa, dioecesanos Coloniensis provinciae episcopos, Franconem Tungrensem, Vodebaldum Trajectensem, Woselmum (lege *Wolfelmum*) Mimigardensem, Drugonem Mindensem, Egelmarum Osnabrugensem testatos, hactenus nullum Bremensis ecclesiae praesulem Coloniensi obsequium negasse. Ex quo loco colligi potest, Fulconis hac in re partes nullas fuisse (satis alibi impediti), et mandantis Stephani morte delegationem exspirasse visam. Ipse Formosus a Moguntino significata ad Adalgarium perscribit; archiepiscopum Hamburgensem vocat, increpat, quod neminem miserit ad causam suam contra legatos Coloniensis tuendam; seque perplexum ostendit, nec tantorum virorum testimoniis libenter derogaturum, et tamen operam daturum, ne quid Hamburgensis ecclesia detrimenti patiatur, propagandae in gentes veritati instituta. Itaque se tandem dispensatione quadam aequum censuisse ait, ut Bremensis ecclesia Hamburgensi subsidiaria adhaereat; et tamen in magnis et pernecessariis negotiis Hamburgensis episcopus, episcopatus Bremensis gratia, per se aut vices gerentem, non subjectionis jure, sed caritatis affectu, ad Coloniensis provinciae synodos invitatus accedat. Atque haec valere vult, donec Hamburgensis metropolis, fundatis novis episcopatibus, propriis viribus consistere possit. Ex eo Bremam ad usum peculiaris episcopi et Coloniensis provinciae vincula redituram. Hanc Formosi epistolam Cranzius in Metropolin retulit, non tantum ignoratam Adamo, sed etiam contrariam: qui in Triburiensi mox synodo Adalgarium, probantibus Arnulfo et Formoso, simpliciter victum scripsit.

14. Haerente in Aquitania Odone, res in Francia occidentali improviso motu vertuntur, artibus Fulconis Remensis. Hic Odonem regem aegerrime tulerat. Itaque nunc tandem, usus absentia ejus et Aquitaniae turbis, Carolum puerum, Ludovici Balbi ex Adelaide filium jam duodecennem, ad regnum provehere statuit. Res communicatis cum Heriberto consiliis, Veromanduorum comite et Pipino ejus fratre, regii sanguinis principibus, acta est, qui regnum ad privatam familiam translatum, haud aequis oculis aspiciebant. Erfridum etiam comitem nominat Fulco apud Frodoardum, consilii, ut apparet, adjutorem. Sed coepta sequente demum anno perfecere.

15. In regno Arelatensi synodus habita est Viennae in ecclesia S. Salvatoris a. D. 892. indict. 10, cui legati a Formoso, Pascalis et Johannes episcopi, affuere. Subscripsere praeter hos archiepiscopi Bernoinus Viennensis, Aurelianus Lugdunensis; et episcopi Isaac Valentinus, Isaac alter

A. 892. Gratianopolitanus, aliique multi. Ibi credibile est, confirmatum Ludovico regnum, pontificis censuris in renitentes decretis. Qui servati sunt canones pauculi, nihil admodum docent.

16. Fulconi quoque rescripsit Formosus. Optat, ut Romam venire possit, ecclesiaeque laboranti subvenire, quam mali homines infestent. Nam et haereses ubique ac schismata pullulare; Constantinopolitanam sedem nondum quietem habere; ex Africa legatos responsa petere ad scissionem episcoporum tollendam, quibus provinciae distrahantur: alios quoque apud se legatos instare. Itaque generalem synodum in Kal. Mart. indictionis 11, id est annum sequentem, indixisse. Ei ut intersit, hortatur. Dilata deinde est in Majum. At Fulco longe alia agitabat. Epistolam scriptam hoc anno indict. 10. ante 9. Kal. Mart., in notatis ad annum praecedentem collegi. Alia mox ab eodem data est ad Fulconem, qua Lamberti coronationem nuntiavit, anno secundo patris imperantis factam.

17. Hujus anni est diploma unum exeunte Junio mense, apud Oddingas Bajoariae, alterum Decembri in urbe Francofurtensi ab Arnulfo rege datum, quod in Hildeshemensibus monumentis habetur: *I. n. s. e. i. Tr. Arnulfus d. f. cl. r. per interventum Engelmari dilecti episcopi nostri cuidam dilecto ac fideli comiti nostro Echbrecht nominato quasdam res juris nostri in proprietatem donavimus, hoc est in pago Algidae in Unangi et Vissbeke, ac in Marsem, nec non in Chiridorf seu in * * * *, in Bartunga, in Unerstein ac in Alaringi, in Lolinga hobas 36 et ad unamquamque hobam jurnales* (id est diurnales) *sexaginta, cum familiis, mancipiis, campis* etc. *Datum 12. Kal. Jul. a. d. inc. 892. ind. 10, anno piissimi regis Arnulfi quinto. Actum Addingas i. D. n. f. A.* Ad has tabulas se referunt aliae in iisdem monumentis repertae: *Arnulfus* (ut supra) *cuidam fideli comiti nostro Egbrecht quasdam res juris nostri intra subscriptorum terminos pagorum Tilithi, Marstheim, Leinga, Bardanga* [dedimus] *in singularis beneficii locum, in quibus ipse eligeret mansos triginta, tantae magnitudinis, ut unusquisque mansus jugera sexaginta habeat in mensura. Dat. 7. Idus Decemb. a. D. inc. 892. ind. 11.* (nempe post Septembrem) *anno 5. regni domini Arnulfi piissimi regis. Actum Anderffesfust*, ubi *apud Frankenfurt* lego, ita corrupte descriptum est.

18. Pagi Bardunga et Leinga vel Loinga (ita enim legendum puto pro Lolinga) noti sunt. Aleringa videtur pagum ad Alleram flumen designare. Pagus Tilithi in Angaria est, ubi quaedam data sunt Padebornensibus, et ibi situm fuit monasterium Caminatae, postea sub Ottone M. structum a sororibus, quae ex Billingana gente fuisse videntur, habuitque ibi comitatum Bernardus dux Saxoniae ex eadem stirpe. De Marsthemio et Algida pagis adhuc inquirendum. Hobas idem esse quod mansus vel mansos; diurnales idem, quod jugera, diurnum opus, hic diserte habetur, mensura etiam ascripta, quae tamen non eadem ubique, et notavi in regionibus uberioribus mansus pauciorum jugerum habitos. Ejusdem fortasse Ecberti comitis mentio est in diplomate, quod Arnulfus rex a. D. 888. monasterio Novae Corbejae dedit, eo anno a nobis memoratum.

19. Ecbertum comitem regi in expeditione Moravica affuisse dicen-

dum est, et ita meritum copiis primum adductis, deinde editis fortitudinis A.892. documentis, ut in procinctu donaretur, et in reditu novo munere ornaretur, affinis, ut opinor, per amitam suam regis patruo nuptam; sed affines in diplomatibus, propinqui appellari non solent. Multa autem sunt, cur Brunonis ducis, a Normannis duodecimo abhinc anno occisi, filium fuisse judicem, impuberem tunc relictum, nunc florentem; nepotem Ludolfi ducis, cujus filiam rex Ludovicus junior duxerat. Tempora consentiunt, nec obest in ea scriptorum contemporaneorum et paucitate et taciturnitate, ne dicam infantia, quod nec conjux Brunonis, nec liberi memorantur. Sed ducem non gentis tantum Saxonicae, sed etiam exercitus, haud adolescentem fuisse, atque adeo maritum et patrem, valde verisimile est. Porro Brunones et Ecbertos principes Brunsvicenses, quorum familiam vulgo (etsi male, mea sententia) marchionum Saxoniae appellant, ad eandem cum tribus Ottonibus caesaribus stirpem referunt scriptores pene omnes medii et recentiores, qui illius origines attigerunt. Et magno argumento est, quod unus Brunonum extincto Ottone III, ultimusque Ecbertorum vacillante Henrico IV. regnum affectavit.

20. Sed eos familiae caesareae propius admoverunt scriptores, quam par erat, quasi Henricus Ottonis Magni frater Brunonem istum filium habuisset; cum tamen exploratiores sint res regiae familiae, quam ut haec persona ignorari potuerit. Pro Ottonis caesaris fratre ad Ottonis ducis fratrem recurrere debebant. Unus autor chronici rhythmici Brunsvicensium principum, quod vernaculo Saxonum inferiorum sermone (id est suo) edidimus, rem acu tetigit. Ait enim (etsi subinde ambiguus) Brunonem ad regios honores aspirantem, in juris disceptatione consistere non potuisse, quod quinto demum gradu Ottonem III. attingeret, cui Henricus dux Bajoariae successerit, propior utique et patris consobrinus. Itaque communem stipitem esse autor credidit Ludolfum ducem, inter quem et Ottonem III. quinque sunt generationes. Ergo nonnisi per Brunonem Ludolfi filium Bruno posterior ad veteres Saxoniae duces masculina serie referri potest, caeterorum enim omnium Ludolfi posterorum filii sunt explorati. Nam per foeminas inde duci nihil valde singulare aut magnum erat, nec juris speciem dedisset, quam autor inducit. Quodsi jam Brunoni ducis Ludolphi filio filium et posteros mares damus, opportunissime hic noster Ecbertus occurrit ex diplomate Arnulfino, tempore, locorum situ, potentia (quae per tot pagos diffundebatur), autoritate denique, et gratia regis, multiplici utique circumstantiarum concursu designatus. Sed has origines fusius tractabimus, quando Brunonem attingemus, successionem Ottonis III, sed frustra, tentantem.

ANNO CHRISTI 893.

Carolus Simplex coronatur in regem Galliae. Odoni Aquitania relicta. — Fulco, epistola ad Arnulfum scripta, Caroli coronationem in regem tuetur. — Fulco apud Formosum papam et Widonem Caroli causam agit. Hunc Odo fugat, et ad Arnulfum fugere cogit. — Concertationes regum Caroli et Odonis aliaque in Gallia gesta. Carolo Arnulfus favet. — Arnulfus turbas in limite Bavarico com-

ponit. Zuentibaldum Moravum impugnat. — Arnulfo filius Ludevicus nascitur. De Italico itinere cogitat. — Leonis augusti cum Bulgaris bellum.

A. 893. 1. Synodus sub anni initium Remis acta, et fortasse superiore coepta est, ad quam Fulco, praeparatis dudum animis, episcopos et proceres Franciae Neustriaeque, inter Mosam scilicet Ligerimque, evocarat. Affuit et Carolus Puer, quem quidam ex Anglia adductum scripsere, quasi illic (ut postea Ludovicus Transmarinus) latuisset. Sed exilii hujus nullum testem invenio. In hoc conventu magno omnium studio regnum legitimo haeredi decernitur; mox unctio a Fulcone peragitur 5. Kal. Feb., quam diem Carolus ipse rex in binis diplomatibus, Fossatensi et Sanmartiniano apud Turones coenobio datis, (Sirmondo notante) celebrans, *in die*, inquit, *quo ad regni fastigium ordinati fuimus, qui evenit 5. Kal. Feb., id est natali S. Agnetis virginis.* Ea vero dies nunc dominica fuit; quare nec de anno dubitandum est. Et diplomata Caroli conspirant; ut cum apud Baluzium appendice actorum veterum 8. Kal. Maji indict. 3. annum regni octavum numerat, qui fuit domini nongentesimus. Porro coronatio Caroli ad Aquitaniam non pertinebat. Itaque Odoni servata est: neque enim ex provinciis trans Ligerim proceres aut episcopi Remos venere. Quare postea, extincto Odone, Carolus nonnunquam a successione Odonis regiminis annos numeravit, saepius autem regnum redintegratum in diplomatis dixit. Ex synodo jam a. D. 892. ad Balduinum (quem Flandriae comitem posteriores appellant) scripsisse Fulconem, et a pervasione rerum sacrarum dehortatum, Frodoardus refert. Nam Noviomensi ecclesiae infestus erat.

2. Caroli exaltationem Fulco mox apologetica ad regem Germaniae epistola tueri, consultum duxit. Primum in memoriam revocat, quantum suum studium fuerit erga ipsum Arnulfum. Defuncto enim Carolo imperatore, ipsius avunculo (patruum intelligit) ad eum adisse, et ad suscipiendum omne Francorum regnum preces et hortamenta frustra admovisse: inopem consilii remissum, necessario Odoni paruisse, cum Carolum infantia inutilem faceret, et Normannicus turbo cuncta pervasisset. Nunc Odonem potestate in tyrannidem abuti; Carolum autem ad eam aetatem perductum, in qua salubria monentibus obsequi sciret. Nec moram tulisse arripiendae occasionis necessitatem, aut consulendi Arnulfi spatium reliquisse: quanquam suo jure eligant Franci, nec ab autoritate pendeant majoris potentiorisque regis. Sed et Arnulfi ipsius rem agi, ne jus regiae stirpis suis temporibus intercidere patiatur. Hactenus enim successionem in regno valuisse; nunc tot regibus de alieno genere surgentibus, pluribusque successu invitatis, posse etiam ipsius aliquando filium periclitari, si Carolum deserat, certum semper amicum suorum habituri, si juvet. Denique notum orbi esse, Francorum gentem reges ex successione habere; quod B. Gregorii papae testimonio confirmat. Et ex libris Teutonicis (verba sunt Flodoardi) de rege quodam Hermenrico historiam subjicit, qui omnem progeniem suam, impio quodam suadente consiliario, morti destinavit. Suspicor, magnum hujus nominis Gothorum regem intelligi, qui celebratur a Jornande. Nam quod quidam susurrent, Caro-

lum hunc Ludovico rege non natum, praeterquam quod temere dicatur, aspectu ipso vultus, tanquam viva parentum effigie, refelli; quaedam etiam patris signa puerum gestare. Itaque orat regiam Arnulfi majestatem, ne innocenti propinquo injuriam fieri sinat; et si qui scrupuli haereant, rem coram se in conventu procerum fidelium discuti patiatur. Addit Fulco de se ipso, relatum sibi, quod Aschericus jactarit, acta haec maligno in Arnulfum animo, et privati commodi spe. Sed Aschericum ipsum respondet ad se venisse, praesentibusque Heriberto et Erfrido comitibus de intolerabilibus Odonis imperiis querelas effudisse: Gosfridi quoque filios in consilium adhibitos, et de alio principe agitatum esse, et quosdam in Widonem inclinasse: sed pro regni utilitate, et Arnulfi ipsius amicitia et regii generis jure, Carolum placuisse. Itaque calumniam esse, quod quidam jactent, istum nunc obtentui sumi; sed revera id agi, ut neglecto mox puero, Wido accerseretur. Se vero talem non esse, nec talibus ortum, qui pudendis actibus genus dedecorent; nec majores regis talia ingenia in suis progenitoribus expertos. Aleranum denique a se mitti ait cum his literis, suggesturum, quae e re sint, intellecturumque, quos Arnulfus ad se venire velit constituendis rebus. Nam Carolum per omnia dicto audientem fore. A. 893.

3. Etiam ad Formosum acta perscripsit Fulco, consilium opemque flagitans, quemadmodum ex pontificis responso intelligi potest: qui etiam ad Odonem literas dedit, hortatusque est, ne Carolum amicosque ejus infestaret: et archiepiscopos episcoposque Galliarum monuit, ut ad bellum sedandum, vel certe inducias faciendas conniterentur, uti Fulconi Romam adire liceret. Simul paterna ad Carolum monita destinavit; panemque benedictum petenti pro pignore misit. Fulconem hortatus est, ut odia sopiret, quae ex Manigaudi caede nata erant. Fulco et Widoni causam Caroli apud papam commendarat, eundemque monuerat, ne quid pacati ab Arnulfo exspectaret: simul abbatiam S. Martini, nescio quam, a rege sibi creditam nuntiavit. At Odo inexspectato nuntio ictus, rebus in Aquitania utcunque compositis, cum fratre Roberto in Franciam festinat; Carolum fugat, amicos ejus persequitur, castella eorum expugnat. Carolus impar, ad Arnulfum confugit.

4. Arnulfus intentus tantae novitati, hyemem in vicinia egerat. Sane tempore quadragesimali totam occidentalium Francorum (id est Lothariensium) provinciam, monasteria, episcopatus orationis causa obisse, annalista Fuldensis scribit; ingentia dona ab episcopis accepisse, Regino prodit. Huc refero, quod codex rerum Moguntinarum, Serrario citatus sub minoris nomine, Moguntiam (nescio quam ob causam) rebellem hoc anno ab Arnulfo expugnatam, et graviter afflictam scribit. Rex deinde conventum Wormatiae egit aestivo tempore, quo Carolus accedens, favorem potentioris principis sibi magnis muneribus conciliavit, regnique sceptra ab ejus manu suscepit. An hominium fuerit, haud satis scio; clientelae certe genus erat. Nec Fulco apud Flodoardum abnuit; nam fidelitatem suam devotionemque Arnulfo pollicitus, promtum se ad jussa spondet, si praesentia sua poscatur. Addit, promissionem Caroli Arnulfo

A. 893. factam, cum regnum ei tradiderat, tam in rege, quam in populo ratam inconvulsamque mansuram. Ait Sigonius, etiam Berengarium Wormatiae affuisse. Si fides dictis habenda est, magnificum spectaculum praebuerint bini simul reges supplices, ab Arnulfi tutela salutem exspectantes. Arnulfus igitur episcopis comitibusque cis Mosam mandat, ut Carolum in regnum reducant. Sed Odonem ad Axonam fluvium cum exercitu obvium habuere, cui consilium erat Parisios tegere, sedem regni. Nec mirabimur, rem ad praelium non venisse, quando episcopi magna pars virium erant, qui sanguini christiano parcendum judicabant. Lotharienses domum redeunt; Carolus in Burgundiam flectit, et Odone Parisios revertente, amicos ejus insectatur. Ita alternante principum aemulorum fortuna, infortunia subditorum durabant. Interea Ebolus abbas castrum obsidens Brillacum in Pictavis, Beslio teste, aquis cinctum, sagitta ictus occubuit. Ita Ademarus comitatum paternum tandem obtinuit, dum junior Ebolus in Arvernia educatur. Notat Beslius Ecfridum Pictaviensem episcopum precibus Ademari anno sequente ab Odone abbatiam S. Hilarii obtinuisse, Odo Sandionysianam exemplo Caroli II. augusti ad se revocavit.

5. Arnulfus interim in Bajoariam redierat, ut Moravorum securus, expeditionem Italicam aggredi posset. Praeterea turbabat Engelscalcus juvenis ferox, qui rapta regis filia de concubina, ad Moravos confugerat; deinde reconciliatus, et marcae Pannonicae praefectus, primores viros indignis modis tractabat. Itaque suspectus regi et Ratisbonam ad judicium vocatus, luminibus orbatur. Patruelis Wilhelmus, Zuentiboldum solicitans, capite truncatur: fratrem apud Moravos latitantem Zuentiboldus ipse per fraudem occidi curavit. Rex cum exercitu in Moravi hostis regionem penetrat; sed in reditu aegre insidias evasit Arnulfus. Vohburgensis, a Canisio editus, lib. I. de S. Emmerano tradit, Arnulfum regem in acie periclitantem, a venerabili sene protectum, qui Emmeranum se professus (si credimus) imminentem percussorem manu repulit; subitoque terrore hostes implevit, ut jam pro pugna fuga caedesque esset. Addunt Aeneas Sylvius aliique Bohemorum scriptores, Zuentibaldum ita protritum, ut desperatis rebus, sese in eremum abderet, non rediturus, de quo ad annum sequentem. Certe parum hac expeditione nocitum Moravo, melioribus autoribus, Fuldensi annalistae et Reginoni, credendum est.

6. Reverso Ottingam regi (ubi tunc aulam habebat) filius ei ex Uta regina natus est, quem Adelbero Augustanus praesul lustralibus aquis mersit; Hatto Moguntinus de sacro fonte suscepit. Simul sacro chrismate initiatus est, et Ludovicus appellatus. Ex eo Arnulfus consilia mutavit, et Zuentibaldum, cum Francorum orientalium regno excidisset, Lothariensibus imponere cogitavit. Quod anno sequente tentavit, altero perfecit. Nunc Italicam expeditionem animo agitabat. Ad eam a Formoso et primoribus Italiae per legatos solicitatum, annales hujus temporis memoriae produnt. Ego ut legatos a pontifice affuisse facile crediderim, qui futuri incertus, Arnulfum sibi conciliare studebat: ita Widoni adversatum nuspiam reperio.

7. Leo augustus cum Simeone Bulgarorum rege (aut fortasse cum

patre ejus Vladimiro) collisus est, eo scilicet anno, quo Stephanus patriarcha excessit; ut ex Leone Grammatico intelligimus, qui seculo proximo vixit. Stephanum enim sex annis et quinque mensibus sedisse, constat, et excessisse a. D. 888, quae Pagius observavit. Leo pressus a Simeone, Hungarorum auxilia excivit, qui hostes a tergo adorirentur. Gravem inde cladem Bulgari domi suae passi sunt: sed Leo tamen postremo victus est. Initium belli huc referre malim; etsi annales Fuldenses, triennio abhinc successum narrantes, et plures annos in unum conferentes, quasi de coepto loquantur. Graeci cum Hungaris foedus fecerant. Id Bulgaris suspectum, concurrentibus aliis causis, occasionem bello dedit. Victores Bulgari ad portas usque Constantinopolitanae urbis praedas agendo processere. Graeci navibus per Danubium subvectis, Hungaros in dextram fluvii ripam transponunt; qui Bulgaros a tergo aggressi late vastarunt et ad sua tuenda revocarunt. Bis praelio victi, ad Michaelis vetuli regis (is, opinor, avus Simeonis) consilium confugiunt, qui in monasterio pietatis studiis intentus agebat. Ille ante omnia Deum placandum censet. Congressu deinde facto, caesi sunt hostes, et regione pulsi. His congressibus Bulgari viginti millia equitum amisisse scribuntur. Sed nunquam satis care emitur salus. Victos excidium mansisset; quod mox Pannones experti sunt. Quis Simeo rex Bulgarorum, ad annum praecedentem attigimus. Is victoria elatus, a Leone captivos suos gratis expressit; ut retulit imperator Constantinus Porphyrogennęta, filius Leonis. A. 893.

ANNO CHRISTI 894.

Arnulfus it in Italiam. Berengarium secum ducit. Otto dux Saxoniae ei cum copiis adfuit. Longobardiam occupat. Wido ad Spoletinos fugit. — Arnulfus per Alpes Penninas in Galliam transcendit. — Widonis obitus. — Wido ex Francis ortus. — Annus mortis Widonis constituitur. — Lambertum loco Widonis recipiunt Itali in regem, Berengario frustra obnitente. — Arnulfi expeditio in Rudolfum Burgundiae regem. — Wormatiae comitia. Zuentibaldum Lothariensibus praeficere tentat imperator, et in Ludovicum Galliae regem beneficus est. — Hildegardis Arnulfi consobrina Arnulfi gratia excidit, in eam tamen post recepta. Monasterio Gandeshemensi favet. — Zuenteboldus Moravorum rex obit. Filii ejus ab Ungaris mox opprimuntur. — Pannoniam, quae Zuenteboldo paruit, Ungari occuparunt. Moraviae fata, et unde dicta. — Zuenteboldus religionem christianam apud suos propagavit. — Ex uno Zuenteboldo erronee duo facti a recentioribus scriptoribus. — Fabula de Zuenteboldo vitam religiosam amplexo. — Bohemiae christianae incunabula. Borziwojus princeps Pragae ecclesiam aedificat. — Borziwoji uxor Ludmilla, ejusque posteritas. — S. Dionysii in Germaniam translatio. Remi obsessi ab Odone. Fulconis querelae de Arnulfo, et literae ad papam pro Carolo rege. Ejusdem literae ad Lambertum imperatorem. — Egiulfus Halberstadensis episcopus in Italia obit, succedit Sigismundus.

1. Arnulfum in Weibilinga regia curte, ut cum veteribus loquar, natalem Domini celebrasse, ac tum demum cum Allemannico exercitu Italiam intrasse, annales Fuldenses tradunt. Sed praeterquam, quod ex Bajoariis facilius aditur Italia; Sigonius jam anno superiore, appetente hyeme, superasse Alpes tradidit, et iter per vallem Tridentinam fecisse, quod verius puto. Nam diplomata ejus sibi visa scribit Veronae 5. Idus A. 894.

A. 894. Novemb. anno regni sexto data. Et festinasse Arnulfum, multa ostendunt, qui Rudolfum Burgundum in reditu opprimere, et mox nothum filium Lothariensibus praeficere moliretur. Copiae non contemnendae fuere, ex diversis regni partibus conscriptae, cum et Saxones, quantumvis longinqui, Ottone duce sub signis essent. Berengarius venienti comes, honoris causa et in fidei pignus, armigeri ritu latus ejus clypeo texit. Hoc est, quod Luitprandus voluit, cum clypeum ait arrhabonem credulitatis portasse. Veronam Arnulfus statim in potestate habuit, exercituique itinere fatigato quietem indulsit. Natalitio deinde festo peracto, ineunte jam anno, motis castris Bergomum tandem obsidere coepit. Cur ad dextrum latus declinarit, neque recta Ticinum aut Mediolanum duxerit, inde factum credibile est, quod alia loca paterent; huic vero urbi Wido praesidium imposuisset, quod a tergo relinqui non placebat. Castrum diu summa vi oppugnatum: protracta obsidione, tandem corona captum est festo purificationis die. Incolae primo impetu caesi; comes loci Ambrosius, credo ob singularem insolentiam, cum insignibus dignitatis, baltheo et armillis, ante portam suspensus. Is terror caeterarum urbium portas aperuit; quae certatim missis legatis, se suaque tradidere. Arnulfus recta Papiam tendit: Ottonem, quem Luitprandus potentissimum Saxonum ducem vocat, ad recipiendum tuendumque Mediolanum misit. Ego praeterea in mandatis dedisse putem, ut Gallicum iter exploraret muniretque. Wido longe impar, deserta hac parte Italiae, quam veteres Galliam Cisalpinam vocabant, ad Spoletinos suos confugit.

2. Arnulfum acriter insecutum, urbes castellaque omnia, quae iter obtulerat, cepisse, Luitprandus scribit: sed Regino, non ultra Placentiam progressum. Ita cis Padum constiterit. Berengarium in sedem regni sui restituisse satis visum. Romanum iter differre maluit; neque enim Gallici motus diuturnam regis absentiam ferebant. Itaque subito iter flexit, et per Alpes Penninas (posteriores Montem Jovis vocant) in Galliam improvisus transcendit. Si vera narrat Luitprandus, Ticinenses rebellantes, cum rex in urbe esset, magnam militum ejus stragem edidere; et cum Eporedia transiret, Anscharius marchio rebellavit; sed fugere coactus, in cavernis latuit. Haec enim ad posteriorem expeditionem referri non possunt, in qua per haec loca rex iter non fecit.

3. Wido, intellecto hostis recessu, animum colligens, vicissim instare coepit. Sed cum ad Tarum, agri Placentini fluvium, pervenisset, vomitu sanguinis repentino oppressus obiit. Haec Sigonius, qui de mortis anno convenit cum Reginone, de loco cum Luitprando; genus necis addit ex Leone Ostiensi. Luitprandus mirifice omnia turbat; binas Arnulfi profectiones in unam confundit. Id fecit ignoratione rerum; sed poeta panegyristes consilio, qui coronam Arnulfo itinere secundo impositam, dissimulavit. Baronius, quod miror, a Luitprando deceptus, vitam Widoni prorogat, dum Arnulfus altera vice Italia decedit. Poeta autor contemporaneus (de quo Pagius dubitare non debuit) et collocalis, eoque certior, quoties nulla fingendi ratio est, Widonis mortem nonnihil post decessum Arnulfi differt, et mortis genus haud ita praeceps facit, his verbis:

Vix proprios tetigit fines rex ille verendus (Arnulfus), A. 894.
Legirupis en Wido tubis rediviva resumit
Agmina, item vetitos cupiens pervadere campos.
Saevior ipse etiam regni pater hostibus, arma
Molitur, tantos avidus finire labores.
Interea sors lecta Dei circumdata saccis
Vota facit.

Et paulo post:

Audiit ista sator, totum qui curvat Olympum:
Mortis adesse diem cogit fera bella moventi,
Sic tamen, ut proprio componat lumina lecto.

Introducit deinde filio monita dantem, ut Berengario concilietur; quae quidem poetae sunt, et adulantis.

4. Widonem regibus Francorum propinquitate quadam conjunctum fuisse, certum est; sed ratio nexus ignoratur. Luitprandus a Francis quandam affinitatis lineam traxisse ait. Sed expressius Fulco ad ipsum Widonem, apud Frodoardum, cum rogat, ut Carolo faveat, atque erga eum se gerat, ut propinquum decet. Itaque ipse paulo ante et regnum in Francia sperarat. Certe Francus erat, quod agnoscunt poeta adversarius et Leo Marsicanus. Stephanus V. etiam in filium adoptaverat, ut antea Johannes Bosonem.

5. Annum mortis contra Luitprandum et Baronium etiam diplomata firmant. Tabulas Lucae Florentinius vidit, quibus subscriptum: *Anno ab incarnatione Domini octingentesimo nonagesimo quarto, post ovitum domini Widonis imperatoris anno primo, tertio Kal. Januarii indictione decima tertia;* ubi notae chronologicae probe consentiunt inter se. Atque hinc intelligimus, Widonem ante exitum anni obiisse, et Lambertum filium non statim agnitum a Tuscis. Formosus etiam ad Fulconem scribens et Fulco ad Formosum apud Flodoardum satis innuunt, extinctum Widonem multo ante Formosum, et tunc, cum Arnulfus nondum ad sumendam imperii coronam profectus esset. Sed argumenta literarum mox dabuntur. Extat quidem diploma Widonis apud Ughellum, in Bobiensibus episcopis, quod in menses aliquot vitam ejus prorogaret, si vitium abesset. *Datum Papiae Idibus Aprilis, anno ab incarnatione Domini 895. ind. 13, anno vero regni ejus quinto.* Sed Aprilis anni regni ejus quinti cadit in a. D. 894. Itaque numeri annorum Domini et indictionis falsi erunt.

6. Intellecto Widonis obitu, Berengarius Papiam festinavit, jam tum ab Arnulfo subactam; et regiam quidem urbem, non animos habuit, sine quibus loca non retinentur. Itali sese filio Widonis Lamberto, juveni eleganti, quamvis ephebo, applicuere, cujus adolescentiam mater Agiltrudis, mulier callida, consilio moderabatur. Itaque Lamberto cum validis copiis adveniente, Berengarius cessit, et Papia derelicta, Veronam se recepit; vanumque adeo est aut praematurum, quod de foedere poeta habet a morte Widonis. Id serius coiit, post alterum Arnulfi iter.

7. Arnulfus interim superatis Alpibus Agaunum veniens, Rudolfum regem deprehendere frustra speravit. Praemonitus ille, in notis montium

A. 894. diverticulis latuit, donec tempestas desaeviret. Aperta et plana loca in Arnulfi potestate fuere: sed castella obsidere et abdita scrutari, non vacavit. Rudolfum crediderim ad Italicam expeditionem evocatum non paruisse, fortasse diffisum; atque inde iram Arnulfi in principem nuper summissum, et fiducia obsequii regem appellatum. Cum ergo aliud non posset, quasdam Rudolfi civitates cum adjacentibus pagis Ludovico Bosonis filio tradidit. Sed donum irritum fuisse scribit Regino; Rudolfo scilicet in provincialium animis praevalente.

8. Indicta erant Wormatiae comitia in aestatem. Ibi placito acto Lotharienses proceres affuere, quibus rex Suendibaldum praeficere tentavit. Sed nondum matura res fuit. Francia filio legitimo debebatur: Lotharienses deterioris conditionis non erant. Soluto conventu, Laurishami agentem Ludovicus cum matre Irmengarde adiit, praeceptoque regio ademta Rudolfo, in beneficium suscepit, non inane futurum, si regna praeceptis transferri possent.

9. Hildegardis, Ludovici junioris et Luitgardis Saxonicae filia, Arnulfi consobrina, regiis possessionibus privata, in monasterium puellarum in Bavaria ad Chiemensem lacum detruditur, memorante Reginone, ubi amitam Hildegardem, Ludovici Germanici filiam, praefuisse, Brunnerus ex Henrici IV. charta docet. Hildegardis consilia artesque Arnulfo plurimum ad regnum profuisse, ab Hermanno Contracto traditur. Itaque foeminam callidam et clientelis validam in suspicionem venisse Aventinus credit affectati mariti, cui regium decus pararet. Postea sive comperta ejus innocentia, sive quod ira defervescente beneficii memoria redisset restituta est. Arnulfus in diplomate Gandeshemensibus dato venerandam neptem vocat, cujus interventu scilicet monasterio favisset, nempe quod Ludolfus Hildegardis avus fundarat. Arnulfi munus Otto I. a. D. 956. et Otto II. a. D. 975. confirmant, verbis ejus relatis.

10. Suentipoldum Arnulfi filium nomen a Moravo tulisse, diximus quem Graeci et Bohemi rectius ad genium gentis Suatuplucum vocant. Mabillo diploma exhibet a. D. 896, quo datum est a nobis excerptum ejus; ubi idem rex Lothariensium in sigillo Zuenteboldus, in scriptura Zuentebulchus vocatur. Sed ipse ille potens Moravorum rex, qui Pannoniae magnam partem, tandem et Bohemos in potestate habuit, hoc anno extinctus, gravi metu Arnulfum liberavit. Ab ingenio et prudentia etiam hosti, Reginoni laudatur. Certe, quicquid fabulentur quidam, integris rebus decessit, et regnum florens filiis reliquit. Sed illi non diu tenuere et mox ab Ungaris oppressi sunt; qui omnia funditus pessundedere, bellis fratrum plus quam civilibus viam aperientibus externo hosti. Ita enim Constantinus imperator de administratione imperii. *Moraviae* (inquit) *princeps Sphendoplocus fortis formidabilisque populis finitimis fuit. Post mortem ejus anno uno in pace exacto, orto bello civili invadentes Turcae* (hoc nomine Ungari Constantinopolitanis veniunt) *regionem occupavere quam et nunc tenent, extirpatis incolis, qui ad Bulgaros, Chrobatos et alias vicinas gentes confugere.* Haec Constantinus.

11. Ex his planissime intelligimus, Zuentiboldum id pene omne

imperio complexum fuisse, quod nunc superiorem inferioremque Hungariam appellamus. Sane Methodium, qui in ejus regno erat, Pannoniensem archiepiscopum Johannes pontifex vocat, eique Nitriensem episcopum subjectum fuisse ostendit. Et Nitriae conditum Zuentiboldum Dubravius, nescio unde, certe non improbabiliter, scripsit; conditorium etiam olim hoc elogio inscriptum extitisse: hic regem Moraviae Suatoplucum in medio regni sui sepultum jacere. Discimus etiam, Ungaros, everso Moravorum regno, non Moraviam, ut vulgo putant, sed Pannoniam vastasse, et pulsis incolis occupasse, quae nunc Hungaria appellatur; etsi Slavonica lingua (quae est Moravorum) passim in Hungaria etiam superiore supersit, Slavici etiam generis sunt Rascii in inferiore. Nec dubium est, multos ex veteribus incolis ab Hungaris relictos, imposito jugo, neque enim tantam regionem novi advenae implessent. Ut de Croatia aliisque vicinis regionibus nunc non dicam, in quibus Hungari non consedere, quemadmodum et Moraviam populari satis habuere. Moravi postea pro amplissimo regno ad mediocrem principatum redacti, tandem in Bohemici regni corpus concessere. Est illis a Morava flumine nomen, quod non a Slavis inductum est, sed ab antiquis gentibus mansit, multis amnibus ab utraque Danubii ripa commune. Nam et Marus (veteribus memoratus) apud Dacos in Tibiscum influit, et ab altera Danubii parte Mura in Dravum; et alia Morava in Danubium ipsum sese immergit. Mor antiquis Celtis Cimbrisque, et nunc quoque Latinis, Germanis, Sarmatis, mare, palus, aqua est. Moravam, Moravorum amnem, Germani Marcam vocant; unde olim Marcomanni dicti creduntur. A. 894.

12. Caeterum Zuentiboldus religionem christianam in suis ditionibus propagavit, et Methodio apostolatum exercenti favit, ut vel ex Johannis papae literis, et Bohemi principis conversione ad fidem, intelligi potest. Methodio tamen regni initio infestior visus, credo, in Ratislaum fido; sed postea reconciliatus est. Interim eo usque invaluit discidii apud posteros fama, rerum antiquarum imperitos, ut hinc in regem, diris a sancto viro devotum, totamque gentem, ultima mala incubuisse dicantur. Christannus (sive Christianum malis) S. Adalberti Pragensium episcopi secundi avunculus, in vita S. Ludomillae scribit, Methodium a principe magnifico (Rasticem vel Wratislaum interpretor) qui regionibus illis tunc dominabatur, et universae terrae imperabat, statutum populis summum pontificem fuisse, eique septem pontifices subordinatos; sed Suatoplucum nepotem principis veneno et insidiis avunculum appetisse, regno oculisque orbare frustra conatum; denique tyrannide potitum, impie egisse; inde terram ejus anathemate cum incolis et sulcis percussam, datamque in direptionem et praedam, etiamnum defleri.

13. Haec narratio Aeneam Sylvium et Balbinum, rerum Bohemicarum praeclarum autorem, et vitae Cyrilli Methodiique illustratorem Antverpiensem decepit, ut Suatopulcum in duos partirentur, faventem Methodio, et inimicum. Nempe ille magnus princeps Suatopulci avunculus illis ipso major Suatopulcus esse visus est, cui successerit improbus nepos damno regni. Sed Rastices intelligi debet, quem insidiis Suatopulci

A. 894. nepotis Francis proditum, supra narravimus. Nec Christannus remotior pro illa temporum caligine veras ruinae Moravorum causas satis scivit. Adde, quod Constantinus imperator pariter ac Regino abbas, Suatopulco non nepotem ex fratre aut sorore, sed filios successisse scribunt.

14. Claritas viri alia adhuc fabula ornata est. Cosmus decanus Pragensis, seculi XI. scriptor, tradidit, Zuotoplickum in medio sui exercitus disparuisse. Et in hunc sensum annalista noster ineditus*: *Non desunt*, inquit, *scripta quaedam, quae de ipso testantur, quod rebellionis suae poenitentia ductus, spreto seculo patriam reliquerit, et divinis obsequiis se subjiciens, in coetu religiosorum vitae reliquum egerit.* Itaque a Bucellino, in menologio Benedictinorum, sanctis ordinis sui accensetur. Aeneas Sylvius et Pulcava quidam Bohemicus scriptor apud Balbinum et plerique alii narrant, Zuentibaldum ab Arnulfo victum, ex fuga in Samborem montem (ita Dubravio, Pulcavae in Rembotum) pervenisse, et aliquamdiu inter ferarum lustra solum latuisse, donec oberrantem tres ascetae sylvam habitantes, in contubernium recepere. Ibi dissimulato principe, reliquum aevi suavissime egit, et morti demum proximus, sociis scenam vitae aperuit, addens, paucos regum in purpura morituros, si verae quietis bona gustassent. Jussit se in loco tumulari, ne redirent posthumi fastus; filiis denique salutaria monita perferenda dedit. Haec dictu pulchra, si quid veri inest, ad filium pertinuerint cognominem, ab Hungaris aut fratre eversum, de quo ad a. D. 898.

15. Sed nec Bohemiae christianae incunabula praetereunda sunt, quorum notitiam Christanno et anonymo Cyrilli ac Methodii biographo debemus; quanquam et a compilatione chronologica, a nobis tomo II. Brunsvicensia illustrantium num. 10. inserta, ad hunc annum confirmentur. Forte Zuentiboldum regem suum adiit unus ex regulis Bohemorum Borziwojus, aetate formaque florens, sed nondum interiorem mentis pulchritudinem nactus ex vera in Deum fide. Suscipitur benigne, sed ad convivium non admittitur, et ritu paganorum ante mensam in pavimento considere jubetur. Id dolens, qui aderat Methodius, sevocato juveni: *Nonne erubescis tu, talis tantusque, cum vulgo censeri, dum tibi una ad honores deest agnitio Christi?* Haerenti illi, et quo fructu ritus mutaret, quaerenti, Methodius (prophetico spiritu): *Scito*, inquit, *te meliora sedentem ingentia fata manere. Dominus dominorum tuorum efficieris, et progenies tua instar ingentis fluvii dilatabitur, in quem varia rivulorum fluenta jungentur.* Itaque christiana praecepta edoctus, mox cum triginta assecelis sacro lavacro tingitur, et a se ipso alius ad suos redit. Additur sacerdos Caichus, qui mox in castello Hradeczio templum molitur. Reginohradecium hodie vocant. At aemuli, sive quod religio nova, sive potius quod vir displiceret, Stroymirum quendam ducem exulem ex Germania revocant, Borzivojum pellunt; qui aliquamdiu apud Moravos latuit. Sed mox Stroymiri Bohemos pertaesum est, quod in mores linguamque Teutonum transisset, et patriam loquelam pene amisisset. Borzivojus redux, Pragae basilicam divae Virgini ex voto struxit. Sed non hunc

*) *Hoc verbo expuncto, superscriptum est: Saxo.*

primum procerum Bohemorum christianum fuisse putandum est, etsi primus fortasse christianorum tenuerit caput gentis, Pragam. Nam a. D. 845. memoratur, 14 Bohemorum principes Ludovici Pii opera Christo initiatos; etsi fortasse non aeque durabili omnium fide. Et credibile est, illum ipsum Stroymirum, educatum apud Germanos, cum moribus et sententiam traxisse. A. 894.

16. Borzivojus annos natus 75 vita excessit. Ludmillam in matrimonio habuit, Slaviboris, principis Mielnicensis Bohemi filiam, quae mariti secuta exemplum, vicit famam. Nam ejus pietas in fastos relata est. Tres ei filios totidemque filias peperit. Boleslaus in infantia obiit. Spitigneus successor patris, mox fratri locum fecit. Wratislaus genus propagavit, ducta ex Stoderanis Slavis conjuge Dragomira, cujus scelera etiam tragoediis celebrantur. Nam socrum strangulari jussisse; in filii Wenceslai necem cum altero filio Bogeslavo conspirasse fertur. Sed haec suo loco tradenda sunt.

17. In hunc annum translationem S. Dionysii ad Germanos, Nicolaus Vignierius in bibliotheca historica conjicit. Monachi ex abbatia S. Dionysii, cum pretioso martyris corpore Normannos fugientes, cum aliorum sanctorum pignoribus a Fulcone recepti non ita pridem Frodoardo scribuntur. Quid ergo, si Arnulfum Fulco sibi Caroloque munere devincire voluerit, quod illis temporibus inaestimabile habebatur? sive partem datam retentamque, sive totum supposititium vel in Gallia mansisse, vel in Germaniam migrasse credamus. Gisilberti, nescio cujus, furto vel artibus acceptum munus ferunt Ratisbonenses; an ejus, qui apud Lotharienses paulo serius floruit, ex Mansuariorum comitum gente? Remos hoc anno, sub aestatis initium, obsessos ab Odone suspicor, et succurrente Carolo liberatos. Nam epistola, in qua mentionem obsidionis Fulco facit, querelas de Arnulfo continebat, quas anno superiore non meruerat. Innuit deinde, inducias inter aemulos reges pactas. *Ne vires regni* (inquit) *bellis attritae, paganis impares fiant, placuit, ut in tempus praefinitum dextrae invicem darentur mutuae securitatis.* Itaque petit, ut papa ad Odonem et proceres scribat, quo tandem Carolus ad regnum haereditarium proficiat; et quamvis totum obtinere non possit, saltem partem concorditer habeat. Simul gratias Formoso agit, quod paternam pro imperatore Lamberto curam gerat. Itaque jam minus miror, cessatum a Gallis hac aestate, quando induciae placuerant. Lamberto etiam Fulco scripsit, gratulatusque imperium, et hortatus est, ut grato animo pontificem tanquam patrem colat. *Ita fiet*, inquit, *ut divino auxilio omnibus tandem adversariis superior fias.* Recordari avunculi sui (id est patrui) et aequivoci Lamberti illustrissimi, qualis erga sanctam Romanam sedem fuerit, qualemque exitum consecutus sit; et cavere exemplum jubet. De exitu Lamberti illius nihil habent historici. An forte animi anxius vita excessit, quod diu Romanorum pontificum adversarius fuisset? Illud hinc firmatur, Widonem regem non filium Lamberti ducis, sed fratrem fuisse. Nam ejusdem Lamberti filium juniorem Widonem Spoleti principem, anno sequente legemus.

A. 894. 18. Egiulfus Halberstadensium episcopus rebus humanis nunc excessit, testimonio Fuldensis necrologii, cui Egolf episcopus scribitur. Consentit vetus chronicon Halberstadense, a nobis editum, quod habet Giulfum (forte Egiulfum) obiisse ordinationis suae anno nono, 6. Kal. Feb. Sigismundum surrogatum a. D. 894, indict. 12. Is fuit utique nonus sedis, ad quam a. D. 886 Egiulfus pervenerat, quemadmodum illic dictum est. Sigismundus recens ordinatus, anno sequente ad synodum Forcheimensem venit, ubi subnotatus legitur. Apud Halberstadenses memoriae proditum habetur, Egiulfum in itinere Romano obiisse. Quid ergo obstat, quin dicamus, cum Arnulfo in Italiam hoc anno Ottonis Saxonum ducis comitem isse, et vivum non redisse; sive Romam ex devotione perrexerit (quamvis Arnulfi expeditio intra Lombardiam stetisset), sive scriptores iter Italicum pro Romano acceperint. Georgius Torquatus in annalibus Halberstadensibus nondum editis, apud Sagittarium, nescio unde, memoriae prodidit, juvenem ex Corbeja petitum, bonis literis Bernardum, Caroli Crassi filium nothum, informasse: et certe legitur nomen viri in vetere indiculo fratrum sub Avone abbate. Passim mire corruptum transformatumque habetur. Egiulfus vel Egilulfus recte. In subscriptionibus synodi Forcheimensis anni Dom. 890 Agiulfus nominatur, non male. Halberstadensi nostro chronico, resecta per errorem librarii prima litera, Giulfus; necrologo Fuldensi contractius Egolf. Atque ista quidem ferri possunt. Sed hoc non aeque, quod domestici Halberstadenses in Ariulpum vel Eriulpum, et tandem in Eviulpum vel Evilpum corruperunt. Quid vero Winningstadio facias, qui Enolfum, Centuriatoribus, qui Emundum nobis confecere? Carmen apud Halberstadenses Einolfum:

Ecce novem totis Einolfus praefuit annis,
Inde senex subita morte peremtus obit.

Gravem moribus et insignem sanctitate Cranzius fuisse scribit: quam nullo indicio historiae, sola praejudicandi levitate in hypocrisin transformant Centuriatores, docti quidem viri, et, ut arbitror, etiam boni, sed judices affectibus corrupti.

ANNO CHRISTI 895.

Arnulfus Bergomensi episcopo privilegia confirmat Ratisbonae. Berengarius Veronae haeret. — Conventus synodusque Triburiensis. — Canones synodi Triburiensis recensentur. — Eadem materia continuatur. — Subscriptiones synodi et canones ex ea a Burchardo citati. — Bremensis causa decisa. Adalgarius succumbit. Arnulfus bona ecclesiarum diripit. — Zuenteboldus fit rex Lotharingiae. — Odo rex gratiose susceptus ab Arnulfo; qui tamen Zuenteboldum in auxilium Caroli misit. Diploma Zuenteboldi. — Normanni Galliam et Aquitaniam vastant. Intestinae in Gallia turbae. — Arnulfus profectus in Italiam. Marchiis geminis comites praeficit. Berengarius est in ejus comitatu. Beneventana et Salernitana.

A. 895. 1. Arnulfum natalitia festa Ratisbonae egisse, invenio. Nam extat privilegium, quo Adalberto Bergamensi episcopo regum Longobardorum et Francorum praecepta confirmat. *Engilpero ad vicem Dietmari summi capellani recogn. Data Kal. Januar. ann. inc. Dom. 895. indict. 13, ann. 8. regni domini Arnulfi serenissimi regis. Actum in Genesbur* (Regenes-

burg) in D. n. f. A. Regis Italiae appellationem non usurpabat, sed su- A. 895.
perominentem in ipsum regem potestatem sibi tribuebat. Credibile est, episcopum Berengario adhaesisse, ex quo urbem Arnulfus ceperat, et, ubi a Widone vel Lamberto recuperata, cessisse. Potuit adesse missu Berengarii, novam expeditionem urgentis; qui interea Veronae haerebat, ubi 4. Non. Maji, cum pars quaedam circi vetustate corruisset, et in vicinis aedificiis quadraginta pene homines oppressisset; concessit civibus, ut aedificia publica ruinam minantia demoliri liceret.

2. Arnulfus primo vere ad Rhenum profectus, magnam synodum episcoporum abbatumque, et simul placitum gentis Francorum, apud Triburiam egit. Villa erat regia, nunc modica villula est, ad dextram Rheni ripam inter Moguntiam et Openheimium sita, paucules rusticorum casas habens; ruinae tamen veteris castelli visuntur. Extant canones concilii, quarum in praefatione regis pietas et sapientia celebrantur. Placuit regi et clero, ut, peracto triduano jejunio, litaniis et orationibus coeleste adjutorium invitaretur. Quo peracto, rex pergens ad palatium, in regali solio splendida veste indutus consedit, et stipatus multitudine procerum, de re publica et ecclesia tractavit: dum interea in basilica episcopi, honorificentissime infulati et in pontificalibus sedibus positi, synodale colloquium habent. Unde idoneos legatos misere ad regem, qui inquirerent, quis ejus in amplificanda ecclesia animus esset; simul egregia sacrarum literarum exempla praeceptaque proponerent, quibus ad praeclara agenda magis inflammaretur. Protulere et Martini episcopi institutiones ad Mironem regem, ex quibus adducitur haec sententia: *Praesentia ordina, futura provide, praeterita recordare.* Fortasse tunc sive verum aliquod sive suppositititium Martini Turonensis episcopi ad Maximum caesarem opusculum, aut inde excerpta extabant. Rex legatis de solio respondens: *O pastores ecclesiarum Christi et clarissima mundi lumina, agite, quae vobis imposita sunt: habetis me in adversarios vestri ministerii acerrimum bellatorem.* Inde ad synodum redeuntibus quosdam optimates suos adjungit, qui eadem perferrent. Itaque in synodo ab omnibus ter quaterque exclamatum est: *Exaudi, Christe, Arnulfo magno regi vita.* Tum sonantibus campanis hymnum illum notissimum Ambrosio tributum concinuere, laudantes Dominum, quod talem populo regem dedisset. Versi deinde ad legatos regis, magno principi gratias egere. Ita rex et episcopi sibi mutuo favebant. Tum considentes capitulis, quae magis necessaria visa, subscripsere. Quo peracto, rex de sacrosanctis mysteriis participavit: episcopi secretis palatinis interfuere.

3. Canones extant quinquaginta et octo, concepti nomine regis, capitularium forma. Itaque can. 3. praecipit omnibus regni sui comitibus, ut, qui anathemata episcoporum spernat, comprehensus ad se ducatur; contumax et vim opponens occidatur. Hoc interfectori impune futurum, nec aut poenitentiam aut weregeldum exigi debere. Weregeldum erat pretium occisi hominis, non defensionis pecunia, ut in collectione conciliorum ab eo annotatur, qui vim vocabuli magis ex hodierno sermone, quam ex antiqui juris usu aestimabat. Poenae deinde in sacerdotum

A. 895. percussores, aedis sacrae temeratores, raptores rerum constituuntur vel exasperantur. Placitum comitis placito episcopi cedat, si in idem tempus concurrerint. Clericus etiam, qui necessitate adactus homicidium perpetraverit, deponetur, cum praebere debeat utramque maxillam. Baptismatis mysterium nonnisi in paschatis et pentecostes festo peragetur. Trina immersio triduanae sepulturae Christi symbolum habetur; et ad octavam usque diem regeneratio sacra ab omni christiano populo celebrabitur. Periculo tamen praeoccupatis omni tempore subveniendum est. Decima antiquae ecclesiae etiam ex novalibus debebitur, nisi ultra quatuor milliaria absint. Sepulturae celebrabuntur apud episcopalem ecclesiam; sin hoc commode fieri nequeat, apud aliam canonicorum aut monachorum vel sanctimonialium congregationem: quod si hoc quoque incongruum sit, ubi decimam persolvebat vivus, sepeliatur mortuus; sed locus sepulturae gratis dabitur. In ipsa ecclesia laici non sepelientur. Calices et patenae ex argento fiant, vinum aquae permistum in calice Domini offeratur; tertiam partem aqua faciet.

4. Causae inter presbyteros et laicos ab episcopo definiantur. Ita negligitur regula, quae actorem rei forum sequi jubet. Additur, laicum, si opus, juramento constringendum, presbyterum non item, qui vice praejuramenti per sanctam consecrationem interrogabitur. Fidelis libertate notabilis (id est ingenuus) juramento se a crimine excusare potest. Si tamen magna sit suspicio, candenti ferro examinabitur. Si virgo, sub patrocinio posita, sponte sacrum velamen susceperit, annumque et diem, nullo repetente, velata permanserit, a sancto habitu non recedat. Et ex Africano concilio repetitur, etsi virgo ante 25. annum consecrari non debeat, si tamen hoc, cogente necessitate, vel ob mortis periculum, vel exigentibus his fiat, ad quorum ipsa curam pertinet, stabile mansurum. Viduas velare pontificum nullus attentet, quod et in decretis Gelasii prohibetur. Si qua propria voluntate continentiam professa sit, pro se rationem reddet Deo. Sed haec sanctio mox interpretatione subvertitur, statuiturque, ut, quae sponte velamen, quamvis non consecratum, sibi imposuerit, et in ecclesia inter velatas oblationem Deo detulerit, velit, nolit, sanctimonialis habitum servet. Neminem servum episcopus ordinet, nisi perfecta libertate donetur. Si quis ex ecclesiastica familia (id est ex servis ecclesiae) cultui divino se mancipare velit, (ex Gregorii decretis) non repellatur. Honoranda est sancta Romana et apostolica sedes, *quae nobis* (itâ patres) *mater est sacerdotalis dignitatis, ita ut ab ea etiam vix ferenda toleremus.* Episcopis inconsultis presbyter nec constitui nec expelli potest; quod si cohaeredes in presbytero nominando dissentiant, episcopus, sublatis reliquiis, claudat aedem sacram, donec concordent. Placitum diebus festis, aut quadragesimae, aut jejuniorum, nullus comes agat: constitutus in poenitentia ad placitum non eat. Mulier concubina est, non conjux, nisi libera sit, et dotata legitime, et publicis nuptiis honestata. Ita liber homo, qui libertam, hoc est ex ancilla per manumissionem et regalem largitionem liberam factam, in matrimonium duxerit, non minus retinebit, quam si genere quantumvis nobili procreata esset. Qui

filium non sponte occiderit, poenitentiam aget, tanquam alium sponte A. 895.
occidisset. Qui sponte caedem perpetraverit, per 40 dies nonnisi pane cum sale et aqua aletur, nudis pedibus incedet, vehiculo non utetur, arma non feret, ad foeminam non accedet; postea per annum integrum ecclesia excludetur; carne, caseo, vino, medone, mellita cerevisia abstinebit. Sed et aliae ei observationes injunguntur.

5. Antistites subscripsere, qui sequuntur. Emendavimus autem subscriptiones in conciliorum tomis extantes: *Archiepiscopi Hatto Moguntinus, Hermannus Coloniensis, Rathbodus Trevirensis: episcopi Waldo Frisingensis, Erchanbaldus Eistetensis, Tuto Radasbonensis, Adalpero Augustensis, Salomon Constantiensis, Theodolfus Curiensis, Iringus Basileensis, Baldrammus Strasburgensis, Gotethancus Spirensis, Theotelacus Wormatiensis, Adalgarius Bremensis, Dado Wirdunensis, Wigbertus Hiltinesheimensis, Ruodolfus Wirziburgensis, Sigimundus Halvarastadensis, Ruodbertus Metensis, Drogo Mimidensis, Biso Paderbornensis, Egilmarus Osneburgensis.* Annalista noster ineditus *) notat, in hoc conventu Wicberti Hildeshemensis non exiguam autoritatem fuisse. Burcardus Wormatiensis episcopus in decretorum libris hinc quaedam citat lib. 1. c. 220. 229. lib. 2. c. 206. c. 333. c. 236. c. 238. lib. 3. c. 241. lib. 4. c. 101. lib. 6. c. 10. c. 47. c. 48. lib. 8. c. 96. c. 97. lib. 11. c. 73. c. 74. c. 75. lib. 15. c. 37. lib. 17. c. 49. c. 50. lib. 19. c. 149. Notandum est, quaedam ex his in canonibus collectioni conciliorum insertis non extare, exempli causa quod Burcardus habet lib. 1. c. 229, sed ea desumsit ex Reginonis opere de disciplina ecclesiastica, apud quem hoc capitulum extat lib. 1. c. 12. Itaque cum Baluzio dicemus, Reginonem integriores Triburiensis concilii canones habuisse, neque contemporaneo in re ad officium ejus pertinente fidem abrogandam.

6. In hac synodo decisam Bremensem causam, victum Adalgarium et in cauda concilii positum, magister Adamus scribit. Addit fabulam grandem (ut ipse vocat), illinc Adalinum, hinc Widgerum causae patronos certasse; victum Widgerum et postera die extinctum. Bremam Coloniensi subjectam mansisse. Sed credibile est, Formosi dispensationem valuisse, quam a Cranzio erutam, Adamus, opinor, non vidit. Hamburgensis archiepiscopatus in synodis dissimulatus est ob tenuitatem, donec Saxonici reges simul et religionem Christi et autoritatem metropolis per septentrionem promoverunt. Arnulfus ab episcopis, praesens a praesentibus, mire laudatur. Sed alii multa sacris locis detraxisse, memoriae produnt. Theodericus, qui res Epternacensis coenobii scripsit, Arnulfum ostendit multa, S. Willibrordi possessionibus ademta, in comitem Luzelburgicum transtulisse. Nam viris militaribus contra Normannos indigebat. Haec Adlzreiterus notavit.

7. Wormatiae mox in conventu generali procerum Arnulfus omnium consensu Zuentiboldum filium regno Lotharii praefecit, Reginone teste, et, ut Hermannus Contractus Canisii addit, etiam ungi eum curavit. Id factum quinto Idus Maji, quae dies eo anno dominica fuit. Nam anno

*) Saxo *Eckardus correxit.*

A. 895. 898. 5. Id. Maji diploma Werthinensi monasterio apud Schatenium concessit anno regni tertio, et biduo post in binis praeceptis, Rathbodo Trevirensi de abbatia S. Servatii datis 3. Idus Maji, annum regni quartum numerat apud Miraeum in donationibus Belgicis. Unde medio tempore coronatum oportet. Ludelinus (an Ludelmus) Tullensis episcopus ordinatur. Zuentibaldus ad preces Radbodi, dilecti archiepiscopi et cancellarii sui, monasterio Epternacensi possessiones confirmat. *Data 5. Kal. Nov. ann. 895. indict. 14, regnante Zuenteboldo rege anno primo. Actum in urbe Trevirensi.* Tabulae apud Miraeum in notitia ecclesiarum Belgii extant.

8. Ad hoc placitum cum magnis muneribus rex Odo venit, et ab Arnulfo honorifice susceptus est. Cum impetratis omnibus domum rediret, mansionarii ejus sive metatores in Falconem archiepiscopum et Adalongum comitem incidunt, qui a Carolo ad Arnulfum cum donis veniebant. Pugna commissa, episcopus fugit, comes cecidit, sarcinae diripiuntur. Arnulfo periere, quae ferebantur, semper in novissimum premo. Itaque mox digresso in Aquitaniam Odone, Zuentibaldus in Caroli auxilium cum exercitu venit, et Laudunense castrum obsedit, quod munitissimum habebatur. Regino Lugdunum vocat, quod recte Metensis annalista, exscriptor Reginonis, Clavatum interpretatur. Irrita obsidio fuit, et redeunte Odone soluta est. Cum in hac expeditione esset Zuentiboldus, mense Augusto monasterio S. Michaelis ad Mosam, rogatu Stephani abbatis, quasdam possessiones restituit. Abbas scilicet cum ipso in castris erat. Charta *data 19. Kal. Sept. anno Domini 895. indict. 13, regnante domno rege Zuentiboldo anno primo. Actum in villa Droslei juxta Noviomam civitatem.*

9. Normanni ab Alfredo ex Anglia repulsi, in Gallias appetente hyeme revertuntur Rollone duce, cujus fortasse nunc primum celebratum est nomen. Barbari primum Sequanam, inde paulo ante natale Domini festum Hisam ingressi, rursus in Cauciaco sibi munitionem parant, unde aliquamdiu Galliam infestam habuere. Addit autor chronici de gestis Normannorum, Carolum postea Rolloni Neustriam tradidisse, inque ea se chronicon explicit: sed serius contigit illa Rollonis conciliatio. Alii Normanni per Garumnam Aquitaniae infusi sunt: ita Odo etiam, quod ageret, accepit. Waltharius archiepiscopus cum Warnerio comite Richardum principem Burgundiae urbe Senonensi excluserat. Eam ille recepisse ab Odoranno scribitur, qui in annum sequentem rejicit: sed hoc anno rem gestam, consentaneum est. Nam ut ex Flodoardo apparet Ruardus*, Manasses et Ramno* Widonis imperatoris cognati, Richardo adhaerentes, urbem nunc occupant, Theobaldum Lingonensem antistitem captum visu privant; Waltharium Senonensem cum Warnario urbis comite in vincula conjiciunt. Archiepiscopus mox dimissus est. Fulco, etsi communione fidelium privati sint autores mali, apud Formosum tamen veniam illis rogat.

10. At Arnulfus sese iterum ad Romanum iter comparat. Scriptor Fuldensis denuo a Formoso sollicitatum tradit. Idem Luitprandus con-

*) Ricardus *et postea* Rampo *correxit Eckardus.*

firmat, pressum a Sergianis Arnulfi opem implorasse. Sed ex Fulconis literis et rerum serie nil tale apparet. Expeditio consilio episcoporum suscepta est. Mense Septembri Italiam rex ingreditur; Cispadanas regiones mox in potestatem redigit, et Waltfredo ac Maginfredo comitibus regendas tradit. Waltfredo marchia Forojuliensis, quae et Veronensis, Maginfredo Ligurina credita est, quae etiam in Mediolanum potestatem dabat. Itaque serius Albertus, qui et Azo, sator Brunsvicensium et Estensium, dictus marchio Genuae et Mediolani. Iidem nunc marchiones, qui duces erant, id est quibus exercitus credebantur, et in caeteros comites missatica potestas. Italia autem citerior binas ad mare marchias habebat, quae Saracenis et Slavis opponebantur. Rex deinde divisas copias per utriusque litora maris diffundit, Allemannos per Bononiam et Apenninum in Florentinos ducere jubet. Ipse cum Francis ad curtem, quae dicitur Turris, atque inde Lunam pervenit, ubi natalem Domini egit. Berengarium in Arnulfi comitatu fuisse, cum Romam adiret, etiam ex poeta panegyrista intelligi potest. Wido imperator, filio etiam coronato, quasi stabili jam regno, ducatum suum contulerat in juniorem Widonem, ex fratre Lamberto natum; qui ducis Spoleti et marchionis potestate in Samnium cum exercitu veniens, Beneventum hoc anno Graecis pulsis recepit. Symbaticio patricio, qui ceperat urbem, successor datus erat a Leone augusto Georgius, cujus tempore media urbs igne consumta est; qui et Salernum proditione capere frustra tentavit, et ex paralysi, si Beneventani cujusdam contemporanei fragmento apud Camillum Peregrinum credimus, nondum capta urbe decessit, civitate Theodoro commendata: quamvis Salernitanus anonymus apud eundem, supervixisse illum gubernationi suae, tradat. Beneventani Guaimarium Salerni principem solicitant; is Widonem ducem, cujus sororem Jetam in matrimonio habebat. Wido Salernum venit, ibique mira artis equestris documenta dedit. Inde Beneventum veniens, cum civibus, qui eruptionem simulaverant, urbem intravit. Capta est circa finem Julii: nam fragmenti autor, anno uno et octo mensibus ab urbe recepta expletis, Ageltrudem imperatricem, pridie Kal. April. (a. D. 898.) Beneventum venisse, et tandem fratrem suum Radelgisum in ducatum restituisse, prodit. Wido interim voto potitus, Petrum episcopum, cui successum debebat, captum, Salernum misit; sed mox restituit, et reconciliato urbem credidit, cum ipse ad Lambertum, Romae cum matre versantem, proficisceretur. Hoc tempore Guaimarius Salerni princeps Beneventum tendens, in itinere ab Adelgerio Avellini castaldo hospitio exceptus, noctu per proditionem oculis orbatus est, Adelgerio insidias a se praeventas jactante. Jota fletu et precibus impetravit, ne quid amplius marito periret. A. 895.

ANNO CHRISTI 896.

Arnulfi iter in Italiam difficile. Berengarii ab eo defectio. — Luitprandi de Berengarii defectione narratio. — Arnulfus urbem Leoninam capit. — Roma deditionem facit. Arnulfus coronatur in imperatorem. Juramentum a populo isti praestitum. — Coronatio Arnulfi hoc anno contigit, non ante. — Coronatio facta est ante exitum Februarii. — Quosdam ex senatu Ageltrudi fideles Arnulfus in vincula con-

jicit. Papa ei merito ante alios favit. — Arnulfo morbus a Luitprando affictus. — Arnulfus in Bajoariam ex Italia redit. — Arnulfus Forchemii fuit. Pannoniam Wratislao duci commendat. — Formosus papa obit. Succedit Bonifacius II. et huic mox Stephanus. — Ab hoc tempore pessimi in sede Romana pontifices fuere. — Ad Stephanum initia Romae pudendae referuntur. Causa hujus mali. — Fabula de morte Formosi. — Stephanus initio Arnulfi partes secutus est, quas mox deseruit. — Stephanus confirmat fundationem Wildeshusanam Wicberto Verdensi episcopo, filio Walberti comitis. — Berengarius cum Lamberto paciscitur, et Italiae regnum inter se dividunt. — Horrenda Formosi post mortem condemnatio. — Quid cum corpore Formosi factum. — Formosus defensus. — Fulco Remensis archiepiscopus durioribus litteris a Stephano ad synodum vocatur. — Decretum de non consecrando pontifice, si imperatoris legati absint, non est hujus Stephani. — Galliae res defectu historicorum hoc tempore obscurae. — Nuptiae Balduini Calvi Flandriae comitis cum Ethelswida Angla. Reguli Normanni baptisma in Gallia. — Pax inter Odonem et Carolum Galliae reges. Zuenteboldi regis donatio monachis Sandionysianis facta. — Rollonis Normanni exscensio in Lotharingiae regnum. — Fusior de Rollone relatio. Primum in Angliam irruit; inde in Walachriam, ubi victor fuit. — Rollo Raginerum Hasbaniae et Hainoniae ducem vincit, capit, et tandem dimittit. — Molenbeccensis monasterii dotatio et confirmatio.

A. 896. 1. Vix aperiente se anno, difficile Arnulfo iter fuit, quod pluvia tempestate, aquae omnia praeter solitum inundassent, et qua siccum erat, devexa montium in praeceps ducerent. Equi pene omnes velut peste periere, et sarcinae atque impedimenta bobus trahebantur. Accessit Berengarii defectio, qui iratus, credo, quod novi in Longobardia praefecti constituti essent, ad Arnulfum respecturi; marchionem Tusciae Adalbertum occultis colloquiis a rege avertit: qui Arnulfi fortasse intuitu hactenus inter Lambertum et Berengarium velut medius egerat, ut Lucae anni non ab alterutrius regno, sed ab obitu Widonis numerarentur. Porro Berengarium circa hoc tempus descivisse, ex eo firmatur, quod Arnulfus, ubi Romae fuit, sese etiam regem Italiae tulit, et annos regni a primo in Italiam introitu numerare coepit, ut mox diploma docebit; quod non fecerat, durante Berengarii fide. Itaque falsas Luitprandi narratiunculas puto, qui redeuntem Roma Arnulfum, a Berengario justo ex metu desertum scripsit. Certe hunc autorem ex rumoribus plebejis, et pueritiae suae memoria, multa scripsisse, et neque personarum neque temporum seriem observasse, omnia evincunt.

2. Rem ergo ita narrat, Arnulfum, cum Roma redux montem Bardonis transcenderet, capere Berengarium et luminibus privare cogitasse, ut solus securusque Italiam obtineret: sed ab intimo ejus et conscio rem Berengario proditam, qui, lucerna, quam regi praeferebat, alii tradita, statim aufugerit, salvusque se Veronam receperit. Inde Arnulfum ob perfidiam crudelitatemque odio haberi spernique coepisse. Sed Berengarius defecit, non in reditu, sed in itu; nec Veronam confugere potuit, quam Waltfredus tenebat. Fugae praetextum a metu sumsisse, facile crediderim; sed ipsius unius, et hujus nescio cujus consiliarii fide suspicio fulcitur. Credo talia abfuisse a moribus Arnulfi, nisi Berengarium conscientia tactum, sibi merito metuisse ponamus. Sed haec in tenebris vetustatis facile latent, cum hodie etiam incerta saepe sint ju-

dicia de occultis principum actis. Mihi mos est ambigua in melius interpretari. A. 896.

3. Rex cum exercitu Romam perveniens, portas clausas invenit, Ageltrude vidua Widonis urbem tenente. Erat perplexus animi, quod exercitus itinere fatigatus, necessariis etiam carere coepisset: sed virtus militum rem explicuit. Ad S. Pancratii ecclesiam post missarum solennia concionem habuit Arnulfus; difficultatem ostendit, Dei opem imploravit, animos ad fortia facta, pristinae virtutis memoria et ipsa rerum necessitate, accendit. Decernitur oppugnatio; rex murum subit, loca explorat; cum subito clamor oritur et concursus. Ita Fuldensis annalista. Luitprandus rem lepidam narrat. Lepusculum forte versus urbem currentem quidam Germani, ut fit, cum clamore prosequuntur. Id Romanis speciem oppugnantium praebuit: territi deserunt murorum stationem. Hoc conspicati obsidentes, occasione utuntur; reliquos lapidibus pellunt loco, per scalas sarcinarumque acervos in moenia evadunt; alii murum perfodiunt, alii securibus et trabibus portam aperiunt, et vectes ferratos divellunt. Quid multa? cum jam advesperasceret, capitur urbs incruenta victoria, nemine amisso. Ageltrudis fugit; Lambertus dudum in longinquiora discesserat.

4. Primus Arnulfus a Gothorum temporibus urbem Romanam vi cepisse scribitur. Sciendum quidem est, hanc expugnationem tantum ad Romae partem Leonianam pertinere, quae suburbii vice Vaticanum incingebat, et a Leone IV. in basilicae tutamen munita erat. Sed ipsa trans Tiberim urbs mox deditionem fecit. Quo facto omnis senatus Romanorum, Graecorum etiam schola, aliaeque (ut opinor) cum vexillis et crucibus ad pontem Milvium regi obviam prodiere, eumque cum hymnis et laudibus ad aedem Vaticanam perduxere. Ibi apostolicus ante paradisum in gradibus S. Petri susceptum introduxit, et corona de more imposita, caesarem augustum appellavit. Inde imperator ad S. Pauli ecclesiam a Romano populo fidelitatis sacramenta accepit. Formulam ipsam exhibet Fuldensis annalista: *Juro per haec omnia Dei mysteria, quod salvo honore et lege mea, et fidelitate domini Formosi papae, fidelis sum et ero omnibus diebus vitae meae Arnulfo imperatori; et nunquam me per infidelitatem contra ipsum cum quoquam sociabo, et Lamberto filio Agildrudae, et ipsi matri ejus ad secularem honorem nunquam adjutorium praebebo; neque eius ipsis aut ipsorum hominibus hanc urbem tradam.*

5. Si credendum esset notis temporis, quae ascriptae sunt literis Formosi papae ad Bernonem abbatem Gigniacensem, Cluniacensis congregationis autorem, Arnulfus jam superiore Novembri imperatoris nomen gessisset. Edidit eas Baluzius tomo secundo miscellaneorum, erutas ex schedis Sirmondi. Venerat Romam ipse Berno, ut apostolicam confirmationem rerum juriumque monasterio suo impetraret. Gratificatus est ei Formosus, literaeque ita finiunt: *Scriptum per manum Sergii scriniarii sanctae Romanae ecclesiae in mense Novembrio, indictione supra scripta* (tertia decima), *per manum Stephani cancellarii sedis apostolicae, imperante domino piissimo augusto Arnulfo, a Deo coronato. Bene valete.*

A. 896. Sed Fuldensi scriptori contemporaneo caeterisque conspirantibus, imo Stephano VI. pontifici magis credendum est, Arnulfum hoc demum anno coronatum; illius enim privilegium, Arausto archiepiscopo Narbonensi hujusque successoribus concessum, hac clauditur formula: *Scriptum per manum Nicolai scriniarii S. Rom. ecclesiae, in mense Augusto, indict. 14. Bene valete. Datum 13. Kal. Sept. per manum Stephani episcopi S. ecclesiae Nepesinae, arcarii S. ecclesiae sedis apostolicae, imperante domino piissimo augusto Arnulfo a Deo coronato magno imperatore, anno primo.* Atque ideo cum Formosus quidem mox die paschatis obierit, tam indictionem quam mensem prioris epistolae in mendo cubare oportet. November ex Februario, tertia decima indictio ex quarta decima fieri potuit ab exscriptore male legente: uti certe perdifficilis saepe scripturarum hujus temporis lectio est.

6. Aliunde etiam Arnulfum ante exitum Februarii coronatum, discimus ex diplomate, quod in Clusinis episcopis exhibet Ughellus. *In n. s. et i. T. Arnulfus d. f. cl. imp. aug. . . . . . . Petrus, abbas coenobii, in honorem S. Salvatoris in monte Amniato constituti, quoddam praeceptum bonae memoriae Ludovici imperatoris detulit ad manus nostras, per interventum Catonis* (lege: *Hatonis*) *venerabilis atque dilectissimi archiepiscopi nostri, deprecans, ut . . . . . roboraremus*, et quae sequuntur. *Signum domini Arnulfi invictissimi imperatoris augusti. Quirichengus cancellarius ad vicem Thetmari archicancellarii recognovi. Data 4. Kal. Martii anno inc. Dom. 896, indict. 14, anno regni Arnulfi regis in Francia nono, in Italia tertio.* Affert Pagius alia exempla diplomatum, ubi imperatores annos tantum regni numerarunt. Hinc etiam intelligimus, Hattonem Moguntinum archiepiscopum in hac expeditione fuisse.

7. Quaestiones deinde de iis habitae sunt, qui criminum arcessebantur. In his erant Constantinus et Stephanus principes senatus, qui cum Ageltrude ad occupandam urbem conspirasse dicebantur: quos Arnulfus in vincula conjici, et in Bajoariam duci jussit, credo non magis, ut puniret, quam ut fidei caeterorum obsides haberet. Constantinum esse illum puto, quem Sigonius ad a. D. 897 Marini nuperi pontificis fratrem facit. Luitprandus haec in majus attollens, multos Romanorum principes, obviam sibi honoris causa factos, decollari jussisse Arnulfum scribit, ut Formosi injurias ulcisceretur. Sed nihil tale habet Fuldensis scriptor, aequalis tempori, et in hac ipsa narratione praeter solitum curiosus. Quicquid de Formosi injuriis aut in Arnulfum studiis jactatur, vanum puto; quando excerpta literarum ipsius et Fulconis alia omnia loquuntur. Cum fortuna se circumegisse non dubito; necessitati tamen obsecutum, caetera patrem communem egisse. Et quis reprehendat, puero et mulieri ab eo praelatum magnum regem ex stirpe Carolina, cui ipse rerum habitus spondebat imperium; cujus jam tum quasi imperatoris majestatem bini Franciae, bini Burgundiae reges colebant; cui Berengarius in ipsa Italia per sacramenta se obnoxium fecerat.

8. Arnulfus non ultra binas septimanas Romae moratus, urbem Faroldo vasallo suo custodiendam credidit. Ipse Ageltrudem cum Lam-

berio persequi statuit. Hic ineptas iterum plebejae credulitatis fabulas A. 896. Luitprandus nobis obtrudit: Arnulfum in Camerinos profectum, castellum nomine Firmum obsedisse, cui se crediderat Ageltrudis. Hanc pressam et anxiam quendam principi familiarissimum (an pincernam) multo auro corrupisse, ut potionem datam domino propinaret, non nocituram, sed, si diis placet, animi feritatem placaturam: experimentum etiam, praesente ipso, quo utebatur, in servo fecisse, qui integra post potionem hora illaesus astiterit; quasi hora sufficeret. Internuntium sive credentem sive credere simulantem, imperata fecisse; tum regem tam alto sopore depressum jacuisse, ut per triduum totius exercitus strepitu excitari non posset. Apertis tandem oculis, nullo intellectus signo, mugitum pro verbis dedisse: tum omnes terrore correptos, de recessu cogitasse. Regem id malum supremi judicis censura meruisse, quod militum insolentiis indulsisset, et suum magis quam Dei honorem quaesisset. Narratio perridicula per se ipsam subvertitur. Facile principum morbi in veneni suspicionem trahuntur, imputanturque his, quibus profuere. Infelicissimus in familiarium delectu Arnulfus fuerit, si tam facile et arcana ejus et vitalia Berengario et Ageltrudi patuere; et fictitiam illam mentis feritatem in laudato principe Germani scriptores ignorant. Serius in paralysin incidit Arnulfus, venenoque tentatus est; unde fabulandi occasio Italis nata.

9. Ageltrudis Spoletum se receperat: Arnulfum insequentem morbus invasit. Gravi infirmitate capitis detentum, Fuldensis autor scribit. Itaque pejora metuens, iter in Germaniam sibi relegendum putavit, quando dignitatem imperii consecutus erat. Ratoldum tamen filium nothum, natu minorem, Mediolanum mittit, ut Longobardos in fide retineret. Ipse per vallem Tridentinam in Bajoariam reditum maturat. Itaque vanum est, quod Luitprandus, quo magis Italis spretum credamus, Ticinensium rebellionem et Anscharii Eporediae marchionis in hoc tempus confert; quae si verae sunt, biennio abhinc evenere: nunc enim Arnulfus in haec loca non venit. Qua in re etiam Sigonium deceptum miror, qui Luitprando plus aequo credulus, etiam Sergium papam mox pro Stephano admittit.

10. Caeterum Arnulfum imperatorem hoc anno lapsu aedium cum multis aliis graviter contritum, Hermannus Contractus Canisii scriptum reliquit. Ex paralysi diu decubuisse, Regino habet. Mature in Franciam rediisse, nempe per Bajoarios, et mense jam Augusto Forchemii egisse, apparet ex diplomate monasterii Mollenbecciani in Angaria, quod nobilis matrona Hildeburgis in dioecesi Mindensi de bonis suis condidit. Cleinsorgius in chronico Westfaliae nondum edito tabulas apud Schatenium referens, haec tantum novissima verba exscripsit: *Signum domini Arnulfi invictissimi imperatoris. Ernustus notarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovit. Dat. Idibus Augusti ann inc. dominicae 896, indict. 14, regni domini Arnulfi 9, imperii 1. Actum in Forcheim.* Cum Ratisbonae esset, Lazarum audiit, a Leone, novae Romae augusto, legatum: Pannoniam cum urbe Paludari tuendam Vratislavoni duci commendavit. Urbem Paludarem ingeniose, et ut arbitrer vere, Brunnerus conjecit esse Mosburgum: id

A. 896. enim Germanica vox sonat. Itaque hic locus cum vicinia Wratislao in beneficium concessus est, credo, quo majori fide ingruentibus Ungaris Pannoniam tueretur. Imperator natalem Domini Otingae celebravit.

11. Arnulfo Roma digresso, Formosus pontifex e vita decessit, ipsa paschatis die. Ita diserte Fuldensis, quem sequitur Hermannus Contractus. In cujus locum mox eligitur consecraturque Bonifacius II; qui podagra correptus, vix 15 diebus (post ordinationem) sedisse scribitur;

Ter quinos hic in arce dies explevit honoris,

ut Frodoardi carmen pontificale habet, a Mabilione editum. Gregorio tamen patriarchae Gradensi pallium concessisse, Sigonius notat. Depositum primo de subdiaconatu, mox de presbyteratu (an, quod Formoso adhaereret?) et tamen populari manu, id est tumultu, provectum, habet concilium Romanum a. D. 897: sed cujus autoritatem imminuunt factiones, quibus tunc Roma distrahebatur. Et jam ecclesia Romana, cui hactenus viri aut laudabiles, aut certe tolerabiles praefuerant, eclipsin horrendam pati coepit: nam qui secutus est Stephanus, etiam humanitatis officia exuit per immanes actus, et vicissim infelici exitu laqueum imbuit.

12. Mabilionem, virum etiam a moderatione laudandum, in praefatione seculi V. Benedictini non male notasse invenio, ad id temporis Romanam sedem tenuisse plerosque vitae probabilis viros, certe non plane indignos pontificatu. Nec quenquam facile legas, eorum, ut sic dicam, majestatem impune violasse; penes quos intemerata esse credebatur sacrorum canonum autoritas, quae populorum veneratione consecrabatur. Sed nunc omnia subito conversa sunt, et per impuros improbosque monstra intrusa. Itaque Arnulfus Aurelianensis apud Gerbertum in actis synodi Remensis: *O lugenda Roma*, inquit, *quae nostris majoribus clara patrum lumina praebuisti, nostris temporibus monstrosas tenebras, futuris seculis infames offudisti.*

13. Primam mali labem Mabilio ad Formosum refert: sed huic a Johanne oppresso, et Marini autoritate restituto, viro caetera erudito, et moribus gravi, frustra mutatio cathedrae objicitur, non inusitata ecclesiis, et in qua Marinus ei in ipsa Roma praeierat. Itaque ad hunc potius Stephanum initia Romae pudendae refero; qui in praedecessore mortuo exemplum dedit, quod in se vivum recidere sensit. Potissimam mali causam libertati attribuo, quae in licentiam degeneravit. Olim etsi electio pontificis penes Romanos esset, ordinatio tamen autoritate imperatorum, aut pro illis exarchorum, fiebat. Ita non facile pessimus aliquis obtrudebatur. Mox Graecis rejectis, eadem fere potestas penes Francos fuit: et non invitis pontificibus ipsis, quibus rei publicae cura erat, etiam pactis legibusve firmata est, duravitque usque in Carolum Crassum; donec divulso nuper Francorum imperio, ruptum est frenum, et Romani instar equi luxuriantis in praeceps ivere.

14. Fabula est apud Albericum ex Petro Damiani, sedem Romanam in oriente possessiones habuisse, unde tantum balsami caperet, quantum sufficeret lampadi ante altare S. Petri pendenti, et semper accensae: eas a Formoso, accepta pecunia, distractas. Itaque aliquando ibidem oranti,

terribilis senex colaphum impegit, additis verbis: *Tu extinxisti lucernam meam ante me, et ego extinguo lucernam tuam coram Deo;* papam corruisse et mox expirasse. A. 896.

15. Stephanus igitur (cui antea nomen Nicolao, ut Labbeus observat) defuncto Bonifacio suffectus est. Sextum Flodoardus appellat; Luitprandus inepte Sergium, nuper Formosi aemulum, jam papam facit, quasi nitente Adelberti Tusciae marchionis factione creatum. Falso Sigonius episcopum prius Anagniorum, Hermannus Contractus Campaniae tradidit; qui tum certe Formoso ridicule transitum ex Portuensi sede objecisset. Initio Arnulfi majestatem coluit, credo, nutantibus adhuc Italis, cum Lambertus et Berengarius nondum conciliati essent. Extat enim privilegium pontificis, Arnusto Narbonnensi concessum, omnia ejus jura confirmans, a Catello editum, a collectoribus conciliorum integratum, cujus subscriptionem jam supra retulimus, *datum* scilicet *imperante domino piissimo augusto Arnulfo, a Deo coronato magno imperatore, anno primo.* Sed mox conversio rerum secuta est; nec dubium est, recrudescentibus Lamberti partibus, Faroldum Roma pulsum; quando et filius imperatoris Ratoldus Mediolano ejectus, sese per lacum Comensem ad Rhaetos, atque inde ad patrem recepit.

16. Initio Stephani (cum adhuc Arnulfum coleret) Wicbertum Verdensem episcopum, Witikindi Magni pronepotem, paternae fundationis Wildeshusanae confirmationem impetrasse crediderim. Et fortasse in Arnulfi comitatu Romam adiit, et jam a Formoso indulta sub Stephano tantum expedita sunt; quae ita habent: *Stephanus episcopus servus servorum Dei. Venerabilis quidam Walbertus collegium in honorem S. Alexandri martyris construxit in pago Leri in loco qui dicitur Wildeshusen. Post obitum ejusdem filius venerabilis episcopus Wikibertus de Verdensi ecclesia transmissa nobis pagina in qua continebatur et votum patris ejus et propinquorum omnium subscriptio, confirmationem ejusdem voti suggessit. Itaque sub divini judicii obtestatione jubemus, ut nec episcopus nec aliquis de cognatione ejus vel alius magnus vel parvus haec infringere audeat. Optamus vos in Christo bene valere. Data Kalend. Junii, indictione nona.* Sed hunc numerum indictionum Stephanus non attigit, decimam quartam aut decimam quintam malim.

17. Berengarius speraverat, Lambertum per Arnulfum opprimi posse. Sed minus dominum quam aemulum volebat. Itaque digresso Arnulfo, de pace, etsi iniqua, cum Lamberto facienda cogitavit; praesertim cum decessisset vita Waltfridus Forijulii marchio, qui Veronam in imperatoris fide retinuerat, Lambertusque per proditionem (ut apparet) Mediolanum recuperasset, et Maginfredum comitem cepisset; quem capite multari, filio generoque oculos erui jussit. Alter filius patrem ultus fertur, de quo infra. Frustra Sigonius Maginfredum sequenti tempore ad Berengarium respexisse putavit, quod Freherianam Fuldensium annalium editionem non vidisset; quae res etiam Baronio passim fraudi fuit. Fingit poeta, Lambertum monitis paternis a Berengario pacem petisse: sed iniquae huic pacti leges contrarium probant. Ticini congressos reges poeta

A. 896. tradit, atque illic foedus mansurum pepigisse. Adduam regnorum limitem constitutum (modo addas ab hujus ostio Padum) Hadrianus Valesius judicat non male; cum et Mutinam in Lamberti potestate fuisse constet, ut Sigonius ad a. D. 898. testatur. Et jam nunc Regii fuit 8. Id. Decemb., ibique rogatu matris Agiltrudis privilegia indulsit, ut idem habet Sigonius in editione Bononiensi.

18. At Stephanus Arnulfi metu liberatus, virus in Formosum effudit; Lambertum si non adjutorem, certe nec adversarium habiturus. Ergo post septimum ab ejus obitu mensem, id est post quartum Novembris, concilium Romae agit; Formosi cadaver sepulcro erutum, ex basilica Vaticana afferri, vel potius (si actis alterius concilii credimus) per terram trahi jubet: tum pontificalibus ornamentis indutum, in sede collocat, et reum agit. *Cur*, inquit, *cum Portuensis esses episcopus, Romanam sedem invasisti?* Inde condemnatum, sacratisque exutum vestibus, tribus abscissis digitis, in loco profano defodi jubet; tum cunctos, quos ille ordinaverat, gradu dejicit. Haec Luitprando aegrius crederentur, nisi acta concilii Romani a. D. 898. celebrati et aliorum veterum testimonia firmarent. Nam et Fuldensis, advocatum ei datum, et Hermannus Contractus, loquente pro eo diacone examinatum degradatumque, memoriae prodidere. Jocularis futura scena, nisi cadaver affuisset, horrore facti in tragoediam versa erat. Baronius (ex proximi Johannis concilio) huic conventiculo praeter episcopos, etiam presbyteros cardinales, Sergium, Benedictum, Martinum; tum diaconos, Paschalem, Johannem alterumque Johannem interfuisse scribit; Sergium autem, quem eundem cum Formosi aemulo habet, facem et tubam sceleris fuisse; sed Sergius ille nuperus non presbyter Romanae ecclesiae, sed diaconus appellabatur; nec facile tunc diaconi cardinales in presbyteros mutabantur.

19. Quid tandem de corpore Formosi factum sit, variant scriptores. Fuldensis simpliciter extra solitum apostolicae sepulturae locum terra obrutum; sed tractum et in Tiberim projectum, concilium sub Johanne mox refert. Hermannus Contractus aliquid fabulae dedit, civibus per miracula territis, tandem in sepulchrum repositum. Sigonius maris aestu ad ripam rejectum. At Luitprandus nugarum immodicus, cum postea a piscatoribus repertus et ad Vaticanam aedem delatus fuisset, quasdam sanctorum imagines hunc in loculo positum, multa cum veneratione salutasse.

20. Formosi causam egit Auxilius quidam Francus (incertum an vero nomine) ab ipso ordinatus, binis libris, quos Johannes Morinus congregationis Oratorii presbyter, operi de sacris ordinationibus insertos, primus edidit, quemadmodum Pagius notavit; observans etiam, dialogum veterem hujus argumenti a Mabilione Analectorum tom. IV. productum; cujus auctor prolixe Formosum commendat. Ait in omni vita summae gravitatis fuisse, vinum non bibisse, carnem non gustasse, foeminam nescisse; gentes Bulgarorum praedicatione pietatis confirmasse. Et hunc tamen tantum virum vim in sepulcro passum; busta diruta, ossa confracta, corpus in publicum projectum; nec quicquam juvisse scholas clamantes: *O parcite sepulto!*

21. Synodum in Septembrem indictionis 15, id est hujus anni, convocavit Stephanus, et ad eam Fulconem Remensem vocavit, a quo salutatus fuerat; an ea est synodus, in qua Formosi memoria damnata est? Epistola paulo acrior Fulconi visa est, sueto, ut ipse ait, mollia jussa accipere ab illa sede. Respondet, se pene ab incunabulis ad canonicae disciplinae normam educatum; deinde a Carolo glorioso rege ad palatina obsequia accersitum; tandem Carolomanno regnante ab episcopis Remensis provinciae cleroque et populo electum archiepiscopum, plus oneris quam honoris recepisse, dum ecclesia contra infestationes barbarorum tuenda sit. Accedere Zuentiboldi injurias, quem reprimi orat. Scribit et Johanni cuidam episcopo Romanae provinciae, petitque, ut apud pontificem faveat. A. 896.

22. Extat in decreto Gratiani constitutio Stephani papae, ne pontifex Romanus electus consecraretur, nisi missi ab imperatore legati adessent. Id cum Baronio aliisque omnibus supra Stephano IV. vindicavimus. Frustra dissentit Pagius, et Stephano huic VI. pessimo hominum tribuit. Johannes IX. eadem sanciens, non hujus, cujus nulla erat autoritas, sed priorum pontificum consuetudinem legemque firmavit. Hadriani III. decretum contrarium, ne legati imperiales expectarentur, quod Pagius a Stephano VI. correctum statuit, fictitium est, suoque a nobis loco explosum.

23. In Gallia, dum iterum Normanni ingruunt, regibus a se invicem otium fuisse apparet, sive pactum valuerit, sive uterque in extraneum hostem, tanquam ex condicto, verterit arma. Gallia circa haec tempora unum historicum, temporibus vicinum, monstrare non potest. Albericus Trifontanus quaedam collegit; sed in temporum notatione parum tutus, cum fere Sigebertum sequatur, chronologum certe malum.

24. Albericus ergo ad a. D. 894. haec fere habet ex Guidone: Odo Carolo Francia cessit, Odoni Aquitania Carolus, conditione recipiendi post ipsum. Idem autor anno praecedente Balduini Ferrobracati et Juditae filio Balduino Calvo, comiti Flandriae, ait Alfredum Anglorum regem Ethelswidem neptem suam in matrimonium dedisse, ex Egelfleda filia Egilfredo natam; et Ethelswidae fratrem Eduardum postea regnasse. Sed is revera Alfredi filius fuit. Alfredum ipsum regem idem autor miris laudibus attollit. Hoc autem anno ex Sigeberto refert, Hundeum, nescio quem Normannorum regulum, Caroli regis cura baptismum suscepisse, et ab eo de sacro fonte susceptum. Id ipse propemodum de Hastingo interpretatur, qui Carolo se summiserit, et in stipendium ab eo Carnotensium urbem impetrarit.

25. Hoc anno, aut certe sub exitum praecedentis, pacem inter Odonem et Carolum factam, ex Fulconis epistola ad novum pontificem colligo. Aestate superiore nondum coisse, hostilis metatorum Odonis cum Fulcone congressus probat. Apud Lotharienses interea Zuentiboldus regnabat, et cum Normannis, ut credere pronum est, conflictabatur. Is monachis Sandionysianis, interventu fidelium suorum Odoacri ac Raginarii, abbatiolam Salonam, in Saliensi pago sitam, reddidit. Extant tabulae apud

A. 896. Miraeum in notitia ecclesiarum Belgii; sed initia finemque Mabilio ad authentici formam aeri incidi curavit in diplomatico opere lib. 5. tabul 35. *In n. s. et i. T. Zuentebulchus, divina procurante clementia rex;* et quae sequuntur: *Waldgerus notarius ad vicem Radboti archiepiscopi summique cancellarii recognovit. Data 11. Kal. Febr. anno incarnat. Dni 896, indict. 14, anno vero regni domni Zuentebulchi primo. Actum in Dei nomine feliciter. Amen.* In sigillo iconi circumscribitur: *Zuenteboldus rex.* Caput laureatum apparet. Ad regnum etiam Lothariense pertinet, quod circa festivitatem S. Andreae Albricus comes, qui Megingaudum occiderat, a Stephano Walonis fratre interfectus est. Regino hunc Walonem tam omnibus notum fore credidit, quam ipsi fuit.

26. In hunc annum Albericus ex Guidone, Rollonis Normanni exscensionem in Belgico litore factam, non inepte refert. In Franciam (inquit Guido, Lothariensem intelligens) novus Normannici turbinis furor invehitur, Rollone duce; qui de nobili et vetustate obsoleta regulorum Noricorum (an Norwagorum?) prosapia editus, regisque vi patria pulsus; multos, quos vel aes alienum, vel conscientia scelerum exagitabat, in spem ingentium opum abduxit. Itaque ortu et ferocia nihilo Hastingo inferior, specie etiam corporis insignis, neque ingenii illicis expers, magnifica etiam cujusdam somnii promissa jactans apud eos, quibus spes praedae pro stipendio erat, cum magna multitudine barbaricae juventutis per Scaldim subvectus, viciniam vastat. Cui Raginarius, Hainonensium comes et Hasbaniae dux, occurrens capitur, et cum captis vicissim 12 nobilibus Normannis permutatur. Dudo (qui fere centum abhinc annis scripsit) et ex eo Wilhelmus Gemeticensis, Normannorum scriptores, haec in anteriora tempora referunt, quasi decennio abhinc gesta essent; et praeterea fabulis onerant. Sed altius rem cum Dudone repetamus.

27. Erat in Dania vel (ut autor ait) in finibus Daniae et Alaniae (quod non satis intelligo, nisi Alandia insula designetur) vir potens, nominis cliens, nulli regum subditus, qui duos filios Rollonem et Guormonem reliquit. Rex speravit, juvenes opprimi posse. Victus praelio, et ad pacem, sed infidam, adactus, per insidias incautos superavit. Guormo cecidit; Rollo fugiens, cum sex navibus in Scanzam (id est Scaniam) venit. Inde ascitis Daniae exulibus, somniis monitus, expeditionem classe suscepit. In Anglia primum applicuit, ibique post conflictus aliquot cum rege Alstemo (Alfredum interpretor), praestantissimo viro, foedus percussit. Tum in Franciam transfretans, appulit ad Walachriae litus, ibique aliquamdiu stativa habuit. Incolae Raginerum Longicollum, Hasbaniae et Hainoniae ducem, et Radebodum Frisiae principem contra cient. Radebodus Frisius, vereor, ne fictus sit ad veterum principum nomen. Praelio commisso, Normanni superiores fuere: Walachrii vastantur; Frisii nova ad Almeram flumen pugna victi, ad tributum adiguntur.

28. Inde Rollo vindictam expleturus, adverso Scaldi in Raginerum contendit, et ad Condatum usque penetrat, celebrem abbatia locum. Tandem mutuis insidiis una eademque die, hinc Raginerus, inde duodecim Normannorum primores capiuntur. Uxor Ragineri commutationem offert.

At Rollo satis intelligens, quanto plus a se peteretur, renuntiari ei jubet, nisi prima quaque die Danos reddat; nisi auri argentique, quantum habeat, addat; truncum mariti remissum iri. Mulier territa, redditis captivis, omni thesauro suo suorumque collecto, adjectis etiam cultus sui ornamentis, maritum redimit. Tum Rollo, ut suam quoque animi magnitudinem ostenderet, advocato Raginerio et increpito, quod nunquam laesus hostem induisset, amicitiam offert; dimidiam thesauri partem restituit. Haec anno Domini octingentesimo septuagesimo sexto, aut paulo ante acta, Dudo, qualem a Quercetano habemus, asseverat. Sed facile in numeris error esse potuit, etiam ab antiquo; quando et Gemeticensis monachus sic descripsit. Rollonis tam mature non meminere hujus temporis scriptores; nec credibile est, totis triginta annis famam felicissimi praedonis latuisse, qui perpetuo Francicis litoribus incubuisset. Itaque Butkenius, doctus rerum Brabantinarum scriptor, annum ejus seculi octogesimum sextum maluit; ubi et notavimus. Sed ego conjecturae ejus Guidonis et Alberici testimonia praefero, qui nonagesimum sextum habent. A. 896.

29. Huic anno fundatio Molenbeccensis monasterii in chronicis Mindensibus ascribitur, Drogone episcopo consecrante. Matrona Hildeburgis et sacerdos quidam Folcradus centum familias, servos, litones, cum omnibus eorum possessionibus contulere. Drogo decimas de centum et viginti aratris sui episcopatus adjecit, ea lege, ut quotannis ad altare S. Petri in Mynda quinque solidi in auro vel argento offerrentur. Fundatricis neptis prima praefuit. Arnulfus imperator monasterium in mundiburdium suum recepit, concesso eligendi abbatissam jure. Leerbeccius et similes Hildeburgem uxorem faciunt Uffonis nobilis viri, qui castra duo tenuerit in parochia Acristensi, vel Eckerstena, Uffenburgum prope villam Bredenbecam, et Osterburgum prope villam Steinburgum. Hunc, cum liberis careret, peregrinationem sacram ingressum, in reditu somniasse, novem filias sibi absenti ex uxore natas; inde turbatum, totidem ecclesias ab ea fundatas reperisse et probasse; quarum primaria fuerit Molenbecca in territorio Osterburgensi. Sed hoc monasterium canonissarum demum anno Domini 1441. canonici regulares Bodeccenses invasere, et homines parum elegantes, pulsis sororibus, suos introduxere.

ANNO CHRISTI 897.

Zuentiboldus in Lotharingia violenter agit. A patre cum suis reconciliatur. — Zuentiboldus rex Ottonis Saxoniae ducis filiam uxorem ducit. Origo comitum Dasselensium. — Arnulfus conventum Triburiae habet. In Franconia agit. Soraborum et Bohemorum rebus intentus est. — Zuenteboldus rex interventu neptis Giselae Nivellensi monasterio varia donat. Quae Gisela ista fuerit. — Perniciosae litis inter Henrici ducis filios et Rudolfum episcopum Wirzburgensem ejusque fratres origo. Consecratio ecclesiae Wezlariensis. — Acres litterae Fulconis ad Carolum regem, quibus eum a foedere cum Normannis dehortatur. — Stephanus papa strangulatur. Succedit Romanus. — Stephani papae epitaphium. Romani brevis sedes. — Lambertus imperator Romae et in Tuscia cultus. — Diploma Arnulfi imperatoris, in quo mentio Ottonis marchionis Saxoniae, patris Henrici Aucupis.

A. 897. 1. Zuentiboldus violentius agens, quam Lotharienses facile ferrent, primarios regni comites, Stephanum, Odoacarum, Gerardum et Matfridum, honoribus privat, et Treviros adit cum exercitu, ut, quas illi tenuerant regiones, inter suos amicos dispertiatur: monasterium S. Petri Metense et ad Horrea Trevirense sibi servat. Browerus vocat Horreum Dagoberti in urbe Trevirorum, quod olim S. Irminae dicebatur. Sanctimoniales loci Dagobertum fundatorem agnoscunt. Gerhardus et Matfridus fratres, an ad Alsaticorum comitum gentem pertineant, ex qua et Habesburgii et Mosellanici duces, amplius inquirendum fuerit. Imperator his turbis commotus, cum Otingae legatos Moravorum rejecisset, qui profugos sibi reddi petebant, placitum in mensem Majum Wormatiae habendum indixit. Cumque illuc venisset, filium cum proceribus Lothariensibus reconciliavit.

2. Is paulo ante patris hortatu sibi Ottonis comitis filiam, missis legatis, uxorem impetrarat; et paulo post paschatis festum nuptias cum ea celebrarat. Ottonis nomine Odonem regem Francorum intellexit Miraeus in chronico Belgico. Sed hunc eo tempore nemo comitem appellabat. In Germania tunc, Ottone comite simpliciter nominato, autores designant virum celebrem, quem posteriores ducem Saxonum appellarunt, Henrici regis patrem. Eundem nunc imperator (raro illis temporibus honore) marchionem appellat, quod tunc fere ducis nomini aequipollebat: et initio anni Ratisbonae secum habuit, ut in diplomate legitur, quod ex Fuldensis nostri chartularii tomo II. ad anni exitum subjiciemus; cum nondum extet, et non multa sint diplomata ex illo aevo, in quibus hujus principis mentio fiat. Ejusdem marchionis (id est ducis) Ottonis mentio fit in aliis traditionibus Fuldensibus hactenus ineditis, quas referemus ad a. D. 978; ubi villa Ottenhusen (non procul Visurgi et Sollinga sylva) quae Ottonis marchionis olim fuerit (fortasse ab ipsius structura nomen adepta) postea ad illustrem principem Saxonum Heridagum, regali stirpe ortum, pervenerit, qui bonis abundans, pio animo tempore Ottonis II. augusti Fuldensibus donarit. Unde credibile fit, Heridagum ex aliqua Ottonis ducis filia progenitum, atque ita ex regia domo ortum; atque ex eo Dasselenses prognatos. Nam eaedem traditiones Ludolfum de Dassele et fratrem ejus Rainoldum cancellarium (postea archiepiscopum Coloniensem) memorant, et Henricum Leonem ad hos Fuldensium benefactores genus referentem (forte quod vicinis Northemiis, a quibus descendebat, matrimoniis illigati fuissent), quem ex parentelae causa etiam vacantia extinctione familiae Dasselensium bona sibi vindicasse constat. Sed ad Ottonem nostrum ducem redeamus. Huic ergo gener Zuentiboldus factus est; et firmat sententiam ipsum Odae nomen, cum avia Ludolfi uxore commune.

3. Secutus est generalis Triburiae conventus; ubi imperator sacramenta fidelitatis sibi filioque parvulo dari jussit, quantum ex Hermanno Contracto intelligi potest, qualem nobis Canisius dedit. Inde Fuldam orationis causa adiit; et deinde ad Salzense palatium, in extremo Franciae orientalis positum, profectus est, ut Soraborum res componeret; ubi et eorum legatos audivit. Ratisbonam deinde reversum, Bohemorum duces

adiere, magnisque muneribus datis, auxilium in Moravos petiere, a quibus premebantur. Imperator benigne auditis auxilia spopondit, et toto autumno circa Ymbrim amnem in venatione egit, ut illis, si opus foret, praesto esset. Ymbrim vocat Fuldensis scriptor, qui vulgo Regenus, Ratisbonae, id est Regensburgo, Germanicum nomen facit. Imber est Latio, quod Regen Germanis. A. 897.

4. Apud Miraeum in notitia ecclesiarum Belgii habetur diploma Zuencheboldi regis, ubi *interventu dilectissimae neptis suae Giselae* (ut ait) monasterio Nivellensi tribuit res quasdam in comitatu Brachbatensi, in comitatu Laudunensi, in pago Taxandriae, in Frisia terra, ad sal acquirendum, piscationem in Meremuda, villam Broele circa Rhenum cum vineis, et ad hospitale providendam vineam quandam cum aliis in pago Suessoniaco. *Egilbertus cancellarius ad vicem Herimanni archicapellani recognovi. Data 7. Kal. Aug. a. D. 897.* ind. 15, anno vero tertio Zuencheboldi regis. Actum in ipso Nivialensi monasterio.* Giselam, neptim regis, suspicor filiam esse Lotharii ex Waldrada, Godefrido Normanno, sed mox occiso nuptam a. D. 882. Nam magnus est in barbara Latinitate vocabulorum propinquitatis abusus. Ludovicus mox consanguineam dixit a. D. 908.

5. Ea tempestate perniciosam litem inter duas familias Francorum illustres excitavit Rudolfi Wirciburgensis episcopi vanitas; qui stirpe tumens, Conradi et Gebehardi primariorum comitum frater, aequalem aegre ferebat. Unde ob leves causas cum filiis Henrici, nuper ducis, Adalhardo et Henrico, collisus est; qui Babehergam arcem aliaque vicina loca tenentes, potentia et claritate aliis non cedebant. Ex scintilla incendium ingens surrexit; nec jam amplius de causa, sed de nobilitate, de cognationis et clientelarum amplitudine, de potentia et auctoritate contendebant. Ita in mutuas caedes itum; truncata captis membra, agri vastati. Rudolfus ad fratrem Gebehardum profectus, Wezlariensem aedem consecrat, ad Loganae Dillaeque confluentes; Ratbodo Trevirensi antistite, cujus ad dioecesin locus pertinebat, hoc ei honoris causa permittente. Id praedium erat Hermanni et Udonis comitum fratrum, quos Browerus per Alsatiam Austrasiamque potentes fuisse tradit. Ipsi Rudolfo cognatos fuisse crediderim. Hi in loco venationibus frequentato collegium canonicorum condidere.

6. In Gallia quid actum, non apparet; nam Normannicos furores late exundantes, obsessamque urbem Carnotensem a Rollone, quae huc referuntur a nonnullis, ad a. D. 911. pertinere, certioribus testibus constat. Turbas tamen ab his nunc quoque datas, facile admiserim; et credo circa hoc tempus a Fulcone literas ad Carolum regem datas sunt acres, quibus eum dehortatur a foedere cum Normannis pangendo. *Hactenus*, inquit, *meliora sperabam; nunc te cum asseclis periturum video; et praestiterat non nasci quam ita vivere. Societas cum improbis pietatis abnegatio est. Me certe haud amplius tuum habebis; omnes a tua fide revocabo, anathema vobis dicam cum coepiscopis meis. Hoc tramite nunquam ad regnum pervenies, sed disperdat te Deus, quem irritas.* Ex quibus judico, scripta

*) a. D. 997. ms.

A. 897. haec ante mortem Odonis: nam post eam Carolus sine controversia regnum obtinuit.

7. Stephanus papa Ravennae habendam indixerat synodum, ad quam Fulco Remensis permissu ejus pro se Honoratum Bellovacensem episcopum et Rodulfum Laudunensem, Didonis successorem, ire jussit, ut ipse ad Honoratum scribit. Quid actum sit, non constat. Pontifex mox cum immanitate in Formosi corpus, et hostili in amicos ejus animo, odia hominum irritasset, captus et nervo strangulatus est, ut epitaphium habet, quod post decimum abhinc annum Sergius ei successor dedit, cum corpus tumulo Vaticano inferret. Unde colligitur, Stephanum hoc anno extinctum. Id successoris epistolae indubitatum reddunt. Is fuit Romanus, ut testantur Marianus Scotus et annalista noster ineditus; sed magis probant epistolae ipsius, ex quibus, eum jam Idibus Octobris sedisse, constat. Extant apud Baluzium in appendice marcae Hispanicae, ut Pagius observavit. Una data est Riculfo episcopo Helenensi; altera episcopo Gerundensi, cui nomen Servus Dei; cum ambo Romam adissent, sive pietatis suae, sive, ut malim, synodi causa. Prioris subscriptio ita habet: *Scriptum per manum Gregorii scriniarii s. R. e. in mense Octobrio, indictione prima, Idibus Octobris, per manum Stephani nomenclatoris sanctae sedis apostolicae, imperante d. n. piissimo perpetuo augusto Lamberto a Deo coronato magno imperatore anno 6. et consulatus* (id est consortii cum patre) *anno 6. indict. 1.* Posterior ita clauditur: *Scriptum per manum Sergii scriniarii s. R. e. in mense Octobrio indict. 1.* Romanus ab ordinatione quatuor sedis menses non implevit; Marini papae fratre Constantino natus scribitur.

8. Stephanum Sextum appellat epitaphium a Petro Manlio canonico, temporibus Alexandri III. (si vere Baronius) ex Vaticanis monumentis descriptum, quae nunc disjecta sunt. Adjicimus, ut appareat, quam barbara tunc Roma fuerit, mente linguaque.

Hoc Stephani papae clauduntur membra locello,
Sextus dictus erat ordine quippe patrum
Hic primum repulit Formosi spurca superbi,
Culmina qui invasit sedis apostolicae.
Concilium instituit, praesedit pastor et ipse,
Lege satis fessis jura dedit famulis.
Cumque pater multum certaret dogmate sancto
Captus, et a sede pulsus ad ima fuit
Carceris. Interea vinclis constrictus, et uno
Strangulatus nervo, exiit et hominem.
Post decimumque regens sedem illum transtulit annum
Sergius huc papa, funera sacra colens.

Paulo melius Flodoardus canonicus Remensis, sequentis seculi scriptor, in carmine de pontificibus, quod Mabilio edidit:

Tum Sextus Stephanus sacra regmina culmine carpit,
Durus qui nostris, propriis at durior instat.
Saeva quidem legat vivis, truciora sepultis,
Fulconemque minis, Formosum concutit actis.

Concilium gregat infaustum, cui praesidet atrox, A. 897.
Praedecessorem abjiciens, ponensque patronum;
Visus abhinc meritis dignam incurrisse ruinam.
Captus et ipse, sacraque abjectus ab aede, tenebris
Carceris injicitur, vinclisque innectitur atris;
Et suffocatum crudo premit ultio letho.

Per positum Formoso patronum, intelligit advocatum ei datum, qui pro mortuo responderet. Sequitur de Romano:

Post hunc luce brevi Romani regmina surgunt.
Quatuor haud plenos tractans is culmina menses,
Aethere suscipitur, meritos sortitus honores.

9. Non Roma tantum cum Romano suo, brevis aevi pontifice, sed et Tuscia Lambertum jam imperatorem colebat, postquam Arnulfus absens, Berengarius pacatus erat; haesisse enim antea dubios Tuscos a Widonis obitu, supra notatum est. Nunc autem extant in archivo Lucensi tabulae, quibus memoriae posterorum commendatur traditio possessionis cujusdam, ab Amadaeo comite et misso imperiali in Petrum Lucensem episcopum Florentiae facta, ubi haec verba: *Anno imperii domini Lamberti sexto, quarta die mensis Martii, indictione 15*, dum a Lamberto piissimo imperatore missus in fines Tusciae fuisset Amadaeus comes palatii; et Florentiae in domo episcopi, in atrio ante basilicam S. Johannis Baptistae judicii causa sederet cum Adalberto, assidentibus sanctarum ecclesiarum episcopis, Helbringo Parmensi, Lupo Senensi, Adelberto Lunensi, Grasulfo Florentino. Et quae sequuntur. Post Amadaei subsignationem legitur, pro temporis illius grammatica: *Signum † Adalberti, comes et marchio, qui hac supra interfuit.* Pro Helbringo puto legendum Helbuncum, qui cancellarius primum, mox archicancellarius Widonis legitur, ut annotavimus ad a. D. 889; et Wibodo extincto, ad Parmensem episcopatum pervenit.

10. Sequitur promissum diploma imperatoris, quo ad interventum fidelis sui marchionis Ottonis (id est ducis Saxoniae) permutationem quandam inter Conradum dilectum comitem (nempe patrem Conradi regis) et Fuldenses confirmat, his verbis:

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Arnolfus div. fav. clem. imperator augustus. Si fidelium nostrorum petitionibus clementer annuimus, eos etiam fideliores in nostro credimus permanere obsequio. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet ac futurorum industria, quia Huki Fuldensis abbas venit una cum Chunrado, dilecto comite nostro, per interventum Hattonis archiepiscopi atque Ottonis, fidelis marchionis nostri, precatusque est clementiam nostram, ut quasdam res de beneficio ipsius Chunradi, in pago Eichesfelden in comitatu Ottonis sitas, ad Fuldensis monasterii necessitatem et utilitatem et opportunitatem concederemus, ea ratione, ut alteras res ipsius monasterii longius inde remotas ipse Chunradus in suis comitatibus, item Angraria et Hessa sitas sibi in proprium ob hoc acciperet. Quorum petitionibus libenter annuentes, ita fieri decrevimus. Dedimus namque ad ipsum monasterium in

A. 897. *praenominato pago, quicquid ipse Chunradus beneficii nostri infra terminum villarum Ambraha et Kermara dictarum, et in locis Lengenfelt, Emilinhusen, Ditdorf et Dachreda dictis tenuit, cum curtilibus aedificiis, agris, mancipiis, censibus, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, piscationibus, venationibus, quaesitis et inquirendis, omnibusque rebus mobilibus et immobilibus, juste ac legaliter ad ipsa loca respicientibus, in eam videlicet rationem, ut ipse ex hoc beneficio non utatur, sed ex Fuldensi monasterio in praedictis comitatibus locum Rospach vocatum cum omnibus rebus ad ipsum locum pertinentibus, perenniter in proprium accipiat, cum curtilibus aedificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis atque omnibus usibus. Et insuper in locis sibi compendiosis tantum ex eodem coenobio percipiat, quousque restituatur ei totum, quod in locis sui beneficii concessum sit et habitatum. Quicquid vero in his desertum et incultum sit hoc concambio superabundans pro remedio animae nostrae simili modo ad ipsum monasterium in honore S. Bonifacii perenniter possidendum consistat. Et ideo hoc praeceptum inde sancimus, et decernimus nostra regali autoritate, ut praefatus Chunradus de rebus a Fuldensi monasterio perceptis faciat, quodcunque sibi placeat, fratresque sancti Bonifacii de beneficio a Chunrado percepto, quicquid libuerit, faciant sine alicujus hominum contradictione. Ut autem utrumque concambium firmum sit et stabile, manu nostra chartam hanc firmavimus, et sigilli nostri impressione insigniri jussimus, ut ratum sit omne, quod facimus. Signum domini Arnolfi regis. Ego Ernustus cancellarius recognovi. Data 5. Kal. Febr. indictione 15. ann. dom. inc. 897. Actum Ratisbonae in Dei nomine.*

ANNO CHRISTI 898.

Romano papae succedit Theodorus, et huic Johannes IX. — Johannes hoc anno papa factus est. — Synodi Romanae contenta, qua Formosi damnatio cassatur. — Acta synodi contra Formosum defunctum habitae abolentur. Electio pontificis quomodo rite peragenda statuitur. — Decretum de pontificibus rite electis sine imperatoria autoritate non consecrandis renovatur. Unctio Arnulfi imperatoris improbatur; papae tamen non erat, de jure imperii cognoscere. — Placitum Ravennae habitum, cui papa et Lambertus interfuere. — Lamberti capitulare Ravennatense recensetur. — Idem argumentum continuatur. — Wido marchio in principatum Beneventanum restituitur. — Conspirant in Lambertum Adalbertus Tusciae marchio et Hildebrandus comes. Lambertus in eos irruit. Hildebrandus aegre evadit, Adalbertus capitur. — Adalbertus ad rebellionem ab uxore Berta instigatus erat. Quae illa fuerit. — Lambertus quo genere mortis in venatione obierit. — Malaspinarum origo fictitia. Mathildis ducatrix ex iis non est orta. — Tempus mortis Lamberti constituitur ex diplomatibus. — Lamberti elogium. Berengarius regnum occupat. Adalbertus Tuscus in ejus est potestate. — Odo rex Galliae obit. Succedit jam Carolus Simplex. — Zuentebaldus rex Raginerium comitem honoribus et hereditatibus privat. Abbatiam S. Servatii Ratbodo Trevirensi archiepiscopo restituit. Westhinensibus privilegium concedit, in quo mentio fit Ottonis Saxoniae ducis. — Raginerius in munimento Durfos frustra obsidetur. Carolum Galliae regem in auxilium vocat. Is regnum Lotharingiae intrat: sed pace mox facta recedit. — Eberhardus dux a Waltgario Frisone occiditur. Illius familia. Origo comitum Hollandiae. — Arnulfi gesta in Moravia. Frisingensis ecclesia combusta. — Presbyterorum et episcoporum conjugia probata.

1. Romano post quatuor pontificatus menses haud expletos successit Theodorus, ortu Romanus, Photii filius, de quo ita Flodoardus: A. 898.

Quo rapto, breviore subit fastigia sorte
Dilectus clero Theodorus, pacis amicus;
Bis denos Romana dies qui jura gubernans,
Sobrius et castus, patria bonitate refertus,
Vixit pauperibus diffusus, amator et altor.
Hic populum docuit connectere vincula pacis;
Atque sacerdotes concordi ubi junxit honore,
Dum propriis revocat disjectos sedibus ipse,
Complacitus rapitur, decreta sede locandus.

Ex his tentasse Theodorum intelligimus, quae successor perfecit. Is fuit Johannes, gradu diaconus (Sigonio) patria Tiburtinus, patre Rampualdo; quem Flodoardus diserte Nonum vocat, his versibus:

Joannes subit hinc, qui fulsit in ordine nonus:
Pellitur electus patria quo Sergius urbe,
Romulidumque gregum quidam traduntur abacti.
Conciliis tamen is ternis docuisse refertur
Dogma salutiferum, novitasque aboleta malorum,
Et firmata fides, doctrinis tradita patrum.

Electionem 5. Idus Sept. factam, Sigonius scribit; Sergiumque ei oppositum et pulsum eundem putat cum eo, qui Formoso cedere coactus sit; quem etiam tandem ad pontificatum sub Sergii III. appellatione pervenisse volunt, solo nominis argumento. Sigonius turbas Adelberto Tusciae marchioni imputat; eique credulus Baronius queritur, plus Tuscos principes quam ethnicos imperatores Romanae ecclesiae nocuisse. Hos suppliciis grassatos, sanctitatis gloriam auxisse; illos pretiosissimum decus innocentiam ademisse, monstris vitiorum intrusis. Sed ego immerentes Tuscos accusari invenio. Alberici, qui mox invaluere, diversi generis erant.

2. Extant literae Johannis, indictione secunda, id est hoc anno aut sequente, datae. Quo magis miror Labbeum et Cossartium, doctissimos et diligentissimos conciliorum collectores, Baronii et Binii errorem non correxisse, qui initia pontificatus in a. D. 901. distulere. Et video, Labbeum ipsum in chronicis operibus Stephani VI. vitam in annum usque nongentesimum Domini prorogasse, deceptum corrupto excerpto privilegii monasterii S. Vincentii ad Fontes Vulturni; quod etiam Baronium seduxit. Id enim scribitur *datum mense Septembri, indict. 4, per manum Stephani primicerii, anno pontificatus domini Stephani Sexti quinto.* Sed hoc unum tot aliis nostri calculi firmamentis praeferri non debet. Et chronicon Sanvincentianum, unde privilegium sumsit Baronius, parachronismis laborare, Quercetanus notat, qui inde excerpta produxit.

3. Credendum est, mature habitam synodum Romanam, qua inflictum ecclesiae vulnus sanare novus pontifex instituit. Capitula extant, quorum haec sententia est: *Synodum tempore piae recordationis Sexti Stephani papae praedecessoris nostri celebratam, in qua corpus Formosi venerandi*

A. 898. *papae, violato sepulcro, per terram tractum et quasi ad judicium deductum est, prorsus abrogamus, et talia in mortuos inposterum fieri interdicimus. His qui interfuere, tanquam terrore coactis veniam damus. Quia necessitatis causa de Portuensi ecclesia Formosus pro vitae merito ad apostolicam sedem provectus est, statuimus, ne hoc in exemplum trahatur. Neque depositus, qui canonice restitutus non est, ad altiora provehatur; ut nuper in Bonifacio, primum de subdiaconatu, postea de presbyteratu dejecto, et tamen novissime in sede Romana collocato, populari manu factum. A Formoso canonice consecratos in suos ordines restituimus. Unctio sacri chrismatis, in spirituali filio nostro domino Lamberto excellentissimo imperatore administrata, subsistat, illa vero barbarica, quae per subreptionem extorta est, abdicetur.*

. Quae in supradicto concilio sancita sunt, igni aboleantur, ut acta synodi latrocinalis Ariminensis, aut Ephesinae secundae, aut, quae haeretici in sanctissimum papam Leonem egere; aut quemadmodum nuper Hadrianus in Nicolaum Constantinopoli nequiter decreta cremari jussit. Sergius, Benedictus, Marinus, dudum presbyteri Romanae ecclesiae; et Leo, Paschalis, Johannes, dudum diaconi, canonice damnantur, et a gremio ecclesiae repelluntur; neque unquam in gradus suos restituantur. Qui tumulum Formosi, capiendi thesauri causa, violarunt, tractumque corpus in Tiberim projecere, nisi resipuerint, poenitentia rite acta, anathema sunto. Et quia sancta Romana ecclesia vim patitur pontifice abeunte, cum absque imperatoris notitia et legatorum ejus praesentia pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab imperatore missi intersunt, qui tumultum et scandala prohibeant: itaque volumus, ut deinceps, convenientibus episcopis et omni clero, eligatur expetente senatu et populo pontifex, qui ordinandus sit; atque ita, qui ab omnibus electus est, celeberrime in conspectu omnium, praesentibus legatis imperialibus, consecretur. Quia etiam consuetudo inolevit, ut obeunte pontifice patriarcheum spolietur, totaque in civitate ac suburbanis eadem grassetur audacia; idemque alia episcopia pati solent: vetamus talia fieri; quae non tantum ecclesiastica censura, sed etiam imperiali indignatione vindicabuntur. Postremo quia judices pretio passim peccandi licentiam vendere videntur, dum, qui multam solverunt, impunitatem sibi inposterum pactam putant; unde simul et pauperes spoliantur et disciplina laxatur: ideo, postquam judex officio functus est, episcopo suum facere fas esto canonicae poenitentiae irrogatione. Actorum synodi hujus supplementum in itinere Italico invenit Mabilio et additamentis adjecit.

5. Renovatur hic vetus Stephani IV. decretum, de pontificibus Romanis rite electis sine imperiali autoritate non consecrandis; de quo suo loco dictum est. Deinde in Lamberti gratiam Arnulfi coronatio improbatur. Ea enim est illa barbarica unctio, quae per subreptionem extorta dicitur. In vulgatis codicibus conciliorum legitur: *illa barbarica Berengarii;* sed Berengarii nomen glossema est, et defuit exemplari, quod Sigonius vidit; recte quidem meo judicio. Neque enim Berengarius hactenus Romae coronam acceperat. Arnulfi ergo illa, dissimulato no-

mine sugillatur, et barbaricae appellatione infamatur, quod milites ejus A. 898.
per urbem violenter grassati essent; sed hoc non mirum fuit in urbe capta. Qui vero barbaricam interpretantur, quod Transalpini esset principis; ineptiunt, non intelligentes paulo ante Carolum Crassum ex eadem gente, Arnulfi patruum, imperio potitum omnium applausu. Sed in pontificis aut Romanorum optione non erat, quem augustum vellent. Id maximo Francorum principi, aut a caeteris in id designato, debebatur. Wido et Lambertus rebelles dominis; et licet jure regnassent, tantum reguli, si Arnulfo compararentur; inepta ambitione fastigium affectabant, quo summa in occidente autoritas continebatur: quae afferenda Romam est, non Roma petenda. Neque cognitio de jure imperii ad Romanam aliquam synodum pertinebat, qualem nunc coactam vidimus. Satis apparet, Lambertum omnia apud Johannem et synodum potuisse; sed non curabatur alibi, quid statuerent tumultuantes Romani aut adulantes. Arnulfum augustum urbs et orbis agnovit; et Formosi quoque, qui coronam imposuit, successor Stephanus, dum licuit, literas ab anno imperii ejus designavit.

6. Secutum est concilium, vel si mavis, placitum Ravennae coactum, cui 74 episcopi interfuere, ut inscriptio praefert: quod acta Romanae synodi confirmavit. Aderat Lambertus, et simul procerum conventum agebat. Tempus intelligimus ex donatione, quam interventu genitricis Agiltrudae serenissimae imperatricis 12. Kal. Junii ecclesiae b. Johannis Florentinae Grasulfoque venerabili episcopo fecit: quod actum est Ravennae, et apud Ughellum habetur. Acta synodi, quae extant, continent praelocutionem pontificis. Quaedam etiam Lambertus interponit, et privilegia Romanae ecclesiae confirmat, cui se defensorem spondet. Deinde pontifex rursus verba ad Lambertum dirigit. *Synodus* (inquit) *vestris temporibus in basilica b. Petri apostoli pro malis eradicandis, et maxime pro causa domni Formosi acta, vestro imperiali consensu et venerabilium episcoporum et optimatum vestrorum roboretur. Adjuramus, ne rapinas impunitas esse sinatis. Pactum cum beatae memoriae Widone et vobis, juxta praecedentem consuetudinem factum, redintegretur et servetur. Praecepta* (seu diplomata) *non recte facta corrumpantur; patrimonia, suburbana, massae, coloniticae, civitates reddantur; illicitae conjunctiones prohibeantur. Petitur, ut ad restaurandam ecclesiam domini Salvatoris, quae Constantiniana vocatur, aliasque necessitates Romanae ecclesiae, mire afflictae et nudatae, opem feras.* His lectis papa ad episcopos convertitur; hortatur, ut domum reduces jejunia indicant, litanias celebrent, Dei misericordiam implorent; et pro imperatore Lamberto preces fundant, ut superbarum gentium illi colla subjiciat.

7. Sigebertus scribit, affuisse Francorum archiepiscopos et regem. Sed Francorum ille rex non alius erat quam Lambertus ipse, genere utique Francus; et archiepiscopi Francorum, scilicet qui ex ipsius regno. Et illis temporibus apud ulteriores Italos Longobardia aliquando Francia appellabatur. Lambertus interea, habito conventu procerum, capitula condidit, quorum numero duodecim argumenta in codice Antonii Augu-

A. 898. stini extabant, adjecta prioribus conciliis hujus anni, etsi sine inscriptione. Ibi cautum, ut nullus comitum arimannos (id est homines liberos seu militares) in beneficium suis hominibus concedat, id est suorum vasallorum subvasallos faciat; ut homines comitum (vice-comites, schultasios, vel alios ministeriales interpretor) non in domibus arimannorum sedeant, sed domos rei publicae instaurent; ut scriptoribus publicis liceat transcribere res arimannorum, alienatas scilicet; sed tamen alienatio in fraudem rei publicae, id est ad vitandum exercitum vel placitum, non proficiat; ut arimanni frequentius, quam statutum est, ad placitum ire a comitibus vel sculdasiis ne cogantur. Ex legibus peccata temporum intelliguntur; et magis magisque non in Italia tantum, sed et Germania et Gallia, invaluit, ut mediocres in jura vasallatica aut subvasallatica potentum adigerentur. Constituitur praeterea, ut missi bannum exercitus imperialis solummodo exigant. Bannus hic heribannus est, seu citatio in expeditionem.

8. Additur, ut sumtus imperialis mensae ab episcopis et comitibus secundum antiquam consuetudinem praestentur. Quodsi fiscus comitialis (id est dominici praedii reditus) in jus ecclesiasticum conversus sit, augeatur stipendium imperiale ab ecclesia, proportione redituum auctorum. Decimae episcopo tantum ejusve substitutis praebeantur; ecclesiarum plebes (id est oppida vel castella seu burgi) comitibus aut episcoporum vasallis in beneficium ne tribuantur. In domibus ecclesiarum nec comes nec judex alius placitum habeat, aut hospitium sibi vindicet; sed in publicis vicis domos constituat, quibus utatur. Singulae plebes archipresbyterum habeant, qui non tantum populum regat, sed et presbyteros, qui per minores titulos habitant, in officio contineat: nec obtendat episcopus, plebem archipresbytero non egere. Apparet, titulos esse, quod hodie curas vel parochias vocant; archipresbyteratus, quod hodie archidiaconatus aut superintendentias. Habemus hic civitates pro episcopis, oppida vel plebes pro archipresbyteris; titulos minores in vicis pro simplicibus presbyteris seu parochis. Vicus vel partem oppidi facit, vel villam in agro, quae Germanis „dorfa", „villagium" Gallis.

9. Pridie Kal. Aprilis Ageltrudis imperatrix Beneventum venit, et (ut ait chronicon breve Beneventanum) Augusto mense cum Widone marchione iterum discedens et Papiam petens, Radelgisum fratrem in principatum restituit, quo duodecim fere annis caruisse scribitur ab anonymo Beneventano. Sed quantum ex Erchemperto computari potest, quatuordecim jam anni ab ejus expulsione effluxerant. Ob simplicitatem biennio integro non tenuit locum.

10. Lambertus post conventum Ravennae habitum, in Marinci nemore non procul Placentia venationi operam dabat; cum Adelbertus Tuscorum marchio et Hildebrandus praepotens comes in eum conspirant; collectisque occulte copiis, monte Bardonis superato, incautum invadere conantur. Sed ipsi per negligentiam oppressi sunt. Prope Sesterrionem amnem, non procul Placentia, ad burgum S. Domnini castra metati, noctu neglectis custodiis, vino somnoque sepulti jacebant. Lambertus nuntiato motu, ut erat animosus et vividus, collecta raptim suorum manu, in ipso

noctis conticinio, inopinantibus supervenit, torporemque vulneribus excussit. Pars caesi captique; Hildebrandus aegre fuga elapsus est. Adalbertum ex stabulo protractum, ubi latebras quaesierat, Lambertus irridens ita allocutus est: *Sibyllino spiritu afflata uxor tua, aut regem te aut asinum facturam sese, promisit:* jam enim Arcadici pecoris socium fecit. A. 898.

11. Adalberti marchionis uxor erat Berta, filia Lotharii regis Austrasiae ex Waldrada. Ea Theobaldo viro primario Arelatensis regni nupserat; qui Hugoni conjugis fratri affuit, et copias ejus duxit. Huic Berta genuit Hugonem comitem Viennae, mox Italiae regem. Secundis deinde nuptiis maritum Adalbertum nacta est. Ignorabant superiorum temporum historici, quae Berta, quis Hugo rex esset; Sigoniumque ipsum in errore fuisse videmus. Sed quae diximus, infra confirmabuntur, cum de Hugone rege dicemus. Praeterea diligentissimus Tuscae historiae scriptor Florentinius, Adalbertum cum cognomine patre confudit: et Rotildem, quae mater erat, priorem ejus conjugem plerique fecere, cui Berta successisset; quod supra confutavimus. Caeterum Berta regios ex patre spiritus gerens, inferioris conditionis parum patiens erat; tandemque, cum maritum non posset, filium regem fecit.

12. Porro captivos Lambertus Papiam duci jussit, ut ex sententia procerum de illis statueret. Ipse ad Marinci delicias rediit. Ibi in venatione apros consectantem, lapsu ex equo collum fregisse, in publicum relatum est. Nam ita poeta Berengarianus rei gestae aequalis:

Uno comitante ministro,
Dum sternaceis equi foderet calcaribus armos,
Implicitus cecidit.

Idem Luitprandus narrat; sed mox rejicit narrationem, aitque, veram mortis causam occultatam, non multo post erupisse et per populos increbuisse. Familiarem sibi carumque habebat Lambertus Hugonem adolescentem, Magenfridi nuper damnati filium, forma et animo egregium. Hunc unum, forte Lamberto a comitibus, ut fit, diviso, in sylva affuisse; et memorem paternae necis, quiescenti impacto ingenti trunco vitam abrupisse, eo ictus genere, qui pro casu ex equo haberi posset. Ipsum postea facinus suum jactasse, cum periculum sub Berengario abesset. Sed notavimus, Maginfredi etiam filio et genero oculos ademtos: eo minus credibile est, alteri filio fidem aut familiaritatem apud Lambertum fuisse. Narrationem tamen confirmat Novaliciense chronicon; juvenemque hoc patrasse scribit instinctu Ammuli Taurinensium episcopi, quem, si credimus, cacodaemon arripuerit. Nam cum vulpeculam pertinacius insequeretur, postea non visum.

13. Spinae lignum adhibitum, quidam addidere. Inde Hugoni Malaspinae impositum nomen, et in posteros propagatum; quod Tessaurus in historia regni Italiae aliique scriptores Itali memoriae prodidere. Sed ea Malaspinarum origo commentitia est, et Malaspinae cognomen, multo serius marchioni cuidam Wilhelmo datum, in posteros duravit. Corius Mediolanensium historicus, chronicon quoddam secutus, quod Datii appellant, factum idem ad alias personas altioraque tempora retulit et

A. 898. fabulis auxit. Theodebertum filium Clodovaei cum ducentis millibus Francorum et Allemannorum Justiniani M. tempore in Italiam descendisse et coronam imperii a Mediolanensibus poposcisse: cum renuerent, urbem obsidione pressisse. Tandem curiositatis obtentu admissum, perfide occupasse; Ilduinum praefectum occidisse, cives, qui superfuerant, in servitutem abstraxisse; filium Ilduini Azzinum ob formam egregiam sibi retinuisse: sed cum postea, anno nondum elapso, in venatione obdormisset, a puero spina forte oblata et in cerebrum adacta, mortem oppetiisse. Id S. Ambrosii inspiratione factum, spoliatam urbem suam aegre ferentis. Ejus et auxilio Azzinum evasisse. Narratiunculam adoptarunt Thomas Porcacchus, Malaspinensium historicus, aliique multi, quam et poetae passim celebrarunt. Et certe poetis, non historicis digna est. Thietbertus in Italiam venit circa annum Domini 539, et nono post anno ex febre decessit. Ex Malaspinis Estenses et progenitores Italicae principis celeberrimae Mathildis prognatos, contendunt non pauci; quos inter Julius de Puteo, clarus inter Veronenses autor, peculiari libro de admirandis inclytae Mathildis rem egit; et in argumentum spinam florentem, dextrae ejus insertam, in icone exhibet ex Donnizone expressa. Sed ego spinam in Romano authentico codice non vidi. De ipsa autem Mathildis origine pluribus infra dicetur.

14. De tempore obitus Lamberti curatius inquirendum est. Sigonius ait, extare Mutinae diploma, pridie Kal. Octob. a. D. 898. a Lamberto imperatore anno regni septimo in Marinco datum. Id Hadrianus Valesius ad poetam Berengarianum in dubium revocat, mortem Lamberti uno anno anticipans. Sed extat etiam apud Ughellum, ubi Lambertus imperator interventu Amolorii venerabilis episcopi, sui archicancellarii, Gamenulpho, S. Mutinensis ecclesiae episcopo, res suas confirmat, easque sub suae tutelae mundualdum recipit. *Andreas notarius ad vicem Amolorii archicancellarii. Data ann. incarn. dom. 898, domini quoque Lamberti piissimi imp. septimo, prid. Kal. Octob. ind. 2. Amoloni* lego, non *Amolorii*, ut habet Ughellus. Neque hunc alium esse arbitror ab Amulo Taurinensium episcopo, quem conscium caedis domini Novaliciense chronicon facit. Sigonius aliud refert praeceptum, mox a Berengario Mutinensi ecclesiae concessum Bononiae, 7. Idus Decembris. Medio ergo tempore eoque aprorum venationibus apto, extinctum Lambertum convenit. Itaque et Cassinense chronicon habet, post sex annos regni obiisse; et Papebrochius affert Benedicti IV. rescriptum, datum 2. *Kal. Sept. ind. 3. anno 2. post obitum Landberti imperatoris augusti*, id est a. D. 900; quod consentit, quemadmodum sane etiam caetera omnia in hoc tempus conspirant; nisi quod poeta tres tantum aestates a morte Widonis Lambertum vixisse innuit:

Tertia mox tamen hunc Latio produxerat aestas;

sed in eo lapsum fuisse dicendum est.

15. Lambertum etiam hostis poeta laudat:

Dignior hic genitore foret, compluribus ille
Vixerit, et Latium quamvis turbaverit annis.

Eo facilius Luitprando crediderim, moribus et ingenio egregium fuisse: A. 898.
sed non aeque, quod addit, si vixisset, res Romanas ad pristinam imperii magnitudinem fuisse restituturum. Mors ejus Adelbertum et sequaces periculo et vinculis exemit. Nec mora, Berengarius, intellecto casu, Papiam venit, regni sedem, et regnum sibi vindicavit. Tunc et Azzoni, Regiensis ecclesiae praesuli, suggerente Bertilda conjuge et consorte regni sui, concessit confirmationem donationis, a Sigefrido ejusdem loci episcopo in canonicorum usus factae. Nondum tunc archicancellarium sibi sumserat: itaque *Petrus cancellarius jussu regis recognovit. Data 8. Id. Novemb. anno inc. Dom. 898, anno domini Berengarii serenissimi regis 11, indict. 2.* (ita enim oportet legi, non *ind. 1.*). *Actum Papiae palatio regis in D. n. f. a.* Obiisse deinde urbes, et 7. Idus Decemb. Bononiae fuisse, Sigonius docet. Adelbertus etiam Tuscus in potestate fuit: nam Franciscus Florentinus Lucenses scripturas invenit, anno Dom. 899, duodecimo regni Berengarii datas.

16. Initio anni rex Odo morbo extinctus est, tertio Januarii secundum Reginonem, Kalendis secundum chronicon breve incerti. Ferae ad Isaram obiisse scribit Belius. Apud S. Dionysium terrae commendatus est, ut habet Regino; qui addit, principes in unum congregatos, pari voluntate Carolum regem recepisse. Iterum coronatum unctumque ab Ariberto episcopo, habet fragmentum historiae Aquitanicae, a Quercetano editum. Hanc coronationem Belius Remis factam scripsit, Cordemojus 24. Febr. certe Aquitanici regni causa, si non in Aquitania ipsa. Autor vitae S. Genulphi Oddoni filium Arnulfum successisse scribit; sed paucis diebus supervixisse, in ipso pene initio regni vix semivivum. Idem habet fragmentum historiae Aquitanicae, et Ademarus, autor chronici Engolismensis apud Sammarthanos. Facilius credo, superfuisse paululum Odoni filium, quam regnasse. Sane collegam vivus, ut fieri solebat, non asciverat. Uxorem Odoni Theodradam tribuit charta abbatiae S. Vedasti data apud Sammarthanos. Carolo nemo jam de regno controversiam movit, et ipse Odonis frater Robertus diu eum ut regem coluit. Carolus ex eo annum redintegrati regni in privilegiis notavit. Sic datum est Sandionysiano monasterio praeceptum, a Doubleto editum, *7. Febr. indict. 1, anno sexto regnante Carolo, redintegrante primo. Herveus notarius vice Fulconis archicapellani recognovit.* An hoc ante coronationem novam?

17. In Lothariensi regno Zuendeboldi mobilitas res iterum miscuit. Raginarium ducem (id est comitem potentem et marchionem) quem intimum habuerat, subito a se repulit, honoribusque (id est feudis) et quod majus est, etiam haereditatibus (id est allodiis) privavit. Tunc etiam Ratbodo Trevirensi abbatia S. Servatii Trajectensis reddita est, sita in pago Hasbaniae juxta Mosam, in Maselandiae comitatu, quam Ragenarius precariae jure obtinuerat, simulato Rathbodi consensu. Nunc vero rex in placito generali repetenti Ratbodo pro S. Petro Trevirensi reddidit. Qua de re bina apud Miraeum diplomata extant, ambo hanc subscriptionem habentia: *Walkerus notarius ad vicem Rutgeri archiepiscopi archiquecapellani recognovi. Data 3. Idus Maji ipsa die festivitatis*

A. 898. *S. Servatii anno inc. Dom. 898, indict. 1, anno vero regis piissimi quarto. Actum Aquisgrani palatio, investitum vero in ipso Trajecto.* Hic Rutgerus videtur vocari archiepiscopus Trevirensis. Legendum puto Ratbodus. Ibidem 5. Id. Maji rex interventu honorabilis Ratbodi Trevirorum episcopi et Odonis fidelis sui, fratribus monasterii S. Ludgeri, quod dicitur Werthena, tutelam promisit, privilegia confirmavit; donationem fisci Frimersheim dicti ratam semper esse voluit; in omnibus ad Rhenum mercatibus, sive emerent, sive venderent, immunitatem a teloniis concessit; homines eorum uni advocato monasterii subesse voluit, exemtos ditioni judicis publici, nisi advocatus ipse ad publicum mallum proclamet. Haec *Waltgerus ad vicem Ratbodi anno regis 3.* Ex quo loco (si diplomata emendate reddita sunt) supra diem collegimus, qua rex a. D. 895. coronam regni suscepit. Odonem socerum hic intelligi suspicor (id est Ottonem Saxonum ducem), cui quaedam in regno suo beneficiali jure concesserit Zuenteboldus, unde fidelem appellare potuit. Is Werthinensibus, in media ejus ditione Helmstadiense coenobium tenentibus, non mirum si favit. Etiam Roswitae non Otto, sed Oddo appellatur.

18. Interea Raginarius intra 14 dies regno excedere jussus, adjuncto sibi praeter alios Odoacro comite, quem nuper pulsum inter restitutos non legimus, cum familia et supellectile intra Durfos sese clausit munivitque, loco olim Normannis insesso, paludibus et multa Mosae refusione tuto; ubi a Zuenteboldo frustra obsessus est. Soluta obsidione comites Carolum regem adeunt, et in Lothariense regnum introducunt. Zuenteboldus improviso hosti impar, cum paucis fuga elabitur. Carolus recto itinere Aquas, ac deinde Neomagum venit. Interea Zuenteboldus vires colligit, assumtoque Francone Tungrorum episcopo, cum exercitu Mosam transit et circa Florengas considet; ut manuscriptum Reginonis habet apud Browerum. Nam vulgo legitur *Forichmagas*. Annalista noster ineditus* habet *Floritingas*; cui consentit annalium Metensium lectio, ubi est *Florithingas*. Unde Flaerthingam intelligi suspiceris, nobilem olim in his oris locum, paulo infra Roterodamum ad dextram Mosae ripam; nam ab ea parte etiam Carolus agebat. Confluentibus ergo proceribus, rex in hunc tendit; qui motis castris, Prumiam recessit. Sed insequente Zuenteboldo, cum res jam ad praelium spectaret, pax per legatos coit, sacramentisque utrinque datis, Carolus transmisso Mosa in regnum suum redit.

19. Circa hoc tempus Reginone autore, Eberhardus dux (per Frisiam opinor, et inferiora Rheni), filius Megingardi (an Megingaudi, de quo nuper), a Waltgario Frisone, Gerolfi filio, in venatione dolo trucidatur; ducatus fratri Meginardo creditur. Is est haud dubie Eberhardus Saxo Megingardi filius, quem idem Regino ad a. D. 881. a Normannis captum, a matre redemtum scripsit. Ex hac gente facile esse potuerit Maginarius, qui pacto Bonnensi ex parte Henrici regis affuit; et Eberhardus comes in pago Hamalam**, qui ex reginae Mathildis sorore pater Theoderici episcopi Metensis fuit. Intelligimus, inter Meginardi et Gerolfi familiam de Frisiae ducatu certamen fuisse; donec ad Theodoricum Gerolfi filium

*) Saxo *corr. Eckardus.* **) Hamalant *corr. Eckardus.*

pervenit a quo Hollandiae comites vulgo inchoantur. Alium Eberhardum, marchionis appellatione, in Fulconis archiepiscopi Remensis rebus Frodoardus memorat; patrem Rudolfi, filium, opinor, Forojuliensis Eberhardi, Berengarii regis fratrem. A. 898.

20. In Germania imperator Arnulfus apud Bavaros agebat, intentus Hungarorum motibus, ut apparet, et Maravensium; apud quos fratres principes Moymirus et Zuentobolchus gentem in partes scindebant. Pars Zuentobolchi, viribus inferior, Germanorum opem imploravit. Imperator marchiones suos Luitbaldum et Arbonem comites auxilio misit, qui hostes depressos vastavere. Zuentobolchus puer obsidione ereptus, in Bavariam ducitur. Compertum deinde est, Arbonem cum filio Iharico vel Isanrico incentorem mali fuisse. Itaque ad tempus praefectura caruit. Tunc et Erembertus regi rebellis, captus a Priznolavo, fido Slavorum duce (illone, quem nuper Wratislaum diximus?), et Luitboldo strenuo viro traditus, ad Drantersdorfium adducitur, ubi tunc Arnulfus agebat. Rantersdorfium, hodie Ranshova est, praetorio olim et sede principum celebre: nunc insigne coenobium, a Welfis nostris amplificatum, ut jam memoravimus. Frisingae summa aedes cum tabulario arsit. Utriusque reparationem Walde episcopus curavit, et mox a Ludovico rege Veringam villam solatium calamitatis impetravit.

21. Notatu dignum est, quosdam hoc tempore in Gallia presbyterorum conjugia probasse, jam diu desita in occidente. Mabilio tertio Analectorum tomo Mancionis Catalaunensium episcopi epistolam ad Fulconem exhibet, consilium petentis, quod Angelricus presbyter in synodo confessus esset, Grimmam quandam consentientibus propinquis ejus, sibi desponsatam, quanquam nequissimo conatui pii homines, ne duceret, obstitissent. Osbervat Pagius, frequentata magis haec matrimonia, cum Normanni invaluissent. Eadem apud Britones ita increbuere, ut episcopa aliquando et comitissa de honoris praerogativa certaverint, filiique episcoporum nepotesque velut haereditarios episcopatus in tertiam generationem tenerent.

ANNO CHRISTI 899.

Ludovicus Provinciae rex allicitur in Italiam a Berengarii inimicis. Expeditio tamen ejus irrita. — Carolus in Gallia universa regnat. Numerat annos redintegrati regni. Frustranea ejus ad Zuenteboldum regem Lotharingiae legatio. — Zuentebaldi regis furor in Raginerium et complices. Regino Prumiensis abbas dejicitur. Ejus scripta et tumulus. — Fames in Germania. Normanni in Galliâ victi. Carolus a successione Odonis regni annos numerat. — Arnulfi uxor Oda adulterii accusata. Arnulfus quamvis paralysi correptus, tamen in Isanricum rebellantem movet. — Wihingus fit episcopus Pataviensis, post vero dejicitur. — Arnulfi imperatoris obitus et elogium. — Uxor et liberi. An veteres Andechsii a Ratolde Arnulfi notho.

1. Lamberto extincto, Itali a Berengario alieni, ad Ludovicum regem Provinciae respiciunt, cum Arnulfi valetudo desperata haberetur. Ludovicum memoria avi cognominis commendabat, quem caesaris dignitate Italiam laudabiliter rexisse plerique meminerant. Dux factionis, si Luit- A. 899.

A. 899. prando credimus, ipse Berengarii gener habitus est Adelbertus, Eporediae marchio, qui Giselam ejus filiam in matrimonio habebat: eo minus aliis rebellare pudori fuit. Adalbertum hunc juvenilibus annis mira virtutis humanitatisque fama floruisse, Luitprandus scribit; sed provecta aetate, ita versam existimationem, ut perfidia ejus etiam a pueris decantaretur. Nam de eo ferri solitum: *Adalbertus, comis curtis, macrospathys, micropistys.* Ego vereor, ut multum tribui narrationi Luitprandi possit. Nam in altera Ludovici expeditione generum socero favisse, diserte habet poeta Berengarianus. Illud constat, primam irritam fuisse. Aderat Berengario alter Adalbertus potens marchio Tuscorum, libertate nuper reddita et donis etiam conciliatus. Ludovicus in arctum compulsus, Luitprando autore, abitum incolumem pactus est, ejurata Italia. Quae si vera forent, perjurii deinde exprobrationem poeta non omisisset.

2. In Gallia jam Carolus sine controversia regnabat. Ipse successorem se Odonis agnovit, in Aquitania credo; nam diplomata ejus extant hoc anno data, quale est apud Catellum historicum Gothiae *octavo Id. Jun. indict. 2, anno septimo regnante Carolo serenissimo, et in successione Ottonis secundo.* Postea tamen maluit pro successione Odonis numerare redintegrati regni annos. Hoc autem vere legatos misit, Haischericum episcopum (quem Caroli archicancellarium invenio a. D. 907) et Odacarum comitem; qui ad fanum S. Goaris cum Zuentiboldo rege Austrasiorum et legatis Arnulfi imperatoris, Hattone archiepiscopo et fratribus comitibus Conrado et Gebehardo, colloquium nequicquam habuere.

3. Itaque frustra tentata Odocari et caeterorum profugorum reconciliatione, Zuentibaldus iterum Durfos obsedit. Cum nihil proficeret, Raginarium et Odocarum et caeteros anathemate percuti jussit; et negantibus episcopis, in minas contumeliasque prorupit. Annalista eo insolentiae processisse scribit, ut capiti Ratbodi archiepiscopi scipionem illiserit. Hoc tempore, dejecto Reginone factione procerum, Richarius, frater Gerardi et Matfridi, Prumiensis abbas constituitur, postea Leodiensis episcopus. Regino sese in S. Maximini monasterium recepit, et per otium libris scribendis operam dedit. Ejus historia dudum in omnium manibus versatur; scripta tamen negligentius, quam tantum virum decebat. Opus de disciplina ecclesiastica ex manuscripto codice academiae Juliae edidit Joachimus Hildebrandus, quod Stephanus Baluzius, collatis aliis exemplaribus, incudi redidit. Browerus scribit, nostra aetate epitaphium ossaque in sepulcro lapideo reperta, cum duabus diffractis litui sive pedi partibus.

4. Magna passim fame in Germania laboratum, ut homines sese invicem comederent. In Gallia Normanni in Burgundos usque penetrantes, ad S. Florentinum 5. Non. Jun. a Richardo duce victi sunt. Ita chronicon breve autoris incerti apud Quercetanum. Rem chronici Andegavensis autoritate in hunc annum Labbeus confert, haud scio, quam recte. Carolus inclinante anno Viennae agens, Arnusto Narbonensi archiepiscopo quaedam donavit aut firmavit, *Kal. Nov. anno septimo regnante Carolo, et in successione Odonis secundo.*

5. Arnulfum augustum duplex malum graviter oppressit. Oda conjux adulterii rea facta est. Annalium Fuldensium continuator Freherianus id mense Junio in Ratisbona urbe juxta procerum praesentium judicium 72 jurantibus comprobatum scripsit; at Hermannus Contractus 72 principum juramento absolutam, vereor, ne honorificentius, quam verius. Rem Cordemojus de Zuentiboldi conjuge Oda accepit; sed illa in Austrasia, non in Bavaria judicanda erat. Eodem tempore imperator paralysi correptus est. Malum veneno propinato ascriptum; ministri sceleris, Germannus Otingae decollatus est, alius in Italiam elapsus. Rodburgis quaedam Epilingae (an Eslingae) suspendio interiit. Imperator nihilo secius navigio in Isanricum rebellantem movit, hominemque Mautarensi oppido (nunc quoque in Austria noto) inclusum, cum uxore in deditionem accepit: qui custodia elapsus, ad Moravos profugit. A. 899.

6. Engelmaro Batavensium antistiti vita functo, successor datur Wihingus natione Allemannus. Extat diploma apud Gewoldum, quo ei imperator jus urbis confirmat, quale Utilo et Tassilo concesserant. Eum olim Moravis in Pannonia datum episcopum, et per hos proximos tumultus pulsum, imperator sedi vacanti praefecerat; quod non iniquum et in Nannetensi et Burdegalensi antistite nuper admissum, Bavariae tamen episcopi improbavere. Itaque postea, extincto Arnulfo, sub pueri regno, sententia eorum a Deotmaro Wihingus dejectus loco est, Richario ordinato.

7. Imperator Arnulfus malo victus, 3. Kal. Decemb. obiit, ex testimonio Reginonis atque Metensium. Aventinus habet 6. Veneno sublatum, certus autor annalista Fuldensis prodit, nulla pedicularis morbi mentione; quem Luitprandus fabulator, ut alia multa, ex longinquis vulgi rumoribus retulit; quo manifestiore scilicet Dei judicio punitus videretur ob Hungaros, si diis placet, christiano orbi immissos; quas nugas supra explosimus. Passim ut crudelem et stolidum traducit, odiis Italorum credulus. Sed moderatum, et ingeniosum et fortem, gesta probant. Etiam expilatarum ecclesiarum accusatur: sed multa passim vitio temporum admittere optimi principes cogebantur necessitate rei publicae, ne abalienarent proceres, per quos barbaris resistendum erat. Ipsum in ecclesias passim liberalem fuisse, constat. S. Emmerani monasterium struxit, Ratisbonam incendio deformatam reparavit. Normannos insignibus victoriis repressit, Hungaros, dum vixit, absterruit; rem publicam Germanicam recte ordinavit; alios Francorum reges ferre, quam christianum orbem caedibus implere maluit. Nam si annuisset, poterat per Fulconem etiam Gallos habere in potestate. Ita facile in Crassi patrui autoritatem successisset. Sed satis habuit, a caeteris agnosci comiter majestatem suam. Regino Otingae tumulatum scripsit: fortasse illuc viscera delata sunt. Certiore Fuldensis annalistae testimonio, cui monumenta loci astipulantur, in S. Emmerani aede Ratisbonae tumulo illatus est, exequiis regia pompa factis. Ibi et mausoleum extat, et notante Aventino ex testamento panes pauperibus erogantur. Ejus confessionem de corpore Christi in sententiis legi, Siffridus presbyter scripsit.

8. Plures illi uxores copulant recentiores, nulla veterum autoritate.

A. 899. Ludovicus ex Uta natus fuit. Onuphrius Deytam (pro Uta) vel Ludgardem (quod pejus) appellavit. Ludovico germanas sorores tribuit Bertam et Lutgardem, Ottenis Saxonis conjugem, ut et Cranzius habet, et alii recentiores; sed quantum intelligo falsi. Ex Ratoldo filio naturali Wolfgangus Lazius et Nicolaus Vignierius antiquos in Bavaria Andecbsenses dynastas duxere; unde marchiones Istriae, duces Meraniae et postremo palatini comites Burgundiae descenderunt; quae res ampliore inquisitione digna est. Blondellus eam secutus est, autor in hoc doctrinae genere insignis. De Ratone quodam (an Ratoldo?) sub Ottone Magno apud Bavaros celebri ex hujus stirpe dicemus ad a. D. 948. et ibi tabulam posterorum exhibebimus, qualem vir doctus concinnavit. Aventinus Ratoldum Carentanis praefectum scripsit ab Arnulfo Bajoariae duce. Sed eos si habuit, debuit patri potius, eosdem tenenti ante regnum. Cuspinianus etiam aliam Arnulfi conjugem inducit Agnetem, matrem Arnulfi mali, ex Schirensibus Bajoariorum ducis. Sed totum hoc fundamento caret. Concubinam matrem Zuentibaldi et Ratoldi Aventinus et Lazius Helinradam appellant. Sed de concubinis Arnolfo natos Fuldensis habet. Arnulfus ultimus Carolingorum imperium Romanum tenuit. Ita quod Carolus ille inclytus initio seculi familiae decus intulerat, ejusdem seculi exitu amissum est. Adeo stare diu magnis negatum.

ANNO CHRISTI 900.

Ludovicus Puer Arnulfo patri sufficitur. Proceres, qui res Germaniae sub eo administrarunt. — Hatto ejusque suffraganei papae indicant, cur Ludovicum constituerint regem. — Queruntur de Moravis, qui jactent metropolitanum sibi Roma concessum. — Epistola Bajoariae episcoporum ad papam eadem de re. — Germani Moraviam vastant: Ungari in Italiam penetrant. — Cladem inferunt exercitui Italorum. — Numerus caesorum, inter quos Liudwardus Vercellensis episcopus. Loca ab Ungaris nunc vastata. — Ungari in Bajoariam irrumpunt. — Berengarii autoritas eversa. Ludovicus ab Italis recipitur in regem. — Ludovici regis Italiae diploma. — Sigifredus comes in hoc diplomate memoratus an fuerit ex stirpe Mathildis, et avus Attonis Canusini. — Johannes IX. papa obit; succedit Benedictus IV. — Ditio Beneventana Capuanae conjuncta. — Adenulfi, qui Beneventum Capuae conjunxerat, posteritas. — Adenulfus Beneventanus post haec Graecos coluit. Ejus mors. Guaimarius Salernitanus in custodiam datus, filio substituto. — Zuentiboldi subditi Ludovico Germaniae regi fidem spondent. Iste in subditos saevit et in praelio tandem occiditur. Ejus filiae et locus sepulturae. — Oda Zuenteboldi vidua nupsit Gerardo comiti. Fuit filia Ottonis Saxonici. Ejus dies emortualis. — Ludovici regis diploma pro Corbejensibus. — Godescalcus abbas Corbejensis deponitur, substituitur Bovo, Cobbonum agnatus. Ludovici regis diploma Tullense. — Carolus Galliae rex fere precario regit. Proceres sub isto potentes. Fulco Remensis archiepiscopus a Balduino Flandro occiditur. — Fulconi substituitur Heriveus. Occisores Fulconis excommunicati. — Formula excommunicationis. Balduinus in gratiam regis mox rediit. — Normanni ad christianam fidem in Gallia adduci coepti. — Alfredus Angliae rex obit, qui patriam suam a Normannorum invasionibus liberavit. — Studia sub eo floruere. Doctores sub eo celebres. Leges condit. Monarchiam in Anglia stabilit. — Ipse studiis operam dedit et varia in linguam vernaculam transtulit. Artium mechanicarum amator. Eduardus ei succedit.

A. 900. 1. Extincto Arnulfo, proceres Germaniae in Forchemio, oppido Francis Bajoariisque medio, collecti, Ludovicum ejus filium legitimum,

etsi puerum septennem, in regnum attollunt. Coronam etiam impositam, A. 900.
Regino scribit. Praecipua Hattonis archiepiscopi, et Conradi Gebehardique Francorum principum, in rebus administrandis autoritas effulsit. Ottonem quoque Saxonem multum potuisse, apparet. Theotmarus Salisburgensis antistes perrexit in munere archicancellarii obeundo; Waldo Frisingensis episcopus pueritiam regis moderabatur, Aventino notante.

2. Extat epistola (etsi imperfecta) Hattonis Moguntini et suffraganeorum ad Johannem IX. credo sub exitum hujus anni scripta, cum jam Hungari ex Italia redissent: qua significant, Arnulfum imperatorem de vita migrasse; rogant, ut animam ejus a vinculis peccatorum absolvat, quando soluta sint in coelo, quae ipse in terris solveret*. Exponunt deinde, necessitate rei publicae jubente, filium augusti, etsi admodum puerum, communi consilio principum et totius consensu populi, elevatum in regium decus, ne solidum regnum in partes scinderetur. Nam et reges Francorum ex uno semper genere processisse. Caeterum, quo minus pontificis maximi consilio uterentur, exclusos paganorum intercursu, per quos nec legatis iter patuisset. Ex quo intelligitur, Hungarorum irruptionem in Italiam in hunc annum conferri debere. Petunt, communem populi constitutionem pontificia benedictione roborari.

3. Commendant etiam episcoporum Bawariensium causam contra Moravos, Francorum potestati rebelles, qui metropolitanum sibi ab ipsa Roma concessum jactent: inde illis augeri spiritus, et subjici faces rebellioni. Causam Bawariensium suam esse, nec Francos sine illis, nec illos sine Francis aliquid in ecclesia aut re publica magnum gessisse. Sui officii esse, si quid sanctae matri Romanae ecclesiae elapsum sit, admonere, ut maximi pontificis prudentia corrigatur.

4. Sed etiam epistola extat episcoporum Bajoariae de eadem causa, quam edidit Cordesius cum Hincmari epistolis et Johanni VIII. inscriptam credidit: sed ad Nonum directa est. Sub hujus anni finem aut initium sequentis datam, verisimile judico. Ea huc redit; *Summo pontifici et universali papae, non unius urbis, sed totius orbis; domino Joanni, Romanae sedis gubernatori magnifico, humillimi paternitatis vestrae filii Theotmarus Juvavensis ecclesiae archiepiscopus, Waldo Frisingensis, Erchenpaldus Eystatensis, Zacharias Saebonensis* (Aventino Sabonensis, qui jam est Brixinensis), *Tuto Ratisbonensis, Richarius Pataviensis ecclesiae episcopi, universusque clerus et populus per totam Noricam, quae et Bavaria nominatur, prosperum in Salvatore nostro profectum. Non facile credimus, quod coacti quotidie audimus, de sancta et apostolica sede perversitatem profluxisse, quae nobis est mater sacerdotalis dignitatis, et origo christianae religionis. Venere de latere vestro (ut ipsi promulgant) Johannes archiepiscopus, Benedictus et Daniel episcopi, tanquam missi in terram Slavorum, qui Maravi dicuntur, regibus et populo nostro subactam et tributariam tunc, cum ad christianitatem perducta est. Itaque et Pataviensis episcopus semper synodos illic habuit, et comites nostri placita*

*) rogant — solveret *jussu superiorum ab Eckardo expunctum.*

A. 900. *egere; donec simul fides, Christo regique debita, armis sumtis violata est. Nunc jactant, se magnitudine pecuniae obtinuisse, quae nunquam alias a vestra sede processere. Jam enim unus episcopatus in quinque alios dividitur, et in episcopatu archiepiscopatus constituitur cum suffraganeis tribus, contra concilii Africani cap. 20. et 65. et decretum Leonis papae cap. 15. et cap. 49, et Coelestini cap. 17. Antecessor quidem vester, Zuentibaldo duce impetrante, Wichingum consecravit episcopum; sed neophytae genti, quam ille bello domitam ad Christi cultum perduxerat. At Slavi nos criminantur, quasi a Francis et Allemannis dissideamus, et violata fide catholica, cum Ungaris, datis sacramentis per canem et lupum, pacem fecerimus; numerata etiam pecunia, ut in Italiam averterentur. Et vestri legati, quasi epistola ab apostolica sede directa, haec improperant. Sed ut quidam sapiens ait: justus tulit crimen iniqui; nos Ungarorum feritatem non pecunia, sed datis lineis vestimentis emollivimus, ut quieti nostrae consuleremus. Slavi non parvam Ungarorum multitudinem suscepere; capita eorum ritu detonderunt, barbaros christianis immiserunt. Inde Pannoniae desolatio, maximae provinciae nostrae. Progenitores senioris* (id est domini) *nostri, Ludovici videlicet imperatoris* (lego *imperatores*) *ex christianissima Francorum gente prodiere: Moimarii Slavi majores a paganis venere. Juvenculus rex noster nulli praedecessorum suorum Romanae ecclesiae defensione concedet. Nos ingruentibus Ungaris et Italiae imminentibus, pacem Slavis et amnestiam obtulimus, frustra. Tu virtute ex alto indutus, fracta consolidabis, abjecta reduces; ut quae Slavorum malignitas disturbavit, Romana justitia restituat. Theotmarus indignus archiepiscopus, et apostolicarum rerum procurator promtissimus, pecuniam vestro juri debitam, propter infestam paganorum saevitiam mittere non potui. Nunc liberata Italia quam primum sequetur. Interea responsum ad singula expectamus.*

Alme pater mundi, dignus pronomine Petri,
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris,
Sisque tuis famulis protector verus, et illos
Commendes Domino coeli, qui praesidet alto.

Scilicet Petri vicariatum, qui pontificibus Romanis tribuebatur, pronomine Petri designat.

5. Ex his intelligimus, Moymirum Zuentiboldi filium, rebellem Francis, etiam dioecesana per Pannoniam Bajoariorum jura abrupisse, episcopis Roma petitis; quae venali indulgentia facile de alieno largiebatur. Sed mox amissa protectione, cum regno suo ab Ungaris eversum, dicta dicendaque ostendunt. Nostri nunc ascitis Boëmannis, Moraviam vastant. At ipsi Ungari hoc anno, an superiore, per Pannoniam et Noricas Alpes, gentibus Slavicis insessas, in Italiam penetravere. Hoc epistolae Hattonis et Theotmari ostendunt; et Fuldensis historicus, qui eadem via regressos addit; et annalista noster. Regino vero expeditionem male in annum sequentem differt. Luitprandus turbatis, ut solet, temporibus, Bajoaria per aliquot annos vastata, Italiam demum barbaris patuisse credidit. Sed prior Italica irruptio fuit.

6. Ungarorum manus, si Luitprando fides, primum ad Brentam tentoria figit. Ibi exploratoribus emissis, triduo consident. Intellectis divitiis regionis et multitudine gentis, domum redeunt, ut majoribus viribus excitis, rursus incumbant. Itaque primo vere cum ingenti exercitu Italiam petunt. Tunc Godefridum et Eberhardum, Carentano limiti praefectos, victos et occisos; Gregorium Aquilegiensem patriarcham fugatum, Aventinus memoriae prodidit. Ungari Aquileja et Verona a tergo relicta, Papiam usque progrediuntur. Berengarius collectis Insubribus, Liguribus, Tuscis, Spoletinis, tota regni mole hosti occurrit. Ungari multitudine adversa territi, relegunt iter et aegre Adduam nando transeunt, multis suorum haustis. Sed cum alia flumina, alias itineris difficultates restare cernerent, pacem petunt; praedam captivosque reddere offerunt. Non auditi, fugam prosequuntur, donec in Veronenses campos, tamdemque ad Brentam venere. Ibi, fatigatis equis, necessario consedere. Acies alveo fluminis dividebantur. Barbari praeter priora, etiam obsides foederis filios suos pollicebantur, si incolumes dimitterentur. Rejecti desperatis rebus arma parant; et ut se contemni videre, transmisso flumine ultro irrumpunt. Itali neglectis signis ordinibusque, ad cibum sumendum discurrerant, aut quietem capiebant. Quidam etiam maligno animo vicinis laborantibus opem non tulere, ut soli rerum potirentur. Ita fusi omnes, caesi plerique aut sagittis transfixi; capta castra, ingens praeda parta est. Omnia rapinae et libidini hostium, praeter munita loca, patuere. A. 900.

7. Annalista Fuldensis una die viginti millia Italorum cum multis episcopis cecidisse prodit. Numerum ex longinquo in majus auctum, credibile est. Liudwardus Vercellensis episcopus, Carolo III. augusto olim archicancellarius arbiterque rerum, cum thesauris suis fugiens, in Ungaros incidit, simulque vitam et opes amisit, quod Reginoni notatum est. Addit Sigonius, Ungaros Tarvisium, Vicentiam, Patavium populatos, tandem in Venetos vim fecisse; et comparatis lembis Civitatem novam, Equilium, Clodiam, et Caput aggeris incendisse; quin etiam Albiolam praetervectos, Metomaucum et Rivoaltum die festo S. Petri tentasse: sed a Petro duce, navalibus copiis contractis repulsos, sese ad mediterranea contulisse, Nonantulanum monasterium aliaque loca combussisse: tandem, ut recederent, ingentem Berengario et Italis pecuniam extorsisse.

8. Hoc eodem anno alia Ungarorum manus, explorata specie legationis regione, in Bajoariam irrupit, et ultra Anseum amnem (Anassum alii vocant) populando penetravit. Quinquaginta millia passuum in longum latumque percurrerunt; et ubi nostros colligi senserunt, cum praeda se in tutum recepere. Pars tamen in aquilonari Danubii ripa a Luitpoldo marchione deprehensa est. Mille ducenti caesi, aut Danubio mersi sunt, vix uno christianorum desiderato. Sed postea nostris vicem plus nimio reddidere. Hic paucula, quae annalibus Fuldensibus finientibus desunt (ut scilicet a Frehero prodiere), in nupera scriptorum Brunsvicensia illustrantium collectione supplevimus. Unde etiam intelligas, post victoriam hanc a Bajoariis validissimam quandam urbem in ripa Anassi muro munitam.

A. 900. 9. Hungarica clades Berengarii autoritatem evertit, cujus ductu contigerat; nec dubium est, rediisse Ludovicum et Papiae receptum, Adelberto Tusco per Bertam conjugem nunc tandem conciliato. Id enim innuit poeta:

Bellua Tyrrhenis fundens fera sibila ab oris
Sollicitat Rhodani gentem, cui moribus auctor
Temnendus Ludovicus erat, sed stirpe legendus.

Certum enim est, hunc mox Romam petiisse, jamque sequentis anni initio imperii coronam gessisse. Nunc certe pridie Idus Octobris Olonnae, et pridie Kal. Nov. Placentiae, Regiensi et Mutinensi episcopis privilegia concessisse, Sigonius reperit.

10. Habet Ughellus in Regiensibus diploma hoc sensu: *In n. s. et i. T. Hludovicus d. f. cl. rex. Notum sit . . . Luitvardum venerabilem praesulem archicancellarium nostrum, ac Sigifridum illustrem comitem palatii petiisse* (praeceptis Regiensis ecclesiae combustis), *ut restaurationis praeceptum Petro episcopo concedere dignaremur. Signum [..] Hludovici gloriosissimi regis. Arnulfus notarius ad vicem Lituardi episcopi et archicancellarii recognovi. Data pridie Kal. Nov. ann. inc. Dom. 900. ind. 4, anno d. Hludovici gloriosissimi regis in Italia primo. Actum Placentiae in D. n. Amen.* Luitwardus praesul Comensis fuit, successorque ejus Dailbertus (an potius Walbertus?). Ejusdem mox principis archicancellarium egit, ut apparet ex diplomatibus, quae apud Ughellum extant. Idem rex Papiae die 2. Octob. a. D. 900. anno regni primo, Petro episcopo Aretino jura quaedam firmavit, intercessione Adalberti marchionis Tusciae, fidelis sui, et dilectorum comitum Sigifridi et Adalelmi.

11. Sigifredum suspiceris forte autorem stirpis, ex qua Mathildis ducatrix processit; patrem Azzonis Canusini, qui sub Ottone M. floruit. Ea est conjectura Felicis Contelorii, qui genealogiam Mathildis scripsit, sane non spernenda. Sed vereor, ne obsit, quod idem anno sequenti et proximo in Ludovici et Berengarii privilegiis, Bergomensi ecclesiae datis, sacri palatii comes appellatur, quem honorem nemo ascribit alteri illi Sigefrido. Equidem summam nobilitatem huic stirpi Domnizo ascripsit, prae qua

Vix Priamus tanti totaque Troja fuit.

Quid ergo, si faceremus comitem palatii avum Attonis Canusini, patrem Sigefridi, ex quo Attonem natum constat: ita concideret objectio gravissima, quod comes Atto in compluribus chartis vocatur *filius bonae memoriae Sigefridi de comitatu Lucensi*, nullo huic addito titulo honoris, etsi ex comite palatii genitus esse possit, sed natu minor, atque ideo in aliam provinciam transgressus. Sed haec infra iterum attingenda erunt ad a. D. 951; ubi alia conjectura plausibilior afferetur. Porro Adalelmum comitem et in Bergomensi illo privilegio, et paulo ante in judicio Romano inveniemus. Diploma Aretinum Gamurrinus dedit: Cosmus Arena ex authenticis canonicorum tabulis recensuit.

12. Hoc anno, sed jam provecto, Johannem IX. papam obiisse, consentaneum est; nam vivere adhuc creditus est Hattoni et Theotmaro,

postquam Hungari ex Italia redierant, id est anno declivi. Et cum Heriveo Remensi archiepiscopo responderit, qui sexta Julii die consecratus est, in Augustum usque pervenisse videtur. At exeunte Augusto jam Benedictus IV. sedit, ut apparet ex epistola in causa Argrini Lingonensis, cujus in fine haec leguntur: *Scriptum per manus Sergii, s. R. e. scriniarii, mense Augusto, ind. 3. Data 2. Kal. Sept. per manus Leonis, Dei pietate primicerii sanctae sedis apostolicae, anno Benedicti papae primo, anno secundo post obitum Landeberti imperatoris augusti indict. 3.* Sedem tantum unam diem vacasse, Baronius scribit; Benedictumque IV. natione Romanum, ex patre Mammolo, successisse populi studio, quod largus in egenos haberetur. Benedictum papam et Sergium scriniarium facile credas eos esse, qui in concilio Romano anno Domini 897. damnati leguntur: adeo tunc res Romanae, imperatoribus justis destitutae, fluctuabant. A. 900.

13. Sed et ulterior Italia a Francis negligebatur ex quo Ageltrudis imperatrix, Radelgiso fratre restituto, cum Widone juniore Spoletinorum duce Beneventum reliquerat. Radelgisus homo simplex alienis nutibus regebatur; quod indignati quidam, cum Adenulfo Capuae principe conspirant: intempesta nocte mense Januario hujus anni portas urbis effringunt, palatium occupant, Radelgisum capiunt; Adenulfum mox consensu procerum et populi principem constituunt. Ex scriptoribus anonymis, quos Camillus Peregrinus eruit, discimus, Virialdum quendam sub Radelgisi nomine regnasse, et multos pepulisse: qui cum se Capuam recepissent, tandem in dominum conjurarunt. Gaiderisus frater ejus dudum apud Graecos exulabat. An supervixerit, non apparet: ratio ejus certe habita non est. Adenulfus ditionem Beneventanam Capuanae adjecit, stabilemque potentiam suis reliquit. Ajunt, matrem ejus, Potelfrido Beneventanorum optimate natam, non tam filii magnitudine laetatam, quam ex suae gentis casu doluisse.

14. Adenulfum paulo ante spreverat Guaimarius Salernitanus princeps, et filio ejus Landulfo filiam negarat, Jotae uxoris impulsu, quae Widonis augusti soror, regale stemma (si diis placet) miscere subditi connubio indignum dictitabat. Sed Widonis familia mox defecit, Adenulfi vero stirps per centum septuaginta et amplius annos floruit ad ultimum usque Landulfum; quem a. D. 1079. extinctum quidam scribunt. Adenolfus filio suo uxorem Gemmam conciliavit, Athanasii magistri militum seu ducis, et ut quidam addunt, etiam episcopi Neapolitanorum filiam: et cum anno uno solus praefuisset ditionibus, mox filium in consortium principatus ascivit; alteri filio Adenulfo Theanensem comitatum concessit.

15. Ipse versus ad Graecos, comiter observavit Leonis augusti majestatem; ad quem Landulfum filium misit, ut eum ad liberandam a Saracenis Italiam excitaret. Sed in mediis belli apparatibus decessit a. D. 911; si manuscripto Casinensi credimus, quod Michael monachus in Sanctuario Capuano produxit; cum principatum Beneventanum per annos undecim cum dimidio tenuisset. Michaelem monachum citat Joh. Vincentius Ciarlantus Iserniensis archipresbyter in Samnii historia Italice scripta. Circa idem tempus, aut paulo ante, Guaimarius luminibus orbatus, cum nimium

A. 900. saeviret, comprehensus est a Salernitanis, et in custodia positus, filio cognomine in principatu substituto.

16. Lotharienses intellecta Ludovici electione, a Zuentibaldo deficiunt; qui plerosque proceres dudum a se abalienarat, cum indigne tractaret episcopos, et nobiliores honoribus praediisque exueret. Itaque certatim ad Ludovicum transeunt, eumque in regnum introducunt. Venit puer, et in Theodonis villa datis manibus subditorum sacramenta suscepit. Cum in Germaniam rediisset, Zuentiboldus hactenus Galliae Belgicae rex coadunatis hominibus, per regnum discurrit, cuncta incendiis et rapinis miscet. Sed quos benevolentia retinere neglexerat, malis domare frustra speravit. Ludovicus in regnum rursus accersitur; Zuentiboldus cum Stephano, Gerhardo et Matfrido comitibus prope Mosam Id. Aug. impari praelio congressus interficitur. Tumulatus est in Susterensi monasterio Juliacensis agri, cui filiae ejus Benedicta et Caecilia praefuere. Schatenius tertiam sororem loci sanctimonialem addit. Ipse fundarat ornaratque. Itaque illic pro martyre colitur, et ab Heda Trajectensium historico cui haec debemus, beatus rex appellatur; additurque, memoriam ejus recoli Idibus Augusti. Sigebertus ait, neminem vulneratum evasisse, aut sanari potuisse; quasi irato rebellibus coelo. Signum, quo usus est, ex Browero ad a. D. 898.* huc transferemus.

17. Odam reginam Zuentiboldi viduam Gerhardus postea duxit. An ex ea liberos susceperit haud constat. Familiam Gerhardi familiae Conradi postea regis contrariam fuisse, apparet, quae vicissim et huic, et familiae Ottonis seu Ludolfingae, et huic affinitate innexae Bambergensi adversa fuit; unde multiplices in orientali Francia turbae. Nihil amplius de Oda memorant historici, sed in necrologio majoris ecclesiae Hildeshemensis in scriptoribus nostris edito haec leguntur: *Sexto Non. Jul. Oda regina soror nostra*, quae verba in aliam convenire non possunt. Ita jam, quod judicaveram, Ottonem comitem Zuentiboldi socerum non alium a Saxonum duce censendum, pro demonstrato haberi potest; et quae alia Oda regina Hildeshemensibus canonicis familiaris nominari posset? Adde quod habetur in eodem necrologio etiam avi dies emortualis Ludolfi, et patris Ottonis, qui ibi quoque, ut in Fuldensi et coaevis nonnisi comes appellatur. Tota scilicet familia ecclesiae vicinae amica et benefica fuit. De Oda nostra aliquid subodorati sunt scriptores recentiores, et in Ripuaria ei maritum invenerunt, sed pro Zuentiboldo Lothariensium rege Balduinum nescio quem Cliviae comitem substituerunt, qui hanc regis Henrici sororem in matrimonio habuisset. Rectius Gerardum comitem, in illis regionibus potentem, secundum maritum nominassent. Pro Gerardo Gebhardum Conradi regis patruum substituit Meibomius. Sed contextus Reginonem continuantis aliud docet.

18. Ludovicus Puer interea ultra citraque Rhenum commeans, Triburiae 4. Idus Octob. Corbejensibus nostris tale diploma dedit: *In n. et i. T. Hludovicus d. f. cl. rex. Per interventum venerabilis et dilec-*

*) et sigillum ex Mabillonio *addit Eckardus, omisis:* ad a. D. 898.

consilio nostri Conradi, monasterium Novae Corbejae, cui praeest fidelis Bovo abbas, in nostram tuitionem et mundiburdium suscepimus, et omnes concessiones antecessorum nostrorum.. corroboramus.. Sed et hoc pro nostrae mercedis augmento addere decrevimus, ut intra ipsam abbatiam in villa Horohusen, publicum liceat eis habere mercatum et monetam, et ibi potestatem habeant exigendi telonium, quod advocatus ipsorum nostro exigat banno intra marcam memoratae villae et montis Eresburg. Signum d. Hludovici serenissimi regis. Ernestus cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi et subscripsi. Data IV. Iduum Octobrium die, anno incarnationis Domini 900. indict. 3, anno domini Hludovici 1. Actum Triburiae in D. n. f. A. A. 900.

19. Scilicet exautoratus est hoc anno Godescalcus Corbejae Novae abbas post decem annos praefecturae ob solutiorem disciplinam; subrogatus est Bovo junior, qui 16 annis rexit et Kal. Jul. obiit. Bovonem ex ducis Ecberti et Cobbonum stirpe descendisse, docet scriptor Witikindus. Extat apud Sanctum Aprum Tullensem authenticum Ludovici privilegium, quo ad preces Luidelmi episcopi consilio Hattonis et Conradi praecepta Arnulfi genitoris et anteriora confirmat. *Prid. Kal. Nov. a. d. i. 900. ind. 4, anno domni Ludovici gloriosi, regis primo. Actum Strassburg civitate* (ubi indictio quarta a Septembri iniri debet). *Albricus notarius ad vicem Rathpoti archiepiscopi summique cancellarii hoc praeceptum recognovit.*

20. Carolus rex Lothariensibus turbis in rem suam uti tunc quidem usus non est, pene precario regnans in tanta procerum potestate. Aquitanis parum curabatur: Richardus Burgundiae dux et Robertus Odonis regis frater vix parebant. Heribertus Veromanduorum comes Rodulfum Cameracensem nuper in congressu ecciderat, cui Balduinus filius successit. Sed et gravissimum scelus, in caede Fulconis archiepiscopi admissum, impune fuit. Fulco de restituendis per Galliam studiis disciplinaque monastica cogitabat. Itaque in S. Medardi monasterium Suessionense oculos conjecerat: quod ut ab Altmaro comite detentore obtineret, vicissim ei Atrebatensem S. Vedasti abbatiam regis autoritate spopondit. Hanc Balduinus tenebat, Balduini filius, Flandrensium, ut nunc loquuntur, comes, cui rex ob varias causas offensus erat. Cum cedere nollet, locus ipsi extorquetur, Atrebatensi castello obsidione capto. Id Balduinus cum suis indigne tulit. Habebat addictos in omne facinus homines, qui praesuli insidiati, duce Winemaro quodam, ad comitatum regis euntem lanceis petunt, et cum nonnullis suorum, pro domino sese objicientibus, occidunt. Id die 17. Junii contigit, ut epitaphium docet. Joh. Iperius addit feria tertia hora sexta. Carolus sese ad tantum facinus non commovit, et visus est haud aegre severo magistro caruisse. Regino praesulem Balduini preces asperius repulisse scribit; inde iras in odium versas.

21. At rem exempli formidabilis clerus silentio non transmisit. Ex aula regis substitutus est Heriveus, nepos Hucbaldi comitis ex sorore, juvenis, sed laudatus. Ita Frodoardus; quem Miraeus explicans, filium

A. 900. Ursi comitis in Campania et Bertae sororis Hucbaldi facit. Is est, qu a. D. 898. notarium, Fulconis archicapellani vice, praeceptum regi recognovisse observavimus. Ea qua ordinatus est die, pridie Non. J Remis in ecclesia S. Mariae lecta est excommunicatio, praesentib episcopis, qui fuere: Heriveus Remorum archiepiscopus, Wido Rotom gensium, Riculfus Suessionum episcopus, Heidolo Noviomagensium, Dodi Cameracensium, Herinandus Morinensium, Otgarius Ambianensium, Hon ratus Belvacensium, Mancio Catalaunensium, Rodulfus Laudunensiu Otfridus Sylvanectensium, Angelramnus Metensium.

22. *Omnis ecclesia* (sic infiunt) *re inde a persecutionibus inaudi mirifice perturbata est, occiso ab impiis patre et pastore Fulcone, qui pro ecclesia et re publica velut murum opposuerat. Res ecclesiarum Balduino comite, filio Balduini et Judithae, pervadebantur. Has ille vi dicans, a Balduini hominibus, Winemaro, Everhardo et Ratfrido aliisqu crudelissime interfectus est. Nihil tale nisi a paganis actum scimu Itaque hos ab ecclesia segregatos, perpetuae maledictionis anathema condemnamus. Nullus christianus eis ave dicat, nullus eos presbyter a missas, conciones, communionem admittat; ne in vitae quidem fine, ni resipuerint. Sepultura asini sepeliantur; pereant in secundo Domini ad ventu.* Postque alia horribilia verba: *Sicut hae lucernae de nostris pro jectae manibus hodie extinguuntur, sic eorum lucerna in aeternum ex tinguatur.* Winemarum, ait Frodoardus, insanabili a Deo percussum vul nere, computrescentibus carnibus, et exundante sanie vivum devoratu a vermibus, cum nemo propter foetorem accederet, miserrime periisse Quae num vera sint, in medio relinquo: certe utiliter credita sunt i terrorem improborum et bonorum solamen. At Balduinum non tetigi hoc fulmen, et nondum elapso biennio in gratiam regis repositus, abba tiam S. Vedasti recepit.

23. Normannos circa haec tempora paulatim mitigatos, ad fide Christi adduci coepisse, intelligimus ex consultatione Herivei Remoru antistitis, et responso Johannis IX. papae. *Moerentes*, inquit, *de cala mitate christianorum, gaudemus de gente Normannorum ad fidem, divin inspirante clementia, conversa. Quod vero quaeris, quid agendum sit d his, qui baptizati et rebaptizati, postea pagano more vixerunt, christiano interficientes, presbyteros trucidantes, simulacris immolantes, idolothyt comedentes: equidem, nisi tirones fidei forent, canonica judicia experiren tur. Nunc mitius cum illis agendum, ipse intelligis, ne sub insueto onere i priorem vitam relabantur: nisi sint, qui sponte poenitentiam subire velint.* Itaque in eundem sensum Heriveus Witoni archiepiscopo Rotomagensi respondit, ad quem maxime negotium pertinebat, exemplis testimoniisque sanctorum patrum adductis. Extat responsio in editione novissima conciliorum, Johannis IX. epistolae subjecta.

24. Hic annus Alfredum regem die 7. Kal. Novembr. abstulit Anglicanae gloriae restauratorem. Is difficillimis rebus, extinctis fratribus successerat a. D. 871. multumque ac diu varia fortuna cum Normannis conflixerat. Hi cum sibi Mercios Northumbrosque subjecissent, etiam

apud Saxones occidentales praevaluerant, et Alfredum cum paucis associis in solitudines compulerant. Illic dudum agentem homo pauper adit, et dimidium panis obtinet, quem solum rex habebat: qui mox somnio admonetur, gratam Deo eleemosynam fuisse, jamque finem instare Anglorum malis. Haec ad annum Domini 878. referuntur. Forte Hubbam Danum Angli occiderant. Itaque resumtis animis, prodeuntem ex latebris regem multi sectantur. Improvisus supervenit hostilibus castris, magnamque stragem edit. Fuga in castellum proximum elapsi, cum Guormene ad pacta veniunt. Guormo rex Christo initiatur: foedus pangitur inter ambos reges, limitesque constituuntur; una tamen servata re publica, quae regebatur communi concilio utriusque gentis. Orientaliores regiones Normannis sive Danis cessere. Ex his illi, quibus conditiones non placebant, in Galliam aut Belgium transiere, et subinde Aelfredi ditiones infestavere irrito successu circa a. D. 886. Pace domi abrupta, Aelfredus Londinum Danis extorsit. Oppressi diu Saxones Anglive per Mercios Cantiosque, et alibi passim, ad eum se recipiebant. A. 900.

25. Pacatis paulatim rebus, rex amata sibi studia respexit. Ex transmarinis Grimoaldum quendam, et Johannem monachum, ex antiquis Saxonibus, id est Germania maritima, ortum (non Scotum illum), ad se vocarat. Grimoaldus theologiam docebat; Johannes logicam, arithmeticam, musicam: alius monachus Asser, postea episcopus Sarisberiensis (a quo regis vitam et temporis historiam habemus) grammaticam et rhetoricam, et quicquid humaniores literas nunc appellamus. Itaque initia Oxoniensis academiae ad haec tempora, etsi praemature, referri solent. Leges deinde conditae sunt in gentis concilio aut renovatae a. D. 887, quae extant. Nova mox Danorum irruptio Hastingo duce terrorem incussit: sed regis vigilantia oppressi, obsidibus datis recessere. Northumbriam tamen, et partem Saxonum orientalium adhuc tenebant; caetera omnis Anglia Aelfredum monarcham colebat; et hoc barbaris debent Anglo-Saxones, ut unius regis imperio submitterentur.

26. Alfredus miro ardore studiorum flagravit, et diem ita in tres aequales partes diviserat, ut una scribendo, legendo et orando, altera corporis cura, tertia regni negotiis occuparetur. Gregorii M. pastorale, auxilio usus Plegmondi archiepiscopi et Grimoaldi atque Johannis, Anglico sermone expressit. Extat etiam typis ecclesiastica gentis Anglorum historia, ex Latino Bedae a rege conversa; et superest nondum editus Orosius, Anglo-Saxonem ejusdem studio indutus. Horologiorum defectum cereis in templo facibus supplevit; artes mechanicas restauravit, rem publicam ornavit legibus, regnum florens filio primogenito Eduardo reliquit; qui fundatae a patre potentiae fastigium imposuit, Anglis orientalibus et Nordanymbris a Normannorum jugo liberatis.

ANNO CHRISTI 901.

Seculi decimi scriptorum defectus. — Romana sedes hoc seculo monstra habuit; Germania reges gloriosos. Christianae religionis per septentrionem propagatio. Arnaldi apologia pro seculo decimo. — Ludovicus Bosonides fit imperator. — Diploma Lucense, ex quo patet Ludovicum imperatorem Romae conventum procerum

Italiae habuisse. — Episcopi et principes, qui ei adfuerunt. — Judicium pro episc Lucensi. — Ludovicus Martio mense adhuc Romae. Berengarium ubique pellit. Varia Ludovici imperatoris diplomata per Italiam data. — Dubium in datis dipl matum Ludovici Comensi ecclesiae concessis. — Ediva serius in matrimonium Car simplicis venit. — Richardus Burgundus Carolo regi adest. Eidem nondum s multates cum Roberto Odonis regis fratre fuere. — Stephanus comes occidit Moravi pacati, a quibus et Carantanis Ungari victi. — Ratisbonae placitum habet Moravi pacem impetrant. Ungari Carantanos vastant.

A. 901. 1. Seculum decimum a Christo nato ingredimur, scriptorum impro periis infame, quo nec indoctius nec infelicius extitisse, Bellarmin scripsit. Et fatendum est, historiam ejus laborare; nam annales Fuldense continuati hactenus, qui unici fidi temporum testes nobis supererant, hi desinunt. Regino annales suos vix sexennio longius produxit, et Metense qui eos exscribunt, etiam citra subsistunt. Itaque pro messe spicilegiu undecunque instituere necesse est. Luitprandus fabulis et maledicenti fidem decoxit; Witikindus gravior testis rerum, haud satis tempor annotat, et serius orditur. Studia literarum cum Carolingerum imperi cecidere, scissis Francorum regnis, nec ut olim redintegratis.

2. Sed maxime pudori Romana sedes fuit, monstris insessa; quibu deteriora aut certe paria, unum seculum decimum quintum praebuit. Id enim reperio, decimo non minus infelix Italiae, magis etiam Germaniae fuisse. Scilicet decimi haud poenitebit Germanos, Saxonicorum regum virtutem aestimantes. Sed et christiana religio tum maxime per omnem septentrionem propagata est, Danis, Suecis, Polonis, Russis ad rectam fidem perductis. Apologiam seculi etiam Arnaldus dedit theologus Sorbonicus, cum perpetuitatem dogmatis eucharistici utcunque tueretur.

3. In Italia Ludovicus Bosonides, Longobardici jam regni compos, Romam contendit, et in itinere Lucam venit; ubi ab Adalberto marchione magnifice susceptus, non dissimulavit, si Luitprando credimus, nimias et invidendas sibi hospitis opes videri, quae regem magis, quam marchionem decerent. Inde hic suspicione tactus, instigante uxore, mox defecit. Ludovicus Romam perrexit, et multo hominum favore, circa initium hujus anni ex Benedicti papae manibus coronam Romani imperii suscepit, quam avus olim maternus cum laude gesserat. Nec dubito, Arnulfi mortem animum audendi fecisse, cui sese alioqui obnoxium professus erat. Credibile est, coronationem in festo natalis Domini peractam. Imperii honorem in Ludovico dissimulatum vel ignoratum Luitprando et Sigonio miror: sed diplomatum fide asseritur. Extat unum dignum memoratu apud Florentinum, ex Lucensium episcoporum tabulario erutum, cujus hic fere tenor legitur:

4. *Cum domnus Ludovicus serenissimus imperator augustus a regali dignitate Romam ad summum imperialis culminis apicem per sanctissimi ac ter beatissimi summi pontificis et universalis papae domni Benedicti dexteram venisset, et cum eodem reverendissimo patre sanctissimisque Romanis seu Italicis episcopis, regnique sui ducibus, comitibus caeterisque principibus in laubia* (seu porticu) *majore palatii, quod est fundatum juxta basilicam beatissimi Petri principis apostolorum, conventum egisset,*

et cum eodem summo pontifice pro tribunali consedisset; de statu ecclesiae et rei publicae tractatum est, causaeque auditae. A. 901.

5. Affuere ex Romaniae finibus (quae hic Longobardorum regno opponitur) episcopi Petrus, Sylvester, Ursus, Leo, Romanus, Joannes, Allo, Bonosus, Gregorius, Romanus, Cosmas, itemque Gregorius; tum (ex Longobardiae regno) Adelbertus Lunensis, Adelbertus Bergomensis, Everardus Placentinus, Garibaldus Novariensis, Helbringus Parmensis, Ildegarius Laudensis, Ardingo Brescianensis, Grasulfus Florentinus, Albinus Vulterrensis, Petrus Aretinus, Erlandus Fesulensis, Asterius Pistoriensis. Comites deinde Adelelmus, Rotbaldus, Gottefredus; et judices Romaniae Stephanus, Theophylactus, Gregorius Omiculator (an nomenculator), Gratianus, Atrianus, Theodorus, Leo Crescentius, Benedictus, Joannes, Anastasius, et judices augusti Aquilinus, Farimundus, Vivenejus, qui et Boderadus stabilis, et Stadelbertus; et notarii sacri palatii Petrus, Sichardus, Tentelinus; tandemque Winigildus, Anbertus, Supo, itemque Winigildus, et alii plures.

6. Ibi in omnium praesentiam venerunt Petrus, S. Lucensis ecclesiae episcopus, et Eleazar advocatus, retulitque Petrus, se jam aliquoties imperatoris auxilium Papiae implorasse, ut Camianus locus prope Elsam fluvium aliaque loca a Lamberto Rodelandi filio ecclesiae ademta redderentur. Diem etiam Lucae dictum; sed rem huc usque dilatam. Tum imperator Waltherio vasso et misso suo praecepit, ut episcopum per fustem, quem manibus tenebat, rerum controversarum possessione investiret tantisper, donec Lambertus ad placitum veniat. Simul bannus imperialis promulgatus est, ut qui devestire auderet ecclesiam, is duo mancosorum millia numeraret, dimidium camerae imperatoris, alterum dimidium ecclesiae. *Et ego Thomas notarius d. imperatoris ex ammonitione suprascriptorum missi et judicum scripsi anno imperii domni Ludovici primo, mense Februarii, indict. 4. Ego Odelbertus episcopus judicato interfui, et m. m. subscripsi. Walpertus judex d. imperatoris interfui. Aquilinus judex dom. imp. interfui. Farimundus j. d. i. i. Stabilis j. d. i. i. Stadelbertus judex dom. imp. interfui.*

7. Ludovicus Romae usque in Martium haesit; nam apud Cosmam Arenam Jacobus Buralis in libro de Aretinis episcopis aliud ejus diploma eodem anno, imperii primo, secundo Martii Romae datum, refert. Inde digressus, jam voti compos, Berengarium ubique pepulit; qui, si poetae panegyristae credimus, quartana prohibitus est, quo minus obsisteret. Oportet diuturnam quartanam fuisse: nam Ludovici potestas ultra biennium duravit. Sigonius exulem illum ad Bajoarios confugisse scripsit.

8. Ludovicus interea sine controversia rerum potitus, passim ecclesiis praecepta concessit; Bergomensi quidem rogatu Garibaldi episcopi et Sigifredi s. palatii comitis et Adelelmi comitis dilectorum consiliariorum suorum. *Dat. 10 Kal. Junii anno inc. dom. 901, indict. 4, anno 1 imperante d. Hludovico serenissimo imperatore in Italia. Actum Vercellensi civitate.* Nonantulano monasterio apud Sigonium confirmat a regibus concessa, Aistulfo, Desiderio, Adalgiso; tum a Carolo majore

A. 901. (id est Magno), Ludovico majore (id est Pio), Lothario, Ludovico piissimo (avum maternum intelligit), Carolomanno, Carolo juniore (Calvo an Crasso), Arnulfo, Vidone et Lamberto imperatoribus. *Anno imperii primo, Papiae, Kal. Jul. anno a Christo nongentesimo primo.* Hic Arnulfus inter imperatores computatur, spreto nupero Lambertino apud Romam concilii decreto. Eilulfo etiam Astensi episcopo imperialem curtem Baenne jure proprietario concessit Ludovicus. *Dat. 14.* Jul. a. inc. dom. 901. indict. 4.*

9. Sed in datis diplomatum Ludovici, concessis ecclesiae Comensi apud Ughellum, difficultatem invenio. Nam si Ludovicus III. imperator augustus Lituardo episcopo praeceptum dedit (ubi Sigifredum strenuum marchionem suum vocat), non potuit tale successori ejus Walperto vel Dailberto dare Ludovicus III. rex. Neque enim ab imperiali titulo ad regium rediisset. Berengarium tamen instante autumno nondum Veronam et vicina loca amisisse apparet, quando Vicentino monasterio rogatu Vitalis episcopi res quasdam cum censu, ab antecessore et consobrino suo Karolo imperatore concessas, confirmavit. *Dat. 10. Kal. Sept. ann. inc. D. n. J. C. 901; anno vero d. Berengarii gloriosissimi regis 14. indict. 4. Actum Veronae.*

10. Chronicon breve ex bibliotheca Thuanea t. III. Quercetani habet, anno verbi incarnati 901. Eduardum regem Angliae, Elfredi filium, Edivam filiam dedisse Carolo, filio Ludovici dicti Nihil-fecit, filii Caroli Calvi: sed hoc matrimonium multo serius fuisse contractum, defuncta demum priore conjuge Frideruna, ex iis intelligetur, quae ad a. D. 907. dicemus.

11. Carolo Remis versanti in natali Domini, affuisse Richardum Burgundionem, ex Frodoardo intelligimus. Credibile est, quod Cordemojus conjicit, ducem Herivei ope ad regis amicitiam adductum. Archiepiscopi enim sororem Ermingardam Manassi nuptam fuisse, amico Richardi, et potenti per Burgundiam viro, qui Cabillonenses et Divionenses regeret, et fratrem unum Ragenarium Antissiodorensium comitem, alterum Walonem Augustodunensium episcopum, haberet. Sed quod regi jam tum cum Roberto Odonis fratre simultates fuisse putat idem Cordemojus, non admitto, si vera sunt diplomata, quae ex tabulario S. Martini Turonensis Buccetius producit in opere de origine regiae Francorum stirpis. Uno rex Robertum, Odonis regis germanum, venerabilem virum vocat, et S. Martini abbatem, *2. Kal. Maji ind. 5, anno regni undecimo;* altero iisdem eundem elogiis ornat *5. Kal. Jul. indict. 7. anno regni 27, redintegrante 22.* (id est a morte Odonis); *largiore vero indepta haereditate* (id est a Lotharingia occupata) *septimo* (id est, a. D. 919). Ex quibus intelligimus, Robertum sero admodum, nec nisi a. D. 920, proceribus Haganonis favore offensis, in Carolum surrexisse.

12. In Belgica Stephanus comes, frater Walonis, is qui nuper cum Zuentiboldo confluxerat, et qui antea Megingaudi necem, Albrico occiso, vindicarat, nocte per fenestram cubiculi sagitta venenata vulneratus, interiit. At in Germania nostra nihil fere memoratu dignum occurrit; usque adeo historia sterilescit defectu scriptorum. Hermannus Contractus no-

*) forte Kal.? **) In Editione Leibnitii in margine.

tavit Moymirum Moravum cum Isanrico in Ludovici fidem venisse. Consentit, quod hoc eodem anno ab eodem scriptore Ungari et a Moravis et a Carantanis clade affecti traduntur. Posterius quidam in annum sequentem differunt. A. 901.

13. Annalista Fuldensis hoc anno, ad Freherianam editionem a nobis adiecto, et opus, quantum constat, finiente, habet, generale placitum Ratisbonae actum; ibi legatos Moravorum pacem impetrasse, juramento firmatam; Richarium episcopum et Waldaricum comitem vicissim missos ad Moravos juramenta ab eorum duce et primatibus accepisse. Interea Ungaros Carantanum vastasse; regem vero per Allemannos rerum constituendarum causa in Franciam proficiscentem, pascha in itinere celebrasse.

ANNO CHRISTI 902.

Ludovicus imperator episcopos sibi beneficiis conciliat. — Papiae Cremonensi episcopo privilegium dat. Veronam occupat. Amicis praedia distribuit. — Ludovicus Veronae a Berengario capitur, et excoecatus dimittitur. Inde Berengarius iterum rerum potitur. — Saraceni Italiam infestant. Obit Ibrahim rex Saracenorum Africae. Succedit ei Almahdius califa. — Ungari a Berengario pecunia placati. In Carentanis aut Bajoaria caeduntur. — Discordia inter familias Francicas Babebergensem et Wedderaviam in bellum erumpit. — Conradi Wedderavii magna auteritas. Fratres ipsius. — Babebergensium comitum cognatio cum familia Saxonica. — Praelia et occisiones inter utramque familiam. — Conradus et Gebehardus apud Ludovicum regem potentes. Ludovicus hoc anno in regno Lotharingiae fuit. — Diploma Trevirensi archiepiscopo concessum a Ludovico rege. — Privilegium liberae electionis Halberstadensi ecclesiae in conventu Triburiensi concessum. Drogo episcopus Mindensis obit, succedit Adelbertus. — Balduinus abbatias S. Vedasti et S. Bertini a rege impetrat. Pictaviensia. — Disquisitio de origine familiae Gibellinae. Conradus I. et II. una ex gente orti, unde et quidam Franciae et Alemanniae duces. Quis Conradi I. pater, olim dubitatum. — Locus Eckehardi Sangallensis, unde pater fratrum Wedderaviorum detegitur. — Werinherus sive Warinarius Franciae administrator ad familiam Wedderaviam Adelbertinae inimicam pertinet. Conradus rex se a Warino tempore Pipini et Caroli M. claro descendere confitetur. — Warinus ille et Werinharius dictus est. Bona etiam habuit in iisdem locis, in quibus Conradi reges allodia possedere. — Warinus ille S. Othmari vexator, unde Conradus rex descendit, fuit princeps Francus et fundator monasterii Herbacensis. — Ejus pater et filius. Bona habuere omnes circa monasterium Laurishamense. — Ex eadem familia videtur et Fastrada Caroli M. uxor fuisse. — Beringarius, Uto et Werinharius, sorore Ernesti principis nati, videntur Warini majoris nepotes, et Werinharius stirpem propagasse. — Hujus Werinharii uxor secunda fuit Uta, postea Arnulfo nupta, unde filium habuit Conradum comitem, Conradi regis patrem. — Praecedentia in tabulam rediguntur.

1. Ludovicus Bosonides in Italia sese augustum ferens, Berengarium toto jam regno expulerat, episcopos sibi concilians beneficiis. Sane concessisse scribitur Egilulfo Astensi cortem regiam, castellum, plebem de Baennis cum agro per jugera centena millia; integrumque comitatum Bredolensem inter Tanagrum et Sturiam, cum omni regione curtibusque publicis. Quod factum *14. Jul. 901. anno 1. imperante d. Hludovico glorioso imp.*, id est anno superiore, ex tabulis apparet. Sed errorem temporis notationi inesse oportet. Tunc enim nondum imperator, sed A. 902.

A. 902. rex erat. Quod si rem gestam in hunc annum transferimus, et annum Domini et indictionem mutare oportet. Ughellus addit, eandem donationem 5. Kal. Mart. a. D. 902, anno imperii secundo confirmatam. Sed magnitudo doni suspectum facit utrumque diploma, cum etiam Arnulfus cancellarius relegisse dicatur, nullo archicancellario nominato.

2. Aliud privilegium vidit Sigonius, quod 4. Id. Maji anno regni secundo, Christi 902. Papiae dedit. Cuinam non addit; sed Landoni, Cremonensium episcopo concessum, ex Ughello intelligitur, indict. 5. anno secundo, non regni, sed imperii. Inde Veronam movit, et cedente Berengario urbem obtinuit. Ibi quasi nullo jam hoste securus agere coepit, et praedia exulum inter suos distribuit, si poetae credimus; cum etiam extinctum Berengarium rumor tulisset, quem morbo laborare constabat.

Interea Ludovicus ovat, regnumque fatigat
Fastibus, ac tantos sibimet blanditur honores,
Hoste velut caeso spoliis potiatur opimis.
Infaustus Veronae etiam contendit ad arcem
More pii regis; simul ut subsedit apertis
Moenibus, antiquos sociis disterminat agros.

3. Urbem Athesis bisecat; laeva civitatis pars in collem assurgit, cujus in summo basilica S. Petri sita est. Ibi tanquam munito in loco et amoeno Ludovicus degebat, exercitu dimisso; quod Adelardi episcopi suasu factum, Regino tradit: cum Berengarius in omnia intentus, sive ex morbo recreatus, sive ab amicis rei bene gerendae admonitus, advolat occulte, et collecta suorum manu, a consciis noctu in urbem admittitur. Hostium ea negligentia erat, ut pontem incustoditum repererit, qui utramque urbis partem connectit. Itaque primo diluculo Ludovicum nihil minus cogitantem invadit; qui fugiens, aedis sacrae latebris extrahitur luminibusque orbatur. Tum quasi jam innocuus dimittitur; quibus conditionibus non constat. Ita infelix juvenis suam, vel potius maternam ambitionem tristi rerum exitu luit. Multos deinde annos vitae domi exegit, in annum seculi trigesimum tertium productae, quod ex diplomatibus Viennensibus Chorierius notavit, inani imperatoris nomine retento. Itaque miror, nuperrimo historiae Gallicae scriptori, doctissimo viro, dolore cruciatus extinctum visum, quasi postea non memoratum. Chartam Cluniaci visam Vignierius refert, sub Odone abbate datam a. D. 929, in qua mentio filii Rudolfi. Sed notior est alias filius Carolus Constantinus, qui principatu Viennensi contentus fuit, memoratus Frodoardi chronico ad a. D. 931. Invito et absente Berengario lumen ademtum scripsit poeta; simul Joannem quendam Veronensem turri, cui insederat, extractum et morte multatum.

Convaluit quia regnator tamen, undique lecti
Conveniunt proceres laeti, vexillaque castris
Praeperiunt, celeresque Athesis sub moenia tendunt
. . . .
Talibus adveniunt urbem, muroque propinquant.
Hicut admissi penetrant miserabile templum,

Quo Ludovicus erat: subito rapiuntque ligantque, A. 902.
Et pulchros adimunt oculos . . . .
Tu ponens etiam curtum femorale Johannes
Alta tenes turris, si forte extendere vitam
Sis potis: hinc traheris tamen ad discrimina mortis,
Et miser in patria nudus truncaris arena.

Burgundos deinde vel Provinciales, intellecto casu, fugientes describit, insistentemque iis Alpicolam Adelbertum. Sed Luitprandus jussu praesentis increpantisque Berengarii Ludovicum caecatum scribit. Haec media aestate* facta apparet. Vignierius bibliothecae historicae autor, nescio unde, habet, infortunium Ludovici die 21. Julii contigisse. Regino mutationem mensi Augusto ascribit. Sane 7. Id. Aug. Berengarius jam Papiam urbem regiam tenuit. Nam legitur praeceptum, ea die Gotifredo episcopo Mutinensi datum, anno Dom. 902, regni decimo quinto, apud Ughellum.

4. Interea ulteriorem Italiam Saraceni ex Africa lacerabant. Luitprandus eos per Samnium, Apuliam, Calabriam ita invaluisse scribit, ut pene medias urbes habitatoribus implerent. Captivos et thesauros in Gariliano servabant; ex ea munitione infestabant vias, ut nemo ab occasu aut arcturo Romam peregrinus tuto veniret, nisi transeundi libertatem redemisset. Lupus protospatharius in chronico scripsit, Ibrahimum regem Saracenorum Africae in Calabriam descendisse; et cum Cosentiam adisset, apud aedem S. Pancratii fulgure percussum. At Ismael Abulfeda, Hamae in Syria princeps, notante Pagio, vult dysenteria extinctum in Sicilia hoc anno, mense Octobri. Ultimus Aglabidarum regum fuit, qui inde a seculo Africae imperarant. Successit Almahdius, qui se ex Fatima Mahometis filia exortum ferens, califae nomen sumsit. Citerior Italia a Saracenis ex Fraxineto infestabatur.

5. Ungaros iterum imminentes Berengarius pecunia placavit; nam suis parum fidebat. Carentaniam invadentes, commisso in sabbato paschatis praelio, a nostris caesos tradunt abbas Urspergensis, annales veteres manuscripti, quos habeo**, et quem edidi, chronographus Saxo. Credibile est, momentum ad victoriam attulisse, quod Moymirus Moravus cum Isanrico profugo regi se submiserant, memorante Hermanno Contracto. At Hepidannus ait, Agarenos a Bajoariis ad prandium vocatos, ibique multos eorum cum rege Chussole occisos. Quos ille Agarenos, chronicon S. Galli rectius Ungaros vocat. Hinc Aventino fides fit, qui Chussolis regis ductu Ungaros ingruisse supra scripsit ad a. D. 892. Obscura est Hepidanni narratio; sed quae suspiciones ingerit Bajoariis parum honorificas. Eo acrius barbari in vindictam postea incubuere, cum nostri non tantum armis, sed et causa inferiores viderentur. Aventinus (vereor, ne ex ingenio) prodit, Chussolem ad Vischam amnem a Luitbeldo marchione praelio victum caesumque; binos ei reges, Dursacum et Bugatum, substitutos, quorum nomina ex Luitprando didicit, et huc accommodavit.

*) aetate *L.* **) Saxonici *corrigit Eck., expunctis verbis:* manuscripti, quos habeo.

A. 902. 6. Exitiabilis nobilissimarum Franciae orientalis familiarum discordia jam tandem in bella caedesque erupit. Illinc Babebergenses fratres Adelbertus, Adalhardus, Henricus, Henrico duce Popponis fratre nati; hinc Wedderavii, Conradus, Gebehardus, Eberhardus stabant, quorum patrem cum nuspiam apud veteres nominatum invenirem, tandem ex Casibus Ekkihardi Sangallensis Wernerum erui*, cum corruptum textum feliciter restituissem. Poppo et Henricus fratres, Carolo Crasso et Arnulfo regnantibus, per Saxoniam et Thuringiam res administrarant. Henricus dux in Normannico bello prope Parisios cecidit; Popponem odiis vicinorum agitatum, Arnulfus a Thuringico ducatu removit, Conrado substituto; qui onus postea in Burcardum deposuit.

7. Conradi magna apud Arnulfum autoritas, major apud Ludovicum Puerum fuit. Cujus erat uterinus frater ex priore Odae imperatricis marito genitus. Sic enim veterum autoritati satisfit, quorum loca afferemus ad a. D. 911. Cum Hattone archiepiscopo, amico, ut apparet, et ejusdem factionis homine, pene tutorem regis agebat, quod etiam diplomatibus innuitur. Neque Ottonis Saxonis similem mentionem invenio, quem plerique, sed posteriores, inter tutores ferunt. Conradus in Wedderavia sedebat; frater Eberhardus Moeni media circa Spetisharticum nemus tenebat; alius frater Gebhardus cum Conrado etiam trans Rhenum potentiam favore aulae extenderat. In cumulum opum Rudolfus quartus frater episcopus Wirciburgensis accedebat, quem a. D. 892. sedere coepisse diximus. Omnes Udone natos Blondellus ex ingenio prodit; qui etiam majores ulteriores nobis annumerans, ad Begonem usque Parisiensium comitem ascendit, Alpaidis Ludovico Pio natae maritum, nullo verisimili argumento. Sed veram originem magnificae gentis, quae tot reges imperatoresque Germaniae dedit, melioribus auspiciis producemus in disquisitione huic anno subjuncta.

8. His aemula gens Babebergensis, de nobilitate, opibus, autoritate contendebat. Rudolfi episcopi superbia, et ut Regino judicat, stolida ferocia collidi aperte coepere. Innectebatur huic factioni etiam Otto dux Saxonum, quem avum maternum juvenum Babebergensium diserte facit Witikindus, cum Adalbertum Ottonis filia natum prodidit, quam annalista meus ineditus** Babam vocat. Sed paulum a veritate declinasse Witikindum, nec patrem, sed fratrem Adalberti, Henricum, Babam in matrimonio habuisse, re curatius inspecta judicandum deprehendi. Quidam castello Babebergensi nomen ab ipsa datum scripsere. Annalistae verba ascribo: *His temporibus Adalbertus magnus heros, cujus pater Heinricus dux, mater Baba dicebatur, idemque sororis filius Heinrici postea regis, nepos vero Ottonis Saxonum ducis, cum fratribus suis contra Conradum insurgens, patrem Conradi postea regis, totum Ludovici regnum inimicitiis turbabat.* Itaque credibile est, Conrados non magis Ottoni duci, quam filio ejus Henrico postea regi amicos fuisse, etsi affectus non eruperint. Itaque aegre illis fidem adhibeo, quae de magna Ottonis apud puerum regem autoritate Saxones autores postea scripsere.

*) eruimus *L.* **) Saxo *corrigit Eckardus.*

9. Maturis ergo odiis, Adalbertus cum Adalhardo et Henrico Babebergensi munitione egressus, in Eberhardum, Gebehardum et Rudolfum contendit. Concurritur acerrime, sed tandem Babebergensium res inferior fuit: Henricus cadit, Adelhardus capitur; sed vicissim Eberhardus multis vulneribus confossus, cum erutus inter cadavera a suis domum relatus esset, post aliquot dies exspiravit. Eo dolore Gebhardus frater efferatus, Adalardum capite truncari jussit. Sed victor praelio, non bello visus est. Nam proximo anno Adelbertus reparatis viribus, Rudolfum Wirceburgo ejicit, res episcopatus vastat diripitque; Eberhardi filios cum matre ex haereditariis praediis regiisque beneficiis trans Speteshartí saltus fugat. Adalardus idem videtur esse cum Adalardo comite, qui Fuldensi monasterio, testibus traditionibus hactenus ineditis, dedit Gremistorf, Hohstete et Ernesteswiniden cum familiis et omnibus appendicibus; quia Gremestorf in ejus vel fratrum ditione fuisse apparebit ex notandis ad annum 905. A. 902.

10. At Conradum cum fratre in aula dominatum, intelligimus ex regis pueri liberalitate in Treviros, quam Conradus et Gebebardus illustres comites suggessisse dicuntur. Hoc solebant diplomata de illis dicere, quorum primaria autoritas erat. Tabulae apud Browerum ita habent, ut sequitur; ex quibus etiam intelligimus, nondum tunc comitatus ecclesiis attributos, sed regii tantum juris habitos: id vero jus comes exercebat. Villam Wadegozzingam, ubi datae sunt, non procul a flumine Sara ostendit Browerus, ubi hodie monasterium Wadgazzum. Unde intelligimus, Ludovicum regem in Lothariense regnum hoc quoque anno venisse, ubi archicancellario usus est Ratbodo Trevirensi.

11. *In n. s. et i. T. Ludovicus d. f. cl. rex . . . Conradus et Geberardus illustres comites nostrae mansuetudini suggessere, nostraeque celsitudinis clementiam poposcere, ut Trevericae civitatis monetam, telonium, censuales, tributum, atque medenam agrorum* (a metiendo dictam credit Browerus) *cum hominibus fiscalibus atque censualibus, et omnibus, quae quondam tempore Weomadi, ejusdem urbis archiepiscopi, de episcopatu abstracta, et in comitatum conversa erant, episcopo nostrae majestatis autoritas restitueret . . . . . . Itaque pro amore Dei et reverentia beati Petri, et dilectione Ratbodi venerabilis archiepiscopi, consensu Wigerici comitis et omnium fidelium, qui praesentes affuere, universa supra scripta . . . . . . de comitatu ad episcopatum convertimus . . . praecipientes, ut haec omnia, sicut comiti solvebant, sic deinceps in potestate maneant pontificis . . . . . Signum domini Ludovici serenissimi regis. Ruadmirus notarius ad vicem Ratbodi archicancellarii recognovit. Data 13. Kal. Oct. a. D. inc. 902. ind. 5, anno vero 3. domini Ludovici gloriosissimi regis. Actum in villa Wadegozzinga. In D. n. f. A.*

12. Ex Halberstadensibus monumentis haberi videtur, Augusto mense conventum procerum Triburiae actum; ibi enim Sigismundum episcopum a rege privilegium liberae electionis clero suo impetrasse, datum die septima mensis Augusti notavit peritus rerum Halberstadensium scriptor Guilielmus Budaeus, tametsi res a Caspare Sagittario in a. D. 909. referatur.

A. 902. Hoc item anno, non medio procul, fastorum nostrorum testimonio Drogo vel, ut ille scribit, Truogo Mindensis episcopus vivere desiit: tametsi Lerbeccio et aliis in annum 904. differatur, qui die S. Bonifacii extinctum scribit. Successit Adelbertus, triennio abhinc morte secutus.

13. In Gallia Balduinus non tantum abbatiam S. Vedasti cum Atrebato a rege recepit, sed et monasterium S. Bertini obtinuit. Ita cum criminibus non tantum impunitas, sed praemium esset, frena potentibus laxata sunt in omne insolentiae genus, precaria propemodum regis autoritate. Ebolus Pictaviensium urbem occupavit, ut ex chronico Malleacensi discimus. Adolescentem interpretor Ranulfi filium. Nam patruus ejus Ebolus abbas jam a. D. 93. obierat, ex necrologio S. Germani. Ademarum ergo expulit, quem alibi potentem, demum Aprili mense a. D. 931. nullis relictis liberis decessisse, Beslius, Pictaviensium rerum diligens scriptor, notavit.

14. Promissa est genealogica disquisitio de vera origine antiquae Gibellinae, vel Wibelingiae gentis, cujus hoc anno fieri mentio coepit, per Franciam orientalem ad Rhenum Moenumque potentis, ex qua Conradus Primus rex Germaniae, et augusti caesares Conradus Salicus filiusque, nepos, pronepos Henrici, prodiere. Memorantur nunc quatuor fratres, tres scilicet comites, Gebhardus, Eberhardus, Conradus, et episcopus Wirceburgensis Rudolfus, cum aemula Babebergensium gente de nobilitate et potentia contendentes. Ex Conrado natus est Conradus Primus, orientalium Francorum rex, post eum qui nunc regnat Ludovicum adolescentem in solium sublatus. Ex Eberhardo natum fuisse Werinerum, patrem Conradi ducis, generi Ottonis Magni, ostendetur suo loco; et ex Conrado duce linea recta masculina ortum Conradum Salicum pronepotem, jam ab aliis contra veterem genealogiam D. Arnolfi, et Guillimannum Blondellumque, quantumvis egregios in hoc studiorum genere viros, evictum est. Gebhardus denique, tertius comitum fratrum, Udones Franciae, Conradum et Herimannos Allemanniae duces sevit. Sed quis horum fratrum pater, proxima quaestio est. Blondellus Udonem nominat, sed nullo adducto sententiae suae argumento, neque alii, quod sciam, aliquid plausibile attulere.

15. At pedum viam ostendit emendatio corrupti apud Ekkihardum loci, in libro de casibus S. Galli, ubi de Hattone I. Moguntino archiepiscopo locutus, ita prosequitur: *Nondum adhuc illo tempore Suevia in ducatum erat redacta, sed fisco regio peculariter parebat, sicut hodie et Francia* (*hodie*, id est temporibus Henrici IV, quibus autor florebat). *Procurabant ambas camerae, quos sic vocabant, nuntii* (id est capitularium stylo, missi dominici, ex quibus aliquoties notavimus renatos duces) *Franciam ad Alpes tum Werinhere* (legendum, ut ex sequentibus clarius patebit: *Franciam Adalbertus, tum Werinhere*, hoc est: *Adalbertus et Wernerus*) *Sueviam autem Pertolt et Erchinger fratres, quorum utrorumque ditioni multa subtracta sunt per munificentias regias in utrosque episcopos* (Franciae scilicet Sueviaeque. Nimirum paulatim provinciarum rectores sua putabant, aut sibi subtrahi, quae administrationis officio ex

beneficio regum tenebant). *Surgunt inde invidiae et odia utrorumque in ambos, praeter scelera, quae in reges ipsos machinati sunt. Hattonem Franci illi saepe perdere moliti sunt, sed astutia hominis in falsam regis gratiam suasi* (id est gratiae regiae specie decepti), *qualiter ad Alpes* (Adalbertus) *fraude ejus de urbe Pabinberk detractus capite sit plexus; alter enim* (Werinherus scilicet) *morbo obierat, quoniam vulgo concinnatur et canitur, scribere supersedeo.* Narrat deinde, quomodo similem ob causam Pertoldus et Erchingerus simultates exercuerint cum Salomone episcopo Constantiensi; quae prosequi nunc nihil attinet. Illud hinc discimus, duos primarios tunc Franciae rectores fuisse, Wernerum et Adalbertum; ambos Hattoni Moguntino parum amicos, sed Wernerum morbo, Adelbertum supplicio periisse, quanquam revera dicendum sit, Wernerum non tam ipsi Adalberto ejusque fratribus, quam eorum patri Henrico contemporaneum fuisse; neque Ekkihardus est accuratus admodum temporum aestimator. A. 902.

16. Hinc facile intelligitur, cum duae primariae familiae in Francia tunc eminerent, ut constat ex Reginone, Werinerum ad diversam ab Adalbertina eique aemulam pertinuisse, et morbo extinctum filios haeredes potentiae atque aemulos Adalberti fratrumque reliquisse; nam Werineri vel Warinarii nomen in familia frequentatum est. Conradus Primus rex Warinum comitem Pipini regis primi Magnique Caroli temporibus potentem inter majores suos numeravit, quemadmodum intelligitur ex alio mox Ekkihardi loco, ubi sic de Conrade rege: *Ingreditur tandem oratorium B. Othmari autoritate Romana in sanctum levati, nam parentes ejus erant, qui eum vexaverant; seque reum, quasi ipse interfuisset factis, ad aram reddidit, palliisque auro et argento sanctum placavit.* Erat delicatum et elegans benefaciendi genus, quod in debiti speciem vertebatur: Itali finezzam vocarent. Caeterum facile intelligitur de Warino potissimum sermonem esse, odiis Othmari celebrato.

17. Warinum autem illum etiam Werinarium dictum idemque revera utrumque nomen habitum, ex autorum testimoniis constat, simulque Warinum in iisdem locis, ubi semper Conradi familia eminuit, circa Wormatiam Spiramque patrimoniales ditiones habuisse, etsi in Suevia praefecturam acceperit; quae statim ostendentur. Nec minus Werneri nomen in posteris usurpatum est, nam Wernerum Conradi ducis patrem, Conradi Salici augusti abavum ex eadem cum Conrado I. familia fuisse, imo ejus patruelem, Eberhardo Conradi regis patruo natum, atque adeo avo Wernero cognominem, suo loco comprobabitur.

18. Et vero ipse Ekkihardus paulo ante (praecedente pagina) nomina vexatorum S. Othmari expresserat, vocaratque Werinherum et Ruothartum comites, quos Walafridus Strabus in vita S. Othmari c. 4. *Warinum et Ruadhardum, qui tunc temporis,* inquit, *totius Alamanniae curam administrabant.* Et in Goldasti Allamannicis tomo II. n. 43. charta habetur data sub Warino comite, anno decimo Pipini regis. Mortem ejus Hermannus Contractus refert in a. D. 759. Floruit jam sub Carolo Martello, qui, cum Allemannos vel Suevos rebellantes vicisset, Luitfridum

A. 902. ducem et Thietpaldum ejus filium occidisset vel pepulisset, ut ex Francorum annalibus et Hepidanno intelligi potest, provinciam Francis praefectis regendam commisit. Ex his Warinus, quantum Othmaro adversus, tantum Pirminio favens fuit, et quantum a Sangallensibus culpatur, tantum ab Horbacensibus laudatur; eademque familia quantum in S. Gallo adversarium, tantum in S. Pirminio patronum apud superos habuit:

Saepe premente Deo, fert Deus alter opem.

Warinus enim vel Werinerus ex bonis, quae in Alsatia habuit, S. Pirminio Caroli Martelli temporibus concessit locum praediaque ad condendum Horbacense coenobium, quod etiam a S. Pirminio cognominatur, qui illic sepulturam habuit. Et de eo Warmannus in vita S. Pirminii c. 15. ait, fuisse virum quendam Werinherum, alta Francorum nobilitate propagatum, qui scilicet adjurit multaque in Vogeso obtulerit, ubi hodie Pirmineshusa.

19. Originem etiam et posteros hujus Warini videtur indicare vetus charta apud Freherum in originibus Palatinis, marcam villae Heppenheim describens. *Hanc*, inquit, *villam cum sylva habuerunt in beneficio Wagenlenzo comes pater Warini, et post eum Warinus comes filius ejus in ministerio habuit ad opus regis, et post eum Bangolfus comes, donec eam Carolus rex S. Nazario* (Laurishamensi) *tradidit.* Videntur designari Wegenlenzo, Warinus pater et Warinus filius, quia subjicitur *istum Warinum ex praecepto Caroli regis anno 27. regni ejus* (Christi 794.) *mediante mense Augusto, placitum in eadem sylva habuisse ad tumulum, qui dicitur Walinehoug*, et ex illustrium virorum judicio pronuntiasse, quod de Warino patre, dudum utique defuncto, intelligi non potest. Sane ne quis diversos hos Warinos a magno aut ejus familia putet, juvat, quod Warinum illum magnum etiam in vicinia Laurishamensium potentem fuisse, et rebus eorum intervenisse ex chronico loci intelligitur, quando corpore S. Nazarii allato, obviam fuere nobilissimi comites Cancor et Warinus, caeterique locorum illustres et spectabiles viri.


20. Potuit ex familia, et frater magni Warini esse Rudolfus comes, pater Fastradae Carolo M. nuptae, quae a. D. 794. obiit, nam ex orientalibus Francis fuit, ut habent Eginhardus et annales Eginhardo adjuncti, et circa Wormatiam sedes habuisse, ex eo colligas, quod ibi nuptiae celebratae sunt a. D. 783. vel 784. et Carolus eam Wormatiae invenit a. D. 787. Rudolfi autem nomen in hac familia usurpatur.

21. Porro ad Warini magni posteros merito referas Werinharium et, quantum intelligi potest, ejus fratres Utonem et Berengarium in annalibus Fuldensibus ad a. D. 866. memoratos: nam et Udonis nomen in hac familia frequens fuit. Fuere nati ex sorore Ernesti summatis viri socero Carlomanni, qui favore Ludovici Germanici graduque excidit, quod Carlomannum contra patrem regem stimulasse diceretur, ut iidem indicant annales, pariterque et Bertiniani ad a. D. 861. Horum fratrum patrem Warini vel Warinarii II. filium vel ex filio nepotem fuisse, temporum ratio admittit. Tomo secundo chartularii nostri Fuldensis occurrunt Warinus et uxor ejus Frideruna, quos commode inter Warinum Carolo M. contemporaneum et fratres Warinum atque Utonem, sub Ludovico Germano

florentes, interponas. Et cum Uto et Berengarius privati honoribus in Galliam fugisse, Werinharius in suae proprietatis praediis mansisse dicatur, huic propagationem stirpis commode ascribemus. A. 902.

22. Nec video, quid vetet, hunc illum esse Werinarium Ekkihardo Sangallensi memoratum, quem fratrum cum Adalberti fratribus collisorum patrem esse judicamus. Nam Arnulfus, ut jam ostendemus, Utam ejus viduam duxit, et ex ea Ludovicum regem genuit, qui extincto patre a. D. 899. circiter septennis ad regnum pervenit. Ergo Uta circa a. D. 891.* ducta est, et Werinarium circa a. D. 890, aut etiam prius, vita functum oportet. Et fuit Uta secunda Werinarii uxor, ex qua natus est Conradus comes, regis Conradi pater; ex alia vero priore Gebhardus et Eberhardus nati sunt; idque ex eo colligo, quod Ludovicus rex, Arnulfi augusti filius, Conradi filium, Conradum postea regem, nepotem suum vocat ex fratre scilicet suo uterino natum, at Gebhardi atque Eberhardi filios in praeceptis suis, etiam cum nominat, nullo cognationis honore designat. Quid ergo prohibet juvenem circa a. D. 860. florentem circiter triginta post annis adhuc vixisse?

23. Sed res in tabula oculis subjicienda est:



*) 991. L.

ANNO CHRISTI 903.

Benedictus IV. hoc anno obit. Ejus elogium ex Frodoardo. — Ejus epitaphium. — Successit Leo V. a Christophoro dejectus. — Christophori papae privilegium pro Corbeja vetere. Is Ludovicum adhuc imperatorem cum aliis agnoscit. — Pergamensis episcopus petit a Berengario, ut liceat munimenta ab Arnulfo dejecta reficere propter incursiones Ungarorum. — Berengarius munimenta juraque sua in Pergamum episcopo loci donat, privilegiaque alia ei confirmat. — Bergomensi episcopo potestatem dat Ticinensi muro aedificium imponendi. Bobiense monasterium in suam tutelam recipit. — Berengarii capitulare de arimannis. Anni regni Berengarii et imperii Ludovici. — Concertationes comitis Adalberti Babebergensis cum Wedderaviis. Franco Tungrensis episcopus obit. Adalbertus comes Turgoviensis. — Walbertus episcopus Hildeshemensis obit. — Walbertus Christina defuncta Roswidam Gandeshemensem abbatissam ordinavit. Ea eruditione excelluit. Walberto substitutus Sehardus. — Chronologia episcoporum Hildeshemensium et abbatissarum Gandeshemensium hujus temporis recte constituta. — Normanni Galliam infestant. — Baronii et Labbei errores chronologici circa haec tempora.

A. 903. 1. Benedictum IV. Augusto mense anni Dom. 900: sedere coepisse, supra ostensum. Sedisse annos tres solidos et menses binos, catalogi quidam habent, et Ricobaldus, quibus rerum ordo conspirat. Itaque Octobri hujus anni obierit. Virtutes ejus etiam Frodoardus, longinquus neque adulationis suspectus, in carmine commendat:

Tum sacra consurgunt Benedicti regmina quarti
Pontificis magni, merito qui nomine tali
Enituit cunctis, ut dapsilis atque benignus.
Huic generis nec non pietatis splendor opimus
Ornat opus cunctum; meditatur jussa Tonantis.
Praetulit hic generale bonum lucro speciali.
Despectas viduas, inopes, vacuosque patronis
Assidua ut natos proprios bonitate fovebat:
Mercatusque polum indignis sua cuncta refudit.

2. Easdem laudes, et subinde iisdem verbis olim in epitaphio ejus Vaticano Manlius legit: usque adeo, ut versus quidam utrobique occurrat, Frodoardusque ex elegiaco heroicum facere voluisse videatur. Epitaphium ita habet:

Membra Benedicti hic quarti sacra quiescunt
Pontificis magni, praesulis eximii.
Qui merito dignus Benedictus nomine dictus,
Cum fuerit largus omnibus atque bonus.
Huic generis decus et pietatis splendor opimus
Ornat opus cunctum. Jussa Dei meditans,
Praetulit hic generale bonum lucro speciali,
Mercatus coelum, cuncta sua tribuit.
Despectas viduas nec non inopesque pupillos
Ut natos proprios assidue revovens.
Inspector tumuli compuncto dicito corde
Cum Christo regnes, o Benedicte, Deo.

3. Successit Leo V, de quo ita Frodoardus: A. 903.

Post quem celsa subit Leo jura, nolamine quintus;
Emigrat, ante suum quam luna bis impleat orbem.

Sic et Hermannus Contractus, sedisse mensibus fere duobus. Quadraginta illi dies tribuunt annalista meus et Martinus Polonus, et Ricobaldus. Apud Sigebertum habentur triginta; sed Albericus exscriptor in eo legit quadraginta, qui presbyterum forensem vocat. Nempe post quadraginta dies ab ordinatione pontificia, a Christophoro presbytero suo dejectus, et in carcerem trusus est: nec diu supervixit, aegritudine, an oblata morte, haud constat. Christophorum Marianus Scotus presbyterum cardinalem titulo Damasi facit. Sed non diu tenuit sedem, et in monasterium detrusus est.

4. Extat in conciliorum tomis privilegium, a Christophoro sub anni finem monasterio Corbejae ad Somam concessum, cujus subscriptio est: *Scriptum per manum Sergii scriniarii sanctae Romanae ecclesiae in mense Decembri indictione 7.* (sic legendum) *septimo Kal. Januar. imperante domno nostro piissimo augusto Ludovico a Deo coronato imperatore sanctissimo. Valete.* Unde intelligas, Ludovico calamitatem jus imperii apud Romanos non statim ademisse visam: eademque observatio adhuc sub Sergio duravit. Rubeus enim historicus Ravennas tabulas vidit Johannis archiepiscopi, scriptas *anno Ludovici caesaris quarto* (legendum quinto, Pagius notat), *Sergii secundo, indictione octava Idibus Julii.* Itaque et exarchatus Ravennae diu Berengarium respuit.

5. Ille interim in citeriore Longobardia rerum potiebatur, nec tantum episcopi ad eum transierant, sed et Sigefridus palatii comes, quem magnae apud Ludovicum autoritatis fuisse ex praeceptis intelleximus. Itaque 9. Kal. Junii cum Berengarius Modoetiae esset, adiere eum Hildegarius venerabilis episcopus et Sigefredus gloriosus sacri palatii comes, quos dilectos consiliarios suos vocat; et pro Adalberto reverendo Pergamensis ecclesiae episcopo petiere, ut urbem Pergamum, hostili quadam impugnatione devictam, unde nunc maxima saevorum Ungarorum incursione, et ingenti comitum ministrorumque oppressione turbetur, munire liceret, turribus murisque refectis. Nempe urbem nudatam munimentis apparet, cum ab Arnulfo augusto caperetur. Ex eo Ungarorum aliorumque exposita rapinae, jacebat.

6. Addit Berengarius, muros, turres, portas urbis studio episcopi et civium reparatas, in posterum in potestate et tutela ecclesiae, S. Alexandri et episcopi fore, ita ut omnia ad jus et dominium ecclesiae pertineant. Ita urbs juri comitum, id est fisco regio, adempta, episcopo cessit. Simul confirmantur, quae antiqui imperatores et reges, imperatrices quoque et reginae Romanorum et Longobardorum seu Francorum, aliique Deum timentes ecclesiae concessere. Interdicitur etiam, ne quid comes, vicecomes, vel publicae partis judex aut gastaldio, aut quivis rei publicae procurator intra urbem aut in caeteris ecclesiae possessionibus audeant; ne ibi ad causas audiendas conventum instituat, ne freda, mansionaticum, paratas, parafredos, fidejussores exigat, ne incolas urbis aut homines,

A. 903. tam ingenuos aut libellarios (id est scripto manumissos), quam servos, in possessionibus vel mansionibus ecclesiae versantes, potestative distringat, nec ullas publicas arbustarias aut redhibitiones, aut angarias imponat. *Signum domini Berengarii serenissimi regis. Ambrosius cancellarius ad vicem Ardingi archicancellarii recognovi. Data 9. Kal. Junii a. d. inc. 903.* (an potius 904.) *Berengarii regis 17. indict. 7. Actum Moedītiae in D. n. f. A.* Intelligitur ex his et similibus concessionibus regum, urbes episcopis transcriptas, passim hoc velut primo gradu usas ad libertatem.

7. Berengarius etiam cum in Cruciano esset, Kal. Sept. Bergomensi episcopo concessit, ut muro civitatis Ticinensis aedificium imponere posset, ad perticas legitimas duodecim; quia cives Ticini mansiones et solarium, quod ibi habebat Bergomensis ecclesia, destruxerant, et murum civitatis in ejus fundo aedificarant, ut urbem contra Ungaros munirent. Idem 3. Id. Sept. in curte sua Fulcia, intercedente conjuge Bertila, Bobiense monasterium in suam tutelam recepit. Similia eidem monasterio 14. Kal. Nov. in Papia palatio Ticinensi concessit.

8. Goldastus, nescio unde, habet, Berengarium in conventu optimatum Ticinensi a. D. 903. capitulare condidisse, ubi caveatur, ne arimannos comes suis in beneficium tribuat, quod supra et Lambertus constituerat. De arimannis sive harimannis, quibus solis jus armorum et in haro vel exercitu inter ingenuos locus, nempe hominibus liberis seu, ut postea appellabantur, generis militaris, aliquoties dictum est. In Tuscia anno superiore secundus imperii Ludovici numerabatur; at principio hujus decimus sextus regni Berengarii numerari coepit, notante Florentino.

9. In Germania aliquid memorabile actum non reperio, nisi quod de Adelberto anno superiore praeoccupavimus; Eberhardi liberos ab eo pulsos. Ex iis memorabitur Conradus comes Eberhardi filius ad a. D. 909. Annalista noster ineditus * ad hunc annum refert, quod Luitprandus habet, Adelbertum fortissimum heroa, cum a regio exercitu in castello Babebergensi obsideretur, inprovisum erupisse, hostesque fugasse. Franco Tungrorum episcopus, doctrina et rerum usu clarus, obiit. Ei ex Metensi clero Stephanus, moribus et scientia laudatus, successor datur apud Sigebertum et Leodiensis chronici autorem. Adalbertum comitem in Turgovia superiore, ubi Abbatis-Cellenses, observes ex praestaria apud Goldastum facta *die Martis 4. Non. Octob. sub potestiva manu Hludovici regis et pueri et sub Adalberto comite.*

10. Hoc anno Walbertus, autore necrologo Fuldensi (etsi Hildeshemenses scriptores dissentiant), decessit episcopus Hildeshemensis, ex Corbejensi monasterio sub Adalgario abbate olim sumtus, ut habet vetus index fratrum; quod etiam Trithemius lib. 4. de viris illustribus ordinis Benedictini notavit. Laudatur ab Eggehardo Uragiensi in chronico episcoporum Hildesiensium, quod consilium antecessoris executus, praeposituram et praebendam canonicis constituit. Addit autor chronici, a mo-

*) Saxo corr. Eckardus.

nacho Marierodensi conscripti, tomo 2. scriptorum Brunsvicensia illustrantium editi, canonicos tunc in veste monachica sub Benedictina professione conjunctim victitasse, quod diu duravit. A. 903.

11. Idem, Christina, Ludolfi et Odae filia, tertia Gandeshemensium post sorores abbatissa defuncta, Roswidam abbatissam ordinavit, quam nobilissimi generis et cognatam prioribus fundatoris filiabus, fuisse verisimile est, quando illis prima successit. Chronicon quoddam Hildeshemense vernaculum ex principibus ortam tradit. Laudatur a doctrina, sed severiore; nam et de logica arte scripsisse fertur. Credibile est, alteram Roswitam, ejusdam monasterii sanctimonialem, propinquam ei fuisse, et ab ipsa ascitam atque educatam; sed quae sese ad humaniora studia vertit, poesique ultra sexum et seculum excelluit. Walberto successit Sehardus vel Sigehardus, quem nonnulli etiam monachum S. Benedicti fuisse scribunt.

12. Roswita poetria, necrologo juncta, nobis viam ostendit episcoporum Hildeshemensium et abbatissarum Gandeshemensium tempora, apud scriptores mire turbata, nunc recte digerendi. Nam Ottonis ducis obitum necrologium in a. D. 912. conjicit, cui Ditmarus diem addit ultimum Novembris. Roswita nos docet Ottonem Magnum octavo ante die natum et septimo post mense Odam ducissam defunctam; Christinam non ultra sexennium matri supervixisse: itaque in hunc annum ejus decessum incidisse oportet. Walbertus autem, Christina defuncta, Roswitam abbatissam consecravit, quod Ekkehardus historicus Hildeshemensis, ejusque verbis annalista Saxo memorant. Ita etiam necrologus consentit sibi, nec suspicio est, de alio eum Walberto loqui. At scriptores Hildeshemenses recentiores (nam veteribus annus siletur), immani errore sedecim annorum, Walberti mortem referunt in a. D. 903. Et Gandeshemenses non minus peccant Christinae obitum a. D. 903. vel 904. ascribentes, ne Leukfeldio quidem excepto, qui tamen Roswita uti poterat. Unus catalogus abbatissarum apud eundem relatus (antiquus, ut vel hinc apparet) verum annum assignavit.

13. In Gallia Normanni recruduere. Chronicon breve Quercetani habet, Hericum et Baretum regulos basilicam S. Martini Turonensem et 28 alias aedes sacras succendisse. Labbeus ad chronicon Turonense atque Andegavense provocat. Haec fere de hoc anno suppeditant boni autores, historia mire sterilescente.

14. Baronii annales circa haec tempora ita perturbati sunt, ut toti reconcinnandi videantur. Deerant illi scilicet monumenta, quae dies pretulit, quorum ope tempora digessimus. Ludovici Bosonidis excaecationem nunc demum memorat cardinalis, quod utcunque tolerabile videri possit: sed illud minime, quod non tantum Johanni IX. pontifici in annum 905, sed et Lamberto imperatori in annum usque Domini 910. vitam producit. Ipse etiam Labbeus, caetera praestantissimus chronologus, circa haec tempora haesit. Sigonius caeteris propius ad veritatem hoc loco accessit.

ANNO CHRISTI 904.

Christophorus papa throno dejicitur a Sergio. — Errores Luitprandi circa Sergii pontificatum. — Sergius e septenni exilio ad pontificatum venit. — Johanni IX. cessit Sergius, non Formoso; quem tamen et amicos ejusdem odio prosecutus est. — Initium pontificatus Sergii III. ab hoc anno diplomatibus et monumentis coaevis firmatur. — Berengarius rex in citeriore Italia jura dat. — Slavi Saxonibus infesti. Asseburgum conditum. Adalbertus episcopus Augustanus claret. — Ludovici Bosonidis imperatoris diploma Viennae datum: in quo Hugo, postea Italiae rex, ejus propinquus vocatur.

A. 904. 1. Christophorum non ultra septem menses sedem Romanam tenuisse, scribitur annalistae meo, Alberico item et Martino Polono et Ricobaldo; quibus conspirat vicinior tempori Frodoardus his versibus:

Christophorus mox sortitus moderamina sedis
Dimidio ulteriusque parum dispensat in anno.

Fortasse ergo mendum est in Hermanno Contracto, qui nonnisi quatuor ei menses largitur; nec Sigonio credendum, qui 9. Kal. Januar. dejectum comprehensumque prodidit; an Junii dicere debuit? Certe Idibus Junii jam sedisse Sergium, ex Ravennati documento colligitur, quod Rubeus praebet. Albericus notat, zelo fidelium depositum invasorem, et in monasterium detrusum. Unico versu epitaphium ejus, a Manlio ex lapidibus descriptum, absolvebatur:

Hic pia Christophori requiescunt membra sepulti.

Apparet, talionem passum Sergii violentia, quem Sigonius ope Adelberti marchionis Tusciae pontificatum invasisse scribit. Et vero pene perpetuum rerum Romanarum arbitrum facit hunc marchionem; cujus ego rei in veteribus indicia nulla reperio. Confudit Tusculanos Albericos cum Tuscis Adelbertis. Sed et Tusculani illi serius sese huc erexere. Denique Sergium ter papatus invasorem, tertia vice demum successum habuisse refert, dum Luitprandi fabulis veras aliorum narrationes connectit.

2. Sergium sane Formosi aemulum, praevalente adversarii factione pulsum, hoc extincto, ope Adalberti marchionis sedem tenuisse, Luitprandus scripsit, et effossum Formosi cadaver in judicium adduxisse. Ubi illud quidem manifeste falsum est, quod Formoso Sergium sufficit pro Stephano, quem constat in praedecessoris cadaver saevisse. Sed in eo etiam deceptum Luitprandum, quod Sergium cum Formoso de pontificatu certasse prodidit, mox patebit. Nec minus vana sunt Adelberti auxilia. Stephani electioni mistum Adalbertum, nuspiam apparet; nec Tusci, sed Spoletini duces tunc Roma potiebantur, imperiali etiam nomine sumto. Nec Wido aut Lambertus Formoso adversi fuere, quod Luitprandus et Sigonius sibi persuadent; alia omnia docente Fulcone Remensi, Widonis cognato, Formosi amico apud Frodoardum: nam quod Formosus Arnulfum coronavit, superioris potentiae metu excusatum est. Sergium etiam ab Arnulfo tunc Roma expulsum, ex Sigonii ingenio est.

3. Stephano post brevem Constantini et Theodori sedem successerat Johannes nonus, qui, non invito Lamberto imperatore, Formosi memoriam absolvit. Sergium quendam presbyterum Romanae ecclesiae tunc cum

aliis damnatum, discimus ex synodi verbis. Hunc contra Johannem pontificatum affectasse, constat ex Frodoardo epitaphioque. Nam Frodoardus de eo jam in Johanne: A. 904.

Pellitur electus patria tunc Sergius urbe.

Ergo jam nunc tandem Sergii III. nomine post septenne exilium ad pontificatum pervenit. Etiam Joh. diaconus libro de Lateranensi ecclesia annes Sergium presbyterum ab exilio vocatum ad regimen, scripsit. Sed clarissime Frodoardus, cum ejus res in carmine pontificali attingit his verbis:

Sergius inde redit, dudum qui lectus, ad arcem
Culminis, exilio tulerat rapiente repulsam,
Quo profugus latuit septem volventibus annis.
Hinc populi rediens precibus, sacratur honore
Dudum assignato, quo nomine tertius exit
Antistes: Petri eximia quo sede recepto
Praesule, gaudet ovans annis septem amplius orbis.

4. Si verum est, nonnisi septem annis exilium pertulisse, non Formoso, sed Johanni IX. cessit. Itaque satis verisimile est, more suo fabulatum Luitprandum, qui Sergium Formoso antipapam succumbentemque nobis ingerit. Binos enim Sergios, aut binos ejusdem Sergii expulsiones, vicinis scriptoribus ignoratas, non facile admitto. Frodoardum autem vera retulisse, epitaphium Sergii III. evincit, a Baronio per errorem Sergio primo ascriptum (ut recte Pagius notavit), quod infra recitabimus, plane in eadem conspirans. Et nuper observavimus, Frodoardum ipsum in carmine suo epitaphia pontificum libenter sequi. Illud constat, Sergium III. adversariis Formosi favisse; Stephanumque Formosi hostem et successorem, a. D. 897. strangulatum ab inimicis, decimo post anno tumulo honorifice intulisse; epitaphium etiam ei dedisse, quod supra retulimus, in quo laudatur:

Quod primum repulit Formosi spurca superbi
Culmina qui invasit sedis apostolicae.

Nempe rursus irrita reddere conatus est, quae concilio placitoque Johannis IX. et Lamberti augusti constituta erant; in quibus Formosi causa definita erat et ordinatio comprobata, damnato deformi Stephani conciliabulo. Ita tunc res Romanae fluctuabant, quod scilicet imperatores aut nulli aut invalidi essent.

5. Plerique Sergii III. pontificatum differunt. Sed chronologiam nostram Frodoardus epitaphiique autor constituunt, qui septimo anno ab exilio, id est a Johannis IX. electione provectum scripsere: conspirantque tabulae apud Ughellum, quas Audaci episcopo Astensi concessit, ut liberalitatem ejus in canonicos confirmaret. *Scriptum per manum Melchisedech protoscriniarii sedis nostrae in mense Majo indict. decima. Bene valete ... Nonas Majas per manum Theodori archicancellarii sedis apostolicae, anno Deo propitio pontificatus domini Sergii summi pont. et universalis orbis papae in sacra sancta beati Petri apostoli* [sede] *quarto*. Annus est Domini 907, in quo ante finem Maji ex computo nostro quartus Sergii annus inchoabatur. Erravit autem Ughellus, qui Sergio II. hoc privilegium

A. 904. ascripsit. Hic locus, si diligentissimo Pagio occurrisset, potuisset eo uti ad firmandam alterius apud Ughellum diplomatis, Sylvae Candidae episcopo ab eodem papa dati, emendationem, ubi pro anno tertio legendus est primus.

6. Berengarius interea per Longobardiam citeriorem jura dabat. Ita pridie Non. Januar. rogatu Berthilae conjugis Regiensi basilicae aliquot possessiones concessit, ad damna ab Ungaris accepta sarcienda. Id Papiae factum. Ibidem commoratus per mensem Junium, Mutinensi ecclesiae similem gratiam praestitit, quas notationes Sigonio debemus. Sequentia Ughello. Idem approbat castellum a Gothifredo Mutinensi episcopo juxta civitatem novam in territorio Mutinensi a fundamentis erectum; dat etiam licentiam mercatum ibi constituendi, concesso in eum regio jure. *Ambrosius cancellarius ad vicem domini Ardinghi archicancellarii recognovi. Dat. 18. Kal. Jul. a. inc. Dom. 904, domini vero Berengarii regis decimo septimo ind. 7.* Ejusdem privilegium habetur, Astensi episcopo sua jura confirmans *Id. Jul. 904. Actum in curte S. Martini in Sotaria.*

7. Obsidionem Carnotensis urbis, et Normannorum obsidentium cladem, ad hunc annum refert Albericus. Sed eam in a. D. 911. character chronicus differt, de quo ibi. Slavos infestasse Saxoniam, habet Marianus Scotus, quod annales Hildesemenses biennio abhinc memorarunt; quanquam nil prohibet, idem plus semel factum. Ottonem ducem Saxoniae struxisse arcem Asseburg, a sylva vicina Asse dictam, non procul Welfebyto, nescio unde Buntingius retulit. Eam deinde tenuit familia nobilis; ex qua comites de Swerino, domini de Wulfebutla et de Osteroda prodiere. Crusius ex Bruschio Adalbertum, ex comitibus Dillingensibus (si ipsi credimus) olim Elwangensem monachum, sed jam dudum episcopum Augustanum, laudat his temporibus a virtute, a musicae scientia, a liberalitate in Sangallenses: de quo Hepidannus ad a. D. 908: sed pluribus in Casibus S. Galli Ekkihardus. Denique sanctum habitum affirmat. Idem Adalbertus Udalricum educavit, qui inter sanctos non infimus habetur; sexennio ante mortem Hilduinum sibi successorem sumsit. Tenebrosa maxime tempora sanctorum proventu laudantur: inde seculo decimo decus.

8. In appendice capitularium Baluziana diploma habetur, quo Ludovicus imperator rogatu Ragamfredi archiepiscopi Viennensis et Hugonis nobilissimi comitis et carissimi propinqui sui, ecclesiae S. Mauritii Viennensi quasdam possessiones confirmat. *Signum Hludovici serenissimi regis. Arnulfus notarius ad vicem Ragamfredi archicapellani recognovit. Datum Viennae 7. Kal. Nov. anno quinto imperii domini nostri Hludovici serenissimi augusti.* Refertur in margine ad a. D. 859. alio, credo, Ludovico intellecto, qui non est, nisi Bosonides. Itaque res in annum praesentem cadit. Hugo est, qui postea in Italia regnavit, propinquus utique Ludovici; cum eundem proavum habuerint, Lotharium augustum.

Lotharius imp.

Ludov.	Lothar.
Ermingard	Berta
Ludovicus imp.	Hugo.

ANNO CHRISTI 905.

Gerhardus et Matfridus monasteria Horreum et S. Maximini apud Treviros invadunt, a rege Conrado et Gebehardo fratribus concessa. — Sergius papa Bremensis ecclesiae privilegia confirmat. Adelbertus Mindensis episcopus obit, succedit Bernarius. — Cometa apparet. Regino non accurate tempora notat. — Constantini Porphyrogenneti nativitas. — Ludovicus rex confirmat permutationem bonorum inter Adalhardum comitem et abbatem Fuldensem. Adalhardus alius est a Babebergensi comes. Diploma integrum additur.

1. Gerhardus et Matfridus, potentes Lothariensis regni comites, A. 905. Zuendiboldo occiso, opulentissima apud Treviros monasteria invaserant, Horreum nobilium puellarum et S. Maximini virorum; et quasi obligato Ludovico, cujus aemulum sustulissent, rata acta fore sperarant. Sed Conradus, qui omnia apud regem poterat, hunc bolum sibi eripi non tulit. Eosdem enim honores, eadem beneficia dudum sibi fratrique Gebehardo a rege puero impetrarat. Ducem etiam Mosellanicum agebat, et pro rege Transrhenanas quoque regiones administrabat. Cum moniti non cederent, nec mandatis regiis obedirent, hostes judicati arma sensere anno sequente.

2. Circa haec tempora contigit (etsi annus definiri non possit), quod Adamus Bremensis ex pontificiis tabulis refert, Sergium Adalgario archiepiscopo Bremensis ecclesiae privilegia (a Formoso labefactata) renovasse, et quaecunque a Gregorio et Nicolao Anscharius et Rimbertus obtinuerant, roborasse: et quia Adalgarius annis gravis pastorale officium circumeundi, praedicandi, consecrandi aegre obire poterat, dedisse ei adjutores episcopos vicinos, Sigemundum Halberstadensem, Wigbertum Verdensem, Bisonem Padebornensem, et Bernarios duos, unum Mindensem, alterum Osnabrugensem. Hoc certe anno Adelbertum Mindensem obiisse, discimus ex Fuldensi necrologio, cui Bernarius vel Bernardus successit. Itaque valde errant chronicorum loci scriptores, qui Adelberti tempora ad Henrici Aucupis regnum victosque Ungaros producunt.

3. Hoc anno medio Majo, quinta septimanae feria, apparuit cometes stella circa septentrionem, a Circii plaga radium ingentem emittens in Euroaustrum, quasi longissimam hastam inter Leonem et Geminos trans zodiacum, et visa est diebus 23. Verba exhibeo chronici Floriacensis, cujus descriptio ad initium apparitionis pertinet. Cometam Regino in annum praecedentem refert, eundem, opinor; nam Majo mense apparuisse scribit. Sed falso eum cum Ludovici Bosonidae casu conjungit, quem Augusto mense secutum scribit, cum multo anterior fuerit. Adeo male tempora ordinat, etsi contemporaneus ipse; ut saepe judicaverim, non ex annotationibus, sed memoria scripsisse, neque ea bene usum fuisse.

4. Constantini Porphyrogenneti ortum charactere cometae designat Theophanis continuator. Itaque, nisi in chronico Floriacensi error est, hoc anno in lucem editus fuerit ex Zoa, quarta conjuge Leonis; quam tum demum imperator uxorem agnovit. Inde mox ecclesiae Constantinopolitanae perturbatio secuta est.

5. Hoc anno jam inclinante, Ludovicus rex confirmat permutationem inter Adalardum, quem nobilissimum comitem et familiarem suum vocat,

A. 905. et abbatem Fuldensem. Dignum est relatu diploma, quia episcopi et comites insignes inter testes memorantur, quos plerosque historia attingit. Adalhardus alius utique esse debet ab Adelberti Babebergensis fratre, cujus exitum tragicum biennio abhinc retulimus. Egino an is, qui cum Poppone, Adelberti patruo, Thuringorum duce conflixit, an qui Adelberto ipsi favit? Sed integras tabulas ascribamus:

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ego Ludovicus Dei gratia rex Romanorum (leg. *Francorum*). *Condecet inter fideles et familiares, cum propriarum et ecclesiarum Dei commutationem facere voluerint rerum, vicissim et tradendo alterutrum commutent, quod utrimque aequali compendio placuerit, ut sub praesentia et testificatione idoneorum testium sibi idoneam faciant confirmationem, ne ea, quae utrique tradita fuerint, irrita videantur, sed firma stabilitate perpetualiter perseverent. Igitur notum sit omnium sagacitati fidelium tam praesentium, quam futurorum, qualiter nobilissimus comes Adalhardus noster fidelis ac familiaris, cum venerabili abbate Fuldensis monasterii Huggi, nobis placitum inivit concambium. Tradidit itaque ad S. Bonifacium, dignissimum Christi martyrem, qui in Fuldensi monasterio corporaliter quiescit, loca Gremistorf, Höhstet, Ezzelenkirken, Adalhartes-Winiden, Zaphendorf, Wnfurten, Knezegowe, caetera quoque loca ad haec pertinentia cum omnibus utilitatibus et facultatibus, locis, terris, vicis, viculis, villis, mansionibus, novalibus, campis, silvis, agris, pascuis, cultis et incultis, domibus, aedificiis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, venationibus, et cum omnibus adjacentiis et appendiciis suis, mobilibus et immobilibus. Econtra recepit idem fidelis noster Adalhardus a praedicto abbate cum consensu fratrum Fuldensium quinque loca in pago Gollegewe, Steinah, Horabah, Larbah, Seheim, Wolenbah. Sed quia praefati comitis res et donationes multo plures et pretiosiores sunt, quicquid superfuerit, compari concambio totum et ad integrum firmissima traditione dono ad sanctissimum Christi martyrem Bonifacium, ea scilicet ratione, ut utraque traditio sine ullius hominis contradictione atque mutabilitate firma ac munita permaneat, et ut memoria nostra et parentum nostrorum commendata sit apud fratres in aeterna benedictione Amen. Et ut haec nostrae praeceptionis et conscriptionis auctoritas rata et inconvulsa permaneat, manu nostra sigillari et confirmari eam praecipimus. Facta est autem hujus traditionis et conventionis cartula anno dominicae incarnationis 904. indictione 8. Forhheim in aula regia, jubente ac mediante serenissimo rege Ludewico, anno regni ejus 4. coram his testibus probatis et electis, quorum haec sunt nomina: Hatto archiepiscopus, Adelbero episcopus, Erkenbolt episcopus, Tuto episcopus, Rudolf episcopus, Einhardt episcopus, Ditelah episcopus, Cunrat comes, Adalbraht comes, Ernust comes, Ludolf comes, Luitfrit comes, Hessi comes, Egino comes, Burchart comes, Megennart comes et alii plures. Signum domini Ludovici pii et invictissimi regis Francorum.*

ANNO CHRISTI 906.

Conradus, Conradi filius, postea rex, movet in Gerhardum et Matfridum. — Conradus senior in praelio adversus Adelbertum Bambergensem cadit. Weilburgi sepelitur. — Ludovicus rex Adalbertum, ad conventum Triburiensem frustra citatum, exercitu petit, obsides in castro Terassa, et, cum se dedidisset, capite plecti facit. — An Hattonis dolo perierit Adalbertus. Tabella de illo. Tarissae sepultus. Hunc locum Fuldensibus legavit. — Ex familia Adelberti ortus est Albertus marchio Austriae. — In Ekkehardo Sangallensi *Adalbertus* pro *ad Alpes* legi debet. Werinherus, ibidem memoratus, pater fuit fratrum Wedderaviorum, avus Conradi regis. Ex ejus stirpe et Conradus Salicus imperator. Adalberti fratres. — Adelberti casus hoc anno contigit, non serius. Epitaphium ejus Tarissense est aevi posterioris. — Ludovicus rex Rotwilae diploma manumissionis concedit, rogatu Burchardi comitis. — Gerhardus et Matfridus proscribuntur. Rex Metis, Strasburgi et in Alemannia fuit. Episcopi Baldrannus Strasburgensis et Luidhelmus Tullensis obiere. — Reginonis chronicon finit. Viri hujus fata et scripta. — Ludovicus rex Otingae conventum procerum habet. Leges teloneorum ibi datae. — Sergium III. papam hoc anno sedisse, ex inscriptione Leginnensi didicit Labbeus. — Monasterii S. Michaelis Luneburgensis fundatio. — Berengarii diploma pro Rigoldo episcopo Cenetensi. — Basilica Lateranensis a Sergio III. de novo exstructa. Johannes diaconus, qui de ea scripsit libellum, sub Alexandro VI. vixit. — Monumentum hujus restaurationis exhibetur. — Leo imperator quod Zoen duxisset uxorem nuptiis quartis, a Nicolao patriarcha in ecclesiam non admissus, hic vero ideo sede dejectus est, Euthymio substituto.

1. Bello in Gerhardum et Matfridum decreto, copias duxit Conradus A. 906. junior, qui postea regnavit, filius majoris Conradi, cui sese Lothariensis exercitus regis imperio conjunxit. Processere in Blisiacum pagum, ubi comites rebelles praedia habebant. Castello cuidam munito incluserant sese, illi, opinor, quod hodie Blistacum castellum appellatur. Sed vastatis agris et villis exustis, ad pacem petendam adacti sunt: quanquam nonnisi inducias coiisse constet in octavam a proximo paschatis festo. Hujusne an sequentis anni incertum; sed posterius malim, quia sequenti demum anno controversia recruduit.

2. Festinabat juvenis defungi bello, ut patri mature adesset, qui Adelberti invasionem metuebat; sed serus rediit. Conradus senior circa Fritislariam in Hassia sedebat, contracta equitum peditumque manu: frater Gebehardus aliis copiis Wedderaviam tuebatur. Adelbertus vero vires hostium tripartitas intelligens, occasionem rei gerendae non amisit. Simulata in Gebehardum expeditione, subito in Conradum vertit; qui etsi sero, tamen fortiter collegit sese, occurritque venienti. Tertio Kalendas Martii congressum est: sed pedites et mercenarii Saxones vim non tulere. Conradus ipse suos magno clamore hortatus, ut liberorum, conjugum, honoris denique et salutis, meminisse vellent, impressionem in adversos fecit. Sed numero impar, primo impetu multis vulneribus confossus cecidit. Sociorum fugientium multi caesi sunt; sed peditum maxima strages fuit. Adelbertus opima spolia Babebergam retulit: corpus Conradi sublatum, uxor et liberi in Wilineburgo castro humavere, quod hodie Weileburgum est, Nassoviorum quorundam comitum sedes.

3. Conradi casum in hunc annum, nec initio procul, refert necrologium antiquissimum Fuldense. In eundem Hepidannus confert vindictam

A. 906. de Alberto sumtam; et conspirat Regino: *Eodem*, inquit, *anno circa Julium mensem Ludovicus rex conventum generalem celebravit apud Triburias villam regiam, ubi adesse jussus est Adalbertus, ut rationem facti redderet, tandemque sese ad quietem componeret.* Sed ille salutaria monita sprevit. Itaque cum in rebellione perstaret, exercitu contracto, a Ludovico rege in castello, sive Babebergensi, sive potius Terassensi vicino, obsidetur. Terassa, olim munitissimum castrum ad Moenum infra Babebergam, nunc opulenta est monachorum sedes. Regino rem ita commemorat. Adelbertum in angustias redactum, Egino deseruit, individuus antea comes, et cum omnibus suis ad regem transiit. Adelbertus protracta longius obsidione, animo fractus (an quod necessaria deficerent), dedere se decrevit. Sed dolos animo versans, portis appertis prodit, et veniam petit. Suis vero prodentibus, fraude detecta, in custodiam datus, revinctis manibus coram exercitu producitur, et communi judicio capitis damnatur. Supplicium subiit 5. Idus Sept. Bona inter regis amicos distribuuntur, aut fisco addicuntur, quae postea Babebergensis ecclesiae dotem fecere. Haec si vera sunt, facile suspiceris, corruptos in miserum judices. Quid enim tantum strueret vir magnanimus, quem decus Francorum Hepidannus appellat; cujus persona cum munitionibus in potestate erat; expleta ultione facile quieturus, si liceret. Sed immolandus erat vir nobilis manibus Conradi, cujus familia tunc rerum potiebatur, et filius mox regnavit; removendus erat aemulus, obstaculum ingens ad summa tendenti.

4. Constans fama est, Hattonis archiepiscopi dolo circumventum, spe veniae in regis manus venisse. Hermannus Contractus complicem doli Luitbaldum facit, cui plurimum fidebat Adalbertus; an Pannonici limitis marchionem? hunc enim propinquum fuisse apparet. An Hatto Luitbaldusque spem gratiae fecere, quae deinde, quasi novo detecto dolo, revocata est? Luitprandus et Witikindus vicini temporibus, et caeteri eos secuti, historiolam narrant, quae fabulam sapit; quam Otto episcopus Frisingensis non tantum legi in gestis, sed etiam cantari in compitis scribit; quod etiam habet Ekkehardus junior Sangallensis. Et vereor, ne a canticis in gesta transierit. Ea sic habet: Cum septennio durasset Adelberti rebellio, nec vi capi posse videretur, subornatus Hatto Babebergam quasi amicus adit, pacem suadet; non veniam tantum, sed et gratiam regis spondet, qui fortia ejus facta aestimaret, etsi causam damnaret. Denique dubitanti per omnia sacramenta promittit, utcunque res caderet, incolumem a se reductum iri. Talibus promissis captus juvenis, mane cum antistite exit, qui jentaculum aut prandium recusarat. Sed cum paulum progressi essent, archiepiscopus, quasi ventriculo admonente, visus est jejunae profectionis poenitentia duci. Laetus ea re Adelbertus petit, ut redeat secum et cibum gustet. Obsequitur episcopus, et mox repetitur iter. Adalbertus cum Hattone ad regem veniens, in vincula datur. Quiritanti et fidem pontificis appellanti responsum est, Hattonem jurijurando satisfecisse, cum incolumem statim ex medio itinere reduxisset, nec bis teneri. Ita majestatis reus, capite truncatur, magna Hattonis invidia; cui, ut ego suspicor, fama calliditatis (nam ingenium omnes commendant) fabulosum

crimen attraxit. Neque tamen omnino excusaverim, aut spe vana lactatum Adelbertum negarim: quem in Tharissa castello suo sepulturam accepisse scribit chronographus Saxo. In chartis Fuldensibus nondum editis exitus Adalberti fabulis interpolatur, et in alia plane tempora transfertur. Comitem fuisse in castro Altenburg, et duas filias nubiles pulcherrimas habuisse, quas ex sorore Ottonis M. geniti Ludevicus et Henricus frequenter adissent, deceptasque tandem et illusas, retractata matrimonii spe, deseruissent: inde ambos ab Adalberto occisos: Adalbertum vicissim capitis damnatum et apud Gremesdorf decollatum. Ante mortem S. Bonifacio Tharissam locum et monasterium in ripa Moeni testamento legasse. Ego non absurdum judico, Adelbertum revera in Fuldenses ultima voluntate liberalem fuisse. Annus traditioni adscribitur 940. haud dubie falsus, nisi aliquem Adalberti propinquum serius haec in Fuldenses contulisse dicamus. Quod aegre credo, nam bona, quae sacris locis non cessere, in fiscum redacta sunt. A. 906.

5. Ex sanguine ejus Albertum prodisse, qui postea, repulsis Ungaris, marchiam Pannonicam tenuit, quam hodie Austriam appellamus, Otto Frisingensium episcopus prodit, ortus ipse ex vetere Austriaca gente. Hoc non ita interpretor, quasi Albertus ex Adelberto hoc descenderit, quem maritum fuisse non apparet; sed quod ex ejus stirpe. Aventinus scribit, uxorem Luitboldi et matrem Adelberti sorores fuisse; sed propinquitatem hanc infra refellemus.

6. Ekkehardus ille Sangallensis in Salomonis abbatis sui rebus, casus Adalberti meminit, quod a Goldasto et Quercetano edentibus ob corruptum locum non est intellectum. Bis enim intra paucas lineas legitur *ad Alpes* pro *Adelberto*. Verbis ergo emendatis* hic sensus prodit: *Franciam et Sueviam* (sive Allemanniam) *procurabant camerae quos sic vocabant nuntii; Franciam Adalbertus et Werinerius, Sueviam autem Pertoldus et Erchinger fratres, quorum utrorumque multa ditioni subtrahebantur et munificentia regum in episcopos, Hattonem Moguntinum et Salomonem Constantiensem* (ambos multa etiam monasteria tenentes) *transibant. Inde odia in ambos. Hattonem Franci illi saepe perdere tentavere; sed astutia hominis in falsam regis gratiam allecti sunt. Adalbertus fraude ejus Baboberga abstractus, capite plexus est (Werinarius enim morbo perierat), quae res etiam vulgo canitur.* Allemanni vero fratres, cum Salomone collisi, tandem periere. Werinarii potentis per Franciam viri, cum Hattone inimicitias exercentis, alios meminisse, non animadverto. Quantum judicari potest, pater fuit fratrum cum Adalberto collisorum, avus (ex Conrado) Conradi regis, et alterius Werineri, ex quo natus Conradus Lothariensium dux pronepotem habuit Conradum Salicum, primum Wibelingae gentis imperatorem. Omnes vero ex primi illius Warini vel Werineri stirpe prodierunt, quem Pipini et Caroli M. temporibus florentem historia celebravit. Adalberti fratres Adelhardum et Henricum supra nominavimus. Alios ei tribuere videtur Ursbergensis, qui ad a. D. 906: *Beringer, Reginolt et Gerard germani fratres interficiuntur.* Anno 907: *Pugna*

*) ut supra jam dictum *addit Eckardus.*

A. 906. *inter Adelbertum fratrem eorum et Conradum fratrem Ludovici imperatoris committitur.* Sed haec iste autor aliunde male decerpta exscripserit. Male etiam Ludovicum appellat imperatorem. Quod Conradum ejus fratrem vocat, in eo chronicon antiquius secutus est, qua de re infra dicemus. Tres illi fratres, filii Attonis comitis et Adeliadae a privatis hostibus occisi sunt, ut habet Hermannus Canisianus ad a. D. 901.

7. Sunt qui Adelberti casum in aliquot annos differunt; sed non longe a causa, id est crimine, supplicium removeri posse videtur: nam diu obsessum, quod recentiores tradidere, contemporaneis pugnat. Et videntur haec acta, cum otium regi ab aliis rebus esset; sed anno sequente et huic proximo Hungarorum irruptiones Germaniam perturbavere. Itaque epitaphium Adalberti, quod in Terassensi monasterio extare Wagenseilius vir egregie doctus in rerum Noribergensium commentario nos docuit, a posteriore manu esse censeo, neque illi in anno mortis fidi posse. Ita autem habet: *Anno Domini 908. obiit nobilis Albertus comes de Babenberg, qui hic jacet incineratus monasterhi hujus fundator opum quondam dator, cujus anima requiescat cum sanctis. Amen.* Sane suo tempore comes de Babenberg dictus non fuisset.

8. Rex in fine Maji mensis Rotwilae egit, si credimus praecepto, quod ex Allemannicis antiquitatibus in constitutionibus imperialibus Goldastus affert, ubi *Hludovicus d. f. cl. rex* rogatu *Purcharti dilecti comitis* servum quendam suum in praesentia fidelium suorum, secundum *legis* Salicae ritum, *excusso de manu illios denario*, manumittit, hominemque inposterum ingenuum haberi jubet. Neque enim libertinorum jura Romanis observata, Francis noscebantur. *Ernestus cancellarius ad fidem Theotmari archicapellani recognovi. Data 2. Kal. Junii a. inc. D. 906. ind. 9. anno regni domini Hludovici septimo. Actum in Rotwila feliciter Amen.* Burcardum esse arbitror in Allemannia pro duce agentem, qui a. D. 911. in ipsis suae gentis comitiis occisus est. Ubi de eo plura dicentur.

9. Rebus Franciae orientalis compositis, rex ad Mediomatrices venit, ibique in publico Lothariensium conventu Gerhardum et Matfridum proscripsit; nec dubium est, Conradum ducem, Conradi occisi filium, ex eorum ruina crevisse. Inde regressus rex, Strasburgum venit, plebemque episcopo suo reconciliat. Tum Rheno transmisso, Allemannos (id *est* Suevos) adit. Secuta est mors Baldranni Strasburgensium episcopi 2. Id. April. (ut habet Ercanbaldus successor, qui gente Noricum facit) et Luidhelmi Tullensis. Illi Otbertus (postea a suis occisus a. D. 914.), huic Drugo successit.

10. Hic Regino suam historiam finit, cum anno scilicet Domini 906. Nam continuator incipit in anno 907. Aliquid in fine excidisse apparet. Nam in praefatione, ad Adalberonem Trevirensem chorepiscopum, postea episcopum Metensem, scripserat Regino, productam a se historiam in annum Domini nongentesimum octavum, quo scilicet praefationem composuit. Pauca de viro addere operae pretium erit. Cum Normanni monasterium Prumiense vastassent a. D. 892, Farabertus abbas se abdicavit.

Electione monachorum Regino substitutus est. Sed cum Gerardus et Matfridus comites, potentes viri, fratrem suum Richarium intrudere vellent, suscitati sunt monachi in Reginonem, jam tum licentiosis invisum, ut magis studiis, quam utilitati monasterii vacare quererentur, quod olim et Rabano Fuldae objectum notavimus. Itaque annuente Arnulfo successit juvenis, qui ex abbate tandem factus est Leodiensis episcopus, neutro loco dignus, et crimina ejus etiam Folcuinus libro de Lobiensibus abbatibus commemorat; sed in ea perturbatione rei publicae multa proceribus princeps indulgere cogebatur. Regino ad otium reversus, non chronicon tantum opus composuit, sed et egregios libros binos de ecclesiasticis disciplinis, ex codice academiae Juliae, ope etiam caesarei a Joachimo Hildebrando, theologo Helmstadiensi, deinde episcopo Cellensi, a. D. 1659. editos, et postea a Stephano Baluzio, doctrinae diligentiaeque singularis viro, ex Parisino oratorio 1671. recensitos notisque illustratos. Obiit Regino a. D. 915, ubi quaedam de ipso addentur. A. 906.

11. Regem deinde rediisse in Bajoariam, et res ordinasse, Aventinus refert: cum enim Otingae versaretur, et plerique de rapacitate publicanorum quererentur, jussu regis convenientibus Rasfeltstadii Theotmaro archiepiscopo, Burcardo episcopo Patavensi, Aribone et Odacaro comitibus, aliisque proceribus, leges teloneorum datae; quae apud Aventinum ita habent.

Merces, naves improfessae publicae sunto.

Navis, quae ab occidentali regno venit, posteaquam sylvam Bathauensem praetergressa est, sive Rosdorphii, sive alibi venundandi gratia appellitur, semidrachmam, hoc est unum scutatum, pendat: si infra Lintzium tendit, semimodios tres, hoc est tres scaphulas salis, solvat: copia postea sit cuique quolibet versus Boiemiam distrahendi gratia vehi.

De mancipiis caeterisque rebus nihil penditur. Boius domum salem transvehens, nihil pendit. Boji, Sclavi bobus, caballis, clitellis, ut victum emant commeantes, immunes sunto.

Naves Tranorum nil praestant.

Carri, clitellarii, qui Anasum transeunt, scaphulam praebent.

Venedi, qui de Rugiis, Boiemis mercandi gratia veniunt, de clitella unum scutatum tribuunt: de mancipio caballis venditis, saicam unam. Venedi vero in Baiaria incolentes, ementes, vendentes, nil tribuunt.

Naves salinariae sylvam Bathauensem egressae, nil pendant, donec ad Ebersperg veniant: si quis ad Moraviam navigat, de nave solidum solvat.

Mercatores Judaei, undecunque sint, de rebus et mancipiis justum pendant vectigal.

12. Hoc demum anno Labbeus in orbitam verae chronologiae utcunque redit, Baronium deserens, omnia in aliquot annos differentem. Nam Sergium III. jam anno Domini 906. sedisse, comperit ex inscriptione, in Leginno Insubrum oppido reperta, quam ex Bonaventura Castilioneo exhibuit Janus Gruterus. Ea docetur, *sancti Primi martyris corpus a Sergio papa juniore Eremperto illustri viro concessum, Romaque cum*

A. 906. *hymnis et laudibus allatum, anno incarn. Dom. 906 Kal., August. ind. 9. ordinante domino Angilberto archiepiscopo.* Sed hunc archiepiscopum circa haec tempora Mediolanensium fasti ignorant. Non tamen errorem prorsus exuit Labbeus. Nam hunc primum Sergii annum facit, qui tertius fuit. Baldramus* etiam Strasburgensis episcopus hoc anno obiit 2. Idus April.; ita catalogus successoris Ercanbaldi, de quo ad a. D. 940. Successit Otbertus [, quem] occisum a suis ad a. D. 914. dicemus.

13. Monasterium S. Michaelis in monte, qui Luneburgo imminet, ab Ottone Saxonum duce, Wicberti episcopi Verdensis hortatu, nunc fundatum scripsit ignotus autor de fundatione ecclesiarum Saxoniae, quem tomo primo scriptorum Brunsvicensia illustrantium inserui, nec *multo* Ottonibus posteriorem judicavi, quod ad posteriora (nisi uno loco, interpolationis suspecto) non descendat. Eadem habet autor chronici Riddageshusani, tomo secundo ejusdem collectionis editus. Nec scio, unde apud Buntingium haustum sit, rem biennio ante actam. Vulgo Hermannus Bilungides, dux Saxonum ab Ottone M. creatus, loci fundator habetur; quod etiam comprobat non ita vetus narratio de origine monasterii, quae in eodem tomo secundo legi potest, unde annum Domini erui 955. Fortasse Otto dux aedem struxit, quam deinde Hermannus (ut fieri solebat) in monasterium vertit. Reperi chronicon seculo tertio decimo lingua Saxonum vernacula in hoc ipso monasterio (pro parte certe) compositum, vel ex tali sumtum, in quo docemur, albos clericos, quos canonicos regulares arbitror, illic egisse, antequam ab Hermanno monachi Benedictini accerserentur. Chronicon ipsum non aliud fere quam hoc monasterium resque hujus viciniae prae caeteris attingens, Luneburgicum vocari** licebit.

14. Hoc anno, quantum judico, Berengarius, rex Italiae, Rigoldo episcopo Cenetensis ecclesiae, ubi corpus S. Titiani confessoris humatum quievit, rogatu Bersiliae (an Bertiliae?) conjugis et regni consortis, concedit unum portum in Liquentia, quod Septimum dicitur, et sicut praedictum flumen oritur et defluit usque in mare de ambabus partibus ripae per quindecim pedes palis fictarum (an fixarum? verba nonnihil corrupta) ripaticum, teloneum, mercatum jure regni sui, nec non et sylvam de Bayo et Girano cum curte. *Quod ut verius ab omnibus credatur diligentiusque ab omnibus servetur, manu propria roboratum de annulo nostri nominis signari subtus praecepimus. Dat. 9. Aug. a. dom. inc. 996.* (lego 906.), *regni domini Berengarii piissimi regis 21.* (imo 7.) *indict. 9.* (hanc sequor). *Actum in summo lacu* (an ad Cumanum lacum?). Ughellus annum 996. legit, et rem ad Berengarium II. festinus retulit, qui tamen tunc dudum abierat; Bertila regina nobis Berengarium primum designat. Itaque Rigoldus episcopus non cum Ughello post Sicardum collocandus est Ottoni M. aequalem, sed in anteriora tempora retrahi debet.

15. Basilica Laterana dudum ruinam minabatur, hiantibus parietibus et curvantibus sese tectis. Tandem concidit Stephano VI. nuper sedente, ex terrae motu, ut Rasponus scribit: nec de reparatione cogitarunt brevis

*) Baldramus — dicemus *expunxit Eckardus; v. supra c. 9.* Quem *deest L.*
**) vocare *cod.*

aevi pontifices factionibusque distracti, donec Sergius III. desperatam pene rem aggressus, absolvendi spatium nactus est. A fundamentis ab eo excitatam aedem constat, Johannis diaconi testimonio ipsisque monumentis; tandemque consummatam, et auro argentoque ornatam. Caesar Rasponius libro primo operis de basilica et patriarcheo Lateranensi ad Alexandrum VII. scripti Johannis diaconi, S. Salvatoris Lateranensis canonici, librum aliquoties citat, et ante annos fere quingentos sub tertio Alexandro exaratum putat, qui scriptor Vossio, Cavaeo et similibus non memoratur; nunc a Mabilione inter Hodoeporici Italici additamenta productus extat. Sed inspecto libello, doctissimum Rasponum falli animadverti. Nam autor sepulturae Alexandri III. meminit, et quaedam sub Bonifacio VIII. acta recenset, qui Alexandro IV. etiam posterior. Cum ergo quinto, in concilio Pisano schismatis tempore electo, locum hic facile esse non putem, superest, ut autor opusculum Alexandro VI. dicasse credatur. A. 906.

16. Addit Rasponus, a Sergio picturis egregiis et musivo opere decoratam Lateranam aedem; tum aurea, argentea, aeneaque vasa aut ornamenta, quae sublata vel distracta fuerant, revocata et reddita fuisse. Monumentum denique restaurationis exhibet, intra apsidem seu frontem basilicae musiva extans literatura, his versibus:

Augustus caesar totum cum duceret orbem,
Condidit hanc aulam, Sylvestri chrismate sacram.
Jamque salutifera lepra mundatus ab unda,
Ecclesiae hanc sedem construxit primus in orbem
Salvatore Deo, qui cuncta salubriter egit,
Custodemque loci pandit te, sancte Joannes.
Inclinata ruit senio, volventibus annis.
Spes dum nulla foret vestigia prisca recondi,
Sergius ad culmen perduxit Tertius ima
Cespitis exornans ingens haec moenia papa.

Pro *ima* legendum putem *imo*, id est ab imo cespite, seu a solo. Vulgaris tunc fabula vigebat, Magnum Constantinum Sylvestro tingente a lepra mundatum.

17. Circa haec tempora ecclesia Constantinopolitana turbata est; nam imperator, nato pridem filio Constantino, ne jus succedendi dubium esset, matrem ejus Zoen, uxorem et augustam habendam decrevit. Baptizatus est puer in sancto theophaniorum die, id est natali Domini. Vix autem triduum a baptismo effluxerat, cum mulier in palatium accitur, nuptiaeque apparatu regio celebrantur. Id contrarium erat receptis legibus canonibusque, quos ipse imperator comprobarat, quibus quartae nuptiae prohibebantur. Itaque ad ecclesiam venturum Nicolaus patriarcha non admisit; Theodorum presbyterum, qui nuptiis benedixerat, gradu movit. Dejectus igitur ipse et in monasterium, quod condiderat, missus est, Euthymio suffecto, qui veniam imperatori dedit. Ita prae divinis custodiebantur humanae leges; quas tamen publicae quieti cedere, aequum erat. Magna ratione imperator movebatur; at patriarcha inanem constantiae famam praepostera severitate quaesivit.

ANNO CHRISTI 907.

Hungari Bajoariae ingruunt. — Clades Bajoariorum exercitui ab Ungaris illata. Proceres in praelio occisi. — Theotmarus archiepiscopus Salisburgensis et Andreas Sebonensis episcopi vel in praelio vel ex aegritudine animi obiere. — Luitboldus marchio occidit; successit Arnulfus filius. — Luitboldi sepultura et uxor. — Luitboldus Bavariae ducum et comitum palatinorum Rheni sator. Ejus pater Arnulfus comes. Quomodo propinquus a Ludovico rege vocetur. — Diplomata, in quibus Ludovicus rex Luitboldum propinquum vocat. — Propinquitas Ludovici regis et Luitboldi an et quomodo ab Ernesto duce Carolomanni socero venire possit; an sit ab Ota uxore Arnulfi imperatoris. — Pater Luitboldi omnino fuit filius Arnulfi principis Bajoariorum, qui suos in Normannos anno 882. duxit. — Bajoaria ab Hungaris vastata. — Synodus Viennensis. Dotatio Friderunae reginae, Caroli Simplicis Galliae regis uxoris.

A. 907. 1. Annum attigimus funestum rei publicae per editas ab Ungaris strages; qui hactenus utcunque repressi, tandem Bajoariis victis, quasi aggere perrupto, sese in Germaniam Galliamque effudere. Aventinus hanc expeditionem minutatim describit, quasi secutus autores, qui periere. Sed vereor cum Brunnero, ne commenta sua protruserit: quaedam tamen non improbabilia interdum ex ipso, etsi solo, transscribemus. Ungarorum recens a Scythia feritas, nondum fractum deliciis robur servabat. Solent barbari, ut bestiae, non viribus tantum, sed et agilitate et acumine sensuum praestare gentibus cultis. Hinc sagittandi ars, dum facile flectunt ingentes arcus, et acri oculo firmoque brachio regunt; quae nunc demum irrita reddidimus, ex quo fistulae pyriae obtinuere. Accedebat innata pene Scythicis populis equitandi peritia, apud quos omnes a pueritia in equo vitam agunt. Franci et caeteri Germani stataria pugna egregii, haud aequo marte eminus pugnabant; neque mobiles in vagum hostem, nec tecti satis corpora contra venientia e longinquo tela. Galeae enim et loricae nonnisi dites tutabantur, qui, caeteris dissipatis, aciem paucitate sua non sustentabant.

2. Intellecto barbarorum motu, Ludovicus rex (narrante Aventino) Anassiburgum accessit, quod hodie est Austriae oppidum Ens. Eo proceres Bajoariae anno Dom. 907. 15. Kal. Jul. frequentes convenere. Vires non tantum ex Lycatiis, Ambronibus, Isaraeque et Oeni accolis, Stiriis, Carantanis, Carnis, sed et vicinis Vindelicis et Nariscis contractae. Nec dubitem, ex Francis et Allemannis promtiorem quemque ascitum. Rex adolescens cum Burcardo Patavensi episcopo et Aribone comite, Anassiburgii substitit; unde tripertito agmine in hostem itum, Magni Caroli impare imitatione. Luitboldus, Pannonici limitis dux, ripa aquilonari descendit; meridionali episcopi copias ducentes Thietmarus archiepiscopus Juvaviensis, Zacharias antistes Sabonensis seu Brixinensis, Otto Frisingensis; tum abbates Gumboldus, Hartvicus, Helmbrechtus. Inter utrosque Sigehardus (credo Ebersburgensis castri conditor), quem Aventinus, nescio quo jure, cognatum regis facit, cum Ratoldo (filio Arnulfi, opinor) Etichone (fortasse ex Welfis, Ambroni assidentibus), Meginwardo, Isengrino, navales copias ducebat. Ungari equitatu infinito episcoporum exercitum assultant, sagittarum imbrem infundunt, quas corneis arcubus

ejaculabantur; et ubi multa vulnera fecerant, impune recedunt. Cum idem crebro facerent, ordines Bajoariorium laxantur. Tum equitatus hostilis toto impetu invectus, caedit, sternit, disjicit jam male resistentes. Ibi magna strages edita est. Postera die, quarto Idus Augusti, in altera ripa Danubii non minus infeliciter Luitboldus pugnavit, ipse caesus cum Isengrino dapifero regis, quindecimque insignibus viris. Copiae pene internecione deletae. Qui navibus impositi erant, cum suis sero auxilium ferrent, magna clade repulsi sunt. Ita triduo pugnatum est irato coelo, maxima Germanorum clade, qui sese quadraginta octo abhinc annis Ottonis Magni auspiciis eadem die IV. Idus Aug. apud Augustam de barbaris vindicavere: medio tempore aliquando victi hostes saepius praevaluere, et Germaniae, Galliae, Italiae opima spolia extorsere. Ita fatales periodos populis providentia praestituit. Exinde feritate exuta, parere simul et sapere didicere, Christo initiati, Germanis ita conjuncti, ut caesarum etiam majestatem vererentur. Sed in rem praesentem redeamus. Optimates nostrorum nunc caesos nominat Aventinus Piligrinum, Dietboldum, Hebbonem, Ethiconem, Beronem, Rudmundum, Leitfridum, Waltherum, Aribertum, Babonem, Iringum, Gundeboldum, Meginwardum, Ratoldum, Albertum; de quibus fides penes ipsum esto. A. 907.

3. An, et qui Bajoariorum episcopi ceciderint, non habet Aventinus. Theotmaro tamen archiepiscopo Piligrinum intra annum, aut quod excurrit, successisse reperio, qui jam Idibus Febr. anni Dom. 909. diplomati regio archicapellanus subscripsit. Zacharias quoque Sebonensis successorem Megimbertum mox a praelio accepit, quem anno sequente in vigilia S. Galli monasterium ejus jam episcopum adisse, discimus ex libello de fratribus conscriptis monasterii, quod tomo II. Allemannicorum Goldasti extat. Morbo vel aegritudine animi, an hostium manu perierint antecessores, definiri non potest. Illud malim; neque enim (ut tunc mos) inter martyres recensentur.

4. Omnem Bajoariorum exercitum deletum, confirmat chronicon breve S. Galli et Hepidannus; etsi rem in annum sequentem differre videantur. Ea congressione Luitboldum cecidisse, addit continuator Regionis (quanquam hujus quoque mortem differat Hermannus Contractus) et Arnulfum filium successisse. Aribonem, cui filius Isanricus, Aventinus sufficit, Arnulfo fortasse nondum per aetatem ad marchionem vel ducem maturo, qui tunc non honore solo constabat, sed ductu exercitus vim tituli implebat.

5. Idem Aventinus scribit, uxorem Luitboldo Adelhaidem fuisse, Ottonis Saxonum ducis filiam, atque adeo amitam Adelberti, ambosque in Melicensi Benedictinorum Austriacorum aede humatos. Nomen Adelhaidis mihi verisimilius, quam Richardis, Jacobo claustri Neoburgici praeposito memoratae, genealogiae Austriacae ante Lazium autori; et Aventinus credibilior, quam Brunsvicense chronicon picturatum; cui fidere Fabritius visus est, quod Adelheidem, Ottonis ducis natam, Quedlinburgensi parthenoni praeficit, antequam fundaretur. Nostri historici etiam Odam, aliam filiam Ottonis, Zuentiboldo regi nuptam, ignoravere: quo

A. 907. minus Adelhaidem praeterisse mirarer. Sed Aventinus tamen aliunde falsi convincitur. Ex brevi chronologo S. Galli, aequali temporibus, et Hepidanno discimus, matrem Arnulfi, id est uxorem Leopoldi, ducum Allemanniae sororem fuisse.

6. A Luitboldo hodiernos duces Bavariae et palatinos Rheni comites idem Aventinus post alios recte deducit, quem Brunnerus caeterique in ea re imitantur, autorem magnum secuti Ottonem episcopum Frisingensem, qui Schirenses vocat, et Ottonem Witelsbachium ex illis ortum diserte notat. Luitboldo praeter Arnulfum (Ottonis Frisingensis testimonio certum), quem postea videbimus Bajoariorum ducem, filius fuit Berchtoldus, qui fratris filiis praeteritis in ducatu successit. De majoribus nihil sibi compertum Aventinus fatetur, etiam post diligentem inquisitionem. In filio majore redditum, ut solet, avi nomen, et Luitboldum Arnulfo quodam comite genitum, facile crediderim, quem postea adulatrix quorundam licentia in Arnulfum imperatorem transformarit. Ita rex non propinquum, sed fratrem dixisset. Propinquum autem dilectum a Ludovico rege Infante in tabulis dici Luitboldum, vere notavit Aventinus: sed hinc non sequitur Carolinae stirpis fuisse, ut Pistorius in genealogia inedita apud Adlzreiterum, Gewoldus in stemmate edito arbitrantur, quasi propinquitas nisi per mares esse non possit. Recurrunt illi ad Pipini regis Italiae posteritatem per filium Bernardum, merito explosi Brunnero, dum Arnulfum Luitboldi patrem Lengenfeldensem comitem creant, Pipini Lengenfeldensis (si diis placet) comitis filium Bernardo rege Italiae nati, monumentis omnibus incogniti; sed tabularum tenorem ex Metropoli Salisburgensi exhibere operae pretium erit, in quibus Ludovicus rex Luitboldum propinquum vocat.

7. *Ludwicus .. Notum esse volumus, qualiter vir venerabilis Richarius, Pataviensis praesul, per quorundam procerum nostrorum, Adalberonis quoque reverendi antistitis* (Augustani) *ac studiosissimi nutritoris nostri et Waltonis Frisingensis episcopi, nec non Lutwaldi illustris et comitis et dilecti propinqui nostri interventum, regalitatis nostrae eminentiam interpellavit, eo quod saeviente, proh dolor! paganorum impugnatione* (Hungarorum, opinor, incursione aliqua priore) *quaedam pars dioecesis suae, ubi S. Floriani martyris monasterium constructum fuit, ex improviso devastata est, deprecans, ut civitatem, quam fideles nostri regni pro tuitione patriae unanimiter contra eorundem christiani nominis persecutorum insidias noviter in ripa Onasi* (Anasi) *fluminis in proprio jam dicti martyris, partimque in terra praefecturae terminalis construxerunt, ad praedictum sanctum locum, in quo ejusdem beatissimi martyris corpus venerabiliter humatum est, traderemus .... Nos pro remedio animae nostrae parentumque nostrorum contulimus. Insuper quicquid servus noster Perhart in aquilonari parte Danubii proprii in terra et mancipiis in ipsa marca tenuit, eidem sancto Dei perpetim firmamus .... Signum domini Ludwici piissimi regis. Engelpero notarius ad vicem Deotmari archicapellani recogn. Dat. 14. Kal. Feb. a. D. 900. ind. 4. anno regni regis Ludewici 1. Actum in civitate Ratispona in D. n. f. A.* Hic obiter observo,

servum regium propria praedia et mancipia habere. Nempe inde a A. 907.
Carolinis temporibus liberis seu ingenuis aequales habebantur, quales postea ministeriales dicti sunt, habiti omnes generis equestris seu militaris.

8. *Ludovicus ..... tam praesentium, quam futurorum cognoscat industria, qualiter nos cuidam venerabili et dilecto episcopo nostro Tutoni quasdam res juris proprii juris in jus et proprietatem d. Emmerani martyris per interventum ac consilium venerabilium pontificum Adalberonis* (Augustani) *et Ercanpoldi, imo et reliquorum fidelium nostrorum Luitpoldi scilicet dilecti propinqui nostri, ac Gunpoldi comitis concessimus, hoc est in pago Nordgew in comitatu Luitpoldi, in villa quae dicitur Scoringhova, quae pertinebat ad Otunassam* (quid hoc?), *quae est contigua loco, qui dicitur Sentilapah, cum mansis et mancipiis utriusque sexus, aedificiis, terris, pratis, pascuis, viis et inviis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, exitibus ac redditibus, agris, cultis et incultis, mobilibus et immobilibus, quaesitis et inquirendis, et omni communitate, utilitate sylvae, sive in speciali comprehensione, sive etiam magistri alicujus concessione, quicquid iidem servi eodem die vel tempore in potestate ac vestitura ad nostrum servitium videbantur habere, totum ex integro tradidimus atque transfudimus. Signum domini Ludowici serenissimi regis. Ernustus cancellarius ad vicem Theotmari archicapellani recognovi. Data 16. Kal. Mart. anno inc.Dom. 903. ind. 6. Actum Forcheim curte regia in D. n. f. A.*

9. *In n. s. et i. T. Ludwicus d. f. cl. rex .. Waldo reverendus Frisingensis ecclesiae episcopus damnum combustionis, quod ecclesiae suae noviter acciderat, conquerendo* (supplicavit), *ut aliquid consolationis ad restaurationem largiremur. Nos intercessione fidelium nostrorum Dietmari archiepiscopi* (Salisburgensis), *Zachariae episcopi, Tettonis episcopi* (Ratisbonensis), *Luipoldi illustris comitis et cari propinqui nostri, Sigihardi etiam, Cunipoldi* (Gumpoldi), *Isingrini atque Meginhardi comitum .... Curtem Veringam cum pertinentiis suis, quam venerabilis mater nostra Ota tali tenore a beato genitore nostro Arnulfo caesare augusto obtinuisse* (noscitur), *et in praesentia fidelium nostrorum in manu regalitatis nostrae reddiderat ... ad praefatam ecclesiam nomine S. Genetricis Dei Mariae dedicatam, ubi electus Dei confessor Corbinianus corpore quiescit, in divorum commemoratione antecessorum nostrorum matrisque nostrae ...* (hinc videtur jam extinctam intelligi) *et pro remedio animae nostrae in proprium delegamus, cum curtibus et casis aliisque aedificiis, familiis utriusque sexus, mancipiis, parschalcis* (an justitiae administris, qui et varigildi, unde postea varigellus), *sindmannis* (ad domestica ministeria obligatis), *hengistnotis* (hengst-knechten, ad equorum curam servitiaque destinatis), *censibus, campis, agris, pratis, pascuis, sylvis, aquis ..... Et ut haec autoritas nostra firmiori solidetur stabilitate, manu nostra subtus eam roborantes annulo nostro jussimus sigillari. Signum domini Ludwici gloriosissimi regis. Engilperth notarius ad vicem Dietmari archicapellani recognovi. Data 4. Non. Octob. anno incarnationis Domini 892. ind. 7, anno vero regni piissimi regis Ludovici quarto.*

A. 907. *Actum Regina* (id est Ratisbonae) *in D. n. f. A.* Annus Domini corrigendus est, ponendusque 903. si indictionem sequamur, 904. si annum regni. Caeterum nescio, an non verisimilior explicatio sit, ut hengistnoti equorum curam habebant, ita sendmannos habuisse ovium; sunt enim hodieque in Helvetia aliisque superioris Germaniae locis sendae ovium greges; denique ad barschalcos suilli generis curam pertinuisse; est enim „beer" passim Germanis porcus vel aper.

10. Porro tunc reges non ut hodie dicis gratia propinquos vocabant, nec nisi qui essent. Dispiciendum ergo fuerit, unde propinquitas? Nam quod quidam Luitboldum per mares ex Magno Carolo deducunt, patrem Arnulfum, avum Bernardum, proavum Pipinum comitem Lengfeldensem, Bernardi regis Italiae filium faciunt, omni fundamento, omni veritatis specie caret. Vir quidam doctus suspicatur, Luitboldum fuisse filium Ernesti, Ernesto duce Carlomanni regis socero nati, de quo diximus ad a. D. 861. Sed quia objici potest, nullam hinc propinquitatem, qualis hic intelligi videtur, nasci, quia Arnulfus pater Ludovici regis non ex uxore legitima (quae sterilis fuisse scribitur), sed concubina Carlomanni natus est; idem eo inclinat, ut credat, hanc ipsam concubinam Ernesti ducis filiam fuisse; sed hoc parum verisimile videtur, cum Ernestus dicatur procerum optimatum Ludovici Germanici summus; neque dici possit, ut in fratre Carlomanni contigit, conjugium ejus, invito rege patre sponsi contractum, ejus autoritate aut ob propinquitatem forte ab ecclesia irritum factum; nam eam rem in tanta claritate Ernesti scriptores silentio non transmisissent, nec ipse gratiam regis tam diu retinuisset, qua sero demum, et cum generum in patrem stimulasse videretur, excidit. Et narratio Reginonis annaliumque Metensium habet ad a. D. 980, Arnulfum non ex conjuge, sed nobili quadem puella susceptum. Itaque conjugis infoecundae patrem Ernestum esse, credendum est. Luitboldum autem ex puellae fratre vel sorore ortum, verisimile arbritror, nisi Otae augustae propinquum et fratrem aut fratre vel sorore natum facere malimus.

11. Porro Luitboldum gente Bajoarium fuisse, indicant annales Fuldenses ad a. D. 898, ubi inter Bavariorum principes habetur. Patrem ei Arnulfum ascribunt viri docti Pistorius et Gewoldus. Eum scilicet, qui teste Reginone a. D. 891. in praelio contra Normannos cum Sunderoldo Moguntino cecidit; sed eum quidam comitem Aquisgranensem (id est Lothariensis regni palatinum) faciunt, et Brunnerus, *Quis*, inquit, *suffragetur illis, qui hunc nulla alia nota insignem, de cujus neque majoribus neque posteris quisquam veterum indicium fecit, ausi sunt sola hariolandi licentia hujus, de quo agitur, Luitbaldi patrem statuere.* Sed Brunnerus alium de Arnulfo Bajoariorum duce locum annalium Fuldensium praetervidit, qui habent ad a. D. 882. Bajoarios cum principe eorum Arnulfo, Francos cum Henrico missos contra Normannos. Hic ergo Bajoarius utique, non Aquisgranensis comes fuit, an idem illi, qui cum Sunderoldo cecidit, non dixerim, nec refert. Credibile est, a Carolomanno vix biennio ante mortuo Bajoariorum copiis praepositum, marchionis officium gessisse, et sub Arnulfo mox in filium Luitboldum transmisisse, unde nepoti Arnulfo

rata est ad ducatum via. Itaque nomen Arnulfi, a familia receptum, A. 907.
gnitatis seu officii in Bajoaria successio, temporumque consensus con-
ırsu suo fidem faciunt conjecturae. Ab hoc ergo viro florentium hodie
avariae ducum et palatinorum Rheni comitum stirps merito inchoatur.

12. Caeterum pleraque tunc monasteria Bajoariae et minora oppida
ıcensa; hostes transmisso Oeno Isaraque, Chiemenses, Tegerseenses,
ıtingam, Frisingam evertisse, non difficulter Aventino credemus. Nec
ıinus ab altera parte Danubii Altaichium inferius, nobile monasterium,
:hamum oppidum, et quicquid Nariscorum inter Danubium Bohemosque
orrigitur, rapinis, incendiis, caedibusque foedatum est; multa denique
ıillia hominum in servitutem abstracta. Captivi pecorum ritu ageban-
ur, pueris, puellis, mulieribus per capillos colligatis. Quam multi tunc,
criptorum silentio, martyrologiis periere! Cumulat deinde clades Aven-
inus, et a Bajoariis in Francos porrigit: sed aliquot annorum acta in
ınum compegit.

13. Hoc anno synodus apud Viennam Burgundiae ab Alexandro ar-
:hiepiscopo acta est, cujus decretum quoddam Baluzius in appendice
:apitularium affert. Sed memorabilius est, quod idem exhibet inter
Caroli *III.* Francorum regis capitula praeceptum, quo dotem Friderunae
:onstituit, eamque legitimam conjugem suam declarat. *In n. s. et i. T.
Karolus divina propitiante clementia rex . . . Nostri nobiscum regni
negotia tractantes consiliarii, de nostro nos commonuere conjugio . . .
Itaque quandam nobili prosapia puellam, nomine Friderunam, secundum
leges et statuta priorum nobis imperiali connubio sociavimus, regnique
consortem statuimus. Quocirca regali eam more disponentes ditare,
duos ei dotis nomine concedimus fiscos, Corbiniacum in comitatu Laudu-
nensi et Pontigonem in comitatu Pertensi super fluvios Saltum et Brustionem
. . . Quapropter regiae hoc munificentiae edictum fieri ac . . . dilectae
conjugi Friderunae jussimus dari. . . . Signum Karoli gloriosissimi regis.
Arnulfus notarius ad vicem Askerici episcopi recognovit. Dat. 13. Kal.
Maji ind. 10. anno 15. regnante domno Karolo gloriosissimo rege, red-
integrante 10. Actum Attiniaco palatio.* Hanc notitiam primus protulit
Philippus Labbeus parte II. Miscellaneorum. Reginam ante sacratissimum
pignus (id est reliquias) S. Remigii, Remis scilicet, benedictione olei
fuisse delibutam et consecratam, ipse Carolus in praecepto de Corbiniaco
narrat. Mortua Id. Febr., ut docent diplomata Caroli pro monasteriis S.
Germani et Fossatensi. Obitus contigit ante a. D. 918. Liberos ex hoc
matrimonio natos, non constat. Bovonis episcopi Cabillonensis sororem
fuisse, ipsius Caroli charta apud Mabilionem in diplomatico opere ostendit.
Hinc eos supra explosimus, qui a. D. 901 Ogivam Anglam Carolo nuptam
scripsere; nam eam supervixisse marito, constat. Itaque Friderunae con-
jugium praecessit; cujus de obitu agemus ad a. D. 917.

ANNO CHRISTI 908.

Ungari Saxoniam et Thuringiam vastant. In praelio contra eos Burchardus dux
Thuringorum occiditur. Quo itinere in Thuringiam Ungari venerint. — Thurin-

giae ducatus quo jure in Ottonem Saxonem et filium ejus Henricum translatus sit. — Henricus Ottonis ducis filius in Slavos Daleminocios exercitum ducit. Hi Ungaros in auxilium vocant in suum damnum. — Henrici conjugium cum Hatheburge Erwini comitis filia. Improbatum id a Sigismundo episcopo Halberstadensi, tandemque dissolutum ex Henrici voluntate. Tancmarus ei inde natus. Vetus civitas, Erwini patrimonium ubi sita fuerit. — Ludovicus rex Aquisgrani Tungrensi ecclesiae bona confirmat. Ratbodus Trevirensis archiepiscopus adhuc vixit. Ei successit deinde Rutgerus. — Ragenarius comes pristinos in Belgio honores recepit. Diplomata Ludovici regis pro ecclesia Leodiensi. — Consensus comitis in regiis de comitatus rebus donationibus requisitus. Lummensis comitatus est, qui postea Namurcensis. Abbatiae proceribus largitae. — Alanus Britonum princeps obit. Britannia in plures comitatus discerpta. — Biso episcopus Paderbornensis decedit. Sufficitur Theodoricus. — De Wicbertis episcopis Hildeshemensi et Verdensi. — Rudolfus Wirzburgensis episcopus obit.

A. 908. 1. Ungari nupera victoria elati, in mediam Germaniam arma proferre audent. Saxones et Thuringos hoc anno vastatos, continuator Reginonis cum Hermanno Contracto scribit: quanquam Sangallensis et Hepidannus in annum sequentem differant expeditionem. Meo judicio, qui Luitboldo occiso in sinistra Danubii ripa, Nariscos et omnem regionem Danubio Bohemisque mediam, inundarant; incitati jam, et fortasse adjuti a Slavis, perpetuis Francorum et Saxonum hostibus, a Salae fontibus secundi fluminis ductu, non difficulter in Thuringiam penetrarunt. Sunt enim flumina naturales aditus asperarum montibus regionum; qui illic Sudeti dicti, veteribus a Bohemico saltu ad Thuringicum producuntur. Ibi Nariscis proxima est, quae hodie Vogtlandia, id est terra advocatorum, appellatur. Aventinus affectator vetusti sermonis, Boethos vocat. Hinc ergo venienti immani hosti circa Salafeldam (ut arbitror) Burcardus dux cum Thuringorum exercitu et auxiliaribus Saxonum copiis occurrit. Isenacum, quod Spangenbergius nominat, non congruit, nisi hostes per Franconiam venere. Francos autem tunc vastatos, non habetur. Ungaros vicisse apparet; Burcardum ducem caesum constat. Neque ego landgraviorum historicastrum moror, qui pulsos magna strage Ungaros scripsit; nam et in temporibus et in hominibus valde falsus est, qui rem a. D. 972. actam; Burcardum Ludovici cujusdam secundi Thuringorum ducis, annalibus incogniti, successorem facit; denique Saxoniae, Sueviae, Bavariae duces ad praelium advocat.

2. Extincto Burcardo, Thuringia Ottoni Saxonum duci regenda, quantum intelligo, data est, qui solus usu rerum, autoritate, viribus, par tuendae videbatur. Nam difficilibus temporibus virtus favori praevalet. Henricum ejus filium Saxones Thuringosque pariter rexisse, constat ex Witikindo, invito Conrado rege, qui non omnem illi credere voluit patris potestatem; id opinor molitus, ut Thuringos abstraheret, beneficium recens. Sed Henricus virtute sua et populorum favore tenuit auxitque paternum decus. Certe Luitprandus etiam Saxonum et Thuringorum ducem appellat. Idem quoque Sigebertus facit. Neque Hattoni archiepiscopo amicisque ejus suspectis sibi praedia per Saxoniam et Thuringiam abstulisset (ut Witikindus memorat), nisi utrobique rerum potens. Utramque dignitatem necesse est patri debuerit. Conradus enim detrahere conatus est; tantum abest, ut addidisse aliquid credi possit. Nec quisquam novos honores

invadere poterat et in suam familiam inferre, invito rege: retinere paternos, volentibus populis, jus fasque erat. (Et fuisse in ea re maximas populi partes, certum est, ne quis invitis obtruderetur. Nam et Eccardum postea sub Ottonibus communi totius populi electione ducatum Thuringiae promeruisse constat, quod ita intelligo, ut regiam nominationem gens probarit. Et Henricus II. rex Germaniae Henricum comitem, ducatum Bajoariae petentem, ad populi voluntatem, quasi vetusto jure necessariam, rejecit. Utriusque* ducatus exemplum Ditmaro episcopo, optimo Germanici juris interpreti, debemus. Frisii jactant privilegium sibi a Carolo Magno et successoribus datum, ne quis praefectus invitis imponeretur. Sed id commune et tacitum populorum privilegium erat. Nempe ab antiquo omnia magna apud Germanorum populos in conciliis publicis ex communi placito a regibus aut eorum missis agebantur.) Hoc itaque jure etiam Otto a Thuringis receptus est; et Henricus filius Ottonis honores paternos retinuit, quos jam dudum nemo probatus populo, nisi per crimen aut incapacitatem, facile amittebat. Recte ergo Schatenius mea sententia, Ottonem Saxoniae ducem gubernatione Thuringiae autoritate Ludovici regis auctum, scripsit, sive quod Burcardus (ut vult scriptor de landgraviis) improlis excessisset, sive quod filium adultum et moli parem non haberet. Nam juniorem Burcardum Conradi regis generum Thuringiae ab eo (si licuisset) praefectum ex seniore fuisse natum, verisimile est. Caeterum pro Ottone hoc quoque inter argumenta esse potest, quod mox filium trans Salam in Sorabos inter Albim et Elistrum misit, ubi cura limitis ad Thuringiae rectorem pertinebat. A. 908.

3. Ad hunc itaque annum cum annalista nostro refero, vel certe ad sequentem, quod Otto dux (jam scilicet Thuringici limitis custos) Henricum filium aetate animisque florentem, cum magno exercitu in Dalemincios ire jussit, ut Ditmarus initio operis memorat; credo, quod illi Ungaris in Thuringiam irruentibus favissent. Daleminciam idem scriptor ait, ab Albi ad Caminicium usque flumen protensam. Ibi Glomazi fons, binis ab Albi passuum millibus in paludem effusus, praesagis annonae aquis exundare credebatur. Locus hodie Lumitscha dicitur. Caminitium amnem nunc haud satis novimus. Nam qui Kemnitium oppidum praeterfluit, Floae nomine, non bene convenit. Slavos ab Henrico pressos, Hungarorum auxilia evocasse, Witikindus prodit, Saxoniamque vel Thuringiam iterum aut tertio vastatam; sed Dalemincios non minus ab auxiliatoribus, quam ab hostibus exhaustos.

4. Hoc fere tempore consentaneum est, primas Henrici nuptias Merseburgi celebratas, quarum notitiam Ditmaro Merseburgensi episcopo debemus. Erwinus quidam senior maximam antiquae civitatis partem tenebat. Aldeburgum quidam interpretantur, oppidum ad Plisnam amnem, ubi ab antiquo castrum stetisse credibile est, coercendis Slavis; et diu burggravium suum habuit; cujus jus cum titulo deinde in marchiones Misniae transfusum est. Sed credo illis temporibus omnia circa Plisnam

*) Utriusque — debemus *ab Ekardo, ut videtur, expunctis, additum in margine:* adde exemplum Burchardi Suevi sub Conrado I., an. 916.

A. 908. amnem adhuc in Slavorum manu erant. An ergo Burgum vetus mavolemus ad Salam, prope novum seu prope Naumburgum. Hodie villa est servans Altenburgi nomen, vulgo Almerg* ab antiquis ruderibus, fuitque deinde cum regione in Ottonis Magni patrimonio, qui fundato a se episcopatui Naumburgensi applicuit. An potius antiquam civitatem Alstedi vocabulo Germanice reddi statuemus, quod oppidum facilius censeri possit comitis sedes, cum etiam palatinos Saxoniae aliquando illic habitasse constet; et fuisse videtur in Halberstatensi dioecesi ex vetere circumscriptione. Unum objici possit, quod a Merseburgo longius distat. Sed hoc parum stringit. Sed nomine Antiquae civitatis ipsum Merseburgum accipere possis, vel ejus urbis partem antiquiorem, si stamus lectioni codicis antiqui, ex quo Ditmarum integritati suae restituimus, ubi Erwinus dicitur in urbe *praedicta, quam* (inquit Ditmarus) *antiquam civitatem nominamus*, maximam partem tenuisse. Nempe Merseburgi pars tunc dicta fuerit *die Altestat*, Palaeopolis, in discrimen partis serius adjectae, quae passim in urbibus *die Neustat*, Neapolis, dici solet. Et hanc interpretationem verisimiliorem judico. Merseburgi suae antiquitatem ipse paulo ante Ditmarus jactaverat, quasi illic opus Romanum Julii Caesaris olim stetisset: nempe firmiora opera ultra quam Germanis solitum, vulgo ad Romanos jam tum referebant. Filias binas haeredes patrimonii sui reliquit, quarum alteram Hatheburgem visam et amatam, etsi viduam et velatam, Henricus, amicorum opera persuasam, duxit; et nuptiis peractis, ad Merseburgum oppidum vicinos convocavit. Ibi laute habiti convivae, familiaritatem in novo domino amavere. Florebat tunc Sigismundus Halberstadensis episcopus, cujus ad dioecesin locus pertinebat: nam Merseburgensis aliique episcopatus nondum inde decerpti erant. Is divinarum humanarumque rerum scientia plerosque sui temporis praecellere credebatur; tantisque dotibus eminentem pietatis laudem adjunxerat. Intellecto igitur juvenis cum muliere Domino velata matrimonio, viri zelus exarsit. Memoravimus supra, quibusdam canonibus capitulisve definitum, uti vidua, etiam, quae privatim velum sumsisset, ad seculum, ut loquuntur, non rediret. Aliis videbatur nihil actum velatione, nisi episcopi autoritas intervenisset. Sigismundum facile crediderim pro sententia rigidiore stetisse. Itaque per literas nuntiumque, interdicto usu matrimonii, ambos ad synodum vocat. Henricus ad aulam contendit, et patris commendatione principisque juvenis amicitia, facile impetrat, ut dilata excommunicatione, quam intentabat episcopus, causa ad regem, id est ad synodum quandam coram rege moderatore habendam, evocaretur. Ad Ludovicum hoc pertinere puto, non, ut Ditmarus insinuare videbatur, ad Conradum, quod chronologiae circulos turbaret. Apparet tamen, mox sive sponte Henrici, qui jam Tancmarum filium ex conjuge susceperat, sive judicio episcoporum, irritum conjugium habitum. Henricus enim ad alios amores animum adjecit.

5. Ludovicus interim rex, sive ut longe a malorum conspectu abesset, quibus mederi non poterat, sive ut vires corrogaret, aliquamdiu apud

*) Alberg *corr.* Almerg *Leibn.* Almerch *correxit Eckard.*

Lotharienses egit, et luculento praecepto, apud Aquas Grani dato, Stephano episcopo facultates Tungrensis ecclesiae confirmavit, recognoscente ad vicem Ratbodi archicancellarii Ernuldo, an Ernulfo? Itaque vixit adhuc Ratbodus. Quomodo ergo Regino historiam Adalberoni Treverensi episcopo inscripsit, deductam, ut ipse ibidem ait, ad ipsum annum, quem ait* ab incarnatione Domini nongentesimum octavum. Sed dicendum est, Adalberonem nonnisi chorepiscopum apud Treviros fuisse. Albericus ad a. D. 905. archiepiscopum Trevirensem, quem Tukerum (lego Rutgerum) vocat, compilasse librum decretorum, et ad Dadonem Verdunensem misisse scribit. Rutgerus Ratbodo successit. A. 908.

6. Gerhardum comitem, Matfridi fratrem nuper rebellem, jam non amplius in vivis fuisse, Ragenarium autem in Belgium et ad honores pristinos redisse, apparet ex alio diplomate regis, quod apud Miraeum in notitia ecclesiarum Belgii extat. Abbatiam Heribotesheim, Gerhardo quondam comiti ob crimen ademtam, rex Stephano Leodiensi episcopo, affini ejus (uxoris, credo, fratri), destinarat. Ille non sibi, sed suae ecclesiae dari petiit impetravitque. Eidem rex confirmat Laubacensem abbatiam, in comitatu Hainuensi Sigehardi sitam, a patre suo Arnulfo augusto concessam; et fiscum Tectis, a rege Suendipolcho in comitatu Liuuensi ejusdem Sigehardi datum; at Fossas abbatiam, per praestariam a Gisla abbatissa, regis consanguinea, acquisitam, in pago ac comitatu Lummensi (cui tunc comes Berengarius) sitam; teloneum item et monetam de Trajecto, regia donatione, consentiente Albuino tunc comite, in ecclesiam Leodiensem translata. Haec acta ad intercessionem *Herimanni archipraesulis, Gebehardique* (sic legendum) *et Reginharii comitum. Ernuldus cancellarius ad vicem Ratbodi archicancellarii recognovit. Dat. 5. Kal. Feb. a. inc. dom. 908. ind. 11, anno regni Ludovici 8. Actum Aquisgrani palatio.*

7. Hic notatu dignum est, ad regiam de comitatus rebus donationem, aliquando adhibitum tunc comitis consensum. Necessarium tamen habitum, non ideo affirmarim. Illud constat ex Adalberti Francorum et Erchingeri Allemannorum principis casu, saepe indignatos regii juris administros, cum res fisco subtractae ecclesiis tribuebantur, quasi rem suam amisissent; paulatim enim gubernationem in jus vertebant. Porro Lummensis comitatus idem est (Miraei judicio), qui Lomensis, Lomacensis seu Namurcensis. De Gisela, Ludovici regis consanguinea, diximus ad a. D. 897. Pene etiam in jus ierat, ut abbatiae proceribus comedendae darentur, quasi ad sustinenda rei publicae munia. Itaque Stabuloam in Adelardi comitis de rupe Ardennae potestate fuisse, Albericus notat ad a. D. 905.

8. Alani Britonum principis mortem in hunc annum referunt; qui strenue rexerat gentem, et a Normannorum oppressione vindicarat. Ex eo sine duce aliquamdiu Britannia** fuit, in plures dilapsa comites; quorum nec virtus, nec autoritas arcendis hostibus par erat. Ita Normanni iterum graves fuere. Caroli torporem non excitavit tam pulchra occasio recuperandae regionis ***.

9. Hoc etiam anno Bisonem Padebornensem episcopum vitam cum

*) *expunxit Eckard. et post octavum addidit* nominat. **) *Eckard. addidit.*
***) *huic capiti ex Lobineto excerpta addenda esse, in margine monuit L.*

A. 908. morte commutasse, Schatenius suadet, quod ab autore vitae Meinwerci viginti tres annos in episcopatu exegisse dicatur. Successit Theodoricus, cujus nihil aliud scitur, quam quod novem annis sedit, prodente eodem autore. Biso obiit 5. Idus Sept. ex veteri necrologio Herisiensi.

10. Huc etiam referenda videri posset mors Wicberti, ex stirpe Witikindea episcopi Verdensis, de quo aliquoties dictum est. Necrologo enim Fuldensi hic nominatur *Wicbraht episcopus*. Sed malim referre ad cognominem Hildesemensem, nam idem alios Hildesemenses praesules priores posterioresque annotavit. Wicbertum interim chronicon Verdense a nobis editum ex progenie Witikindi Saxonum ducis ortum notat. Et praeter nomen Wicberti, Witikindeae genti usurpatum, favet, quod omne suum patrimonium, quod in Westfalia habuit, permissu Arnulfi regis in suam ecclesiam transtulit, addito hujus privilegio, ne qua judiciaria potestas illic exerceretur a regiis magistratibus. *Actum Forachkeim a. D. 890.* Patrimonium ejus tabulae regiae collocant in locis Wyeneswald, Ballâna, Muchuris, Ghevetum, Heribrunno, quorum situm aliis indagandum transmitto. Idem chronicon addit, a rege Ludovico impetrasse ecclesiae S. Mariae, S. Caeciliae et S. Fabiani in Verda 12 mansos in villa Walidi, in comitatu Servatii sita; obiisse episcopum 6. Idus Sept. Bernarius (id est Wernerus) ei successit. Filius fuit primogenitus Walberti, nepos Wicberti Witikindo Magno nati. A patre datus in ecclesiae sortem, Wildeshusano conventui paternae fundationis praefuit, capellanum apud Ludovicum Germanicum egit, episcopatum Verdensem a rege accepit ac diu rexit. Videantur quae de Wildeshusae fundatione diximus ad a. D. 871.

11. Rudolfus etiam Wirziburgensis praesul, prima fax belli inter fratres suos et Adalbertum, eodem Fuldensi necrologio teste, vitam cum morte commutavit.

ANNO CHRISTI 909.

Ungari in Allemanniam irruunt. — Synodi Troslejanae contenta. Unde status ecclesiae hujus temporis patet. — Error scriptorum de Luitgarde, Ottonis Saxoniae ducis sorore, Ludovico Arnulfi filio in matrimonium data. — Donatio Ludovici regis ad Limburgensem ecclesiam. Halberstadensibus libera episcoporum electio concessa.

A. 909. 1. Ungarorum tanta jam potentia erat, tantus in vicinos terror, ut Graecos etiam ad pendendum tributum adegisse scribantur. Iidem pronis successibus usi, Germanos respirare non sinebant. Magna eorum manus in Allemanniam sive Sueviam irrupit, cum alibi vastitatem fecissent. Per Bavariam transmisso Lyco venisse verisimile est; flumina illis pleraque, ut hodie Tartaris, pervia erant, assuetis viris equisque ad nandi facilitatem. Incolis in avia aut munita loca confugientibus, oppida, villae, monasteria et quicquid locorum apertum erat, injectus ab hoste ignis hausit, corruptaque, quae auferri non possent. Loca singulatim non nominantur, crediderimque, magis discursu, quam mora nocuisse hostem, nec obsidiones tentasse, sed obvia praeda contentum fuisse. Tartarorum mos hodie est, ut fluminum ductu ascendentes, globum in minores amnes majoribus influentes, ac denique in rivos partiantur. Ita vix quicquam pla-

sitici intactum relinquunt. Eodem ritu Ungaros sparsos per regionem, cuncta vastasse apparet, quo usque inviis, aut suspectis saltibus non arcebantur. A. 909.

2. Laborabat clerus sub procerum violentia, quibus reges ipsi obnoxii erant; adolescente in Germania regnante, Galliae autem principe etiam virilibus annis quasi sub tutela agente. Itaque synodus necessaria videbatur ad res ecclesiarum tuendas; quam tandem Herivaeus in Remensi provincia a Carolo rege obtinuit. Ea ad Trosleium non procul Suessionum urbe habita est. Vicus est pagi Suessionici ad Axonae ripam, cui hodie Troli nomen, ubi et alia postea concilia a. D. 925. et 927. habita. Praesens celebrari coeptum est 6. Kal. Jul. ind. 12. a. Dom. 909. Subscripsere decretis Herivaeus Remensis, Wito Rotomagensis archiepiscopi; tum suffraganei Remenses, Rodulfus Laudunensis, Erluinus Bellovacensis, Raubertus Noviomagorum, Letoldus Catalaunorum, Abbo Suessionum, Stephanus Cameracensis, Hucbertus Meldensis, Otfridus Sylvanectensis, Stephanus Morinorum, Otgarius Ambianensis. Verbosis decretis nihil admodum agitur; multa veterum canonum patrumque loca citantur. Regem frigida prolixitate monent episcopi, ut se a recte agendo dictum meminerit. Ea Isidori etymologia affertur. Monasteriorum res prolapsas deplorant. Abbates etiam regulares, ajunt, codice oblato, illud Isaianum respondere, *nescio literas*. Monachos iis operam dare, quae etiam bonis laicis indecentia et turpia sunt. Tum in sacrilegos debacchentur patres, rerumque ecclesiasticarum invasores. Queruntur etiam, census passim, et xenia et pastus exigi a sacerdotibus, paraveredosque et caballorum saginationes: cum Ludovicus Pius constituerit, mansum ecclesiae datum omnis oneris immunem esse debere. Praedones deinde damnant, sed maxime puellarum raptores. Neque enim, nisi dotatas, et a parentibus traditas, per benedictionem sacerdotum accipiendas, quorum in parochia nuptiae fieri debent. Clericis, jam nimis in libidinem projectis, frequentatione mulierum interdicitur, ne non suas tantum animas, sed exemplo etiam alienas perdant. Volunt tamen, septem testibus convinci debere presbyterum; tribus infamatum purgari posse, non tam innocentiae, ut apparet, quam ordini faventes. In perjuros renovandam censent manus amittendae poenam. Sed maxime in homicidas cumulant principum leges, queruntarque jam et summorum Christi sacerdotum sanguinem temerarie effundi: regis et judicum esse, in tantum scelus ferrum stringere: sin minus, exsurrecturum Deum, et causam suam judicaturum. Prohibent, ne a potentioribus in res defuncti episcopi involetur, qui tunc mos inoleverat; et ex concilii Valentini praescripto etiam propinquos ejus abstinere manum ab haereditate et expectare jubent, donec suffecto successore, haereditaria ab ecclesiasticis discernantur. Et quia in oriente Photii cujusdam vigeat blasphemia, qui Spiritum sanctum non a Filio, sed tantum a Patre procedere dictitet, hortatur antistes suffraganeos, ut secundum admonitionem apostolici pontificis operam conferant, ad confodiendam belluam acutis sententiis scripturae sacrae et catholicorum patrum. Haec an ex vetere Nicolai ad Hincmarum epistola, an novis pontificum Romanorum hortatibus

A. 909. processerint, haud constat. Postremo admonetur, quanquam ecclesia a capite Christo super Petram, id est, super confessionem Petri (sic interpretantur) aedificata sit; quia tamen constet, per omnem Italiam, Gallias et Hispaniam ecclesias nonnisi ab his erectas, quos venerabilis Petrus aut successores ejus sacerdotes constituere; eo magis tenendam esse fidem catholicam, quam illi docuere (cujus brevis summa adjicitur), et bonis operibus adornandam.

3. Witikindus, Ursbergensis et alii scribunt, Ludovico regi Luitgardem, sororem Ottonis ducis, nuptam. Matrimonium annales nostri inediti* in hunc annum referunt; quanquam addant, liberos ex eo nullos extitisse. Sed Witikindum memoriae vitio aut negligentia lapsum, res ipsa ostendit, caeterosque in errorem induxisse. Repugnant tempora, cum oporteat jam vetulam fuisse Ludolfi filiam, quae nunc nupserit; repugnat Roswita, quae sorores omnes Ludolfo natas enumerat. Sed, ut rem absolvam, certissimum est ex superioribus, Luitgardem filiam Ludolfi, sororem Brunonis et Ottonis ducum, in matrimonio fuisse Ludovici regis Germaniae, sed secundi, cui Carolomannus et Carolus Crassus fratres fuere; sed filium natum non superfuisse. Itaque Witikindi errorem dudum Meibomius annotator redarguit. Rex adolescens ante matrimonium decessit.

4. Ludovicus ut Limburgensis seu Lintburgensis aedis substructioni faveret, cujus fundamenta nunc in pago Loganagau jacta sunt; praedium Brechene Conrado dilecto comiti, filio Eberhardi, dedit. Eberhardum intelligi arbitror, qui a. D. 902. in praelio cecidit. Conradus erit, qui postea dictus est Curcibeldus, aliquoties nobis memorandus. Plura hac de re dicemus ad a. D. 918. Diploma, unde haec sumta sunt, ad a. D. 911. differemus. Regio etiam praecepto Halberstadensibus cautum est, ut ex ecclesiae gremio eligere episcopum, aut si e re publica videretur, extraneum postulare possint; quod chronicon nostrum memorat. A Guilielmo Budaeo Halberstadensium medico, in historia patria versatissimo, in vita Alberti II. episcopi, referuntur literae Ludovici regis, quae habent, datum hoc intercessioni Hattonis archiepiscopi Moguntini, et Wiperti episcopi Verdensis, et Ottonis comitis (quem vulgo ducem Saxoniae appellamus), et Burcardi comitis (ejus, opinor cum Sagittario, qui Allemanniam regebat et post biennium interfectus est) a. D. 909. septimo Augusti. Id privilegium Ottones, et Henrici, et Adolphus Nassovius, aliique reges aut caesares confirmarunt. In anno erratum putem; nam Wicbertus superiore decessit**.

ANNO CHRISTI 910.

Clades ab Ungaris in Francia accepta. In ea Gebehardus patruus Conradi regis cecidit. Ejus liberi. Diploma Hattonis suspectum. Diploma Ludovici regis Ingelhemi datum. — Fundatio monasterii Cluniacensis per Guilielmum comitem Arvernorum et Bituricensium ducemque Aquitaniae. — Cluniacum mox caput Benedictinae reformationis et celeberrimum factum. Vita et mores monachorum loci. — Cur se Guilielmus ducem vocet. De majoribus ejus et uxore. — Adalgarius Hamburgensis archiepiscopus obit. Succedit Hogerus. — Mors et elogium Adalberonis episcopi Augustani.

*) *delevit Eckard.* **) In anno — decessit *expuncta ab Eckardo.*

1. Ungari iterum Germaniae ingruunt; et cum praeterito anno * ex A. 910.
Nariscis in Thuringos perrexissent, nunc ad laevam versi, in Francos contendunt. Pugnatum est in confinio Franciae et Bavariae, non procul Noriberga, credo; aderant quoque Bajoarii et Allemanni, Hepidanno teste. Ludovicum ipsum regem praefuisse copiis, significat Lambertus Schafnaburgensis, qui pugnasse eum cum Ungaris victumque scribit. Ibi male a Germanis pugnatum est; qui tot cladibus perculsi, aegre jam conspectum barbari hostis ferebant; tantum a majorum virtute desciverant, procerum culpa, qui regi pro arbitrio parebant. Ibi Gebehardus comes cecidit, patruus Conradi mox regnaturi, relictis duobus filiis pueris, Udone et Herimanno, quos historia sequens memorabit. Herimannus is esse videtur, qui a. D. 926. ad ducatum Allemanniae pervenit. Udo is erit, quem Conradus rex consanguineum vocat in diplomate Ultrajectinae ecclesiae dato a. D. 914, et cujus ad comitatum pertinebant praedia, ab eodem Laureshamensibus in pago Ringoviensi concessa. Rex praelio toties inferior, deinde pacem auro mercatus fertur; an in unum alterumve annum tantum, haud dixerim; certe biennio abhinc rediere hostes. Gebhardus hoc ipso anno 8. Idus April. diplomati Hattonis intervenisse scribitur, quod apud Browerum in Fuldensibus (sed mihi suspectum) extat, in hunc sensum: *Ego Hatto, Dei gratia et misericordia dispensante Moguntiacae ecclesiae archiepiscopus, regnante domino Ludvico gloriosissimo rege et residente in palatio Triburiensi, cum reverentissimo abbate Huggi Fuldensis monasterii, caeterisque ejusdem monasterii fratribus et clericis .. quicquid proprietatis habui in Massenheim marcha et in Wicaimo marcha, et in Rauersheimo marca, et in Geraha marca, et in Lichsamene marca, hoc totum in manus Gebhardi comitis et Chunradi comitis* (postea regis) *dedi, ut cum omni integritate ad sepulturam pretiosissimi Christi martyris Bonifacii in monasterio Fuldensi traderent. Datum palatio Triburiensi coram rege Ludvico; qui et conscribi et sigillo suo insigniri jussit anno dominicae incarnationis 910. indict. 13, anno vero domini Ludvici serenissimi regis 11. octavo Idus Aprilis. Hatto in Dei nomine archiepiscopus et cancellarius has literas, jussu meo scriptas, recognovi et manu propria subscripsi. Signum Gebehardi et Chunradi comitum, qui easdem traditiones rerum fideli manu susceperunt, ut eas S. Bonifacio martyri fideliter delegarent, et praecepto regio confirmarent.* Hae tabulae suspecta sunt. Cur per circuitum, non recta Fuldensibus suis dedit, et regium praeceptum procurat? Cur praeceptum non regium recognoscit? Denique cancellarium se non recte appellat. Rex ipse circa finem anni ad Rhenum egit, et ad Hattonis archiepiscopi Gebehardique comitis intercessionem canonicis in Caprae monte praedia, in comitatu Leuchia sita, et nominatim Mortarium locum confirmavit. *Theodulfus notarius ad vicem Ratbodi archiepiscopi et cancellarii summi recognovi. Data 5. Id. Nov. anno dominicae inc. 910. ind. 13. anno Ludovici 10. Actum Ingelenheim.* Gebhardum comitem eum esse suspicor, quem ad a. 908. pulsum diximus, et qui nunc restitutus videtur.

2. Guilielmus, cognomento Pius, comes Arvernorum et Bituricensium,

*) p. a. *expunctis nuper superscripsit Eckard.*

A. 910. qui et dux Aquitaniae passim appellatur, nunc, testibus Ademaro et Malleacensi chronico, monasterium Cluniacense fundat: *Ego Wilhelmus, dono Dei comes et dux ... ob amorem Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, res juris mei sanctis apostolis Petro videlicet et Paulo trado, Cluniacum scilicet villam, quae sita est super fluvium, qui Graona vocatur, cum cortili et manso indominicato et capella, quae est in honore S. Dei genitricis Mariae, et sancti Petri apostolorum principis ... quae etiam res sitae sunt in comitatu Matisconensi vel circa ... Dono autem haec omnia ... ego Wilhelmus et uxor mea Ingelberga ... pro anima senioris mei Odonis regis, pro genitoris ac genitricis meae, pro me et uxore mea, salute scilicet animarum nostrarum et corporum; Avanae nihilominus, quae nobis has res testamentario jure concessit; pro animabus quoque fratrum et sororum nostrarum, nepotumque atque omnium utriusque sexus propinquorum; pro fidelibus nostris, qui nostro servitio adhaerent; pro statu etiam ac integritate catholicae religionis. Postremo vero, sicut omnes christiani unius compage caritatis et fidei tenemur, ita pro cunctis, praeteritorum scilicet, praesentium sive futurorum temporum orthodoxis, haec donatio fiat. Eo autem dono tenore, ut in Cluniaco in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli monasterium regulare construatur, ibique monachi, juxta regulam B. Benedicti viventes, congregentur ... Praecipimus autem, ut maxime illis sit refugium, qui pauperes de seculo egressi, nihil secum praeter bonam voluntatem attulerint ... Sint ipsi monachi cum omnibus praescriptis rebus sub potestate et dominatione Bernonis abbatis. Post discessum vero ejus habeant potestatem, quemcunque sui ordinis eligendi ... Obsecro vos, o sancti apostoli Petre et Paule, et te pontifex pontificum apostolicae sedis, ut alienes a consortio sanctae Dei ecclesiae et sempiternae vitae praedones et invasores atque distractores harum rerum ...* Post multas denique in hos maledictiones poena sancitur, centum auri librae, cogente judicaria potestate solvendae .... *Actum Bituricae civitatis publicae. Ego Wilhelmus hanc autoritatem fieri et firmari rogavi, ac manu propria roboravi. Sigillum Ingelbergae uxoris ejus. Sigillum Madalberti peccatoris, Bituricensis archiepiscopi. Signum Adalardi peccatoris episcopi. Signum Attonis peccatoris episcopi. Signum Willelmi nepotis ejus. Signum Armanni et aliorum.*

3. Hoc est, quod vocant, Guilielmi Pii testamentum, insertum etiam tomo conciliorum IX. novissimae editionis*; merito monasterii, quod intra breve tempus mirifice opibus et autoritate crevit, et disciplina monastica restaurata, caput Benedictinae reformationis effulsit; ut jam sub Roberto rege, centum abhinc annis, Odilo Cluniacensis abbas in carmine Adalberonis episcopi Laudunensis rex monachorum appellaretur. Berno, Balmensis antea abbas, initio non ultra duodecim monachos Cluniaci constituit: sed fama loci aucta, et numerus crevit, ut mox in omnem Europam coloniae mitterentur, expetentibus principibus episcopisque. Carnibus abstinebant, per magnam anni partem prandio carebant, vino parcissime utebantur, silentium plerumque observabant et pro voce signa

*) *n. e. delevit Eckard.*

adhibebant. His animos hominum in se convertebant; quae difficultate placent, nec cuivis imitabilia sunt, praesertim inter populos ad septentrionem vergentes. Sed juvant magis, quam faciunt virtutem. Recte precibus studiisque labores manuum conjungebant et educationem juventutis curabant. Aegri exitum morbi providentiae committebant, consilio plerumque haud reprehendendo in tanta ambiguitate medicae artis; quae tamen, ut auguror, paulatim caput in clariorem lucem attollet. A. 910.

4. Guilielmus se ducem vocat; ea tunc potentiorum comitum appellatio erat, qui non tantum jura dicebant, sed et copiis praeerant ad fines regni tuendos, et proinde passim marchiones dicebantur; quod honoris nomen patri ejus Bernardo impositum aliquoties vidimus. Sed et avus Bernardus, proavus Rainaldus, Pictavii comes, memorantur. Ingelberga uxor Bosonis filia erat, Ludovici regis Arelatensis, augustum se ferentis, soror etiam per matrem, ut apparet ex alia charta Wilhelmi, quam Mabilio dedit sec. IV. Bened. part. 2. De morte ejus et successore agemus ad a. D. 918, ubi plura de eo dicemus.

5. Hoc anno, et quantum ex antiquissimo necrologio Fuldensi intelligi potest, ante aestatem, obiit Adalgarius Hammaburgensis archiepiscopus, *cui Hogerus* successit, quem ex Corbeja nostra adjutorem assumserat, qualem ipsummet olim Rembertus Adelgarium sub Warino, jam primo revera abbate. Illic monachi habitum gessisse, habet indiculus fratrum ad Bodonem usque abbatem seculi XIV. productus, quem Petrus Wisselbeccius ad chronicon suum Huxariense, in anno 1496. finiens, adjunxit apud Paulinum. Adamus Bremensis scribit, gravatum senectutis pondere Adalgarium, adjutores a summo pontifice accepisse vicinos episcopos (de quibus ad a. D. 905.), et in eam rem ad manum esse Sergii utriusque privilegia. Sed unum his temporibus Sergium III. novimus. Ego Adalgarium vicinis commendatum arbitror. Adamus 7. Idus Maji a. D. 909. migrasse prodit. De die fidem facile habeo; dies enim anniversariae memoriae causa diligentius in ecclesiis observari solent. De anno magis nostro necrologio credo, quod continet notationes contemporaneorum. Sepultus est in S. Michaelis monasterio, quod ipse tumbae magistri imposuerat. Successit Hogerus, de quo Adamus addit, per contentionem a Coloniensi archiepiscopo ordinatum, pallium a Sergio papa obtinuisse, ferulam a Ludovico rege: caetera ejus ignorari, nisi quod disciplinam ecclesiasticam egregie tutatus dicatur. Literas Sergii pallium mittentis, dabimus anno sequenti.

6. Adalbero etiam episcopus Augustanus hominem exuit 12. die Junii, qua sanctis eum menologia ascribunt. Eruditione et sapientia claruisse; musica etiam arte excelluisse, et quod caput est, magnae in regno autoritatis fuisse, cum aliunde apparet, tum ex vita Udalrici discipuli ejus et (ex intervallo) successoris. Venerabilem et inclytum Hermannus Contractus agnoscit. Inter laudes refero, quod creditam sibi ab Arnulfo augusto Laurishamensis monasterii administrationem non longius tenuit, quam ad restituendum disciplinae vigorem opus videbatur; et quinto anno expleto, fratrum electioni reliquit. Sed quantum apparet, Hatto Moguntinensis archiepiscopus mox ejusdem monasterii administrationem assumsit.

ANNO CHRISTI 911.

Leo imperator Constantinopolitanus obit. Ejus scripta, liberi, eorumque fata. — Chronologia pontificatus Sergii III. papae. Is hoc anno, cum usque in mensem Majum vixisset, obiit. — Sergius mense Majo adhuc vixit et Hegero Hamburgensi archiepiscopo pallium misit. Excerpta ex literis ejus. — Sergii III. epitaphium. — Frodoardi versus de Sergio III. ex epitaphio expressi. — Res in Italia gestae. Adenulfus Beneventi et Capuae princeps obit. — Henrico Saxoni hoc anno Mechthildis desponsatur. Dotalitium illius. — Mechthildis genus ex Witikindo M., pater et fratres ejus. Ringelhemensis monasterii fundatio. Oldenburgii comites veteres ex Witikindo derivari possunt. — Mechthildis sorores et frater Rupertus archiepiscopus Trevirensis. — Induciis Normannicis finitis, in Gallia ad arma reditur. — Normanni Neustria Burgundiaque vastata in obsidione Carnotensis urbis cladem accipiunt. — Normanni Francis conciliantur. Datur eis regio sub Francico regno possidenda. Christi sacra suscipiunt et Rolloni duci Gisela filia regis uxor datur. — Rollonis pacificatio cum Carolo rege. Ceremoniae in hoc actu observatae. Rollo baptizatur. Normannia nova Britonum parte augetur. — Ludovicus rex Germaniae obit nondum uxore ducta. — Comitia procerum Germaniae, in quibus magna praesulum autoritas. — Proceres Germaniae seculares. — Burchardus Allemanniae dux occisus filium habuit Burchardum, patrem Adalbertum. — Electio regum apud Germanos quae fuerit. Carolus Simplex, licet natalium ratione ad regnum venire potuisset, cur praeteritus sit. — Otto Saxoniae dux regno dignus judicatus, illud Conrado cessit. — Conradum praeter Saxones et Francos etiam Allemanni et Bajoarii in regem recepere. — Conrado ad regiam dignitatem profuit cognatio cum Carolingis. — Quomodo Conradus Carolingis cognatus fuerit. — Diploma Ludovici regis, in quo Conradum fidelem nepotem appellat. — Conradus rex male ab Udone fictitio Eberhardi Begone nati filio derivatur. Nec a Conrado comite Parisino venire potest. Neque hic a Begone ortus est. — Conradi regis avus fuit Werinherus Franciae administrator. — Werinherus avus Conradi regis descendit a Warino, qui in Allemannia sub Carolo Martello, Pipino et Carolo M. floruit et S. Othmarum afflixit. — Ulterior hujus sententiae confirmatio. — Videtur et Rudolfus, pater Fastradae Caroli M. uxoris ex Warini familia fuisse. Wormatiae et ille et hujus familia allodialia sua bona habuit. — Tabula, qua modo dicta oculis subjiciuntur. — Conradus non alio quam Francorum antecedentium jure moreque regit. — Lotharienses se Carolo Galliae regi commisere. Eos Henricus Auceps demum Germaniae regno iterum conjunxit. — Egmondense coenobium fundatur a Theoderico comitum Hollandiae satore.

A. 911. 1. Hoc anno Leo, orientis imperator, Ludovicus rex Germaniae, Sergius denique Romanus pontifex obiere, novaque rerum series orta est, Carolingis in Germania extinctis. Leo cum paulo ante obitum Constantinum filium septennem augustum nominasset eumque fratri Alexandro commendasset, tum fratrem imperii consortem fecisset; excessit e vivis undecima Maji die, postquam annos viginti quinque et amplius imperarat. Doctrina excelluit, eoque Sapientis cognomen tulit. Baronius ejus scripta enumerat, quae in Vaticana bibliotheca extant; in quibus sunt orationes triginta tres, festis diebus aut in sanctorum virorum honorem pronuntiatae. Tactica quoque ejus extant, sive de instruendis aciebus. Sed potissimum operum Basilica sunt, a Basilio patre coepta, a Leone absoluta, quibus diversae Corporis Justinianei partes in unius operis consonantiam redactae sunt; cui tandem novissima recensione ultimam manum imposuit Constantinus, Leonis filius. Et nos maximam partem cura Caroli Hannibalis Fabrotii typis regis Parisinis editam habemus. Alexander nonnisi tredecim menses fratri supervixit. Inde tutores rem publicam administra-

runt, quos inter Nicolaus patriarcha, pulso Euthymio ab exilio revocatus; donec Romanus imperium invasit, liberosque suos pupillo praeposuit; qui mox patrem relegavere, vicissimque ipsi tandem a Constantino in monasterium trusi sunt: sed ea suis locis attingemus. A. 911.

2. Sergium a Johanne IX. pulsum, septem annis in exilio latuisse, septem et amplius annis revocatum Romae sedisse, Frodoardus scribit. Sed numeros rotundavit. Johannes IX. et Benedictus hujus successor, Augusto mense a. D. 900. literas ad Gallos scripsere; ille ad Heriveum Remensem, hic ad clerum Lingonensem. Itaque hoc mense obiit Johannes, Julio a. D. 898. praeesse coepit; quia duobus annis cum dimidio mense sedisse scribitur. Ordinatus autem est, postquam Lambertus imp. electioni assensit; aliquamdiu enim res in suspenso fuit. Sed jam ante sententiam imperatoris Sergius pulsus erat, re utrinque per vim et tumultum acta. Quod si Majo mense aut prius contigisse ponamus, quo mense postea ab exilio ad pontificatum pervenit, a. D. 904, utique tunc septimus jam annus exilii coeptus erat. Facile autem admitti potest, epitaphii autorem, et qui eum secutus est, Frodoardum, *septem volventibus annis* (quod utrobique legitur), coeptos exilii pro completis designasse. Porro septem anni sedis ad numerum annorum 904. additi, dabunt nobis annum praesentem. Annum tamen octavum sedis coepit. Nam Rubeus documentum vidit anno octavo Sergii indict. 14. Ravennae datum; et simile, cui mensis etiam Majus adjectus, Philippus Caesar edidit in Triapostolatu septentrionis, Lambeciusque in chronologia rerum Hamburgensium repetivit. Unde rursus apparet, jam Majo mense a. D. 904. pontificatum tenuisse: ut credibile sit, ea aestate extinctum, et Anastasium non multo post surrogatum; neque enim verisimile est, Ludovici orbi, nomen caesaris inane gerentis, consensum pro ordinatione expectatum.

3. Sed ipsas Sergii literas, pallio misso additas, excerpere e re erit. *Sergius episcopus servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri nostro Hogero archiepiscopo sanctae Hammaburgensis ecclesiae* . . . (Habet deinde non spernenda vitae gubernationisque praecepta) *Ecce, frater carissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii: quae si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiae suae protectione circumdet ..... Scriptum per manus Johannis, scriniarii sanctae Romanae ecclesiae, in mense Majo indictione decima quarta. Bene vale. Data in Kalend. Junii per manum Theophylacti, sacellarii sanctae sedis apostolicae, anno Deo propitio pontificatus domini Sergii summi pontificis et universalis papae in sacratissima sede B. Petri apostoli 8. indict. 14.*

4. Manlius Baronio ex deperditis dudum monumentis Vaticanae basilicae epitaphium Sergii cum aliis descripsisse dicitur. Rasponus in Lateranensi tumulatum scripsit, quod verisimile videri possit, quia eam a fundamentis refecit. Et tamen ipso, ni fallor, epitaphio refellitur, quod ita habet:

Limina quisquis adis papae metuenda beati, [an Petri?]
Cerne pii Sergii excubiasque Petri,
[an exuvias, Sergii scilicet, Petri etiam dicti]

A. 911.

Culmen apostolicae sedis qui jure paterno
[id est more patrum]
Electus tenuit, cum Theodorus obit.
Pellitur urbe tamen, pervadit sacra Johannes,
Romuleosque greges dissipat ipse lupus.
Exul erat patria septem volventibus annis,
Post populi multis urbe redit precibus.
Suscipitur, papae sacratur sede recepta,
Gaudet, amat pastor agmina cuncta simul.
Hic invasores sanctorum falce subegit
Romanae ecclesiae judiciisque patrum.

Unde credi potest, synodo eum habita in Formosi, Johannis IX. aliorumque memoriam detonuisse.

5. At Frodoardi versus ex epitaphio fere expressi hi sunt:

Sergius inde redit, dudum qui lectus, ad arcem
Culminis: exilio tulerat rapiente repulsam,
Quo profugus latuit septem volventibus annis.
Hinc populi remeans precibus, sacratur honore
Pridem assignato, quo nomine tertius exit
Antistes: Petri eximia quo sede recepto
Praesule, gaudet ovans annis septem amplius orbis.
Ipse favens cleri censura in culmine rapto
Falce ferit pervasores. Quo rebus ademto
Humanis, in Anastasium sacra concinit aula.

Nempe Romam venit Frodoardus (ut ipse testatur), monumentaque inspexit sub Leone VII, in quo opus claudit.

6. Berengarium nunc quidem res Longobardiae citerioris, tranquilla pace compositas, nemine resistente moderatum, constat; et animadvertit Sigonius, eo petente, Anastasium papam honori urbis, in qua regia erat, hoc dedisse, ut Ticinensis episcopus umbella uti, equo albo vehi, crucem praeferre posset; denique ad laevam pontificis (id est archiepiscopi) in concilio sederet. Hoc de synodo Longobardorum provinciali interpretor. Eadem anno Atto archiepiscopatum Mediolanensem accepit. In ulteriore Italia decessit Adenulfus, Beneventi et Capuae princeps. Is non ita pridem, incertum quo anno, referente Leone Ostiensi, cum Gregorio Neapolitano et Amalfitanis exercitu coacto Garilianum profectus, juncto ex navibus ponte, cum Lirin amnem juxta trajectum in loco qui Setra dicitur transisset, obsidere Saracenos munimento inclusos coeperat. Sed cum nocte quadam incautius egisset; Saraceni et faventes illis Cajetani repente coorti, multos obsidentium obtruncant, reliquos ad pontem usque impellunt; ubi receptis animis, hostem vicissim terga vertere coegere. Sed cum parum res procederet, soluta obsidio est; et Adenulfus animadvertens, nihil agi, nisi majores vires adhiberentur, filium Landulfum ad Leonem imperatorem orientis misit, ad petenda auxilia in communem hostem. Juvenis honorifice habitus, quae petierat, impetravit; sed res in annos aliquot extracta est, et demum a. D. 916. exitum habuit. Reversus patrem

extinctum invenit, et in principatu successit; cum fratre autem Adenulfo concorditer vixit, quem Theani comitem egisse, Camillus Peregrinus judicat. A. 911.

7. Secundum Henrici Saxonis conjugium ultra hunc annum differri non potest. Nam ex Mechthilde jam a. D. 912. factus est pater, Ottone nato; scilicet octiduo ante mortem patris Ottonis, uti diserte Roswita in carmine Gandeshemensi. Ottonem autem ducem eo anno obiisse, mox patebit. Nec putem in anteriora retrahi facile hoc conjugium posse, etsi ita velit biographus Mathildis, qui eam triennio cum socero moratam scripsit. Nam ita conjugem priorem Henricus ante annum 908. duxisset, id est, antequam pater Thuringos regendos accepit, aut filium in Dalemincios misit; quae tamen expeditio, Ditmaro autore, occasionem nuptiis praebuit. Henricus ergo, sive eum episcoporum sententia coegit, sive potius (Ditmaro insinuante) satietas canonum admonuit, Tammone ex Hatheburge suscepto, aliam uxorem circumspicere coepit. Porro miris tunc laudibus passim puella Mechthildis extollebatur, quam cognominis avia paterna (ita diserte biographus) in Herifordiensi monasterio educabat. Erat ei eximia generis nobilitas opesque pares: nam *Theodoricum occidentalis regionis gloriosum comitem* (ita biographus) patrem habebat, ex *stirpe* Magni Witikindi ortum. Mater Reinhildis ex Frisonum Danorumque nobili germine prognata erat. Sed dotes virginis supra genus divitiasque eminebant. Inter pulcherrimas habebatur; nec minus elegantia morum ingenioque commendabatur; cui etiam cura aviae literarum cultus accessisset. Otto igitur dux hanc filio conciliare constituit. At primum Thietmarum comitem, magistrum olim adolescentis, exploratum misit. Is adminiculo foeminarum puellae inservientium sese inferens monasterio, dignam peti formam perspexit retulitque. Sed juvenis alteri judicium suum non credebat. Itaque die sequente, ascitis cum Thietmaro compluribus juvenibus elegantibus, castra in campo non procul monasterio figit. Ipse deinde cum paucis ingressus oratorium ignotus, sedentem intus virginem psalteriumque manu tenentem conspexit, et fama praestantiorem miratus est. Itaque jam amore succensus, nec moram ferens, ubi ad castra rediit, digno mox cultu comitatuque professus principem, monasterium adit, et copiam abbatissae alloquendae sibi dari petit. Prodit illa, et post mutuae humanitatis verba Henricum cum Thietmaro in cubiculum ad familiare colloquium introducit. Juvenis ergo, sumta fiducia, paulatim sermones ad virginem flectit, de aetate quaerens studiisque ejus; denique erat, ut conspicere eam alloquique liceret. Vocatur jussu abbatissae; et ubi propior facta est, incessu modesto, serena fronte, luminum vigore, vultu rosas liliis miscente, denique verbis, animi praestantis indicibus, amantem jam propius ussit. Qui celandi ultra ardoris impotens, versusque ad abbatissam, effunditur in preces, et virginem sibi desponderi petit. Abbatissa, dejectis oculis nutanteque animo, aliquamdiu in responsione haesitavit: tandem, perseverante proco, respondit, sibi in virginem jus integrum non esse; restituendam illis, qui commendassent, quorum nec satis perspecta sibi mens esset: nam et aliis genere formaque praestantibus expetitam; se tamen voto ipsius non obstituram. Puella ergo

A. 911. procum elegantem et omnibus laudibus insignem non dedignante, apparet consensum propinquorum mox secutum, aut potius praeparatum fuisse. Postera enim die desponsata est virgo, et abducta a sponso in Saxoniam (ita haec, jam aetate biographi, id est Henrici Sancti, paulatim Westfaliae Angariaeque opponi coepit). Per civitates ducis multo ubique cum honore suscepta est, ac tandem Walehusae, in confiniis Thuringiae ad Helmum flumen nuptiae cum pompa celebratae sunt, et locus ipse cum praediis attinentibus in dotalitium datus, quod maritus deinde jam rex auxit, Quedlinburgo, Northusa aliisque locis adjectis. Ex qua narratione intelligi potest, Ottonem ducem, pariter et propinquos virginis, Witikindi Magni posteros, loca prope Herifordiam habuisse, ut intra diei spatium ultro citroque commeari posset. Scilicet praedia illic Ecberti et Idae ad Ludolfum patrem Ottonis pervenisse, suo jam loco notatum est; et Waltbertus, Witikindi ex filio nepos, in Herifordiam liberalis supra fuit.

8. Mechthildem (postea reginam) ex tribu Immedingiorum (ut Adamo Bremensi et Alberto Stadensi appellatur) vel ex stirpe Magni ducis Witikindi processisse, Corbejensis Witikindus memoriae prodidit, filiamque fuisse Theoderici, cujus fratres erant Witikindus Immedusque, ex Reginberno nati. Sic enim legendus interpretandusque est Corbejensis scriptor, emendatus a nobis ex Dresdensis archivi codice. Reginbernum autem (an Reginbertum?) repressisse Danos, docet idem; res etiam per Nordalbingiam administrasse, nos eruimus, atque inde collegimus, inspectis temporibus, rectius patrem Theoderici, quam, ut antea legebatur, fratrem haberi. Extinctum memoravimus a. D. 846. Theodericum comitem Ringelhemium facit Crantzius secutus chronicon Brunsvicense picturatum Bothonis. Fratrem ejus Immedum sunt qui Sabaudicae gentis autorem faciunt, magis receptas opiniones quam documenta secuti. Eundem fama est monasterium Ringelhemense fundasse, in Hildesemensi dioecesi situm, arcemque Immedeshusam struxisse; filiam ejus Emmiholdam primam loci abbatissam egisse: quae a Meibomio seniore ex posterioribus tradita, ego in medio relinquo, et Gobelino libens credo, Theodericum Aldeburgicum comitem facienti, quod Ertwinus Osnaburgensium et Schiphowerus Oldenburgensium historici comprobarunt: et adjuvat ipse vitae Mechthildis vetus autor. Comitatum enim Oldenburgensem in occidentali regione situm constat, quam hodie Westfaliam appellamus. Itaque Oldenburgii veteres caeteris plausibilius ad Witikindeas origines assurgunt. Ringelhemensem tamen fundationem in Hildesemensi tractu etiam chronicon Luneburgense Saxonicum seculi XIII. fratribus Mechthildis tribuit.

9. Caeterum sorores ejus nobis servavere Trevirensis ecclesiae fasti, ubi haec leguntur apud Browerum: *Prid. Id. Mart. Mahtilt regina, mater Ottonis imp. 5. Id. Maji. Reinhild mater reg. Mahtildis. 4. Id. Jan. Friderun soror Mahtilt reginae. 8. Kalend. Jun. Bia soror reg. Mahtildis.* Sed cur Treviris potissimum memoria harum conservata est? Aut unde in hanc tam remotam a Saxonia ecclesiam, beneficia earum? Id nos docet Albericus, si modo ei fidi potest. Scribit enim, Robertum archiepiscopum Trevirensem, Theoderici ducis ex Witikindea stirpe filium, et reginae

Mechtildis fratrem fuisse; de quo infra dicendi locus erit. Aliam adhuc A. 911.
reginae sororem Amalradam, uxorem Eberhardi in Hamalanda, id est Cliviae parte, comitis, matrem Theoderici I. episcopi Metensis, didicimus ex hujus vita, in lucem primum a nobis producta a Sigeberto historico scripta.

10. Apud Gallos furor Normannorum novissimus Rollone ductore, desaeviit: ex eo enim fere placida pace composti, concessa potiore Neustriae maritimae parte, quievere, duce ipso ad Christi cultum cum primoribus suorum adducto. Rollo dudum Rothomagum tenebat; et ex Dudone intelligimus, Franconem, loci praesulem, induciarum apud Carolum conciliatorem fuisse: quin et de foederibus tunc contra Odonem cogitatum, credibile est; indignante licet Fulcone Remensi, qui regis pene magistrum agebat, ut in epistola ei scripta ostendit. Inducias tamen coiisse postremo apparet, fortasse sub tributo, quae nunc tandem abruptae sunt; cum hinc Normannos praedarum cupiditas in Rollonem, illinc proceres conditionum indignitas in Carolum stimularet. Richardus princeps Burgundionum, Robertus Andegavensium, Ebolus Pictaviensium regi opes, vires, manus offerebant. Ebolus nuper Pictavorum urbem noctu ingressus, rege permittente tenebat; filius Ranulfi, sed, si Ademaro credimus, ex concubina. Ita ad arma reditur, quae barbaris, jam quieti adsuetis, haud satis prospera fuere.

11. Initia tamen laeta visa sunt, praedis per Neustriam et Burgundiam actis; donec in Carnotensis urbis obsidione haesere. Albericus mira narrare gestiens, eam non muris magis et armis, quam B. Virginis camisia defensam scribit, a Carolo Calvo olim Constantinopoli accita; quam cum cives de pertica suspendissent, hostesque irridentes eam sagittis lacessissent, caecitate percussi, facilem erumpentibus victoriam praebuere. Credibiliora alii scriptores tradunt, chronicon breve apud Quercetanum tomo III, Guido ex dictis Guilielmi apud Albericum, Albericus ipse ad a. D. 906, chronica Bezuense, Malleacense, Andegavense apud Labbeum; obsidione diu protracta, cum in eo urbs esset, ut caperetur, tandem Anselmo episcopo urgente, Richardum ducem Burgundionum Robertumque Francorum suppetias tulisse; praelio commisso fatigatos hostes cessisse, sex millia et octingentos caesos, reliquos obsidibus datis dimissos. Dies sabbati 13. Kal. Aug., id est 20. Julii, in chronico Bezuensi notatur; chronicon breve 12. Kal. Aug. habet, sed mendose, ex Labbei computo, qui hoc charactere chronico praesentem annum definit; quem etiam diserte designari ait in charta B. Mariae Parisiensis, data 15. Kal. Jul. ind. 14, Caroli regis 19, redintegrante 14, pluribusque haec a se in miscellaneis demonstrata.

12. Hanc victoriam pax secuta creditur, etsi fortasse ex aliquo intervallo. Eam Albericus in annum sequentem differt, secutus Guilielmum Gemeticensem. Sed anticipare narrationem ob rerum nexum placet. Admoniti erant Normanni, vires animumque Francis superesse: vicissim Franci nova a septentrione recentium hostium examina timebant. Litora circa Sequanae ostia dudum obtinebant barbari, et Rhotomagum jam a. D.

A. 911. 886. a Rollone captum, et terram Normanniam appellatam, habet chronicon Vezeliacense t. I. Bibliothecae Labbei; nec facile pelli posse videbantur. Diuturna consuetudine paulatim in mores religionemque Francorum inclinabant, cooperantque terram colere, oppida reficere, mala, quae fecerant, corrigere, sacra venerari: ut jam pro regione tanquam sua contra populares pugnaturi viderentur. Itaque nihil consultius visum, quam ut agris assignatis, quos maxima parte dudum tenebant, ab Epta flumine usque ad Britonum fines, salva Francici imperii majestate, tanquam in excubiis essent, ad interioris Galliae securitatem. Carolus rex quietem amabat, proceribus diffidebat; Normannos sibi quam illis amiciores sperabat; neque deceptus est. Foedus matrimonio Gisalae obsignatum est, filiae regis, ex concubina, ut suspicor. Sed hoc barbari haud distinguebant. Rollo ex Popa, Bajocensis comitis filia, Guilielmum susceperat, qui et successit; sed justum matrimonium non videbatur. Nunc cum puella regia leges ecclesiasticas civilesque accipiebat, et lavacro expiabatur. Neque haec sine exemplo erant: similia in Frisia aliquoties tentata erant, etsi successus abfuisset.

13. Ut designata perficerentur, rex cum Roberto duce et aliis proceribus usque ad Eptam flumen accessit; oppositae ripae Rollo insistebat. Inter utrosque commeabat Rothomagensis archiepiscopus conciliator. Placuit tandem, ut pars Britonum Normanniae novae adjiceretur. Ita obsidibus acceptis, Rollo flumen transmisit. Ubi aegre adduci potuit, ut sese hominem regis fateretur, ut manibus regiis insereret manus suas; quas alii tandem quasi per vim admoverunt. Pedibus oscula figere constanter recusavit: tandem expressum est, ut insigni ex suis viro id officium mandaret. Ibi rem ridiculam contigisse narrant; Normannum, inclinari nescium, pedem regis ori suo admovisse; regem eversum concidisse. Id alii Rolloni ipsi tribuunt, flecti dedignato. Rege digresso, Rollo deinde Rothomagi a suo antistite Francone salutaribus undis mersus est, eumque Robertus dux (postea rex) de sacro fonte suscepit, nomine etiam suo attributo. Huic anno ascribit rem gestam chronicon Andegavense ex codice Vindocinensis monasterii sumtum a Labbeo. Septem diebus, quibus in albis fuit neophytus, in totidem ecclesias liberalitatem exercuit; nec dubito, multos baptismi socios habuisse, ut olim Clodovaeus. Postea inter proceres militesque suos agrum concessum divisit. Tandem Britones adiit, et Berengarium Rhedonum comitem Alanumque Dolensium ex compacto in fidem suscepit: nullo tunc principe Britanniam minorem gubernante. Hoc Gemmeticensis scriptor, quae Britanni non per omnia agnoscunt. Inde quinque annos vitae, qui superfuere, ut plerique scribunt, quietus exegit. Sed vitam producit Frodoardus, de quo ad a. D. 917. Britones postea rursus a Normannis avulsi sunt. Et quidam eorum scriptor doctus nuper subjectionem in quaestionem vocavit, ab alio Normanno mox defensam.

14. Major mutatio Franciae orientalis res convertit, extincto juvene rege, et in eo Carolina apud Germanos stirpe. Ludovicus, sive aegritudine animi ob publicam calamitatem, sive, quod in adolescente malim, ob naturae

infirmitatem, immatura morte spem populorum destituit. Id hoc anno factum, plerisque convenit, et diserte habent fasti nostri Fuldenses, qui annuatim a contemporaneis annotabantur. Sigonius in Decembrem confert; Aventinus tamen 12. Kal. Febr. Reginoburgi extinctum scribit. Sed ita mors principis in sequentem annum differretur, quem et Albericus habet, diemque nominat 12. Kal. Julii. Quid si 12. Kal. Januar. legere oporteat? quae dies in annum praesentem quadraret. Certe 8. Id. April. anni sequentis jam regnasse Conradum successorem, ex diplomate consequitur, quod apud Browerum Huoggoni abbati Fuldensi datum est 8. *Idus Aprilis anno incarn. Dom. 912, indict. 15. regnante gloriosissimo rege Conrado, anno ejus primo. Udalfridus notarius ad vicem Pilgrini archicapellani recognovit.* Ratisbonae epitaphium defuncti regis in choro S. Emmerani tale legitur: A. 911.

Pauso sub hoc saxo Ludovicus regia proles,
Romani regem quem statuere sibi.
Mi fuit Arnulfus genitor, qui proximus illic
A cornu altaris conspiciendus adest.
Hic ubi pertaesus vitae sua tempora clausit,
Romani imperii sors mihi sceptra dedit.
O nimis infelix! quatuor vix lustra videbam,
Injecit rapidas cum mihi Parca manus.

Sed hi versus multum ab ipsius aevo remoti sunt. Non Romani, sed Germani eum regem sibi statuere, et Francorum imperii sceptra, non Romani gessit. Denique quatuor lustra non vidit, cui nato a. D. 893. praesens annus vitam clausit, testibus continuatore Reginonis et Hermanno Contracto sed genuino, qualem Canisius edidit: nam vulgaris et mutilatus, cum Lamberto et nonnullis aliis, obitum ejus in annum sequentem differt. Sed ut priores praeferam, facit non levis apud me autoritas necrologii perantiqui Fuldensis, quod inter hujus anni defunctos ita eum collocat, ut mors ejus in adultam aestatem vel autumnum incidisse videatur. Infantem cognominatum, Sifridus presbyter tradit. Guilielmus Nangiacus scriptor Gallus binas illi filias tribuit, Placidam et Mathildem, aliis omnibus ignoratas; additque, quod aperte falsum est, Conrado et Henrico successoribus nuptas. Nondum maritum obiisse constat, etsi Witikindus Corbejensis ei per errorem Luitgardem, Ottonis Saxonis sororem, conjungat, quae propatruo cognomini nupta fuerat, ut ex Gandeshemensibus monumentis et coaetaneis autoribus constat. Puer septennis sceptro admotus est. Duodecim annos regni habuit, octodecim vitae. Nulla ejus vitia memorari in historia, haud parvum laudis argumentum est; nec aspernabilis Hattonis archiepiscopi apologia, qui infirmam principis aetatem consiliis moderabatur.

15. Extincto rege, comitia Germanorum (quantum intelligo) Hatto indixit, ut de constituenda re publica et nominando successore deliberaretur. Franci, Bajoarii, Allemanni, Saxones convenere, locus tempusque ignorantur scriptorum inopia. Affuisse Lotharienses, non apparet. Magna erat praesulum autoritas, sed maxima inter eos dignitas binorum archi-

A. 911. episcoporum, Hattonis Maguntini et Piligrini Juvaviensis. Nam Hammaburgensis magis nomine hactenus, quam autoritate noscebatur. Salomonis quoque Constantiensis magna opinio, magnae divitiae erant, intimi Hattonis amici, quod ex Casibus S. Galli intelligitur. Adelbero Augustanus anno superiore obierant, Hepidanno teste, non impar autoritate, admotusque regni gubernaculis; quod Gerhardus presbyter, Udalrici successoris ex intervallo familiaris et praeco, memoriae prodidit. Trevirensis et Coloniensis ad Lothariense regnum spectabant, quod nutabat adhuc nonnihil; quanquam Herimannum ad Germanos respexisse, facile crediderim, in quibus suffraganeos plerosque habebat; de Ratbodo contrarium suspicere.

16. Procerum primi erant in Francia Conradus, qui per utramque Rheni ripam validus, et sublato nuper aemulo, etiam Moeni compos; caeteros fere per illos tractus in potestate habebat, Hattone etiam archiepiscopo factioni ejus innexo. Dux Saxonum Thuringorumque Otto, non viribus tantum, sed et sapientia et aetate eminebat; addebatque autoritatem filius magnae spei Henricus, manu ingenioque promtus: caeteri longe inferiores habebantur. In Frisia Gerolfi et Magingaudi familiae dudum inter se certabant. Burcardus, Allemanniae dux, nuperrime in conventu suae gentis per tumultum ceciderat, teste Hermanno Canisiano. Arnulfus marchiae Bavaricae rector, multum poterat; sed hactenus ob praesentiam regum Bajoarii ducem aut rectorem gentis non habebant. Ejus avunculi, (quantum ex Hepidanno intelligitur) Erchingerus, quem Guillimannus in Habsburgicis tumultus autorem facit, et Berchtoldus fratres, in Allemannia jura regis administrabant missatica autoritate, quae in ducalem abibat: unde historicis nuntii camerae regiae appellantur; sed cum Salomone episcopo simultates exercebant. Erchingerum tamen majorem natu, potissimum ducem scriptores appellant.

17. Nempe Burcardo nunc occiso, in Allemannorum regimine filius Burcardus non statim, sed extincto demum Erchingero, successit, qui ducatum arripuit. Ipse Burcardus senior (de quo jam ad a. D. 906) filius Adalberti comitis fuisse videtur, qui circa lacum Potamicum et in vicina Turgovia diu rebus praefuit. Nam in Goldasti Alamannicis t. II. charta memorat, placitum factum in pago Para, in villa Durroheim, coram Burghardo comite, filio Adalberti illustris, de ecclesia in Leffingen, qui essent a progenitoribus suis in rebus ejusdem ecclesiae possidendis aut ordinandis potentissimi. Extat* apud Goldastum traditio cujusdam Hugprechti in Zurichgowa, qua praedium in loco Eskinghova, ad curiam Lintowa pertinens, cum alio in Durgowa permutatur. Id factum dicitur *in Cella*, scilicet monasterii Sangallensis, *Id. Febr. anno imperii Caroli Secundi* (Crassus intelligitur) *secundo. Adalberto comite in Durgowe.* Adalberti comitis, in illis regionibus a multis annis potentis, in Vadiani Goldastique monumentis, et Lindaviensis controversiae tractatoribus crebra mentio est; de stirpe fortasse Adalberti, qui comes palatii sub Ludovico augusto, et mox Lothario favens, cum Ludovicum Germanicum transitu Rheni prohibere conaretur, in Rhaetia cecidit a. D. 841, de cujus gente ibi actum est.

*) item *add. Eckard.*

18. Franci hactenus, quorum in jura libertatesque caeteri Germaniae populi venerant, eligebant reges, sed ita, ut eidem stirpi haererent. Et hoc fuit, quod Fulco ad Arnulfum regem scripsit, cum Caroli causam contra Odonem commendabat; quanquam gradibus aut aetati non astringerentur populi, quod etiam ex Magni Caroli dispositione intelligi potest, qua imperium inter filios divisit. Itaque succedendi eligendique jura contemperabantur. Nunc vero abrupta Ludovici Germanici linea, credibile est, fuisse, qui ad prosapiam Caroli fratris vulgo Calvi respicerent, unde solus in Gallia Carolus supererat, Simplicis nomine notus: cujus si pares generi (quanquam controversis natalibus) virtutes fuissent, Caroli Crassi exemplo totam Francorum potentiam facile recollegisset. Nec ipse sibi plane defuit; sed domi precario regnabat, et alieno arbitrio agebatur. Semper autem inde a Merovingis inter orientales occidentalesque Francos simultates gliscebant, ut alteri ab alteris aegre regerentur; auctumque erat divortium lapsu seculorum, cum occidentales jam fere in Gallorum linguam moresque transiissent. Itaque Hatto et Salomon et Conradus haud aegre Carolum, longinquum et a suis etiam spretum, exclusere. Jamque eo res redisse videbatur, ut ex Germaniae proceribus deligeretur, qui sceptrum ferret. A. 911.

19. Plerosque in Ottonem Saxonem inclinasse, Witikindus, nostrae Corbejae monachus, scribit; sed Ottonianae familiae obnoxius. Hunc alii secuti sunt; sed vellem, ab aequalibus, neque addictis, confirmationem haberemus. Fortasse Conradus, prudens et artium regnandi gnarus, ut moderatione ipsa captaret animos satis jam inclinatos, prae se tulit, Ottoni malle deferri regnum, tanquam aetate et sapientia potiori; nam fere ambitio modestia velari solet, et decorum est ad imperandum cogi, ut semel obsecutus videatur, cui semper obedietur. Securus praesulum plerorumque et multorum procerum, certusque Ottonem, remotiorem locis et subactae novissimae gentis principem, haud facile suffragia caeterorum populorum habiturum, tuto et utiliter alium commendabat. Sed et Otto secum habitans, intelligebat artes, et officiositate certabat, et volebat, quod frustra nollet. Ita Conradus elevationem suam libenter imputavit apud vulgus honorati principis judicio, quod rectum et incorruptum habebatur; quae etsi scenica videantur omnia, postea tamen, cum planior esset reddita Saxoni ad regnum via, Henrico quasi vera profuere, tanquam pater fuisset dignus imperio habitus, quod recusasset; cui etiam vicem Conradus in filio sponte reddidisset; quod exposcente rei publicae necessitate fecit.

20. Porro non Francos tantum et Saxones, quod ex Witikindo aliisque constat, sed etiam Allemannos et Bajoarios, regem novum agnovisse, nos dubitare non sinunt tum testimonia contemporaneorum, qui turbas obmotas in sequentes annos uno consensu conjiciunt; tum vero pacifica regis receptio apud Allemannos, de qua multis Ekkehardus Sangallensis; et Piligrini archiepiscopi Bajoariorum continuatus apud Conradum archicancellariatus, ut ex binis diplomatibus anni sequentis apparebit, quorum alterum ex Browero jam adduximus. Sed ille festinatione lapsus, Piligrinum Coloniensem fuisse putavit. Luitprandus ergo regem a cunctis populis

A. 911. ordinatum scripsit. Ordinatio stylo illius aevi non electionem tantum, sed inaugurationem continet, quae ab episcopis peragebatur. Certe quod Henricum successorem nec coronatum, nec unctum fuisse notatum est, pro indicio esse potest, neutrum Conrado defuisse. Regem factum consensu omnium orientalium Francorum, etiam Frisingensis et Viterbiensis scribunt: tunc autem orientalium Francorum regno omnis Germania continebatur.

21. Conradum fortitudinis et prudentiae non modica opinio, et maximae opes, et factionis potentia commendabant; sed plurimum ad defigendos animos potuisse arbitror regiam propinquitatem et familiam Carolinae arcte innexam. Neque alio magis titulo Ludovicus Bosonides et Berengarius his temporibus ad regnum, et postremo etiam ad imperium ascenderunt. Idem de Widone et Lamberto dicendum est, qui regum propinqui feruntur; et Odonis Robertique fratrum, Galliae sceptra capessentium, maternam originem nuperi scriptores ad Ludovicum Pium retulere; in quo etsi haeream, non abnuerim tamen, regia stirpe, etsi longinquius, ortos. Sed is nexus sine vigore animi et favore fortunae parum valebat; cum Heribertum Veromanduum de ipsa stirpe regia per mares processisse constet, et Balduinus Flander Carolum II. augustum avum legitimum haberet. In Conrado aderant, quae etiam sine sanguinis praerogativa satis prope ad thronum admoverent; sed per propinquitatem regiam minore a caeteris invidia distinguebatur. Multi scriptores, sed remoti, fratrem aut ex fratre nepotem nuperi regis fecere, cujus jam meminit Otto Frisingensis. Sed Browero Trevirensium historico debemus notitiam diplomatis egregii, in quo Ludovicus Conradum nepotem suum dixit. Id miror, ipsum ita accepisse, tanquam Ludovicus patruus esset, quod fieri nullo modo potest. Pro honore nudo accipi, qualem hodie reges proceribus appellatione cognatorum habent, mos illorum temporum non patitur. Ego verisimile judicabam, Conradum patrem novi principis habuisse in conjugio foeminam regii generis; cui Glismuodae nomen ex Fuldensibus Broweri; eamque inprimis ob causam tanta in aula gratia potentiaque cum fratribus floruisse. Cur autem ad Conradi matrem libentius quam aviam hoc referrem, causa erat, quod rex Conradum suum nepotem, at consobrinum ejus Conradum nonnisi dilectum comitem vocat. Eo verba, nescio cujus, apud Engelhusium in versu inepto non inepta videbantur:

Semine Karlorum jam deficiente virorum,
Surgit Conradus lateris cognatus eorum.

22. Hactenus ergo eo inclinavi, ut Conradum regibus Carolingis per sequiorem sexum ortum crederem, quod ne nunc quidem prorsus aspernor. Sed aliam adhuc et viciniorem regiae propinquitatis rationem suggessit amicus in his studiis eruditus, cui in mentem venit, vera dixisse veteres, nescio quos, Ottoni episcopo Frisingensi, monacho Pantaleonitae, et abbati Urspergensi lectos, qui Conradum comitem regis patrem, Ludovici juvenis fratrem fecere, sed uterinum, etsi a sequentibus non recte intellecti. Hypothesis ergo talis prodiret: Odam, Arnulfi augusti conjugem, priori marito Conradum comitem, imperatori vero Ludovicum regem peperisse. Conradum comitem germanos, sed non ex Oda, fratres habuisse Eber-

hardum et Gebhardum; itaque horum liberos regiae propinquitatis titulis non honorari; unum Conradum, postea regem, a Ludovico rege quasi patruo, id est patris fratre, verissime nepotem dici. Firmat hypothesin, quod in diplomatibus Conradus, pater Conradi regis, post alios fratres suos nominatur, nempe ex posteriore cum Oda matrimonio natus; veluti post Gebhardum in charta ab Hattone archiepiscopo Moguntino data a. D. 910, quae in Antiquitatibus Fuldensibus extat. Pantaleonita et Urspergensis, autorem ipso episcopo Frisingensi anteriorem exscripsisse videntur, in his verbis: *A. D. 807. pugna inter Adelbertum et Cunradum fratrem Ludowici imperatoris* (dicendum *regis*), *ibique Cunradus occiditur.* Talem scriptorem secutus Otto episcopus: *Albertus*, inquit, *nobilissimus Francorum comes, Ottonis Saxonum ducis ex filia nepos, Conradum, qui a quibusdam Ludovici regis frater fuisse creditur, occidit.* Et idem mox de Conrado rege: *Hunc quidam*, inquit, *Ludovici fratris filium fuisse dicunt, et ab hoc novissimum eum Carolorum ponunt.* Sed haec consequentia ex male intellecto fraternitatis genere fluxit, nec rectius alius ibidem episcopo memoratus, quem modernum (id est contemporaneum) vocat, Suendebaldum Carolorum in orientali regno ultimum vocavit, quem ante Ludovicum fratrem obiisse constat. Itaque non jam amplius mirari debemus, unde tanta Conradis apud Ludovicum juvenem potentia, et quomodo strata filio Conrado ad regnum via; qui tamen anteriores reges nunquam majores, ut faciebant etiam per foeminas posteri, sed tantum antecessores appellavit. Hoc exemplo discimus, res interdum nimia claritate obscuras fieri, et dum nodus in scirpo quaeritur, manifestam enuntiationem in aenigma verti. A. 911.

23. Vellem, Browerus diploma integrum exhibuisset, ut alias solet, cujus tabulas antiquitate verendas *, sibi inspectas ait; sed compendio, quod dedit, contentos nos esse hactenus oportuit. Anno hujus seculi nono fundabatur Lintburgensis aedes, in pago, qui a Logana flumine (hodie Lona) Loganagowa appellabatur. Ludovicus rex, ut in partem meriti veniret, Brechenam, praedium opimum et amplum Conrado comiti attribuerat, Eberhardi filio (de quo jam ad a. D. 909.), impendendum in basilicae dotem, in monte quodam Lyntburgo pagi Logenahe structae. Hattonem fidelem et venerabilem patrem suum, Chuonratum vero ducem egregium et fidelem nepotem appellat; praedium, curtem dominicalem in terra Salica cum curtilibus, aedificiis, ecclesia, decimis, mancipiis utriusque sexus, terra Salica, et universis quaesitis et acquirendis dedit. *Signum domini Hludovici serenissimi regis. Salomon cancellarius ad vicem Piligrini archicapellani recognovit. Data 4. Idus Febr. anno incarn. Dom. 909. indict. 13, regni domini Hludovici 11. Actum Franconofurt. In D. n. f. a.* Brachena post multa secula Trevirensi juri cessit cum Limburgo, quando propriorum dominorum stirps defecit.

24. Sed quia nova se lux aperuit circa originem Conradi regis, observata in medium proferre placet. Apud scriptores veteres, Conradi regis pater, Conradus comes, et patrui Eberhardus, Gebhardus comites, Rudolfus

*) venerandas *corr. Eckard.*

A. 911. episcopus Wurzburgensis memorantur. Avus non nominatur. Eum nescio quo argumento David Blondellus Udonem vocat comitem, facitque filium Eberardi, nepotem Bogonis comitis Parisini, quem Alpaidem Ludovici Pii filiam duxisse, et ex ea Letardum et Eberardum suscepisse, ex Frodoardi historia Remensi constat. Sed unde compererit Blondellus, Eberardo filium fuisse Udonem, non apparet. Porro Udonum et Eberhardorum in familia Conradi regis usurpata nomina, et fama regiae propinquitatis hanc Blondello conjecturam suppeditasse videntur. Sed Udonem, Begonis ex filio nepotem, nulla probatione firmavit; et familiam Begonis Neustriam fuisse, judicari potest ex Frodoardo ipso, aliisque indiciis, de quibus alibi dictum est. Vir quidam doctus nuper Everardi filium Begonis nepotem malit fuisse Conradum comitem Parisinum (scilicet qui avi munus gesserit), et ex hoc natum Conradum comitem, patrem Conradi regis. Sed Conradus, comes Parisinus et Transjuranus dux, Guelfus fuit, ex Conrado fratre Judithae augustae natus, ut satis constat ex supradictis, et ejus posteri noti sunt. Rudolfum enim primum Burgundiae Transjuranae regem genuit, cui nemo dicet fratres fuisse Eberhardum, Gebhardum, Conradum Franciae comites, locis et gente dissitos. Hi enim Franci et longi remoti fuere a Welforum avitis praediis, in Bavaria et Allemannia sitis, quorum majores Scyros origine ex Odoacri Herulorum regis familia fuisse et cum Suevis in Rhaetiam venisse, alibi verisimile feci.

25. Verum Conradi regis avum paternum eruere licuit ex loco Ekkihardi de Casibus S. Galli, sed corrupto, et qui prius emendandus fuit. Is ergo de tempore Ludovici, novissimi regis Germaniae, et Conradi successoris loquens, haec habet: *Nondum adhuc illo tempore Suevia in ducatum erat redacta, sed fisco regio peculiariter parebat, sicut hodie et Francia* [autor vixit sub Henrico III. et IV.]. *Procurabant ambas camerae, quos sic vocabant, nuntii* [hi sunt qui in capitularibus missi regii dicuntur, ex quibus resurrexisse duces alibi notavi]. *Franciam ad Alpes tum Werinhere, Sueviam autem Pertolt et Erchinger fratres, quorum utrorumque multa ditioni subtracta sunt per munificentias regias in utrosque episcopos* [Sueviae Franciaeque]. *Surgunt inde invidiae, et odia utrorumque in ambos, praeter scelera, quae in reges ipsos machinati sunt. Hattonem Franci illi saepe perdere moliti sunt; sed astutia hominis in falsam regis gratiam suasi, qualiter ad Alpes fraude ejus de urbe Pabinberk detractus, capite sit plexus: aliter enim* [lego: *alter*] *morbo obierat, quoniam vulgo concinnatur et canitur, scribere supersedeo.* Haec autor, cujus insignis est hic locus ad intelligendum veteris Germaniae statum, explicandamque resuscitationem ducum ex dominicis missis. Loco *ad Alpes*, manifestum est attendenti legendum *Adalpert*. Itaque pro verbis: *Franciam ad Alpes tum Werinhere*, legendum est: *Franciam Adalpert cum Werinhere* [id est Wernero vel Werinherio] *procurabat*. Et mox iterum pro *ad Alpes*, legendum *Adalpert fraude ejus* [Hattonis] *de urbe Pabinberk* (Bamberga vel Babeberga) *detractus;* nota enim historia est. Et verba *Franci illi*, ostendunt prius locutum de duobus Francis, Adelberto et Werinero, ut de

duobus Suevis. Mens ergo haec est totius loci: missos dominicos Adalbertum et Werinerum Franciam, ut Bertoldum et Erchingerum Sueviam, administrasse. Illos Hattoni archiepiscopo Moguntino, hos Salomoni, episcopo Constantiensi infestos fuisse: Werinero ex morbo extincto, Adalbertum fraude Hattonis perisse. Hic habemus manifeste duos primarios Franciae rectores, unum Adalbertum Babenbergensem, alterum Wernerum, caput stirpis Babebergensi aemulae, quam Wetteraviam quidam vocant, ego non minore jure Wormatiensem dici posse arbitror; nam Wormatiensem Albericus vocat Conradum ducem ex Conradi regis stirpe ortum, cujus filius Otto etiam Wormatiae sedem habuit; aliique duces, et Spiram vicinam imperatores ex Conrado duce orti ornavere, ibique tumulati sunt. Wernero ex morbo decedenti successere filii Gebehardus, Eberhardus, Conradus comites, et Rudolfus episcopus, cum Adalberto ejusque fratribus collisi. Hatto autem Werneri filios sibi conciliavit, Adelbertum persecutus est, et commissis inter se proceribus ipse arbiter sedit. Applicuit autem se magis ad Werneri liberos, quippe in aula gratiosos; nam Werneri viduam Utam duxerat Arnulfus imperator, et ex ea *Ludovicum* juvenem regem genuerat, fratrem uterinum Conradi Wormatiensis vel Wedderavici comitis, qui fuit pater Conradi regis, cui tanta propinquitas, extincto Ludovico, ad regnum profecit. A. 911.

26. Sed multo altius ascendi potest, in Wormatiensis familiae originibus, etsi omnes generationum gradus ostendi non possint. Et rursus hic Ekkihardus Sangallensis facem praeluxit. Narrat, ut Conradus rex ad monasterium Sangallense divertit, utque *ingressus oratorium B. Othmeri autoritate Romana in sanctum levati (nam parentes ejus* [id est majores] *erant, qui vexaverant) seque reum, quasi ipse interfuisset factis, ad ejus aram reddidit, palliis quoque, auro et argento sanctum placavit.* Hunc locum cum observassem, amicus eruditus non minus quam ingeniosus feliciter conjecit, Warinum ergo inter Conradi regis majores fuisse, notissimum sancti Otmari persecutorem, Carolo Martello, Pipino regi et Caroli M. initiis contemporaneum, cujus nomen non differt a nomine Warineri; atque adeo ab eo descendisse recentiorem Warinum vel Warinerum, Conradi regis avum. Cui conjecturae valde applausi; nam, ut mox audiemus, Warini et Werineri vel Warinharii nomen idem est. Ipse sibi objiciebat, Warinum Allemannum non videri progenitorem Conradi Franci. Sed subjeci, Warinum Francum Allemannis rectorem datum, quod Allemanniae principes Francis tunc rebellassent: idque verum deprehensum est. Nam circa a. D. 730. Allemanni rebelles a Carolo Martello subacti sunt. Secundum annales Nazarianos et Petavianos, Luitfrido vel Lantfrido duce occiso, Allemannia Francis summissa, et cum Theobaldus iterum turbasset, a Carolomanno, Caroli Martelli filio, victus est. Interfectum ad a. 741. habent annales Nazariani et Petaviani. Luitfridi filium facit Hepidannus ad a. D. 715. Carolomannum, Theobaldo victo, compressisse Allemannos, habent etiam annales Fuldenses ad a. D. 742, et cum iterum res novas molirentur, compescuisse a. D. 746. Ex eo Allemannia subacta quievit, loco pulsorum ducum propriorum impositis

A. 911. missis regiis seu camerae nuntiis, quales Warinus (quem mox Francum fuisse audiemus) et Ruothardus, ut Walafridus diserte testatur. Hi Pipino regnante circa a. D. 758. Otmarum afflixere, ut habet Hepidannus. Erravit autem Goldastus, qui Warinum ejus stirpis fuisse putavit, unde Guelfi orti sunt comites Ravensburgenses, postea duces; nam illi origine ex Rhaetia fuere, hic Francus.


27. Ipsa ulterior discussio nova argumenta suppeditavit, ut solet, in veris; et divinatio certitudini propius admota est. Warinum Allemanniae rectorem illic insignia praedia acquisisse, consentaneum. Itaque Eberhardus, frater Conradi regis, ex ipso descendens, illic Brisacum castrum aliaque loca tenuit. At ipse Warinus non Allemannus, sed Francus fuit; nam ut ait Warmannus in vita S. Pirminii c. 15: *Fuit vir quidam Werinherus nomine, alta Francorum nobilitate propagatus.* Is, ut porro addit, animum ad favorem S. Pirminii inclinavit. Itaque quem Walafridus Strabus in vita S. Galli et Radbertus libro de origine S. Galli Warinum vocant, Warmanno atque ipsi etiam Ekkihardo in libro praedicto est Werinherus. Biographo Otmari culpatur, Pirminii extollitur, uni sancto amicus, alteri adversus. Addit Warmannus c. 28. Widonem (sive Udonem) ex stirpe antiqui illius Werinheri sive Warini progenitum, coenobium Horbacense in propria ditione fovisse, et ex eo campanam in locum, qui Lucus-Wilare (Buschweiler) nominatur, transferri jussisse. Wido ille vel Udo fuerit Herimanni Allemanni ducis frater, Conradi regis consanguineus, ex patre * ejus Gebhardo natus.

28. Porro cum et Rudolfi nomen in hac stirpe occurrat (Rudolfus enim episcopus Wirzeburgensis alius Conradi regis patruus fuit), Rudolfum vel Radolfum Francorum comitem, Fastradae Carolo M. nuptae patrem, ejusdem familiae, et fortasse Warini filium fuisse, non male conjecit idem amicus. *Sata germine claro* dicitur poëtae Saxoni antiquo. Wormatiae eam sibi copulavit Carolus, testibus annalibus Loiselianis, a. D. 783. et Wormatiae cum ea laetus egit a. D. 787, ut scribit monachus Egolismensis. Circa Wormatiam autem partem patrimonii hujus familiae fuisse, jam dictum. Et Wormatiae Conradi ducis et Luitgardis Ottone M. genitae filius Otto sedem habuit, domumque suam episcopo Burcardo concessit:

29. *Aula ducis, domini domus est jam praedia Christi,*
Annuit ista pius Otto dux atque benignus.

Ita Ditmarus in prologo libri sexti. Rudolfi ergo hujus nepotem aut pronepotem fuisse Wernerum, Conradi regis avum, commode dicitur, et fortasse aliquando accuratius inquirentibus mediae personae sese ex tabulis monumentisque aperient. Conradum, Ottonis M. generum, ex hac stirpe prodisse infra ostendetur ad a. D. 944. Nunc tabulam subjicere e re erit:

*) patruo *corr. Eckard.*



30. Conradum non alio quam praedecessorum jure moreque regnasse, res gestae ostendunt. Nec cuiquam veterum, hunc minus Carolingo antecessore potuisse, in mentem venit. Liberae dudum gentes haud regum arbitrio, sed communibus placitis regebantur; sed quae fere regum strenuorum sententiam sequebantur. Neque plus Conradus, quam Arnulfus aut Ludovicus aliquis proceribus indulsit: quin potius exempli necessitate, severitatem priorum aliquando excessit. Sed dudum imminuta malis publicis regum potentia, proceres libertatem in licentiam vertebant. Jam comitatus in jus haereditarium iverant: mox etiam ducatus in easdem leges vergere coepere, qui antea, mistum ex civili et militari munus, ex merito dabantur. Quod olim Bajoariae, Aquitaniae, Britanniae principes habuerant; quod nunc Rolloni in Neustria indultum erat, id paulatim Burgundi, Aquitani, Gothi in Gallia; Saxones, Bajoarii, Allemanni, Austrasii in Germania sibi sumsere, ut duces domi certae stirpis haberent. Nec aequum visum est, minus Germano principi, quam Slavo alicui, Polono, Bohemo, aut Wilzo concedi, qui omnes tunc Germaniae obnoxii habebantur. Et reges, aut novi genere, aut degeneres virtute, aut adacti publica necessitate, indulsere principibus per provincias, quae sibi per illos in regno vindicabant. Haec tamen non lege aliqua curiata comitiorum, sed, quod firmius, pedetentim, et rebus ipsis evaluere. A. 911.

31. Conradus Saxone amico usus est, nec dubium est, multa illi indulsisse, quae filio ejus libenter negasset. Multum profuit Ottonis autoritas initiis regni, ut principes plerique in novi regis potestate essent. Sed Lotharienses dilatos Carolus Gallus praeripuit, faventibus Ragenario dudum addicto, et illis, opinor, comitibus, quos sub Ludovico Conradus presserat. Ex eo Carolus literarum subscriptionibus largioris haereditatis indeptae annos adjecit. Conrado per Hungaros aemulosque satis otii ad Lotharingiam recuperandam non fuit; quae ab Henrico successore demum recepta, et Gallis domi laborantibus, iterum et firmius Germaniae affixa est.

A. 911. Henricus enim, Hungaris caesis, quietem populis procuravit: Lothariensibus ad corpus rei publicae revocatis, integritatem regno reddidit; cui tandem majoribus fatis Otto filius Italica sceptra et Romani imperii decus adjunxit. Eam veterum Brunsvicensium principum gloriam sequentia memorabunt.

32. Per id tempus Theodericum regionis comitem, quae nunc Hollandia appellatur, ejus nominis primum, Egmondense virginum ordinis Benedictini coenobium fundasse, Mabilio judicat, ubi deinde Theodericus II. ejus filius, absoluto opere, ecclesiam ex lapide struxit, ibique apud parentem sepultus est cum Hildegunda conjuge, ex qua tres liberos susceperat, Arnulfum comitem, Egbertum Trevirensem archiepiscopum, et Erlindam. Sed qui non sunt hujus aevi.

ANNO CHRISTI 912.

De habitu administrationis in Germania mutato. De ducum origine et potentia. De confusione allodiorum et feudorum secuta. — De comitiis, in quibus de electione Conradi actum. Populi, qui ad eam concurrerunt. Ottonis Saxonis magnanimitas. — Tres praecipuae principum Germaniae factiones. Comitia electionis hyeme habita. — De regno Lothariensi sibi subjiciendo cogitat Conradus. — Conradus in Allemanniam movens, Triburiae diploma dat. Rudolfi I, regis Transjurani ex Welfis orti, mors et liberi. — Conradus conciliationem inter Salomonem episcopum Constantiensem et Erchingerum Bertoldumque fratres tentat. Causae dissidii. Comitum horum stemma a Blondello propositum. — Conradus rex quid apud S. Gallum egerit. — Otto dux Saxoniae obit. Ejus uxor et liberi. — Ottonis elogium. Nascitur ei nepos Otto, postea imperator. — Rollonis Normanni conjugium cum Gisela. S. Martinus Turones relatus autoritate Ingelgeri comitis Andegavensis. Hujus genealogia et mater Petronilla ex Guelfis. — Carolum Galliae regem hoc anno regnum Lothariense adeptum, ex tabulis demonstratur. — Notkeri Balbuli obitus et scripta. — Berengarius in citeriore Italia regnat. — Constantinopolitana. Saracenica.

A. 912. 1. Extinctis in Germania Carolingis, nova se rerum facies aperit, non jure populorum, sed habitu administrationis mutato. Neque commutatio uno ictu aut momento extincti pristini regis nata est; sed latentibus incrementis anteriorum regum provecta, sub puero sese exeruit, et quasi extulit caput; Conrado regnante, et colluctante crevit; Henrico demum concedente praevaluit; sed sub Conrado Salico demum in legem ire coepit. De quo narrat autor veteris chronici Luneburgici rem alibi incompertam, quod sciam: hunc primum, ut rex eligeretur, episcopis promisisse magnum allodium; principibus magnum feudum: *de lovede den Bischopen dat grote Egen und den Leien dat grote Lên.* Equidem omnis potestas, quae Ludovici fuerat, in Conradum successorem translata erat consensu gentium Germanicarum: neque apparet, Saxones aut Thuringos, aut Bajoarios aut Allemannos, ad libertatem proclamasse, qua dudum aequo cum Francis jure fruebantur: neque de divellendo in partes Germaniae corpore ulla nunc mentio injecta est: falluntur que adeo, qui nationes, hactenus Magno Carolo ejusque posteris servientes, (si diis placet) nunc sui juris factas arbitrantur. Dudum in unum rei publicae corpus coierant, in quo omnia regum autoritate, procerum suffragiis,

populi jussu, nullo gentium discrimine agebantur: nec necessaria, sed utilis successionis linea habebatur. Itaque stirpis defectio rei publicae nihil detrahebat. Sed mutatio circa optimates inprimis contigit. Nam proceres majores, diu suppressi, sparsa in plur● et minores potestate, paulatim necessitate temporum et infirmitate regum renascebantur. Duces olim per provincias sub majoribus domus Merovingorum colla erexerant. Cum enim hi regum autoritatem ad se traherent, haud satis obsequentes habebant gentium rectores aut principes, qui genere opibusque pares aut superiores sibi videbantur. Sed Allemanniae duces a Martello, Aquitaniae a Pipino jam rege, Bajoariae a Magno Carolo oppressi sunt: soli, sed aegre superfuere Britanniae reguli in Galliae angulo sive cornu; et Beneventani in regni Longobardici finibus extremis, quibus ipse Magnus Carolus aliquid indulserat, ne ad Graecos desciscerent. Ita pene omnibus ad communem comitum ordinem redactis, aboliti reguli visi: sed paulatim per missos regios et militiae praefectos ex cineribus revixere. Carolus Magnus et Ludovicus Pius, poscente rerum usu, mittebant in provincias, qui in comites ipsos haberent potestatem, sed delegatam extra ordinem, et temporariam; qualem archiepiscopi in episcopos ordinariam et fixam. Itaque et archiepiscopi in capitularibus alicubi missis ex aequo junguntur aut componuntur. Sed missi esse solebant comitum potissimi, quo major scilicet autoritas esset. Iisdem in finibus imperii exercitus credebantur. Itaque vulgo honoris causa duces appellabantur, etsi in tabulis regum nonnisi comitum mentio esset. Sane Walafridus Strabus etiam duces archiepiscopis, comites episcopis comparat. Et cum jam dudum honores familiis, nisi magna ratione, non adimerentur; non raro plures comitatus, aut gratia regum, aut haereditate vel matrimoniis, in unum rectorem confluebant, praesertim qui regiae familiae propinquitate quadam innexus esset: quod quidem Carolus ille Magnus non facile permiserat. Nam, ut recte in vita ejus Sangallensis monachus: nulli comitum, nisi qui in confinio barbarorum constituti erant, plus quam unum comitatum aliquando concessit; nec facile uni plures ecclesias abbatiasque credebat; ajebatque, se malle multos fideles, quam magnos. Sed facilitas Ludovici filii corruptioni viam aperuit, qui etiam (Thegano memorante) regium patrimonium valde imminuit, fiscalibus praediis non in ecclesias tantum, sed et in militares viros, beneficii lege passim sparsis. Comitatibus in unum collatis pluribus, accedebant abbatiae in cumulum opum, quae potentibus commendabantur, aut verius comedendae dabantur. Ingruentibus deinde barbaris, vel laborante civilibus bellis re publica, regum indigentia indulgentiam auxit. Ut tamen integrae provinciae aliquis cum copiis praeesset, nondum haereditarium habebatur, cum viri virtus legenda esset: etsi haud aegre paterna potestas merentibus liberis concederetur. Sed inde jam tandem, regali potestate inclinante, etiam ducatus haereditarii resurgere coepere; et, qui multos comitatus contiguos possidebant, nunc etiam militarem in illis et missaticam potestatem usurpare ausi sunt, sumto non nomine tantum, sed et imperio ducum; cum antea nemo, nisi in finibus et in barbaros, militi A. 912.

A. 912. praeesset: nec quisquam sibi, nisi de suo allodio, vasallos facere posset; quanquam aliud in ea quoque re subinde tentatum fuisse, capitularia alicubi vetantia ostendant: donec, sed multo serius, eo res erupit, ut minores regum vasalli majorum subvasalli haberentur. Partem dictorum hactenus narrata probant, partem secutura firmabunt. In his nostris et vicinis regionibus Ecbertus ille S. Idae maritus, missus regius per Saxoniam, ejusque exemplo Reginbernus, Ludolfus, Henricus Babobergensis, Poppo ejus frater, Otto filius Ludolfi, vulgo duces dici coepere; a regibus tamen et pontificibus, et multis aliis, nonnisi comites vocantur; etsi interdum gloriosi comitis honorifica appellatio etiam in chartis et pontificum epistolis accedat, veluti cum Berengario, Bosoni, Widoni et similibus nondum regibus scribunt. Vicissim verissimi etiam duces vel reguli honoris causa regum sese missos appellabant; quod de Britanniae principe supra notavimus, manifesto indicio, missos pro ducibus fuisse. Conrado jam regnante, Erchingerus per Allemanniam rerum potens, aliis dux, aliis camerae nuntius, hoc est missus regius, appellatur. Sed hoc, credo, novissimum missatici juris exemplum habemus: mox enim Germania in duces sine controversia abiit, quibus marchiones et palatini comites et comites provinciales, mox succenturiati accessere. Similia fere iisdem temporibus et paulo etiam citius in Gallia acta sunt, etsi Carolina stirps nondum defecisset. Itaque concludendum est, comitatus jam pridem, sed ducatus, id est provinciarum majorum et, ut olim loquebantur, regnorum vel, ut hodie, circulorum administrationes, mox demum formam haereditarii juris induere coepisse; beneficiali tamen conditione, quam sub Conrado Salico lege firmatam, sunt qui putent; postremo autem, indulgentia Henrici VI. accedente, qui vicissim haereditarium suis jus stipulabatur, allodia feudaque passim eodem modo haberi coepisse; et mox sub magno interregno, divisiones etiam principatuum aliorumque territoriorum indiscriminatim invaluisse; ut jam inter patrimonium et beneficium, demta futuri spe, parum interesset.

2. Quo tempore aut loco, quibus intervenientibus, qua forma deliberandi, prima Germanici interregni comitia celebrata sint, ob defectum contemporaneorum annalium et negligentiam sequentium ignoratur. Exemplo tamen eorum, quae in Arelatensi regno acta sunt pro Bosone et Ludovico, non dubito, maximas antistitum partes fuisse. Archiepiscopi suffraganeos facile trahebant; ecclesiae autoritas veneranda populis pro jure erat. Hatto amicissimus Conrado habebatur, cujus aemulorum ferocissimum sustulerat. Ex principibus inter Francos Conradus ipse, et consobrini ejus Conradus, Udo, Hermannus praevalebant. Ottonem praesentem favisse constat, cujus sententiam Saxones et Thuringi sequebantur. Arnulfum Bajoarium et cognatos ipsi Erkingerum Bertoldumque Allemannos intervenisse, nec affirmare, nec negare sustineo. Absentes eventum spectasse malim. Salomonem Constantiensem episcopum, Conrado addictum, pene pro hoste habebant. Sed non eo minus praesulum autoritate res processit. Aventinus ex ingenio, ut solet, Arnulfo consilia et animos facit. Vetus Bajoariae regnum resuscitare conatum ait. Omnes

Bojorum proceres et pontifices, cum regi defuncto inferias dedissent, hunc regem salutasse; cujus tantae rei nullum apud veteres vestigium est: imo contra Piligrinus, praesulum Bajoariae primus, statim Conrado adhaesit archicapellani honore, ut diplomata testantur. Nec ea erant tempora, ut Bajoarii per se contra Hungaros stare possent. Brunnerus fabulam silendo sprevit. Confudit Aventinus acta, Conrado ineunte et extincto. Luitprandus consensum populorum praedicat, et secundo demum Conradi anno rebelliones erupisse scribit. Si Witikindo historico Saxonico credimus, quem Otto Frisingensis aliique secuti sunt, populus omnis Francorum et Saxonum Ottoni diadema decernebat. Sed ille onus ob aetatem graviorem deprecatus est; rogatus deinde sententiam, cunctis admirantibus, amore rei publicae Conradum, adversae factionis principem, et tantum non apertum hostem, nominavit. Ejusque judicium omnes secuti feruntur: quanquam ego arbitrer, tam validas Conradi partes fuisse, ut facile regno excidere non posset. Res publica strenuo principe et vivido indigebat in tanta procerum licentia et hostium immanitate: nec maturum Ottoni ipsi videbatur, ut simul et a stirpe regia Francorum, et a gente ipsa, sceptrum avelleretur. Caeterum non satis verum apparet, quod Witikindus addit, electo licet Conrado, summam tamen imperii apud Ottonem fuisse, qui hoc ipso anno decessit. Conradum Witikindus et Hermannus Contractus sacro oleo delibutum (id est coronatum) fuisse scribunt, nec dubito, eas Hattonis Moguntini partes fuisse. In Henrico successore notatum est, quod unctionis expers fuerit, certo indicio, idem de Conrado dici non potuisse. Otto princeps sapientissimus laudabilis consilii ingentem fructum tulit, eique Conradus moriturus vicem reddidit, Henrico ejus filio, quanquam hoste, nominato. Ita aemuli magis virtute, quam factione certarunt. Eant nunc scriptores, et decimum seculum spernant. A. 912.

3. Quantum brevitas historicorum intelligi patitur, tres Germaniam factiones scindebant, antequam Conradus ad regnum pervenit: una erat ipsius Conradi Francorum principis, cum fratre Eberhardo et consobrinis, Eberhardi et Gebhardi filiis; haec aulae gratia praevalebat. Altera Ottonis ducis Saxonum habebatur, cui nepotes ex filia Bambergenses fratres adhaeserant, sed a Conradi parte oppressi fuere. Tertia Arnulfi, limitem Bajoarium regentis, cum avunculis Erchangero et Bertoldo fratribus Allemannis. Cum Otto suas inimicitias rei publicae donasset, Conradus, annitentibus Hattone Moguntino, Salomone Constantiensi aliisque praesulibus, quos olim regi gratiosos multis beneficiis obstrinxerat, ad regnum pervenit: nec Arnulfus aut Erchingerus initiis ejus obstitisse apud veteres leguntur. Suspicor, comitia, quibus Conradus diadema accepit, hyeme hujus anni, non procul Rheno Moenove acta. Nam Aprili mense curia regia Fuldae habita est, ut apparet ex diplomate, ibi ipsis Fuldensibus 8. Idus Aprilis dato, cujus excerpta apud Browerum extant, superiore jam anno a nobis adducta. Aquisgrani, quod caput Lothariensis regni, nihil eum potuisse, mox patebit. Ipsas Julii Kalendas Francofurti egisse, ostendit donatio Fuldensibus facta, quam a. D. 918. totam producemus.

A. 912. 4. Rebus domi utcunque compositis (quanquam hoc anno praedatrix Ungarorum manus, nullo resistente, in Franciam Thuringiamque penetrasse scribatur continuatori Reginonis) Conradus, Saxonia Ottoni commendata, cura limitis Pannonii Arnulfo relicta, cui dudum incumbebat; ipse trans Rhenum cogitavit, ne quid de regno decerperetur. Sed Gerardus, Matfridus aliique comites regni Lothariensis, quem privatum hostem habuerant, regem nolebant: et Ragenarius dudum sese Carolo regi Galliae applicuerat. Itaque rex novus vires sibi contrahendas intelligebat. Ita expeditio in annum sequentem dilata est; etsi jam tum immissum Lothariensibus militem, brevis chronologia Sangallensis notet.

5. Interea in Allemannos Conradus profectus est; et praeter alias causas invitatum illuc puto morte Rudolfi Guelfigenae, regis Transjurani primi, quae hoc anno contigit; captatamque occasionem recipiendi regni, quod Arnulfi majestatem coluerat. Sed incolae filium cognominem patri surrogavere, nec ad vim paratus erat Conradus; cui etiam major de Lotharingis retinendis, quam Burgundis acquirendis cura. Rudolfum II. per 25 annos praefuisse, innuit Hermannus Contractus. Patrem ejus Rudolfum I. quidam Stratlingensem vocant; ex hoc cognomen tribuunt toti huic generi Burgundicorum regum. Gollutius in commentariis rerum comitatus Burgundici rationem affert, quod pater ejus Conradus in castro Stratlingensi natus esset. Sed haec recentiorum commenta sunt: rectius Guelfigenae appellabuntur, ex Altorfensi scilicet gente, apud Allemannos Bajoariosque florente; unde Guelfus Judithae filiae Ludovico Pio nuptae matrimonio posteris ad tantam magnitudinem viam paravit, ut pronepos tandem regnaret. Hartmoutum abbatem S. Galli, gente Allemannum, ut apparet, regi Rudolfo propinquum, Eccardus junior in Casibus S. Galli inducit; qui eundem et Landalo Trevirensi praesuli, gente Habesburgio seu Vindonissensi, cognatum facit. Filiam Rudolfi I Waldradam duxit postea Bonifacius marchio Spoletinorum et Camerinorum, ut ex Luitprando discimus. Aliam filiam Willam ex conjectura se addere ait Quercetanus in Burgundicis, Bosoni marchioni Tusciae, Hugonis regis fratri, tandem nuptam, de qua Luitprandus, sed qui hanc originem non attigit, ubi maxime locus erat. Conradus in Allemanniam movens, inclinante mense Augusto, in itinere Triburias venit ad Rhenum, ubi celebre tunc palatium regium erat. Tabulae, quas Tolnerus inter Palatinas edidit, concessae sunt monasterio S. Michaelis in Aberinesburg. *Wodalfridus cancellarius* (vel, ut nupero Aprili apud Fuldam, *Udalfridus*) *ad vicem Pilegrini archicappellani recognovit. Data 10. Kal. Septembr. in monte Aberinesburg, anno dominicae incarnationis 912, indict. 13, anno primo regni Chunradi gloriosissimi regis. Actum ad Triburiam palatio regio f. A.* ut apud Tolnerum in diplomatibus Palatinis habetur.

6. Conradus rex in Allemannia omnibus in fidem acceptis, id potissimum egit, ut pacem publicam tueretur, et Salomonem Constantiensem episcopum, eundemque Sangallensem Augiensemque abbatem, cum Erchingero et Bertoldo fratribus, potentibus viris, conciliaret. Eorum origo nuspiam prodita est. Blondellus conjecturas, nescio quas, secutus, nobis

stirpem in tabula delineat, quasi nuntius ex illo aevo venisset. Erchangerum comitem Erchangeri et Richardis, Carolo Crasso nuptae, patrem fuisse; ex secundo Erchangero natum tertium, cum Bertoldo fratre et Kunigunde sorore, primum Luitpoldo Pannonici limitis marchioni, dein Conrado regi nupta. Fratres aegre tulerant, episcopum, Hattonis patrocinio in aula gratiosum, praedia ad jus fisci pertinentia munere regio obtinuisse, quae eo ipso administrationi ipsorum subtrahebantur. Si Ekkehardo Sangallensi credimus, Salomoni jam Arnulfo regnante indignati sunt ob quaedam Sangallensibus data, ad Potamum oppidum pertinentia, quod nuntiorum camerae juris erat, id est ubi missis regiis residere mos erat. Id oppidum postea ad Welfos pervenit, et in eo novissimus antiquae stirpis Welfus, frater Kunigundis Azoni Estensi nuptae, decessit. Fratres Maguntiam venire jussi, ibique pacis turbatae damnati, aliquamdiu Ingelhemii in vinculis detenti sunt; sed Salomone ipso intercedente, per Hattonem liberantur. Haec fabulae suspecta sunt. Erkangerus certioribus autoribus sub Conrado captivus et exul, libertate recepta, iterum et gravius offendit. Sed Ekkehardum audire pergamus: species deinde amicitiae fuit; sed cum aliquando Constantiam invitati lauteque habiti essent, episcopus jactantior inter caetera sua, quae laudabat, clibanum Sangallensibus esse dixit, ubi uno calore mille panes coquerentur; lebetem etiam suum aeneum, nescio quem, praegrandem memoravit; postremo esse sibi pastores ovium dixit, qui, si faciem videres, quantivis pretii haberentur; quibus ipsi hospites, nobilissimi viri, capita detractis pileis inclinaturi essent. Id hospites fratres, qui caetera patienter audierant, cum risu aspernari. Multo post tempore, id est hoc anno praesente, cum Conradus rex Constantiae festum Domini natalitium celebrasset, proxima die, quae S. Stephani nomine inscripta est, ad Sangallenses navigans, illic reliquum sacri tridui egit; episcopo abbate Constantiae manere jusso, quasi vice permutata. Sed ibi interea nova irarum causa ex re ludicra nata est. Magistri pastorum duo, homines sylvestres, sed prolixis barbis venerabiles, forte ursum cervumque recens occisos attulere. Salomon memor, quae olim jactasset, hos subornatos, velut vicinos et liberos (hodie nobiles dicerentur) offerre hospitibus praedam tanquam propriam jussit. Fratres principes pro humanitate sua assurgere, et pileis detractis, inclinato reverenter corpore, gratias venatoribus agere; sed re mox cognita, impatientius, quam pro rei merito, sese illusos dolere. Rex reversus, intellecta causa, interposuit sese, ostenditque, haec ad hilaritatem comparata, risu vindicanda: sed illi contumeliam interpretati sunt; et tunc quidem pressere iram, quae postea violentius erupit. Ita nugae utrosque seria tandem in mala duxere. A. 912.

7. Rex ad Sangallenses reversus, oratorium beati Othmari adiit, autoritate Romana inter sanctos recepti. Ita Ekkehardus loquitur, canonisationis (quam vocant) exemplum nobis praebens non poenitendae vetustatis. Ibi Conradus memor, Warinum et Ruodhardum, qui Othmarum olim vexarant, inter parentes suos fuisse, serica veste, argento, auro, oblatis, tanquam capitis sui pretio, quasi ipse laesisset, sanctum placavit:

A. 912. quaedam etiam praedia regii juris adjecit. Parentes ambiguum, hoc loco latinae majores, an barbare cognatos designent. Praeterea rex inter fratres conscriptos se haberi voluit, et in coenobio jucunde egit, severitatem monachorum temperans regia hilaritate, et animum a gravitate suae dignitatis, usque ad lusus cum pueris tironibus laxans; quae prolixius exposita ab Ekkehardo, ostendunt, principem omnium horarum hominem fuisse.

8. Ottonem, ducem Saxonum (quem Sifridus presbyter Ottonem de Brunsvic appellat) hoc anno obiisse, statuo ex antiquissimo necrologio Fuldensi, in quo ad a. D. 912. (versus anni finem) verba habentur: *O. Otto comes.* Idem mortem Ludovici regis habet anno praecedente, et Hattonis archiepiscopi sequente *, et Conradi ipsius a. D. 918. exeunte. Etiam Reginonis continuator Ottonis mortem in hunc annum refert, et Luitprandus Henricum ejus filium in Conradum insurrexisse scribit anno regni secundo. Mors Ottonis a Ditmaro episcopo in 2. Kal. Decemb. relata est. Eundem diem habent fasti necrologi majoris ecclesiae Hildeshemensis his verbis: *Secundo Kal. Decemb. Oddo comes.* Lambertus Schafnaburgensis aeque Ludovici obitum in annum 912, et Ottonis in 913. differt, cui Schatenius assentitur; annalista Saxo noster in a. D. 914, chronicon Brunsvicense picturatum Conradi Bothonis in 916, quibus Caspar Sagittarius favet, vir doctus et diligens, et qui nostris temporibus regionum Germaniae historiam curatius tractare coepit. Is in Thuringicis non videt, quomodo praedicari tantopere possit Ottonis potentia et autoritas sub Conrado, quo regnante tam parum vixit. Sed exaggeratam a Witikindo jam notavimus. Ego necrologii Fuldensis testimonio standum censeo. Obiisse in Gandeshemensi monasterio testatur Roswita, et quidem sex mensium intervallo ante Odam matrem. Ottoni duci conjux Hedwig fuit, mater Henrici, teste Ditmaro et Mathildis reginae biographo, qui Henrici pronepote regnante vixerunt. Itaque concidit, quam multi credidere, duplex cum domo regia affinitas, et Henrici Aucupis origo ex Carolinis; quasi Otto sororem Ludovici novissimi regis, hic filiam Ottonis duxisset, et utrique Luitgardi nomen fuisset; quod etiam Buccetius in tabulas suas genealogicas regiae Francorum stirpis retulit. Nam Ludovicus adolescens uxorem non habuit, nec quod constet, legitimam sororem; et Otto affinitate (nisi per sororem suam Luitgardem, Ludovico juniori, filio Germanici nuptam) ** Henricus filius ejus sanguine familiam regnatricem non attigere. Witikindus habet, binos alios Ottoni filios fuisse, Tancmarum et Ludolfum, qui ante patrem obierint. Biographus Mathildis solum Tancmarum cum Henrico natu minore memorat. Omnes ex Hedwige natos, annalista noster nondum editus *** prodidit, et narrationem addit, quam alibi non reperi: hos Gandeshemensi ecclesiae de dote 11 mille mansorum plurimum adimere conatos; Henricum, ubi eos a conatu revocare nequivit, detrimentum ecclesiae de sua portione sarcire voluisse: mox, qui hoc modo ad deteriorem conditionem redactus videbatur, favente

*) anno subsequente *Eckardus.* **) et *insert Eckardus.* ***) Saxo *corrigit Eckardus.*

Deo, omnia, et paternis ampliora obtinuisse. Primum libera potestate regnasse in Saxonia, quod Witikindus ait, malim ad regnum, quam ducatum referre; hactenus enim Saxoniae rectores regibus suberant. Neque patre plus potuit, qui vix omnem patris potestatem impetravit. Ottonem canonicorum regularium collegium in Luneburgico monte collocasse, quod postea Hermannus Billingides in monasterium S. Michaelis vertit, jam supra dictum est. A. 912.

9. Ottonis sapientia et autoritas celebrantur. Primae in Italiam expeditioni Arnulfi plurimum momenti attulit. Filium ejus Zuendiboldum generum habuit. Sub Ludovico adolescente potentiam domi firmavit; nam in aula Conradi gratia obumbrabatur: consiliis et filio felix, cui sceptrum recusando paravit. Accessit et ille felicitati cumulus, ut nepotem ex filio, Ottonem, qui postea imperavit, octiduo ante obitum suum natum videret. Ita enim diserte Roswita:

Scilicet ante dies octo, totidem quoque noctes,
Quam ducis occasus miserabilis accidit hujus,
Ipsius nato regi quandoque futuro
Nascitur Henrico famosus filius Oddo;
Qui fuit electus regis pietate perennis
Primus Saxonum rex post patrem strenuorum,
Augustus Romanorum pariterque potentum.

Habemus ergo Ottonem Magnum paulo ante hujus anni finem natum.

10. In Gallia Rollonis matrimonium cum filia regis Gisela hoc vel sequente anno contigerit; sed nos praecedente narrare occupavimus. Ex eo, cessante jam metu invasionis barbaricae, passim corpora sanctorum ad antiqua conditoria referri coepere. S. Martinum Turonensibus Antissiodorenses reddere negabant. Sed extorsit Ingelerus Gastinensis comes, Andegavensium etiam ex regia autoritate consul; sed consulatus circa haec tempora significabat comitivam dignitatem. Haec Albericus ad annum sequentem ex dictis S. Odonis Cluniacensis abbatis, addens non injucundam fabulam: Sancti Martini corpus in itinere tam prodigum miraculorum fuisse, ut etiam inviti sanarentur. Nam duos paralyticos de morbo suo victitantes, cum frustra fugere venientem, sanctum conarentur, a sanitate deprehensos, resipuisse. Ex historia vetere consulum Andegavensium discimus, Tertullo comiti Gastinensi ex Petronilla, filia ducis Burgundiae, Ingelgerum natum. Hunc Albericus nepotem Hugonis Burgundiae ducis facit. Is Hugo non alius esse potest, quam Hugo abbas Welfigena, qui multis dux Burgundiae appellatur, idem filius fraterque Conradi. Petronilla igitur, soror Hugonis et minoris Conradi, filia fuerit Conradi majoris, quem filium Welfi, fratrem Judithae imperatricis fuisse constat. Conradus minor comes Parisiorum, etiam dux Burgundiae appellari solet; ei natus Rudolfus, tandem in parte Burgundiae trans Juram regnavit. Huic ergo regi Ingelgerus consobrinus fuit. At Petronilla etiam Odonis Francorum regis soror erat, sed tantum ex Adelaide communi matre, post Conradum Roberto Forti nupta. Scilicet in Gallicis nunc pro historia, quae defectu scriptorum sterilescit, genealogiae texendae

A. 912. essent; nam in hoc seculum fere incidunt origines explerabiles illustrium familiarum. Caetera languent annales.

11. Carolum tamen diu torpentem, jam tandem spes augendi regni excitavit. Plerumque ingerebat se illi fortuna non satis uti gnaro. Fulconis factio pene puerum regem fecerat: Odone aemulo extincto, redintegravit regnum, quale fratres habuerant: nunc per mortem Ludovici adolescentis Germaniae regis, Lothariense accessit, cujus propiorem Rheni partem nec pater, nec, nisi brevi transcursu, avus ipse tenuerat. Ea portio erat Germanici juris inde a Pii filio Ludovico Germanico. Ludovicus hujus filius etiam reliquam partem acceperat, cedentibus Galliae regibus. Exinde Germanici corporis membrum omnes Lotharienses facti videbantur, et in ejus societate usque ad Conradum mansere. Nunc, quo jure quave injuria, Carolum ultro accibant proceres Conrado inimici. Nec magnum tantum, sed et facile incrementum fuit; quamvis Ultrajectum ob situm in Conradi potestate mansit, aliaque vicina. Ergo annos largioris indeptae haereditatis Carolum ab hoc anno computasse, variis tabulis consideratis statuunt Sirmondus, Labbeus, Mabilio, Baluzius aliique harum rerum peritissimi viri; etsi a. D. 916. demum a Lotharingis receptum scribat Sigebertus, in rebus quidem suarum regionum non spernendus, sed tamen chronologiae non bonus autor. Perplexos nos reddunt frequentes in temporum numeris per chartarum veterum exempla corruptelae: cunctis tamen collatis, plura huc conspirant, ut annus praesens novae Caroli epochae primus credatur. Et haesitationem postremo exemit diploma originale Caroli, a. D. 917. datum, a Mabilione inspectum, de quo mox. Tabulis ergo examinatis, praeponderare deprehendi sententiam, a viris doctis receptam, primumque annum regnantis apud Lotharingos Caroli praesentem esse, jam inde ab Aprili mense. Itaque in placito publico, circa vernum tempus habito, populis agnitum, pascha Domini in ea regione celebrasse judico. Crescebat autoritas principis hoc successu; nam et Franciae orientali inhiabat sanguinis jure, et rerum novarum spe asseclas inveniebat. Sed imparem fortunae et aliis obnoxium postremo etiam sui destituere. Nunc tabularum Caroli, regnum Lotharingicum sibi tribuentis, indiculum subjiciamus, quas in suo singulas anno explanabimus.

A. D. 913. ind. 1, regni 21, redintegrati 16, largioris haered. 2. pro Ratbodo archiepiscopo Trevirensi.

A. D. 914. ind. 2, regni 22, redint. 17, larg. haer. 3. pro Gorziensibus monachis.

A. D. 915. ind. 3, regni 23, redint. 18, larg. haer. 4. pro S. Lamberto Leodiensi.

A. D. 916. ind. 4, regni 24, redint. 19, larg. haer. 5. pro monasterio Balneolensi.

A. D. 917. ind. 5, regni 25, redint. 20, larg. haer. 6. pro ecclesia Compendiensi.

A. D. 918. ind. 6, regni 26, redint. 21, larg. haer. 6. (forte 7.) S. German. 2. Id. Maji, apud Beslium.

A. D. 919. ind. 7, regni 27, redint. 22, larg. haer. 8. pro ecclesia Trevirensi binae, pro ecclesia Compendiensi, pro abbatia Broniensi. A. 912.

A. D. 920. ind. 8, regni 28, redint. 23, larg. haer. 9. Camerac. 6. Id. Septemb. apud Beslium.

A. D. 921. ind. 9, regni 29, redint. 24, larg. haer. 10. Pactum Bonnense et praeceptum pro monasterio S. Mauri.

12. Anastasium papam hoc anno defunctum, Hermannus Contractus tradit; sed ea mors in sequentem differri debet. Notkeri exitus hujus est anni, viri clari, et apud Sangallenses studiorum magistri. Diem ejus emortualem 8. Non. Aprilis constituunt ephemerides S. Galli apud Goldastum in rebus Alamannicis. Balbulus ab impeditiore sermone dictus est, sed non perinde mens haesitabat. Quaedam de illo, Vossius in historicis Latinis et Caveus in scriptoribus ecclesiasticis: atque hic quidem ex epistola Jodoci Mezleri ad Goldastum. Sed mirum est, biographum ab iis non laudatum, nempe Ekkehardum decanum de vita ejus a Goldasto in Allemannicis editum, seculi tertii et decimi scriptorem. Ait, Notgerum ex pago Turgoviensi, vico cui nomen Helig-gau, ortum nobilissima familia, quae Carolis et Ottonibus cognatione juncta fuisset. Sed quod idem scriptor habet, Ottonem Magnum ad monasterium venientem, hunc nepotem vocasse, ad alium pertinet Notgerum, qui etsi juvenis sub hoc caesare abbatiam loci obtinuit. Itaque scriptores errantes etiam Vossium decepere. Notgerus autem noster inprimis per cantica carminaque sacra innotuit; sequentiaeque, ut vocant, quae receptae in ecclesiis celebrataeque fuere: et in ea re cum Carolo imperatore (id est Crasso, ut interpretor) certavit. Martyrologium ejus, etsi imperfectum, Canisius edidit. Dicitur et extare apud Sangallenses vita S. Galli, carmine scripta libris tribus, et vita Fridolini ex Hibernia abbatis, qui claustrum Seckingense struxit. His Vossio memoratis, Caveus ex Mezleri epistola addit Elucidarium libelli notis picti itidem superstitem; item de expositione sacrae scripturae librum unum, epistolarum ad diversos lib. 1, de musica et symphonia lib. 1. Sed quod tertio Notgero, Sangallensi seculi XI. monacho, Labeoni dicto et physico, etiam nobili viro, a Mezlero hymni ecclesiastici, et versiones Teutonicae psalterii et Iobi et moralium Gregorii M. tribuuntur, haereo; cum diserte biographus Balbuli hunc dicat psalterium de Latina lingua in barbaricam (id est vulgarem) transtulisse; addatque, librum, cum scriberet ipse, in armario Sangallensi extitisse. Goldastus in praefatione Allemannicorum de Ekkehardo illo juniore tractans, a nobis aliquoties adhibito, hunc ait Moguntiae, tempore Aribonis archiepiscopi Moguntini, imperatrici ibidem forte agenti (quam Giselam fuisse suspicor) versionem Teutonicam Notkeri Labeonis physici transcripsisse. Id opus (addit Goldastus) nunc in nostra manu est. Nuperius Lalovera Tolosas, Siamensi legatione obita clarus, eundem librum apud Helvetios, cum ibi regis sui causa versaretur, nactus, Johanni Schiltero jureconsulto Germano in patriis antiquitatibus praeclare versato edendum commendavit; sed qui morte praeventus, pensum non absolvit.

A. 912. 13. Citeriorem Longobardici regni partem Berengarius regebat: sed neque apud Beneventanos aliquam ejus rationem habitam puto; et vereor, ut Spoletani satis paruerint, si Ageltrudis augusta, mater Lamberti, vel Wido consobrinus superfuit. Adelbertus Tuscus ambigui erga reges obsequii erat: caetera regionum in potestate Berengarii fuisse puto. Itaque is, referente Sigonio, 9. Kal. April. a Sibicone Patavino episcopo edoctus, basilica ab Ungaris cremata, tabularium sedis perisse, vetera regum privilegia instauravit, anno regni vigesimo quinto.

14. Constantinopoli Alexander Leonis frater cum filio ejus impubere Constantino regnans, anno nondum aut vix expleto, cum intemperanter vixisset, ex sanguinis profluvio decessit. Ita solus aliquamdiu sceptra tenuit puer, matre Zoa cum tutoribus, inter quos Nicolaus patriarcha, res administrante; donec Romanus, a classis praefecto assumtus collega imperii, Zoen amovit, cunctaque in se traxit. Apud Saracenos Hispaniae extincto Abdallae successit Abderamen dictus Almansor (nepos ex filio Mahomete, ut quidam volunt) et diu regnavit. Califam se ferebat, Syros non curans; quod circa eadem tempora et in Africa Saracenus princeps Mahomet facere coepit, qui se Fatima, Mahometis sectae autoris filia, ortum ferebat. Ita tunc in tres califatus abiit imperium Saracenorum.

ANNO CHRISTI 913.

Conradus rex frustra Thuringos Henrico duci adimere tentat. Historiola de torque pernicioso ab Hattone pro Henrico parato. — Torques similis Walkenredae ostenditur. — Henricus Hattoni infensus praedia adimit, Burchardum Bardonemque Thuringia et Saxonia expellit. — De obitu Hattonis archiepiscopi Moguntini. Ejus elogium et abbatiae, quibus praefuit. Fuldensem non habuit. — Successio abbatum Fuldensium. — Conradus rex in Westfalia et Hassia fuit. Expeditionem in Lotharingos suscepit nullo effectu. — Carolus rex in Theodonis villa Trevirensi ecclesiae privilegium concedit. — Ungari a Bajoariis et Allemannis devicti. — De Udalrici comitis Allemannici fatis et posteris. — Anastasius papa obit, succedit Lando. Otbertus Strasburgensis episcopus occisus. Einhardus episcopus Spirensis excoecatus. Conradi Curciboldi et Werinheri ejus fratris origo. Conradus rex Erchingeri Allemanni sororem ducit uxorem. Oda uxor Ludolfi Saxonum ducis obit.

A. 913. 1. Conradus rex, intellecta morte Ottonis Saxonum ducis, ex Allemannia in Westfaliam properavit; inde in Lotharienses moturus. Nam prona Saxonum et Thuringorum voluntate, Henricus in honores patris successerat. Sed cum regem autorem fieri desiderasset, repulsam passus est: nam, ut Witikindus memoriae prodidit, juveni acri et expertae virtutis, veritus est credere totam patris potestatem; et accurate Ditmarus episcopus, ut tanto scriptore dignum est, ait, Henricum, in relicta a patre succedentem, haereditatem (id est patrimonialia) jure, maximam vero beneficii partem (id est feuda pleraque) gratuito munere regis accepisse: ut agnoscere videatur, honorum successionem et beneficiorum non pleno juri, sed gratiae regis imputata. Luitprandus Saxonum et Thuringorum praepotentem ducem vocat, quod cum Conringio ad Nordthuringiam restringere nolim, quae ab antiquo in Saxonia Ostfalica comprehendebatur. Credibile est, Thuringos (novam ducatus accessionem) abstrahere cogitasse regem: sed jam in morem ire coeperat, ut patrum administrationes filiis

capacibus concederentur, magnaeque populorum partes erant in rei publicae A. 913.
administratione conferenda. Itaque tentamenta regis irrita fuere. Nec concedere voluit, nec negare ausus est; et, si Witikindo fidem adhibemus, moram tantum injecit, quae Saxonibus bilem movit, ut Henricum ad usurpandos honores paternos impellerent. Idem narrat, regem a vi ad fraudem versum, vitae juvenis insidias struxisse: quod non temere admiserim de principe etiam hostibus laudato. Hattonis archiepiscopi opera usus est, opinor, ad Thuringos ab Henrico alienandos creditusque est Hatto capiendi juvenis consilia iniisse, quasi Adalberti scenam renovaturus. Inde fabula nata, quam ex Witikindo Ditmarus repetit, torquem collarem aureum fabricari praesulem curasse, quem invitato ad convivium honoris causa circumdaret. Mortem gestaturus erat, qui torquem; sive ille veneno infectus fuerit, ut Stumpfius arbitrabatur; sive tanta arte compositus aculeisque armatus, ut, laxatis quibusdam vinculis, comprimeret collum, et vitale iter spiritui cibisque intercluderet, nec sine letali noxa adimi limave tractari posset. Forte (si credimus) Hatto incautius, quam a tali homine expectares, apud artificem ingemuit, optimi viri Henrici sanguine imbuendum opus. Is, perfecto labore, indicium ad Henricum detulit. In codice Dresdensi Witikindi, qui G. Fabritii fuit, non Hattoni, sed amicis regis haec fraus tribuitur: sed apparet, quendam sacrae dignitatis studiosum magis non enuntiasse autorem archiepiscopum, quam dissimulasse. In eodem codice tota de Adelberto decepto narratiuncula abest: quae omnia ex collatione codicis cum editis intelligi possunt, quam tomo primo scriptorum Brunsvicensia illustrantium inseruimus. Sed nihil autoritatis tribui potest praepostero librarii studio, quo memoriae magni praesulis consulens, plus sibi licere voluit in alieno opere, quam par erat. Extat utraque historiola etiam in Casinensi antiquissimo codice, cujus ibidem adjecta est collatio, aliisque, unde editiones prodiere; sed non ideo vera puto, quae genuina.

2. Perniciosum collaris artificium illustrabit narratio ex Walkenredanis monumentis desumta, ubi torques feralis inter anathemata visendus habebatur, de quo ita in literas relatum est: Cum Johannes abbatum tricesimus quintus, nominis septimus, monasterium gubernaret, quendam ex Mutzevaliorum genere infensum monasterio fuisse, et, cum paulo ante Henricus Wincigerodius torquem ferreum in comitis Mansfeldensis exitium fieri curasset, ipse eo periturus, nisi intercessione Philippi ducis Grubenhagiaci comes supplicium ei condonasset; Mutzevalius similem ex solido ferro fabricari curavit, ut versi introrsum atque mobiles aculei guttur ejus, cui torques injectus erat, paulatim occluderent. Itaque occasionem opperiens, patrem, cui nemorum Walkenredensium cura erat, reperit, et per vim monile collo ejus circumdat. Redit miser ad claustrum; guttur ita intumuerat, ut vix cibo potuique via pateret. Acciti fabri ferrarii nihil poterant ob summam ferri duritiem, quae limam respuebat. Sacris ergo peractis fusisque precibus, quod unum restabat, in ferrariam ducitur officinam, ubi inter fletum et preces sodalium procubuit, et collum incudi ita applicare jussus est, ut torques in eminenti incudis fronte positus fortius

A. 913. percuti posset. Atque ita primo ictu dissiluit suspensus in basilica in rei memoriam. Mutzevalii uxor, edito (si credimus) monstrosi gutturis partu defecit, et ipse brevi cum omni stirpe extinctus est.

3. Illud facilius admiserim, quod additur a Wittikindo, Henricum invitatum, credere se praesuli non ausum, renuntiari curasse, non durius sibi, quam Adalberto collum esse: simul praedia Moguntini per Saxoniam et Thuringiam invasisse, et Burcardum Bardonemque, quorum alter gener regis erat, provincia expulisse, possessionibus multavisse, has inter suos distribuisse. Credibile est, Burchardum propinquum, et fortasse filium fuisse nuperi ducis cognominis, cui pater regis ducatu Thuringiae cesserat; potuitque obsignare foedus filia aut neptis cedentis, filio accipientis promissa; sive gener hic proprie accipiatur, sive abusu vocis (ut frequens tunc in cognationibus) pro sororio steterit: nam de matrimonio regis hactenus siletur. Quibus positis, pronum est conjicere, caeso ab Ungaris Burcardo duce, filioque rebus gerendis nondum maturo, provinciae curam tam periculoso tempore Ottoni commissam, ea spe, ut ad juvenem deinde rediret: idque nunc affinem regem molitum, et eam ob causam Henrico non favisse. Ita suspicionibus interdum, sed professis, tentamus supplere historiae hiatum. Bardonem illum esse putes, cujus mentio fit in diplomate Ottonis M. a. D. 937. date, quod edidit vir eruditus, Quedlinburgensium ecclesiarum ephorus, cujus eadem suspicio est. Ibi rex congregationi in Quidilingeburg in proprietatem dat curtem Salta, sitam in pago Lainga, in comitatu Liudgeri (cum appendicibus) et quicquid haereditatis Adred mater Bardonis domino et genitori Ottonis beatae memoriae Henrico serenissimo regi cum praefato loco Salta in proprietatem condonavit. Suspicatus est editor, hanc Saltam esse, quae prope Magdeburgum, unde nunc quoque reditus annuos capiat congregatio inclyta. Sed situs in pago Leingau nescio an non Saltae faveat inter Einbeccam et Northemium ad Leinam sitae. Crediderim extincto Bardone, matrem ejus cum Henrico (fortasse cognato) rediisse in gratiam, et affectam beneficiis, ultima voluntate vicem rependisse. Ipsius tamen Bardonis comitatum, nisi plures designantur, in orientali Francia quaerendum putem, ex praecepto regio relato ad a. D. 918.

4. Hattonem his auditis ex aegritudine animi in morbum incidisse, Witikindus scribit, atque inde decessisse. Addit, quosdam fulmine afflatum referre, unde post triduum defecerit. Posteriores abreptum a daemonibus, et in Aetnam projectum nugati sunt, auditasque voces in aere, quibus poena prodebatur: *Sic peccata lues, sicque luendo rues.* Sed quod Crantzius et manuscriptus Moguntinarum rerum codex minor apud Serrarium habent, in praelio contra Henricum prope Mersburgum cecidisse, verisimilitudine et testimoniis caret. Viro ad mortem gravis aetas suffecerat: caetera odiis imputo, quibus ejus calliditas laborabat. Itaque et Malum [cognominatum, Serrarius ex manuscripto notat. Magnum virum fuisse, apparet, qui diu sub minore annis rege suis consiliis Germaniam rexit, adjutoresque Ditmarum Juvaviensem, Adelberonem Augustanum, Salomonem Constantiensem praesules; ex ducibus Conradum inprimis amicum et partibus innexum habuit. Cor Regis dictum, Ekkehardus Sangallensis

scribit. Sed jam sub Arnulfo autoritate et gratia valuit, ex Augiensi abbate factus archiepiscopus Moguntinus. Serrarius notavit, compatrem a rege Arnulfo, et deinde augusto, in tabulis dictum, quod filium Ludovicum, ab Adalberone salutaribus undis tinctum, de sacro fonte levasset. Duodecim abbatias rexisse, Ekkihardus scribit. Laurishamensi jam praesulem per tredecim annos praefuisse, ex chronico loci satis antiquo discimus. Inde ex fratrum electione abbas factus loci monachus Liutherus, et a rege investitus; sed qui tandem ad Mimidonensem episcopatum promotus est, de quo plura dicemus ad a. D. 927, quo obiit. Bruschius diviti Augiae annis 26, Elwangi monasterio 17, Fuldensi aliquamdiu, Moguntinae sedi annis viginti et uno praefuisse habet. Haec Serrarius in dubium vocat, annos aetatis nimiae ita computans, quasi non simul plura tenuerit. Fuldam etiam * Hermannus Contractus attribuit, sed hoc Fuldensi necrologio refutatur, quod Hattonem inter abbates recenset, sed alium, nostro anteriorem. Habet scilicet indiculum abbatum, unde excerpta dare, e re erit : A. 913.

5. *A. D. 744. fundatum est coenobium; rexit Styrmi per annos 36; a. D. 779. 16. Kal. Januar. obiit. Baugolfus per annos 25; ob. 8. Id. Jun. Ratger per annos 16; ob. 8. Id. Dec. Egil per annos 5; ob. 17. Kal. Jul. Hic Rabanum et Hattonem ad Alcuinum erudiendos misit.* Rabanus (postea archiepiscopus) quot annis praefuerit, non additur. *O. 2. Non. Feb.* De Hattone ita: *Sextus abbas Hatto, aeterna virginitate praeditus,* rexit *per annos 12. O. 2. Id. April.* Apparet, hunc esse, qui cum Rabano, cui successit, Alcuinum audivit. Ergo, qui sub Magno Carolo vixit, quomodo ad Conradum pertigisset? Et annales Francorum mortis ei tempus assignant a. D. 856. pridie Idus Aprilis. *Post hunc Thioto per annos 12. O. 7. Id. Aug. Sigihart abbatiam post annos 22 deposuit; ob. Non. Sept. Huoggi rexit per annos 24. O. 5. Id. Jun. Helmfrid per annum unum et menses quinque. O. 8. Id. Decembris.* Hic finit indiculus; unde antiquitatem aestimes. Huoggi vel Huogo is est, cui jam Arnulfus a. D. 892, quinto regni, tutelam suam promisit; cui Conradus superiore anno privilegium dedit. Alia manus, sed et ipsa perantiqua, subjecit haec verba: *Haicho abbas. Hiltibraht* (ex abbate) *archiepiscopus. Hadamar abbas. Hatto* (ex abbate) *archiepiscopus* (junior intelligendus). *Werinhert abbas. Brantoh abbas. Hatto junior abbas.* Ita habemus tres Hattones, abbates Fuldenses, unum etiam Moguntinum antistitem, quem nugatores muribus objecere, ut quendam Argentoratensium praesulem, aut Poloniae ducem. Nullus ex Hattonibus Fuldensibus noster est, tametsi quidam primum potius archiepiscopum mures meruisse putent, in ipso errore aberrantes. Hattonem hunc, de quo nunc agitur, id est primum, a. D. 891. apud Moguntinos inauguratum, obiisse hoc anno, statuo ex necrologio Fuldensi, ubi ad annum dominicae incarnationis 913. catalogus obeuntium talis extat: *Hatto presbyter et monachus. Berehthoth p. et. mo. Schwabgafft p. et mo. Aserih p. et mo. Gardar p. et mo. Hoonolf laicus. Hatdho archiepiscopus. Albuin mo. Egilolt diac. et mo. Reginolt p. et mo. Jungolf p. et mo. Ratolf p. et mo. Ortolt p. et mo.* Ex quo etiam colligas mortis tempus, verno haud prius. Relictas opes, nisi quas Salomo ami-

*) etiam — sed hoc *expunxit Eckard. et superscripsit:* cum tenuisse.

A. 913. cus pro vivo, sed invito, sacris ornamentis impenderat, defuncto non profuisse, sed palatio, id est regi, cessisse, Ekkihardus junior casuum initio notat, ex regali jure, quod posteri spolium non absurde appellavere. Canones enim synodici volebant, de quibus clerici voluntas ultima non extaret, altari cedere, cui inservisset. Spolia episcoporum per Italiam, regii juris reliquias, Romani pontifices in se transtulere. Hattoni Herigerus in archiepiscopatu successit; in abbatia Fuldensi Hugonem (qui vulgo Huoggi) suffectum, addit Hermannus Contractus, sed deceptus: Hugo dudum coenobio praeerat.

6. At rex interea mense Februario Corbejae ad Visurgim agens, 3. Nonis, anno regni altero, Buovoni abbati, ejus nominis secundo, priorum regum concessiones novavit, ut abbatem sibi eligant, ut ne cui episcopo de dominicalibus monasterii mansis decimas tribuant, ne liti eorum aut coloni regiorum judicum banno constringantur, sed ab advocato monasterii jus capiant. *Salomon cancellarius ad vicem Piligrini archicapellani recognovit et subscripsit*. Salomonem crediderim non alium a Constantiensi fuisse. Etiam ad Herivordiam progressum regem, habet chronicon Corbejense. Inde ex Westfalia ad castellum Cattorum venit, et ibi sanctimonialibus in Mescheda agentibus (locus est ad Ruram Westfaliae situs) intercedente Hermanno venerabili comite (an consobrino?) privilegia firmavit. *Salomon cancellarius ad vicem Pilegrimi archicapellani recogn. Data 12. Id. Mart. anno inc. Dom. 913. indict 1, anno vero regni domini Conradi 2. Actum Chassella. In D. n. f.* Apud Stangefolium et Schatenium extat. Exemplum, quod ad me pervenit, habet 22. Kal. Maji. Hic de vicino Thuringicis rebus intentum fuisse appatet: sed cum non ex sententia procederent, differendas putavit, quod Transrhenana moram non paterentur. Itaque cum exercitu tandem Lotharingiam ingressus est. Quae gesta sint, ignoratur. Illud constat, nihil profecisse, quod proceres ad Carolum Galliae regem respicerent. In illis princeps Ragenarius dudum Gallo adhaeserat, cum a Zuentiboldo male habitus fuisset. Sed post hujus mortem rediisse ab exilio, supra notatum est, et apud Ludovicum adolescentem in autoritate fuisse. De Gerardo et Matfrido, Conradi adversariis, mentio nunc quidem non fit; sed nil tamen prohibet, Matfridum superfuisse, et eundem illi haberi Lothariensium optimati, qui in Bonnensi pacto cum Henrico Germanico rege a Caroli partibus nominatur, et primus est procerum, a. D. 920. Caroli judicium pro ecclesia Trevirensi comprobantium. Hos summa vi obnixos Conrado, facile intelligitur: quem mox pedem cis Rhenum retulisse arbitror, destitutum viribus, cum Bajoarii et Allemanni ab Hungaris distinerentur, et alioquin ambiguae fidei haberentur; Saxones autem et Thuringi in Henrico duce offensi essent.

7. Carolum regem Augusto mense apud villam Theodonis egisse, ex privilegio constat, quod Trevirensi ecclesiae concessit. Huc enim refero, quod Browerus habet, Carolum Ratbodo archiepiscopo privilegia firmasse *mense Augusto ind. 1, anno regni 21, largiore vero haereditate indepta 2.* Praefero enim binas notas uni, et ex annis indictionem corrigo, (quam Broweri exemplum male habet quintam) et a. D. 917. inde fabricatum.

Nam ipse Carolus nondum annos Domini ascribebat. Carolus se vocat *divina largiente clementia regem. Gozelinus notarius ad vicem Ratbodi archiepiscopi summique cancellarii recognovit. Actum Theodonis villa in D. n. f. A.* A. 913.

8. Interea rege longe semoto, Ungari per Bajoarios in Allemanniam irrupere. Cum late omnia vastassent, jamque onusti praeda, domum repeterent; eos inter Oenum et Danubium fratres Erchangerus et Bertoldus, potentissimi Allemannorum, et Udalricus comes, illinc nepos ex sorore eorum Arnulfus, Bajoarii limitis rector, deprehenderunt. Commisso praelio, barbari internecione occisi sunt, et vix triginta viros cladi superfuisse, Hepidannus tradit; qui Arnulfum optimum Bajoariorum ducem appellat, quem vulgus Malum cognominat. Victoriae etiam Reginonis continuator meminit. Eo successu fratres Allemannos elatos apparet; nam Erchangeri dissidium a rege circa hoc tempus erupisse, brevis chronologia Sangallensis docet.

9. Udalricus (pro quo in eadem legitur Adalricus) videndum an idem illi, quem Burcardi Allemanniae ducis fratre natum, ad Buchornenses comites, Bolamico lacui adsitos, Crusius refert. Idem Bruschium Stumpfiumque secutus, narrat, Udalricum Thietberga, Lotharii imperatoris pronepte, Hugobaldo nupta, natum, Linzegoiam tenuisse; captum deinde ab Ungaris, et domi pro defuncto deploratum fuisse. Itaque uxorem Wendelgardim ad vitam religiosam confugisse, et in eadem cella, in qua S. Wiborada egerat, a. D. 916. includi voluisse; exisse tamen quotannis, et Buchornam venisse, ut marito parentaret. Anno 919. cum ibidem ageret, et stipem egenis daret, quendam ignotum non tantum ejus manum pressisse, sed etiam amplexus et osculum surripuisse. Turbata muliere, indignatos astantes homini verbera intentasse, Ulricum se detexisse; Wendelgardem a Constantiensi episcopo absolutam, ad conjugem redisse, sed altero anno praegnantem, in partu defecisse. Excisum Burcardum filium Deoque devotum, ad regimen Sangallensis abbatiae pervenisse: Adalardum fratrem, ante calamitatem natum, ditiones paternas tenuisse; huic natum Richerum, huic Ottonem, cui uxor Berta fuerit, soror Welfi senioris, Bajoariorum ducis, quae discutere non vacat.

10. Romae Anastasius papa obiit, provecto jam autumno, cujus epitaphium tale olim extabat:

Vatis Anastasii requiescunt membra sepulcro,
Sed nunquam meritum parvula claudit humus.
[Forte *nondum*, quia mature obiit.]
Rexit apostolicam blando moderamine sedem,
Tertius existens ordine pontificum.
Ad Christum pergens, peccati vincula sperat
Omnia clementer solvere posse sibi.
Undique currentes hujus ad limina templi,
Ut praestet requiem, poscite corde Deum.

Frodoardus in carmine pontificali tale viro elogium ascribit post Sergium:

. . . . *Quo rebus ademto*
Humanis in Anastasium sacra concinit aula,

A. 913. *Tertius hoc praesul renitet qui nomine Romae*
Sedis apostolicae blando moderamine rector,
Sentiat ut Christum veniae sibi munere blandum.

Lando post biduum subrogatus est, Sigonii relatu, Sabinus ortu, et Trani filius ex Baronio. Sed ei nonnisi semestris sedes fuit. Mirere pro conditione temporum, sine magno motu aut aliqua illustri vindicta abiisse, quod Otbertus Strasburgensis episcopus hoc anno occisus scribitur, autore facti non nominato; Ricwinus dignitatem invadit. Eodem anno scribit continuator Reginonis Everhardum episcopum Spirensem ab Erenhardo et Conrado comitibus caecatum fuisse; locus haud dubie corruptus est. Episcopi nomen erat Einhardus, pro Erenhardo Everhardum malebam, fratrem regis; Conradus fuerit, qui cognomento Curciboldus, eorum sobrinus, de quo multa sub Ottone Magno. Sed annalista noster Saxo, antiquo haud dubie Reginonis codice usus, rectius ita legit: *Einhardus episcopus Spirensis a Werinhario et Conrado comitibus caecatus est*. Et sane potuit codex aliquis in Gallia scriptus, ubi litera W minus nota, habere *a Berinhario;* unde, litera B ad praepositionem translata, librarius aliquis *ab Erinhario* et correctione ignoti vocabuli *ab Erenhardo* fecit. Simili errore Einhardus in Everhardum (quod notius nomen) mutatus est. Caeterum nova hinc genealogiae Germanicae lux affulsit. Nam mox idem scriptor ad a. D. 943: *Otto dux obiit, cui Conradus filius Werinheri in ducatu* (Lothariensium) *successit*. Nihil addit de Werinhero pro solita sua brevitate, scilicet quia supra jam comitem appellaverat. Porro conjunctio Werinheri et Conradi comitum in eadem causa, contra episcopum Spirensem; innuit proximos sanguine, imo fratres fuisse, et ita alias fratres a breviloquis istis scriptoribus conjunguntur. Ita a Reginone ad a. D. 892. Pipinus et Heribertus, a continuatore a. D. 917. Erkangerus et Bertoldus conjunguntur, fratres fuisse nuspiam monetur. Caeteri enim consanguinei, Everhardus regis frater et Udo alibi, praedia haereditaria beneficiaque regia habuere, Wernerus et Curciboldus eorum sobrini circa Spiram et Wormatiam. Itaque posteri Werneri, duces et reges, Spiram ornarunt, Spirae sepulti sunt, Wormatiam habitarunt. Atque ita scriptori Conradi Salici contemporaneo rectissime satisfacimus. qui eum ex progenie (id est familia) primi Conradi regis deducit. Sed hanc rem rursus attingemus ad a. D. 943. Werneri ergo pater Eberhardus fuerit, Conradi regis patruus, quia idem pater Conradi Curciboldi fuit, ut ex Reginonis appendice constat ad a. D. 948. Et filiorum Eberhardi hujus meminit idem ad a. D. 903. Einhardus episcopus a. D. 918. decessit, teste necrologio Fuldensi. Hermanni Contracti codices corrupte Linhardum appellant; excaecatione in annum praecedentem relata. Causa tam audacium facinorum per infantiam scriptorum suppressa est. Impunitatem praestitit regia propinquitas. Rex cum Henrico, viro potente et acri, sibi colluctandum videns, cum Erchingero non tantum conciliatus est, sed etiam affinitatem contraxit, et sororem ejus, velut pacis obsidem, in matrimonium accepit. Luitboldi viduam, Arnulfi matrem, quae in Laurishamensi chronico Cunigundis appellatur. Ita eadem opera Bajoarios et Allemannos sibi devinciebat. Sed amicitia non duravit. Rem jucundam hic narrat Corbejense chronicon,

Guntharium monachum ex lapsu de turricula capellae claudicantem, alio lapsu ex gradibus versus refectorium, perfecte sanatum fuisse. Medio hoc anno obiit Oda Ludolfi Saxonum ducis, vidua, ut ex iis patet, quae anno praecedente de filii Ottonis ducis morte diximus. Ipsa raro naturae beneficio annum aetatis centesimum octavum attigit, Roswita memorante. A. 913.

ANNO CHRISTI 914.

Conradi diploma Trajectense Wilineburgi datum. Udo comes, cujus patruelis erat rex Conradus. — Conradi regis exercitus sub Everhardo fratre in Saxoniam adversus Henricum missus, profligatur. — Collisio Erchingeri et Bertholdi cum Salomone episcopo Constantiensi et abbate Sangallensi. Hic ab iis indigne tractatur. — Erchingerus ideo in exilium missus. — Conradus in Allemannia, Carolus in Lotharingia fuere. An sagae hoc anno combustae. — Berengarius Placentiae egit. Lando papa obit, succedit Leo VI. et huic Johannes X. — Luitprandi relatio de elevatione Johannis X. — Johannis X. apologia contra Baronium a Luitprando secutum. — Otberti episcopi Strasburgensis epitaphium. — Otberto successit Godefridus. De hujus genere et cognatis.

1. Rex media aestate in patrimonialibus terris fuit, ut apparet ex praecepto, quod ecclesiae Trajectinae dedit, cujus historiae insertum extat, hoc sensu: *In n. s. et i. T. Conradus divina auxiliante clem. rex . . . . Notum fieri volumus, Radbodonem venerabilem episcopum veteris Trajecti ecclesiae, quae est constructa in honore S. Martini confessoris . . . suggessisse majestati nostrae, ut constituta regum, qui nos praecesserunt, quibus praedicta ecclesia nobiliter ampliata est . . . renovari juberemus. Cujus petitioni, quam per Udonem consanguineum nostrum Waltgerumque comitem nobis obtulerat, libenter aurem accommodamus . . . Hanc itaque autoritatem . . . manu propria subtus firmavimus et sigilli nostri impressione jussimus roborari. Signum d. Conradi serenissimi regis. Salomon cancellarius ad vicem Pilegrini archicappellani recognovi. Data 7. Idus Jul. anno inc. Dom. 914, ind. 2, anno regni gloriosissimi regis tertio. Actum apud Willinaburg in D. n. f. A.* Rex Udoni patruelis erat, Gebhardi patrui filio. Waltgerus vicinus Ultrajecto, Frisiorum comitem agebat. Is nuper ob caedem Eberhardi memoratus est. Quidam posteriores scriptores, sed praeter diplomatis nostri fidem, regis nepotem appellant. A. 914.

2. Regem non diu Wilinaburgi sedisse, ex negotiis alibi oblatis facile intelligas. Dum ergo ipse in superiore Germania versatur, fratrem Everhardum, per Wedderaviam Hassiamque rerum potentem, contra Henricum Saxonum ducem mittit. Everhardus trajecto Dimola, ad Eresburgum venit, antiquam arcem, inde a Caroli M. temporibus celebratam, eamque, ut praesidio munitam reperit, obsedit. Fabricius in Harceburgum vel potius Herzibergam arcem transformat, quae non procul Polda, celebris olim coenobii loco, abest. Francum principem superbe questum, ajunt, quod Saxones muris tecti, campo se credere non auderent. Vix ea dixerat, cum nunciatur, hostium copias in subsidium urbis venire, nec procul abesse. Commisso ergo proelio fugit Everhardus, tanta suorum strage

A. 914. edita, ut joco militari quaereretur, quis tantus esset infernus, qui caeсos Francos capere posset. Haec Saxones scriptores, suae genti faventes.

3. Interea novae in Allemannia turbae regem distinent, ne fratris injuriam statim ulciscatur. Magnus Carolus olim villam Stainhem Sangallensi monasterio dederat; Conradus nuper quaedam praedia addiderat, quae illic regio fisco restabant. Id aegre ferre fratres Erchingerus et Bertoldus, et magis magisque in Salomonem exardescere. Castellum in colle struxerant, quod oppido Stainhemio imminebat. Id oppidanis grave, fratres a rege diruere jubebantur: ipsi contra haereditarium suum in eo loco jus jactabant. Episcopus mittit procuratores, qui homines hactenus regios lege Allemannica in suum jus traducant. Praesidiarii castellani nihilo secius jura fisci exigebant; querelae episcopi spernebantur. Anno pene extracto, episcopus, fratribus principibus forte obviam factus, compellat; petit, ut sibi jure suo uti liceat; contradicentibus vindictam a rege denuntiat. Quo commotus Luitfridus, sororis eorum filius, ferox juvenis: *Tune,* inquit, *scelerate monache, post injurias etiam minaris?* simul gladio educto in hominem fertur. Cui quidam se objiciens, lanceis satellitum confoditur. Captum episcopum in diverticulum ducunt, deliberantque, quid facto opus. Luitfridi sententia erat, oculos eruendos aut manum abscindendam: prudentiores liberum dimitti suadebant. Principes medium secuti consilium nec hostem ulti sunt; nec impunitatem consecuti, praesulem vili mannulo imponunt et captivum Dipoldisburgum mittunt, in quo castro uxor Erchangeri Berta morabatur. Sciebant, hanc vehementis ingenii foeminam amore mariti saepe episcopo male precatam; itaque ab hac pessime acceptum iri augurabantur. Et ne quid contumeliae deesset, porcariis (sic legere malo, quam *portariis*, ut habet Goldasti editio) reverentiam exhibere, oscula pedibus figere cogunt. Ita vicem reddebant homini, per quem decepti, pecudum pastoribus honores habuerant. At Berta re nuntiata exterrita vidit, quam periculosum esset facinus mariti: et episcopum honorifice exceptum benigne tractavit.

4. Haec narrat Ekkehardus Sangallensis nuper allegatus; sed quae addit, quasi statim capti fratres mox poenas dederint, contemporaneorum narrationibus non cohaerent. Nam ex brevi chronico Sangallensi manifestum est, Erchangerum captum tunc quidem: sed liberatum et in exilium missum, continuata rebellione tandem sibi exitium peperisse. Ita enim fere monachus autor: *a. D. 914. Conradus venit in Allemanniam. Erchanger episcopum Salomonem hostiliter invadit et capit. Eodem anno ipse in castro Oufridinga a rege captus et in exilium deportatus est.* Episcopum ergo tunc liberatum, dubitari nequit. *Mox Burcardus junior* [filius credo nuper occisi] *regi rebellare, et patriam suam vastare coepit.* Haec iste, pene unus ejus temporis scriptor. Ubi Oufridinga sit, non dixerim, Dippoldisburgum, quod Ekkehardus nunc castrum, nunc urbem vocat, Stumpfius in Algeia quaerit, Goldastus in Hegovia, ubi nunc Worblinga vicus, Ratoldicellam inter et oppidum Stainheimense. Crusius locat ad Alpes Suevicas, supra arcem Teccam in monte, ubi adhuc rudera visuntur.

5. Rex Conradus natalem Domini Constantiae apud Salomonem, A. 914. festum innocentium apud Sangallenses egit, et inter fratres conscriptos referri voluit, Ekkehardo narrante. At Carolus partem anni in Lotharingia egit, ubi regnum ejus a populis agnoscebatur. Itaque Chiffletius in Gorziensis monasterii chartulario reperit documentum negotii, quod dicitur actum *Viroduno in mallo publico coram Ricvino comite, anno ab inc. Dom. 914, anno tertio regnante Carolo rege in regno Lotharii quondam regis feliciter*. Vanum esse arbitror, quod habet chronicon Corbejense non antiquissimum, certe interpolatum, hoc anno multas sagas in territorio monasterii combustas fuisse. Ego moris tam crudelis tam antiqua vestigia non reperio.

6. In Italia Berengarium, cum Placentiam venisset, agrum Cremonensium et Placentinorum limitibus distinxisse, Sigonius scribit. Lando Romanorum pontifex hoc anno obit, quemadmodum recte Sigonius statuit; cum tamen non tantum Baronius in temporis notatione labatur, sed etiam Labbeus scriptor diligens mortem ejus in annum proximo praecedente priorem removerit. Sed temporum series hactenus constituta, nos huc ducit, firmaturque Rubei testimonio, Ravennatium historici non spernendi, qui extare ait Landonis epistolam ad Johannem Ravennatium praesulem, indictione secunda Nonis Februariis datam. Non multum supervixisse, convenit. De eo haec Frodoardus:

Lando dein summam Petri subit ordine sedem.
Mensibus hanc coluit sex ut denisque diebus,
Emeritus patrum sequitur quoque fata priorum.

Ei Leonem sextum Hermannus Contractus subrogat, qui mense uno, diebus 26, vel secundum editionem Canisii, duobus fere mensibus sedisset. Hujus nuspiam alii meminere; nec tamen plane vanum Hermannum crediderim, sive controversa fuit electio, sive Leo ad ordinationem non pervenit. Caeteri omnes statim Johannem decimum subjiciunt. Constantinus ei Ravennae successit.

7. Luitprandus, plebejae maledicentiae diligens archivarius, Johannis elevationem ita explicat: Theodora, quam scortum impudens vocat (rectius pro convicio maritum ejus et genus dixisset), Romanae urbis dominatum viriliter tenebat. Haec duas habuit filias, matre non modestiores, Maroziam ex Sergii papae concubitu (si credimus), Johannis serius papae matrem, et Theodoram minorem. Theodora in Johannem diaconum Ravennatis ecclesiae, aetate et forma florentem, a Petro praesule suo negotiorum causa Romam missum, vehementer exarsit. Is praefectus primum Bononiensi sedi, mox Petro defuncto in Ravennatem transiit, Theodorae favore: et jam eum a. D. 905. Ravennae sedisse, Rubeus probat; etsi Sigonius mortem Petri in annum 907. differat. Tandem cum illa absentiam amasii diutius ferre non posset, defuncto Landone Romanum pontificem fecit apostolorumque vicarium constituit. Haec fere Luitprandus. Ibi vero Baronius, religioso quodam zelo accensus, foedissimam sanctae Romanae ecclesiae faciem deplorat, in qua potentissimae meretrices pro arbitrio agant, episcopatus dent, episcopos transferant; denique, quod

A. 914. audita horrendum, amasios aut ex adulterio conceptos in sede Petri collocent. Sed quod de caeteris hominum rebus, id de pontificatu dicendum est, humani nihil ab eo alienum esse.

8. Eo denique procedit cardinalis doctissimus, ut neget, tales veros papas fuisse. *Nusquam* [inquit] *cleri eligentis vel postea consentientis aliqua mentio; canones omnes pressi silentio, decreta pontificum suffocata, antiqui usus in eligendo summo pontifice, sacrique ritus extincti.* Hoc ille non ullo testimonio veterum, sed solo eorum silentio probat: quasi id sufficiat in scriptoribus, quales illorum temporum, ne memorabilia quidem annotantibus, tantum abest, ut recepta et usitata explicent. Ego, externam quandam speciem et formam juris servatam, non dubito. Nam si mulieres dominatum urbis obtinebant, facile viros assentientes habebant; neque aut exteri coluissent aut ipsi Romani tulissent, nisi rite consecratum. Et Frodoardus, rerum Romanarum oculatus testis, nec adulator pontificum, nihil memorat, unde tantam perturbationem credas. Dudum increbuerat, ut magnae in papa sumendo multitudinis partes essent; clerus tamen cum proceribus autor fiebat. Sed hinc saepe pugnae et caedes; nihil tale nunc quidem, cum proceres Theodorae faventes, potentia sua clerum et populum in potestate haberent. Artes atque ipsa etiam flagitia aut candidatorum aut fautorum (quae hic non maxima video) nunquam electiones sacras irritas fecere; nisi quis novo jurisprudentiae genere Simoniacos putet, qui pro re sacra consequenda non pecuniam quidem pacti sunt, sed tamen cariores pecunia voluptates. Quodsi post aliquot secula de Leonis X. rebus aut alterius sub Carolo V. pontificis nonnisi historia hostilis extaret, qualem Procopius quidam aut Luitprandus in potentes scripsit, futurus aliquis Baronius in easdem exclamationes prorumperet. Ego Johannem, qui nunc electus est, juveniliter exultasse non miror. Sed hoc nullum unquam clericum irregularem fecit. Caeterum aliis non optimae notae pontificibus nihilo deteriorem habeo; quin contra, si malis artibus adeptus est pontificatum, bonis ornasse deprehendo. Et Ravennae quidem magistratum sacrum cum plausu gessit. Certe ecclesiae suae res recuperavit atque auxit, quae tunc laus summa habebatur. Johannes, ut ait Rubeus, bona archiepiscopatus accurate administrans, multa hoc anno (905.) composuit et ad veterem ditionem adduxit; quod et sequentibus annis studio nunquam interrupto fecisse, multa Longobardo charactere conscripta monumenta declarant. Egitque ista difficillimis temporibus, cum rex nullus aut ambiguus esset; cum illinc Saraceni, hinc Ungari ingruerent. Hoc Ravennae suae praestitit, majora Romae: nam vigore animi aetatisque, quod a tot annis frustra tentatum erat, perfecit, conciliatoque Berengario rege et Graecis vicinisque per Apuliam et Calabriam principibus in societatem belli allectis, Garilianum recepit, Saracenos Romanorum cervicibus depulit. Sed haec paulo post gesta sunt. Nostri candoris fuit, contra paratragoediantem Baronium apologiam Romanorum pontificum scribere.

9. Otbertum episcopum Argentoratensem a suis urbe pulsum atque etiam occisum, scribit Erkanbaldus successor in catalogo episcoporum

(de quo ad a. D. 965.) hoc epigrammate sepulcrali viri factique memoriam complexus: A. 914.

Quis, qui non doleat, quod patrem grex abigebat,
Olbertum dico, qui periit gladio.
Et Christo junctus, pastorum nomine functus.
Martizatorum mors pretiosa fuit.
Ratburg quem sanctis occisum vixerat istis
Sit tutus claustro sancta Maria tuo.
Tertia Kalendas Septembris carne redemptum
Obtulerat domino vivere perpetuo.

10. Huic successit Godefridus, quem Erkanbaldus scribit ex Caroli imperatoris sorore natum fuisse: quod etiam Henningesio et aliis genealogistis innotuit; neque enim res nisi de Caroli Crassi imperatoris sorore accipi potest. Buccetius episcopi quidem non meminit, Ludovico tamen Germanico filiam tribuit Ermengardem, nuptam cuidam comiti, in Alsatia fortasse; et hinc potuerit esse natus hic Godefridus. Filiam Cunigundam ex eodem matrimonio ortam vult Buccetius, quae nupserit primum Ottoni duci Lothariensi, patri Friderici ducis Mosellani et Adalberonis primi Metensis, deinde Ricuino. Et vero Adalberonem Metensem habuisse Ricuinum vitricum, constat ex vita Johannis abbatis Gorziensis. Et notatu dignum est, quod Godefridus, memorante eodem Erkanbaldo, cum vix septem septimanis praefuisset, 4. Idus Novembris defunctus, Richwinum ex Lothariensibus nobilitate praecellentem successorem accepit, patris, ut apparet, consanguineum. Caeterum vellem Buccetius probationes addidisset. In eo certe falsus est, quod Adalberonem archiepiscopum Remensem Godefridi et Sigefridi fratrem facit; Sigefridum patruum habuit (Luzelburgensium autorem), Godefridum patrem, qui inferiorum Lothariensium ducatum a Brunone accepit. De Ricuini episcopi morte dicemus ad a. D. 934.

ANNO CHRISTI 915.

Conradus rex in Allemannia Tuielam obsidet. Henricus dux Saxoniae in Franciam irrumpit.— Conradus adversus Henricum movet, qui se Gronam in Saxonia recipit. Hujus loci situs prope Gottingam. — Henricus astu Diatmari a periculo et obsidione Conradi liberatur. — Diatmari origo a Fabritio aut Agricola conficta. — Ungari usque ad Fuldam penetrant. Obiere Huogo abbas Fuldensis et Ratbodus archiepiscopus Trevirensis. Huic successit Ruotgerus. — Erchangerus in Allemannia regios vincit et ducem se gerit.— Carolus rex obsequentes habet Robertum Odonis regis fratrem et Reginerium marchionem. Ejus diploma pro ecclesia Tungrensi. — Recitantur verba hujus diplomatis. — An Carolus rex in Saxoniam venerit, et Henricum urbibus sedibusque regiis donaverit. — Berengarius Romanam expeditionem meditatur. — Johannes papa Berengario hujus rei praecipuus autor fuit. — Berengarius hoc anno in Tusciam venit et Adalbertum marchionem in obsequio habuit. — Regino Prumiensis obit, ut et Huogo abbas Fuldensis.

1. Conrado regi interea Allemanni negotium facessebant. Tuixlam obsedisse legitur in brevi illa chronologia monachi S. Galli, quam ex Sirmondi schedis Quercetanus produxit. Nec ultra quicquam additur, unde situs loci dignoscatur. Deliberavi, quid hoc monstri esset: sed mox in A. 915.

A. 915. montem venit, legendum Tuiel, quae arx hodieque nota est, vulgo Hohen-Twiela ab edito situ; unde patrum memoria praesidiarii Suedi totam Sueviam tributariam habebant. Duellium Ekkehardus saepe citatus vocat, et in Erchangeri postestate fuisse, satis indicat, cum id actum scribit, ut captus episcopus illuc transferretur. Postea Burcardus dux ibidem habitavit, ut ex Ekkihardo pariter apparet. Itaque dicendum est, Conradum capto Erchangero non contentum, ut radices rebellionis excinderet, etiam arcem ejus in potestate habere cupivisse. Sed huic curae intento nuntius attulit, Henricum ducem cum exercitu Saxonum et Thuringorum in Franciam irrupisse. Credas Eberhardo vices reddentem, in Hassiam ipsamque Wedderaviam penetrasse.

2. Itaque rex fratri succurrendum statuit, et totam belli molem in Henricum vertit. Duellium tamen mox captum, ex sequentibus patet. Henricus, ubi regem se cum Eberhardo conjunxisse intellexit, viribus impar relegit iter, et per Quercetum (vulgo Eichsfeldam) sese in Saxoniam recipit. Erat illic in ipsis Saxoniae finibus castellum munitissimum Grona, notum mox regum palatio. Ei se Henricus inclusit, cum omnia ad defensionem necessaria comparasset. Controversus est loci situs. Est quaedam ad Misniae Muldavam Grona, et Gronavia Hildesiense oppidum visitur; ut et Groninga Halberstadense, quod Georgio Fabricio placuit, et Gronda ad Visurgim, quae Henrico Meibomio avo. Sed Hofmannus noster archivarius nepotem Meibomium docuit, Gronam, regum tabulis et scriptorum monumentis decantatam, arcem fuisse Gottingae, urbi Brunsvicensis ditionis insigni, imminentem, cujus rudera extantia incolis urbis Burg-Grona hodieque appellantur, ut ipse coram intellexi. Et ob frequentiam aulae, saepe in arce habitantis, oppidum vicinum natum puto, cui Gotingae nomen non a Gothis, ut fabulantur, sed Goeta rivo venit. Goeta idem est, quod alia dialecto Gosa, alterius rivi vocabulum, utrumque ab effusione.

3. Rex cum videret, locum munitum et omnibus rebus abundantem difficulter capi posse, mittit ad Henricum, qui deditionem suadeat, et regis amicitiam polliceatur, aequis conditionibus oblatis. Tetigerant illa ducis animum; etsi parum gratiae fideret, Adalberti exemplum ante oculos habens, et gnarus facile causas irarum aut speciem criminum inveniri a praepotente et odia recondente. Forte cum legatis regis agebat, cum Thiatmarus quidam, vir armis ingenioque clarus, ex orientalibus ad ducem venit. Orientalis tunc regio dicebatur, quam nunc Misniam Osterlandiamque appellamus, inter Salam et Albim, qua Mulda duplex, Elister et Plisna fluunt. Intellecta perplexitate Henrici, vir callidus non melius hostes circumveniri posse putavit, quam si dominus ipse deciperetur. Itaque quasi in arcano quaedam jacit, appropinquare auxilia amicorum, qui orientem Saxoniae versus Slavos tuebantur: triginta brevi cohortium signa fulsura. Haec ad legatos regis pervenere; sive dicenti interfuere, quod Witikindus significat, sive habebant emtos arcanorum Henrici exploratores. Itaque quasi rem magnam et reconditam nacti, subito certiorem Conradum periculi faciunt. Accedebat Henrici mutatio, oblata aspernantis, haud dubium auctae fiduciae signum. Rex, dum longe adhuc auxilia erant, maluit

obsidionem sponte, quam necessario solvisse videri. Ita dux tunc quidem periculo exemtus est. Quin coiisse aliquam pacem aut inducias credo, cum Germaniae superioris turbae recruduissent, et, Slavis etiam Danisque Saxoniam carpentibus, donanda essent odia publicae saluti. A. 915.

4. Georgius Fabricius Thiatmarum facit burgravium Zorbeccensem, Ditgreni (vel Thiagrini) comitis Wettinensis filium; additque, ademtam Ditgreno ditionem ab Ottone duce Henrici gratia rediisse ad filium; qui animi gratitudinem in summo patroni discrimine ostenderit. Sed vereor, ne omnia sint ex commento vel Fabricii vel Georgii Agricolae, cujus ille affectos labores perfecit. Agricola autem Aventini exemplo sibi non parum, ut arbitror, indulsit, ut historiam paulo rudiorem per se, ex ingenio perpoliret. Sed is mos hodie merito improbatur. Ego Thiatmarum eum esse arbitror, quem supra memoratum Henrici ducis velut magistrum, patre ejus Ottone duce vivente, autor vitae Mathildis reginae introducit.

5. Hoc anno Ungari, nova facta impressione per Bajoarios et Francos, ad Fuldam usque excursionibus pervenisse scribuntur continuatori Reginonis; ubi circa hoc tempus etiam Huogo abbas decessit, necrologio teste: quod etiam notat, paulo ante ex hac vita abisse Ratbodum archiepiscopum Trevirorum; cujus annus expletae mortalitatis ne Browero quidem diligentissimo scriptori in liquido fuit. Ultra annum Domini 917. distulit falso, deceptus tempore diplomatis a notario pro Ratbodo recogniti; quod ad annum Domini 913. referri debere supra ostendi. Diem tamen obitus ex anniversario ecclesiae annotavit. 3. Kal. April. electione cleri et populi Ruotgerus successit. Mirum est, quod res loquitur, necrologium Fuldense eidem praeclaro rerum etiam Fuldensium scriptori, visum non fuisse; alioqui Huogonis abbatis mortem suo anno assignasset, quod non fecit. Sed comperi, et alia apud Fuldenses quorundam invidia, sive cautione praepostera, oculis viri subducta fuisse; quae jam e latebris prodeunt favore abbatis Adalberti, principis sapientis et de rerum usu incorrupte judicantis. Is anno Domini 1714. his jam scriptis decessit.

6. Erchangerus usus absentia regis, adjunctis sibi caeteris male affectis, Burcardo et Bertoldo, ab exilio in Allemanniam redit et regios vincit; qua de re ita chronologus Sangallensis: *Erchanger de exilio reversus cum Purchardo et Peratholdo* [sociis] *cum caeteris patriotis suis pugnavit et eos apud Walavis vicit, et dux eorum effectus est.* Haec ille, multa paucis obscure perstringens. Quis locus Walavis, nemo prodit. Crusius et Goldastus aliique rerum Suevicarum autores hunc scriptorem non viderunt. Colloquium publicum jussu viduae Burcardi secundi ducis, postea in villa Walavis habitum, Ekkehardus junior notat. Invito rege potestatem ducalem usurpasse et novis facinoribus capitale sororii odium meruisse Erchangerum, annus sequens ostendit. In hunc praesentem Schatenius cum caeteris Theoderici Padebornensis episcopi obitum refert: sed qui in biennium differendus videtur.

7. Carolus rex interea per Gallias et in ipso regno Lothariensi rerum potiebatur. Robertum, Odonis regis fratrem, adhuc obsequentem habebat, cujus magna erat intra Sequanam Ligerimque autoritas. Apud

A. 915. Lotharienses praeeminebat Raginerius. Hujus pariter sub marchionis nomine (nempe contra Normannos) et Roberti quoque meminit honorifice rex ipse tabulis in monasterio S. Arnulfi, id est (ut arbitror) apud Metas, nunc datis, quibus Tungrensi sive Leodiensi episcopo forestem quandam sive sylvam restituit. Raginerium marchionem strenuum, Robertum serenitatis suae executorem fidelissimum appellat, nescius futuri. Stephanum Tungrensem episcopum, cur consanguinitatis suae affinem dilectissimum vocet, non constat. Raginerium Lothariensibus tunc praefectum quidam scribunt: ego praeter comitatus dudum possessos cum abbatiis, rei militari praefectum crediderim, quod marchionis officium erat.

8. Sed verba ipsa diplomatis pleraque ex Miraei notitia ecclesiarum Belgii exhibere operae pretium erit: *Karolus divina propitiante clementia rex Francorum. Dudo Virdunensium episcopus, Raginerus marchio strenuus, pariter etiam Robertus nostrae serenitatis executor fidelissimus, nostram adierunt clementiam, poscentes, ut interventu Stephani Tungrorum episcopi, nostrae consanguinitatis affinis dilectissimi, partibus S. Dei genitricis Mariae almique martyris Lamberti traderemus forestem, quae olim pertinuerat ad Tectis villam, quam dato fisco Zvendiboldus retinuerat ad manum regiam, quam constat in pago Luviensi atque in comitatu Sichardi sitam. Goswinus notarius* [potius *Goslinus*, vide ann. 917. 919.] *ad vicem Herivei archiepiscopi summique cancellarii recognovit. Datum 8. Kal. Sept. ind. 3. anno 23. regnante Carolo rege gloriosissimo, redintegrante decimo octavo. Actum monasterio S. Arnulfi.* Annus largioris indeptae haereditatis fortasse ab exscribente omissus fuit.

9. Annalista noster vetus habet, secundum Gallicum quendam scriptorem adhuc vetustiorem, hoc anno Carolum regem in Saxoniam venisse, urbes sedesque regias nullo resistente obtinuisse; Henricum, regio genere inclytum atque inde oriundum, omnibus donasse. Sed Gallum illum, quisquis fuerit, posteriorem rebus scriptorem aut nugatorem aut aliter accipiendum puto. Fortasse more sui temporis Saxoniae nomine Germaniam, et per sedium regiarum in Saxonia occupationem, Aquas Grani, Treviros, Coloniam designavit; quas urbes utique Carolus in potestatem redegit cum Lothariensi regno, quod serius postea et coactus tradidit regnanti jam in Germania Henrico. Cordemojus sibi, nescio unde, persuasit, Carolum ad opem Henrico contra Conradum ferendam in Saxoniam venisse: sed talis expeditionis nullum vestigium invenio. Sunt qui ajunt, Henricum, metu Conradi ad Carolum profectum, dono ejus Saxoniam obtinuisse; de quo post biennium dicemus ex Urspergensi abbate, qui nostro annalista posterior, ex eodem fonte turbido hausisse videtur, quae prodit.

10. Dum haec cis Alpes geruntur, rerum facies in Italia novari coepit. Berengarium hactenus ulterioribus Longobardici regni ditionibus exclusum fuisse, neque aut Spoletinos, aut Samnites attigisse, jam supra monuimus. Imo nec Tusciam satis in potestate habuisse videtur, etsi illic anni regni ejus jam inde ab a. D. 903. numerarentur. Causam attribui autoritati Ageltrudis augustae, Widonis viduae, et Widonis junioris Spoleti ducis: qui Lamberto extincto, etsi amisso imperii sceptro, Umbriae tamen

et vicinis regionibus incubabant, quasi haereditario jure. Nunc suspicor, alterum aut ambos morte sublatos, atque inde Berengarium iter sibi ad Romanam expeditionem apertum judicasse. A. 915.

11. Sed maximus audendi autor Johannes pontifex fuit; qui expeditionem in Saracenos Garillani insessores moliens, cum Graecos, Apulos, Calabros faventes haberet, Berengarii maxime ope rem confici posse non vane sperabat, viribus totius Longobardorum regni excitis. Hunc dona legatosque regi misisse et coronam imperii obtulisse, ut opem ferret, diserte poeta Berengarianus habet. Id factum hac aestate, patricii etiam honore in antecessum delato, colligo ex quibusdam ejusdem papae literis, a. D. 917. referendis, quae datae *indict. 5. 14. Kal. Junii, imperii Berengarii anno secundo et patriciatus anno secundo:* quod verum est, si patricius hoc anno post medium Majum mensem factus censeatur. Erat enim patriciatus velut ad imperium gradus, et reges Germanici post Ottones, antequam Romam adierant, patricii Romanorum habebantur, ut ex apologia Henrici IV. patet; donec mos invaluit, ut ante coronam imperii sumtam, reges Romanorum et tandem imperatores electi appellarentur.

12. Caeterum Berengarius hoc quidem anno nondum Romam, sed quantum apparet, appetente hyeme, nonnisi in Tusciam venit, Adalbertumque pronum obsequio habuit. Sequente anno Romam usque progressus, imperii coronam accepit. Apud Franciscum Mariam Florentinum ex tabulario episcoporum Lucensium excerpitur instrumentum, barbarum stylo, sed rebus veridicum, quo Petrus Lucensis Eldegario Laudensi ecclesiam quandam S. Fridiani restituit, cum domnus Berengarius serenissimus rex pro timore Dei et statu rei publicae et sanctarum ecclesiarum, Italis adjuvantibus, justitiae adimplendae gratia ad Romanas partes iret; et cum in Tusciam pervenisset, extra urbem (Lucam) in aedibus Adelberti (marchionis) per Odelricum vassum suum et missum, assidente ei Adelberto Bergomensis ecclesiae episcopo, jus dici curasset. Quod factum *anno regni Berengarii regis Deo propitio vigesimo octavo, decima die mensis Novembris indictione quarta.*

13. In hunc annum Reginonis, abbatis quondam Prumiensis, obitum Browerus refert, et epitaphium ejus sibi visum testatur. Factione potentum dejectus dignitate, Richario cessit; quem ad Leodiensem deinde cathedram ascendisse, mox dicemus. Ipse per otium studiis vacavit et chronicon scripsit, sed non satis exacte ad temporum fidem, ut memoriae magis, quam diariis fisus videatur. Nam unius anni mora, quam editis exemplaribus irrepsisse Browerus ex codice antiquo notavit, lapsibus non satis medetur. De viri vita atque opere disciplinae ecclesiasticae plura dicere praeoccupavimus ad a. D. 906. Eodem anno Huoggi presbyter, Fuldensium diu abbas, obiit, antiquo loci necrologio teste, cujus excerpta edidimus. Successit Helmfridus, qui iisdem fastis autoribus anno sequenti 3. Id. Febr. extinctus Haichoni locum fecit.

ANNO CHRISTI 916.

Erchingeri, Bertholdi et Luitfridi rebellium captio et condemnatio. — Ekkehardi de ea re narratio. Burchardus Sueviae praeficitur. — Salomonis episcopi poenitentia, quod sui causa principes Suevi periissent. — Ekkehardi narratio non admodum convenit cum rebus gestis. — Concilium Althemii habitum. Loci situs. — Decreta concilii Althemensis hujus ab aliis distincta. — Contenta praefationis. — Contenta decretorum concilii. — Ricwinus Strasburgensis episcopii invasor citatur ad futurum concilium aut Romam. — Episcopi Saxonici, quia non venerant, item ad futurum concilium Moguntinum aut Romam citantur. — Alii canones et unus praecipue de presbyteris libertinis. — Caeteri canones a Pagio non observati. — Decreta, quae Aventinus protulit, suspecta sunt. Bovo II. abbas Corbejensis obit. — Berengarius Romam veniens imperator coronatur. — Berengarii adventus Romam verbis poetae descriptus. — Quomodo exceptus et quibus ceremoniis in imperatorem coronatus sit, verbis poetae. — Varia diplomata nunc in Longobardia a Berengario data anno imperii primo. — Expeditio Johannis papae adversus Saracenos in monte Gariliano suscepta. — Luitprandus male fidus historicus falso refert, Romanum imperatorem Saracenos Italiae immisisse. — Una, quam de occasione expeditionis Johanneae profert, circumstantia vera esse potest. — Victoria de Saracenis et Gariliani occupatio. — Raginarius marchio obit. Ejus pater et liberi.

A. 916. 1. *Erchinger, Parthold et Luitfrid occiduntur dolose, et Purchardus rebellat.* Ita Sangallense chronici breviarium ad hunc annum. Hepidannus et captos hoc anno addit et occisos. Continuator Reginonis mortem recte in annum sequentem differt, quod et facit Hermannus Contractus; qui notat, eos spe pactionis ad deditionem venisse. Idem Hungaros hoc anno et sequente Allemanniam vastasse scribit. Quae expendens adducor, ut suspicer, Erkingerum, Bertoldum, Luitfridum, odio in regem episcopumque accensos, ad Ungarorum opem confugisse, eorumque auxilia excivisse; et Arnulfum Bajoarium ipsorum nepotem in partibus fuisse, qui sese etiam mox ad Ungaros recepit. Captos autem ex insidiis vel spe veniae, et majestatis damnatos, judicio procerum poenas subiisse; regemque magis salutis publicae quam affinitatis meminisse. Magnum enim et grave crimen extitisse oportet, quod tantis viris capital fuit, qui magnam Germaniae provinciam regebant; qui primariis propinquitatibus illigabantur; quorum sororem rex ipse in matrimonio habebat. Quae autem major perduellio, quam immanissimum hostem in imperii viscera traxisse. Executio tamen sententiae in anni sequentis initium dilata est.

2. Dolo perisse Sangallensis chronologus scribit; quod de artibus interpretor, quibus in vincula venere. Si Ekkehardo fides esset (quam in hoc negotio integram non habeo, remoto a temporibus et in fabulas prono, et caput rei ad unum Salomonem episcopum, abbatem suum, ejusque injurias referenti), capti sunt a Sigefrido, ex patruo episcopi nato, cum in sylva quadam latitantes sopor oppressisset proditorque detexisset. Inde Duellium (seu Twielam) adducti et in custodia publica habiti sunt. Rex primum Moguntiae colloquium publicum instituit (loquor cum Ekkehardo), inde generale concilium indixit, ubi a lege abjurati, id est juris incapaces juramento peritorum pronuntiati, hostes appellati, sententia regis proscripti sunt; praedia fisco addicta, capita morti devota, in fugitivos socios praemia constituta. Assensu principum Sueviae (ut Ekkehar-

dus notat) praeficitur Burcardus, regi reconciliatus. Ac vereor, ne amicis desertis ac proditis, ad regem transierit, pretiumque facinoris tulerit redditam paternam potestatem. Nam et captivos ejus custodiae creditos, Ekkehardus scribit, et beneficia (id est feuda) damnatorum in eundem collata. Servata tamen sunt bona Bertae Erkangero nuptae, quod episcopum captum benigne tractasset, et animum a criminibus mariti abhorrentem ostendisset. A. 916.

3. Episcopum tetigerat invidia oppressorum tantorum virorum. Itaque omni ope annisus est, ut vitae gratiam rex faceret. Sed hunc neque preces amicorum, neque lacrymae conjugis a proposito dimoverunt; quod magnus fuisset, et major timendus esset furor reorum, eaque essent tempora, ut rei publicae salus nisi magnis exemplis stare non posset. At Salomon, cui fortuna hactenus immodice riserat, tanto casu perculsus, visusque est sentire conversionem rotae. Itaque se ipsum accusans, Romam petit, culpam apud maximum pontificem confitetur, poenam praesentem exigit, scilicet ut futuram vitet apud manes. Inde post expleta jussa indulgentiamque datam domum expiatus rediit; et inter alias sanctorum reliquias corpus Pelagii martyris retulit; quem peculiari cultu prosequebatur, quod natali ejus die captivitate exisset. Constantiae suae intulit, quo inde creber postea populorum affluxus.

4. Hactenus ex Ekkihardo retulimus, quae credibilia videri possunt. Sed fatendum est, multa eum admiscere, quae stare nequeunt. Si narrationi ejus credimus, vix capto episcopo, dati sunt in vincula autores injuriae. Ex eo (si diis placet) capitale regis odium in viros, nonnisi supplicio expletum. Nuspiam habet, Erkangerum a Conrado bis captum; exulem post episcopi injuriam, reducem, victorem, tandemque oppressum: nec diuturnam Duellii obsidionem scivit. Postremo addit historiolam pene ridiculam de fallendi certamine inter Hattonem Salomonemque episcopos, sed circumstantiis falsis illigatam; de qua infra, ubi de morte Salomonis.

5. Rex gnarus, majorem esse autoritatem, quae sacra habetur, ad synodum episcoporum in regno suo celebrandam animum adjecit, et cum Johanne pontifice egit, ut legatum mitteret. Nec dubitem, Hattonem vel Herigerum et Piligrinum et alios praesules Germanicos ad papam scripsisse dudum, ut rationem redderent, cur in novum principem, etsi stirpis regiae exortem, consensissent. Concilium in Altheimio oppido Rhaetiae 12. Kal. Octobr. celebratum est. Schatenius ex Munstero notavit, Altheim esse locum, regum veterum venationibus celebrem, donatum olim beato Solae, ex monasterio Fuldensi eo traducto ad culturam sacram; et prisco jure accensum Franciae orientali; quae qualia sint, non dixerim, sed Rhaetia multum abest a Francis; Noricum vero attingebat, olimque ad Oenum usque protendebatur. Itaque Pagius observavit, in geographia synodica Nicolai Sansonii Altheimium villam inter Salisburgum et Dingolfingam pro synodi loco ostendi, quem Mabilio minus probabiliter in annalibus apud Rhaetos Burgundiae computatos quaesivit. Althemium villa est non procul Braunavia et Oeno, juxta monasterium Maurifanense.

A. 916. 6. Hujus concilii quae supersunt decreta, apud Burcardum extant. Interfuit legatus Romanae sedis Johannes episcopus Ortonensis ex Aventino, quem sequitur Pagius, sed Petrus Ortensis ex Burcardo, in praefatione concilii et cap. 10, cui magis credo, videturque Aventinus mittentis et missi nomen confudisse. Orta quoque Romae propior et nota; et Petrum Ortensem episcopum etiam Moguntinus quidam apud Serrarium codex habuit, qui in die, quam diximus, cum Aventino convenit. Ortona ad mare, ut vulgo appellant, oppidum est citerioris Apratii, in litore Adriatico situm, cujus episcopum affuisse Pagius suspicatur. Sed vereor, ut tunc episcopatum habuerit; qui antiquus, sed olim desitus, a Pio V. restitutus est. Synodici canones in tomis conciliorum non extabant; sed sparsos ex Burcardo et Ivone Pagius collegit. Duplex concilium Altheimense statuit Schatenius; sed non recte prius jam ante annos aliquot sub Herigero Moguntino habitum putat, praesens sub Hildeberto: lapsus scilicet, quod Herigero jam successisse credidit Hildebertum. Itaque statuendum est, duorum conciliorum Germanicorum et tempore vicinorum canones sub Altheimensis nomine confusos: prius vere Althemense nunc quidem habitum sub Conrado et Herigero; at posterius, unde Burcardus quosdam canones tanquam Althemenses adducit, non tantum sub Hildeberto, sed et sub rege Henrico celebratum; etsi apud Burcardum Conradi temporibus ascribatur: nam Nothingus Constantiensis episcopus in eo intervenit, qui Conrado jam defuncto sedem obtinuit. Affuere et Saxones, qui sub Conrado defuere. Ego comperisse mihi videor, quae velut Altheimensis synodi subscriptiones a Burcardo proferuntur, ad Erpesfordiensem annumque Domini 932. pertinere, ubi de re pluribus agemus. Pagius, quod miror, haec non distinxit. Nos quid Altheimenses canones contineant memoratu dignum, paucis exequamur. Synodus testibus Hermanno Contracto ex editione Canisii et Aventino in hunc annum incidit. Sed idem ipsa synodi verba declarant. Ex pluribus decretis, nonnisi undecim (praeter praefationem) hujus concilii nomen praeferentia, apud Burcardum conservata extant; nempe 5, 6, 8, 9, 10, 11, 16, 27, 36, 37, 38. Sed unum certe hujus temporis non est, nempe capitulum 37, cui inest indiculus episcoporum, inter quos aliqui regnante Conrado non sederunt.

7. Concilii patres ita praefantur: *Regni Conradi piissimi et christianissimi regis quinto, congregata est sancta generalis synodus apud Altheim in pago Raethiae, praesente domini Johannis papae aprocrisario, sanctae Ortensis ecclesiae Petro venerabili episcopo, ad diabolica semina extirpanda, et ad machinationes perversorum hominum eliminandas. Transacto igitur triduano jejunio et sacris litaniis more debito celebratis, convenimus in ecclesia Johannis baptistae et moesti consedimus. Tum praedictus S. Petri et Johannis papae legatus protulit chartam, apostolicis literis inscriptam, qua monebamur, arguebamur et instruebamur de omnibus, ad veram religionem christianae fidei pertinentibus. Quae omnia, ut justum et dignum erat, humiliter accepimus et diligenter tractavimus. Ergo evangelicam praeceptionem lacrymabili voce protulimus, qua arguebantur pharisaei et scribae: mandate, inquit, prius, quae intus sunt.*

Item, ejice primum trabem de oculo tuo; ac propheticum illud: ruina populi sacerdotes mali. Et in nos ipsos inspicientes, negligentias innumerabiles et peccata nostra gravissima deflevimus. Deinde hortatu domini Petri, nobis ipsis et vitiis nostris irati, adjuvante sancto Spiritu capitula, quae sequuntur, ad correctionem tam nostram quam christiani populi statuimus. Haec apud Burcardum lib. II. c. 68. A. 916.

8. Decretorum inter alia haec referuntur. Ex cap. 5: *Nullus eam ducat, quam prius adulterio polluit.* Ex cap. 6, 7, 8: *in clericos, qui excommunicato communicaverint; hanc impietatem sancta synodus ab ecclesia amovet. Itaque sequentes statuta Gregorii papae, poenitentiam dignam agere volumus secreti in monasterio, quia publice nequimus; imposterum legem statuentes, ut presbyteri, diaconi et omnes clerici haec vitent, nisi de gradu deponi malint. Nos autem per poenitentiam nosmet ipsos macerantes, etiam caeteros retrahemus ex diaboli laqueis: interdicimusque, ne quis nostrum cum excommunicato communicet, vel in ecclesia oret.* Non apparet, hic ipsis episcopis nisi poenam voluntariae poenitentiae statui. Vexat censura minores. Credibile est, haec in episcopos clericosque torqueri, qui Erkangero, Arnulfo et complicibus haeserant.

9. Otbertum Strazburgensem episcopum nescio qua de causa aut quorum crimine occisum, triennio ante memeravimus. Nunc Richuwinus eam ecclesiam contra sanctorum canonum sanctiones invasisse culpatur. *Hunc* (ajunt patres) *ad sanctam synodum per literas nostras invitavimus: ille vero venire contemsit, nec vicarium suum misit. Itaque autoritate S. Petri, ego Johannes vicarius apostolici* [forte legendum *Johannis*] *ex praecepto sanctae synodi eum iterum voco, et jubeo, ut ad concilium, Moguntiae in proximum mensem Majum indictum, veniat, et coram venerabili Herigero archiepiscopo et confratribus rationem perversitatis et inobedientiae reddat. Quod si neglexerit, a proprio se gradu abstineto, donec Romam veniens coram domino papa et sancta ecclesia se purgaverit.* Ex cap. 12. synodi, Burcard. lib. I. c. 162, conservatum Ricuinum constat, et synodo etiam Erpesfordiensi interfuisse.

10. Placuit sanctae synodo, episcopos, qui vocati de Saxonia, ad concilium non venerunt, nec vicarios secundum canones miserunt, gravi increpatione pro culpa objurgari. Iidem fraterna caritate ad condictum (Moguntiae) concilium invitantur. Quodsi hoc quoque pro nihilo duxerint, et justam negligentiae suae excusationem proferre detrectaverint, apostolica autoritate Petrus, sancti Petri et papae missus, una cum sancta synodo, missarum celebratione eis interdicit, donec Romam veniant, et dignam facti sui coram papa et sancta ecclesia rationem reddant. Ex cap. 10. Burc. lib. I. c. 52. Itaque legatus pontificis bis apud Burcardum Petrus appellatur; semel, loco, ut opinor, corrupto, Johannes: quae corruptio etiam Aventinum et Pagium decepit.

11. S. Gregorius dicit, clericum fugientem ab ecclesia sua, vel servum a domino suo fugitivum, communione privari debere, donec redeant: excommunicantur et qui ei communicaverint. Ex cap. 27. Burc. lib. II.

A. 916. c. 78. *Si quis propter Dei dilectionem de servis propriis quemquam elegerit et literas docuerit et libertate donaverit, presbyterum intercessione apud episcopum fecerit, victu et vestitu instruxerit; ille vero postea quasi liber in superbiam elatus, missam dominis suis celebrare et canonicas horas psallere renuerit, eum sancta synodus a communione arcet, donec resipiscat. Quodsi obstinato animo perrexerit, degradetur ab episcopo, qui ordinavit, et redeat in congenitam pristini domini servitutem.* Ex cap. 38. Burc. l. II. c. 234. Notabile est hoc decretum et singulare, ubi libertini conditio transit in peculiare jus patronatus, non ecclesiam afficiens, ut alias, sed ipsum clericum, laico domino quasi glebae ascriptum. Itaque supra notavimus, in quibusdam capitularibus inter presbyterum liberum natum et libertinum distingui. Sed hoc jus postea in desuetudinem abiit, cum ecclesiastici sese, excusso propemodum jugo ipsorum principum, in libertatem vindicarunt. Credibile est, Burcardo scribente, id est adolescente seculo XI, veteris moris vestigia in Germania superfuisse: sed Ivone suum opus compilante, jam in Gallia desiisse; nam ille hoc decretum omisit, cum pleraque alia hujus concilii ex Burcardo transcripserit.

12. Terna capitula Pagius praetervidit, etsi apud Burcardum extent. In decimo sexto (ex libro Burcardi primo, cap. 230.) episcopi ajunt: *Statuimus, ob scandala funditus extirpanda, et ut omnes sciant, nos episcopos Dei misericordia nequaquam esse, quales dicimur, salva auctoritate canonica imitari exemplum sancti Leonis papae, qui supra quatuor evangelia jurans, coram populo se purgavit.* Haec illi; male se audisse fatentes: et vereor, ne facta verbis refutarint. Sacramenti, quod dedere, formula haud extat, nescio an in rem concepta. Culpam nonnullam ipsi supra fatebantur. Leonem intelligunt tertium, qui se coram Magno Carolo purgavit: hunc enim sanctis accenseri, supra notavimus. Alterum capitulum est trigesimum sextum, quod extat apud Burcardum lib. I. c. 231, ubi decernitur, ut ex monacho episcopus, velut legitimus haeres, paternam sibi haereditatem postea jure vindicandi potestatem habeat; sed quae prius acquisierat, monasterio relinquat et abbatis sui arbitrio, secundum regulam S. Benedicti. Hic canon tanquam ex Althemensi synodo, iisdem fere quibus apud Burcardum verbis a Mabilione ex cartario Furfensis monasterii productus est in appendice annalium ad a. D. 935, sed jam extare apud Burcardum non observavit, qua de re aliquid infra ad eum annum redibit. Denique capitulum trigesimum septimum, quod est apud Burcardum lib. I. c. 227, ut episcopi, presbyteri et clerici, qui aliquid haereditate vel aliter acquisiere, dare possint, cui libuerit, ecclesiis vel amicis. Sin autem sine dispositione defecerint, altari, cui serviunt, reliquisse intelligantur. Sequuntur subscriptiones episcoporum; sed ex quibus intelligitur, capitulum ad hanc synodum non pertinere. Itaque has subscriptiones dabimus infra. Apparet, etiam capitulum 36. hujus synodi non esse, ob connexionem cum sequente.

13. Aventinus an aliquid hujus concilii extra Burcardum viderit, non dixerim: decreta tamen alia nobis profert de re publica ipsa, quae vereor, ne ex ingenio ejus promanarint. Exhibebimus tamen stylo ipsius,

em mallem fontibus attemperasset. Goldastus magis copiae quam de- A. 916.
ctui studens, inter constitutiones imperiales retulit, dissimulato, ut solet, tore. *Quisquis regi fidem non servaverit, aut eidem rebellare conatus erit, diris devotus esto. Erchingerus, quoniam cum sociis vitae regis mini sui et Christi Dei insidiatus est, a classibus rei publicae armoimque exors esto; in monasterio captus, perpetua arctioris religionis sciplina scelus expiato. Erchingerus, Berchtoldus, Burchardus, Arnuls, quod nostro decreto non steterunt, nec dicto audientes fuerunt, in imero impiorum atque sceleratorum habentor: nemo non eorum aditum sermonem defugito, ne quid ex contagione incommodi accipiat.* Haec ventinus. Non video quomodo Erchingerus et caeteri decreto synodi on stetisse, in ipsa synodo dici possint. Rectius diceretur, citationi on paruisse. Neque etiam admitti potest, quod Saxones episcopi sacricis simpliciter abstinentur *), ut Aventinus interpretatur. Id enim tum emum locum habere debebat, si se futurae synodo provinciali non stissent. Hoc tempore Bovo secundus abbas Corbejensis obiit, cui Volcarus successit. Carolum regem Galliae Idibus Aprilis in Heristallio ad Iosam, regni Lothariensis palatio, praeceptum dedisse, notatum est ad . D. 912.

14. Sed nunc in Italiam, nobis diu omissam, revertamur. Berengaus rex jam tandem Romam venit, et coronam imperii suscepit. Rem hoc nno factam, multa confirmant. Anno superiore jam in exitum vergente, robavimus, Romam contendentem, in Hetruriam venisse. Et mox binas teras citabimus, ab eodem in Longobardiam reverso datas hoc anno, uem vocat imperii primum, regni vigesimum nonum. Chronicon quoque asauriense, tomo quinto Spicilegii Dacheriani extans, diserte scribit, unc esse annum, quo Berengarius imperii coronam sumsit. Adde, quod arilianum nondum captum erat, cum Berengarius coronaretur, ut intellitur ex poeta panegyrista: sed captum est a. D. 916, quo anno, ut ait upus protospatharius, exierunt Agareni de Garigliano indict. 4, cui magis edo, quam Leoni Ostiensi, annum praecedentem nominanti, de quo etiam ox dicemus. Caeterum Berengarii inaugurationem Romanam verbis oetae, spectatoris, ut apparet, exhibere operae pretium erit, qui in ea arratione carmen suum panegyricum claudit.

15. Pulso itaque Ludovico orbo, ut ille habet:

Emicuit subito in mediis lux alma tenebris,
Et rediit pax grata piis, procul agmine tristi
Exemto, patriaeque duce et genitore recepto.
Qui licet effusos toto egerat orbe triumphos,
Clauserat imperii necdum diademate vultum,
Romana steterat rutilis nec vestibus aula,
Induperatorum solito de more parentum.
Summus erat pastor tunc temporis urbe Johannes
Officio affatim clarus sophiaque repletus,
Atque diu talem merito servatus ad usum,

*) abstinere jubentur *corr. Eckardus.*

A.916. *Quatinus huic prohibebat opes vicina charybdis;*
Purpura quas dederat majorum sponte beato,
Limina qui reserat castis rutilantia, Petro.

Vicina charybdis non alia erat, quam mons Garilianus, unde Saraceni regiones circumjectas infestabant, et praedia opesque ecclesiae Romanae diripiebant. Johannem papam laudat poeta, et sapientem officiique plenum vocat; neque mihi testimonium ejus hoc loco suspectum videtur. Hi igitur papa

Dona duci mittit sacris advecta ministris,
Quo memor extremi tribuat sua jura diei
Romanis, foveat Ausonii quo numine terras.
Imperii, sumturus eo pro munere sertum,
Solus et occiduo caesar vocitandus in orbe.
Talibus evictus precibus, jubet agmina regni,
Queiscum bella tulit, queiscum sacra munera pacis,
Afferre, quae tanti gressum comitantur honoris.
Jamque iter emensus, postquam confinia Romae
Attigit, ire jubet celeres ad templa sodales,
Vicinum qui se referant. Sonat ecce suburra
Vocibus elatis populi: properate faventes;
Rex venit, Ausoniis dudum expectatus ab oris,
Qui minuet solita nostros pietate labores.
Fervere tunc videas urbem et procedere portis,
Quot Roma in gremio gentes circumdat avito.
Interea princeps collem, qui proximus urbi,
Praeteriens, ubi se prato committit amoeno:
Singula quaeque modis incendunt aethera miris
Agmina: namque prius patrio canit ore senatus,
Praefigens sudibus rictus sine carne ferarum,
Indicio: devicta cadent tentamina posthac,
Si qua hostes animo cupient agitare ferino.

Hoc loco Hadrianus Valesius observat, collem illum, cui pratum amoenum subjectum, videri eum esse, quem montem Gaudii vocat Otto Frisingensis, cum scribit, Fridericum armatum cum suis per declive montis Gaudii descendisse et porta aurea Leonianam urbem, in qua B. Petri ecclesia sita est, intravisse. Montem Gaudii, qui et Marii, appellare Petrum diaconum, qui in occursum Henrici regis, eo infinitam populi multitudinem a Paschali papa missam, tradit. Pratum autem amoenum colli subjectum aberat ab urbe Roma fere uno miliari, quo in loco venientibus principibus occurrere solebant scholae; quamquam interdum et longius progrederentur. Porro rictus ferarum praelati in vexillis, opinor, ex veteri more erant; nam et dracontophori et leontophori inter vexillarios memorantur: indicio ferorum hostium, velut belluarum, colla subjici principi triumphatori.

16. Et haec quidem senatui ipsi Romano praeferebantur: sequebatur jam schola Graecorum aliarumque nationum, sua cujusque lingua laudes dicentium:

Daedaleus Grajus sequitur laudare loquelis. A. 916.
Caetera turba pium nativa voce tyrannum
Prosequitur, totaque docet tellure magistrum.
Hic etiam juvenes nitida respergine creti,
(Alter apostolici nam frater, consulis alter
Natus erat) pedibus defigunt oscula regis.
Hinc ubi praesul erat, gressum comitantur herilem.

Fratri papae nomen erat Petro apud Luitprandum. Consul urbis seu dux erat Theophylactus, ut glossa ad nostrum poetam testatur. Hi quasi nobilissimi Romanorum, ad pedes regis procidentes, urbem se submittentem repraesentare videbantur. Et cum hoc jam comitatu Berengarius ad basilicam usque Vaticanam processit:

Vestibuli ante fores, graduum qua pervius usus,
Advehit ornatam cupidos intrare per aulam.
Ille quidem sacro fulgens residebat amictu,
Altarisque subibat ovans hinc inde minister.
Quid referam populos istinc illincque coactos,
Undantesque gradus, cum rex ad templa subiret,
Evectus pastoris equo? Mox quippe sacerdos
Ipse futurus erat; titulo res digna perenni.
Advenit ut tandem lecto comitante ministro,
Atque pedes sensim gradibus conatur ab imis;
Undique turba premit, cui vix obstare satelles
Voce valet, nutuque minans; erat omnibus ardor
Cernere praesentem, cupiunt quem secula regem.
Ter quoque sacra pius gradibus vestigia fixit,
Majestate manus cogens cessare tumultus
Undantis populi. Postquam superaverat omnem
Adscensum, aureolo surgens praesul Cliothedro,
Oscula figit ovans dextramque receptat amicam.

Hic glossator, id est autor ipse, ut apparet: *talis*, inquit, *est mos Romanus, ut qui debet promoveri ad dignitatem imperii, praesulis equo devehatur in Urbem.* Credibile est, eam tunc consuetudinem inolevisse, etsi nulla ejus alibi mentio fiat. Eodem modo ascendentem gradus Ludovicum II. augustum Leo IV. sedens expectavit. Sed anteriora et posteriora exempla stantium pontificum Valesius notavit Hadriani et Sergii II, Pascalis II, Carolum Magnum, eundem Ludovicum II. et Henricum V. excipientium. Illud quoque notatu dignum, cum Leo III. adorarit Carolum coronatum; alii contra devotione exuberante, ad pedes pontificis prociderint, neutrum nunc factum.

Hinc adeunt aulam pariter tibi, Petre, dicatam,
Janitor aetherei pandis qui limina templi.
Ante fores stant ambo domus, dum vota facessit
Rex: etenim se cuncta loco vocet ultro daturum,
Quae prius almifici sacris cessere tyranni.
Ilicet his verbis volvuntur cardine postes,

A. 916.

Extollitque sacer laudes per templa minister;
Sylvestrum veluti videat properare magistrum,
Constantinum etiam typico baptismate lotum.
Nec minus his decus orbis inest, rerumque potestas,
Tempora ni pejora forent; impulsaque cessim.
Jam tumulo piscatoris sacra purpura regis
Sternitur, et Christus lacrymis pulsatur obortis.

Eodem modo Sergius II. veniente Ludovico II. januas basilicae clausas tenuit, donec rex benevolum animum, et rata majorum fore concessa spopondisset: et Henricus Sanctus, itemque Henricus IV. imperator, qui vulgo quintus, in similia verba in eodem loco adacti sunt. Alludit autem noster ad receptam, nescio quomodo, fabulam ab antiquo, quasi Constantinum, et quidem lepra laborantem, Sylvester sacro lavacro tinxisset simul et mundasset. Scilicet extabant dudum supposititia Sylvestri acta. Berengarius tandem cum in basilicam admissus esset, ad sepulcrum apostoli projectus, de more preces fudit.

Templa petit ductor post haec, ubi fercula dono
Pastoris digesta nitent, setina propinant,
Ac decet ut regem, variant tuceta ministri.

Scilicet regi pontifex in palatio Vaticano hospitium et epulas in eam diem praebuit; ipsum affuisse mensae, non apparet. Tuceta, quae Persio crassa, posterioribus apud Papiam escae regiae; et hoc sensu noster.

Mox croceis mundum lampas Phoebea quadrigis,
Luce Deus qua factus homo processit ab antro
Tumbali, lustrat: populus concurrit ab urbe,
Cernere vestitum trabea imperiique corona
Augustum. Replicata calent spectacula totis
Aedibus, auratis splendent altaria pannis;
Cum princeps nitidus Tyrio procedit in ostro
Tegmina vestitus crurum rutilante metallo.
Advenit et domini pastor praepostus ovili
Officio laetus, quamvis resonaret utrinque
Clamor: ades praesul, totiens quid gaudia differs,
Innumeris optata modis? per vincla magistri
Te petimus, depone moras, et suffice votis.
Talibus arae adeunt gestis absida sacratae
Lumina terrarum. Modicum post haec diadema
Caesar habet capiti, gemmis auroque levatum,
Unguine nectarei simul est respersus olivi;
Coelicolis qui mos olim succrevit Hebraeis,
Lege sacra solitis reges atque ungere vates;
Venturus quod Christus erat dux atque sacerdos,
Omnia quem propter coelo reparentur et arvo.
Jam sacrae resonant aedes fremituque resultant
Clamantis populi: valeat tuus aurea princeps

Roma diu, imperiumque gravi sub pondere pressum A. 916.
Erigat, et supera sternat virtute rebelles.

id est: *Augusto novo, a Deo coronato, magno et pacifico imperatori, vita et victoria.*

Perstrepuere diu, sed facta silentia tandem.
Lectitat augusti concessos munere pagos
Praesulis obsequio gradibus stans lector in altis:
Caesare quo norint omnes data munera, praedo
Ulterius paveat sacras sibi sumere terras.

Tunc scilicet confirmatio imperialis, scripto comprehensa, concessarum a superioribus augustis terrarum lecta et publicata est.

Dona tulit perpulcra pius tunc denique templo,
Balthea lata ducum, gestamina clara parentum,
Gemmis ac rutilo nimium pretiosa metallo,
Ac vestes etiam signis auroque rigentes,
Distinctum variis simul ac diadema figuris.
Quid referam, quantis repleverit moenia donis?
. . . .
Nec tentabo meis ultra fastidia dictis,
O juvenes, inferre, calet queis pectore sanguis,
Et plectro meliore movet praecordia Clio.

17. Hic fere finit non inelegans pro tempore suo poeta, quem ex monasterio S. Johannis in viridario apud Patavinos Nicolaus Heinsius vir insignis Hadriano Valesio V. Cl. procuravit. Valesius publicavit, sed libello prope fugiente; nos recudi in scriptorum veterum nostra illustrantium collectione curavimus. Memorabilis haec est et pene unica ex illa antiquitate coronationis imperialis descriptio: ut caetera taceam, quae huic autori debemus, in illa pauperie contemporaneorum. Certe initium imperii Berengariani indubitatum hinc habetur, quandoquidem ipso sacro paschatis die coronam suscepit: cum Sigonius honorem Septembri demum mense, quasi pro merito post victos Saracenos, datum putarit. Sed ex nostro constat, spem valuisse, quae solet esse potior memoria beneficiorum. Berengarium, etsi pedem mox in Longobardiam citeriorem retulerit, haud satis, opinor, suorum securus; validas tamen vires apparet ex Tuscis praesertim et Spoletinis pontifici reliquisse; quas magnum momentum attulisse ad hostem debellandum, series ipsa rerum ostendit. Porro Berengarius die 24. Martii coronatus, inclinante Majo jam apud Longobardos egisse videtur, quando in bullarii Casinensis tomo II. praeceptum ejus extat, quo facultatem monasterio S. Juliae apud Brixienses concedit aedificandi castellum in portu Ticini. *Dat. 8. Kal. Junii, anno dominicae incarn. 916, domini vero Berengarii serenissimi regis 29, indict. 4.* Et aliud simile apud Sigonium habetur, datum *Papiae Kal. Sept. anno* itidem *regni vigesimo nono, imperii primo,* quo Cremonensi ecclesiae, adhuc ab Ungarica clade laboranti, quaedam vectigalia remittit; et ne quis procurator regius aliquam in urbe haberet potestatem, neve quis comes, vice comes, sculdasius, gastaldio, decanus regius, in urbe aut extra urbem ad quinque

A. 916. millia passuum placita custodiret aut hospitaretur, injussu Johannis episcopi aut successorum ejus, indulsit. Hae concessiones factae ecclesiis, profuere passim urbibus et libertatem attulere; cum episcopi haud armati et fere creati a suis civibus (apud Italos praesertim) in populi et senatus potestate esse solerent. Hic etiam memorare placet, quod Candidus in Aquilegiensibus notavit Berengarium Venetis jus signandae argenteae monetae dedisse, quod ita interpretor, ut eam recipi in Italia sibi subjecta permiserit.

18. Sed nunc Johannem papam in Saracenos moventem spectemus, quem non minus a Marte, quam a Venere Luitprandus commendat. Mauri ab Africa jam a. D. 846. montem quendam munitissimum centesimo ab urbe lapide occuparant, testibus annalibus Bertinianis. Garilianum fuisse, verisimile habeo; sed non tenuisse, certum est, cum etiam ulteriores a Ludovico II. augusto pulsos constet. Sed experimento loci ad excurrendum commodi semel sumto, redisse apparet, scelere, ut refertur Docibilis Hypati Cajetanorum, qui locum illis utilitatis suae causa concessit, ut captivos reciperet. Id non facile ante annum Domini 882. contigisse, illic ostendimus, etsi Pagius, diligens autor, in annum 879. retraxerit, nimis exacte computans quadraginta annos Leonis Ostiensis, quibus fere barbaros hanc arcem insedisse is refert, parum tutus autor chronologiae. Porro mala ingravescebant in dies a Saracenis, ut ne Roma quidem tuto devotionis causa ab occasu vel ab arcturo adiri posset; cum ecce surrexit tandem pontifex, cui par dignitati animus vigorque esset. Huic faces subjiciebant Landulfus, Beneventi et Capuae princeps, florens aetate, nec viribus spernendus post conjunctionem utriusque principatus; qui ante aliquot annos Constantinopoli redux, certam auxiliorum spem retulerat. Guaimarius etiam junior Salernitanorum rector in eadem consilia conspirabat. Itaque papa Berengarium regem excire statuit; illi Graecos solicitandos censent: factum est utrumque. Berengarius Romam venit, coronam sumit, Spoletinos et Camertes submittit. Constantini augusti pueri auspiciis Nicolaus, cognomento Picyglus, Graecorum patricius, cum copiis non spernendis venit. Ita Umbriae, Latii, Samnii, Apuliae, Calabriae vires contrahebantur. Pontifex ipse (magnum rei bene gerendae momentum) accessit, qui religione erigeret animos, et opibus sustentaret. Itaque errant, qui primum ex papis Leonem IX. exercitum duxisse putant. Fecit Johannes melioribus auspiciis, etsi minus esset probabilis vitae; aderatque ei marchio Albericus, teste Leone Ostiensi, de quo infra. Garilianus mons situs est ad Lirim fluvium, qua mare Hetruscum subit. In valle subjecta sunt ruinae Minturnarum, veteris urbis. Hinc ergo pontifex cum suis vicinisque copiis; illinc Graeci cum ulterioribus oppugnationem instituerunt.

19. Luitprandus fabulatur, Romanum, Constantini aetate minoris collegam, rebellibus Appulis et Calabris, cum ipse distractus in oriente, per se poenas expetere non posset, Saracenos ex Africa immisisse: hos processu temporis montem Garilianum occupasse. Quae quam cohaerentia sint, quivis videt: nam Romanus ne nunc quidem regnabat, et Saraceni a tot jam annis Liris ostio et suis spoliis incubabant. Et tamen hic

Luitprandus erat illis temporibus proximus: nam cum scriberet, regnabat adhuc ille ipse Constantinus, sub quo res gesta est. Eat nunc aliquis, et scriptori tam negligenti quam maledico, de Arnulfo augusto, de Sergio ac de Johanne utroque pontificibus, de Berta et Ermingarda, de Theodora, de Marozia, illustribus foeminis, haustas de faece plebis narratiunculas propinanti, fidat. A. 916.

20. Id verum esse potest, quod habet, juvenem quendam Maurum injuriis irritatum, desertis suis ad pontificem maximum venisse, et auxilia sexaginta virorum manu promtorum, nec nisi singulas parmas, enses, pila, simplicesque vestes cum pauculo obsonio ferentium, ad insidias impetrasse: ita multos barbarorum periisse arte hominis, res eorum commeatusque exacte noscentis; tum ex successu viribus auctum, omnes, desertis agris, in unam arcem monti impositam compulisse. Ex eo denique pontificem cum vicinis delendi hostis consilium cepisse.

21. Cum ergo Graecorum classis flumen subiens, militem exposuisset, conjunctis copiis in adversos itum est, commissoque praelio in aditu montis, Saraceni, postquam acriter repugnassent, multitudini cedentes, sese in angustias viarum conjecere; et tandem his quoque desertis, in ipsum sese munimentum inclusere. Ad unum omnes perisse tandem, Luitprandus scripsit: sed Ostiensis episcopus rem distinctius explicat, Nicolaum patricium, faventes Saracenis Gregorium Neapolitanorum et Johannem Cajetanorum duces, oblato patriciatus honore, ab hostibus abstraxisse; deinde cum papa et Alberico marchione obsidioni institisse; quae cum trimestri spatio durasset, Mauros alimentis deficientibus, Johanne etiam et Gregorio occulte suadentibus, eruptionem tentasse, et in montes sylvasque vicinas fugisse, sed persequentibus inimicis vix paucissimos evasisse. Caeterum errat Ostiensis, quod captum Garilianum refert in annum praecedentem ind. 3, quod ex falso computo annorum Johannis natum est, cujus tertio anno rem gestam, ipse agnoscit. Is vero incidit in praesentem. Sunt qui scribunt, paucis post annis alios Saracenos ex Africa in horum locum venisse, positaque sede in monte S. Angeli Calabriam Apuliamque diu vastasse, de quo dicemus ad a. D. 920.

22. Raginarius, primarius Lothariensium princeps, circa hoc tempus obiit, secundum excerptum Gallici scriptoris apud Conradum abbatem Ursbergensem fidissimus partium Caroli tutor. Dux Hasbaniae historicis Normannis; regi ipsi Carolo marchio appellatur, quae tunc fere eodem redibant, et cum autoritate primarii comitis sive missi regii potestatem rei militaris dabant. Cognomen Longicolli vulgo tulit, quod in nepote repetitum est. Natus creditur ex Giselberto comite Mansuariorum et Ermengarde, filia Lotharii augusti; ipse maritus Albradae, pater non tantum Giselberti ducis Lothariensium, qui postea Gerbergam Henrici Aucupis filiam duxit, sed et Lamberti comitis Hasbaniae, et Raginarii comitis Hainoniensis, qui ex filia Rudolfi, pro rege a Francis occidentalibus habiti, genus propagavit. Giselbertus in patris dignitatem successit et Lothariense regnum sub Carolo administravit; sed deinde in dominum surrexit.

ANNO CHRISTI 917.

Erchingerus, Bertholdus et Luitfridus decollantur. — Arnulfus Conrado in Bavaria rebellans, cum ei advenienti inferior esset, ad Ungaros confugit. — Congressus Henrici ducis cum Carolo rege. Dona ei a rege largita. — Hogeri archiepiscopi Hamburgensis obitus et successores. — Ungari in Franciam, Alsatiam et Burgundiam perrumpunt. — Caroli regis uxor Frideruna obit. De chronici a Frodoardo conscripti initio. — Berengarius imperator in ulteriore Italia agit. — Adalbertus Dives Tusciae marchio obit. Filius est Adalberti et Rotildis. — Baronius male Adalbertum hunc cum Alberico marchione, Maroziae marito, confudit. — Adalberti uxor Berta, Lotharii regis ex Waldrada filia. Liberi Adalberti. — Fabulae sunt, quae Luitprandus de dissoluta Adalberti vita tradit. Pontificibus favit. Epitaphium ejus. Succedit ei filius Wido juvenis. — Obertum marchionem praeterea filium Adalberti hujus fuisse improbabile est ob tempora et silentium Luitprandi. — Obertus marchio vixit lege Longobardorum, cum Adalbertus et majores ejus Bavaricae originis essent. — Objicienda diluuntur. — Interim certum est, Obertum hunc esse satorem principum Estensium et Brunsvico-Luneburgensium. — Adalbertus, Oberti pater, successit in bona Adalbertorum Tusciae marchionum. — Videtur is Adalbertus fuisse Widonis marchionis, sed non ex Marozia, filius. — Cur marchia et ducatus Tusciae non permanserit Adalberto, Oberti patri. Obertus pro ea marchiam Liguriae et comitivam palatii sub Ottone I. imperatore obtinuit. Cur Oberti filius Obertus marchio de Orta dicatur. Unde opinio de familiae Estensis origine Romana. Malespini ex Ortanis orti. — Ratbodi episcopi Ultrajectini obitus, vita et scripta. — Theodericus episcopus Paderbornensis obit, succedit Unwanus. — Johannis papae literae ad Haichonem abbatem Fuldensem. Patriciatus Berengarii imperatoris. — De Rollonis Normannorum principis obitu, uxoribus et filio.

A. 917. 1. Erkangerus et Bertoldus fratres cum Luitfrido sororis filio jam dudum in vinculis habebantur, damnati majestatis, animique in rem publicam hostilis. Ego Hungaros sollicitasse suspicor; Aventinus in conventu Altheimensi reos factos scribit, quod vitam regis attentassent, damnatosque ad perpetuam in monasterio poenitentiam. Sed vereor, ut tale quicquam legerit; neque poena intra carcerem stetit. Grave crimen aut magnum a damnatis periculum severitatem regis exasperasse oportet, ut neque amicorum precibus, neque uxoris lacrymis tantorum virorum vitas daret. Itaque 12. Kal. Febr. decollati scribuntur apud Adingam villam. Crusius legit Aldingam. Castellum imminens Stainhemio oppido, causam qualemcunque fatalis casus, rex dirui jussit.

2. At Arnulfus, sive criminis particeps, sive vindicaturus avunculos, regem in se excivit. Cum Bavariis eum rebellasse scribit chronologus Sangallensis; unde intelligi potest, multos et insignes viros in partibus fuisse, sed qui non perstitere. Rebus igitur per Allemanniam constitutis, Henrico Saxone, ut arbitror, pacato, Conradus in Bajoariam movit. Ibi, si Witikindo credimus, res ad praelium devenit, in quo rex vulnus acceperit. Sed tale nihil alii memorant. Illud convenit, Arnulfum inferiorem viribus et recentia exempla metuentem, cum uxore et liberis ad Ungaros confugisse, nec nisi extincto Conrado, in provinciam revertisse. Bernardum quendam Cremifanensem Brunnerus vidit, qui bis pulsum scripsit; et prima vice per Juvavum redisse, et a rege Ratisbonae obsessum fuisse. Eum secutus est Aventinus. Sed caeteri rectius unius fugae meminere. Tunc, credo, rex permutationem confirmavit inter Radesponensis ecclesiae

episcopum Tutonem et quendam hominem (id est vasallum) regis, cujus nomen excidit. Ille proprietatem suam in quodam loco tradit S. Emmerano; vicissim alibi res S. Emmerani recipit. Confirmatio, sed multata notis temporalibus, apud Goldastum constitutionibus imperialibus inserta est, quod majora deessent. A. 917.

3. Gallici scriptoris fragmentum, a Pithoeo ex Conradi Ursbergensis abbatis chronico erutum, et Ursbergensi prior annalista noster manuscriptus*) narrant, Henricum ducem Saxoniae Aquisgranum ad Carolum regem, paschatis festum celebrantem, venisse; cum etiam Robertus adesset, qui postea regnum invasit. Henricum quatriduo integro congressum regis sperasse, quem unus Hagano mediocri ortu, sed validus favore, velut clausum tenebat; tandem morae pertaesum discessisse, notataque indignantis verba: aut Haganonem cum Carolo regnaturum, aut Carolum cum Haganone casurum. Herivaeus tamen Remensis archiepiscopus abeuntem jussu regis assecutus, amica oratione, ut rediret, persuasit. Ita multo cum honore exceptus, praecipuum familiaritatis gradum tenuisse fertur. Ego vereor, ne talia in Haganonis odium commenti sint quidam; nam nostri vetustiores ignorant. Henricus si cum Carolo regni hoste consilia contulisset, Conradum et Germanos omnes, credo, in se irritasset, et sibi aditum ad regiam dignitatem praeclusisset. Ita conjicio ex longinquo; quanquam etiam fatear, fieri potuisse, ut auxilia contra Conradum quaesierit; et quanquam hostis, judicium morientis postea meruerit, ne patriam externa ope dilaceraret. Scribit autor quidam actorum S. Servatii, Henricum Saxoniae ducem Francorum regi (male vocatur Lotharius, cum Carolus intelligi debeat) Coloniae occurrisse, et trabeatum ensiferi ritu gladium ei a tergo portasse; porro regem ei donasse quicquid inter Rhenum et Osnam (an Mosam?) interjacet soli; et baculum et stolam S. Servatii dedisse, eum transtulisse in Saxoniam et, structo super Bodam fluvium monasterio (Quedlinburgensi), venerandas reliquias ibi condidisse. Hic vera falsis mista, apparet. De monasterio Quedlinburgensi dicemus ad a. D. 936.

4. Obitum Hogeri archiepiscopi Hammaburgensis necrologium Fuldense in hunc annum refert, cujus annuis annotationibus in ipso rei gestae articulo factis, inprimis fido; etsi Adamus Bremensis et qui hunc sequuntur, inter quos Mabilio, biennio anticiparint. Sed Adamus ipse detegit fontem erroris sui. Neque enim ex monumentis suae ecclesiae, sed conjectura annum sumsit; quod (eodem, quo nuper Schatenius lapsu) in Burcardi decretis, Unnonem archiepiscopum concilio Altheimensi subscripsisse, legisset; et Burcardus alibi hanc synodum ad quintum annum Conradi retulisset. Sed supra notavi, decretum, quod Unno inter alios episcopos comprobat, Conrado rege posterius esse debere et ad aliam synodum pertinere. In die mortis fidem Adamo adhibeo, qui est 13. Kal. Januar. Nam ut aliquoties notavi, non anni, sed dies mortium ob anniversariam memoriam in ecclesiis notabantur. Et consentit Fuldense necrologium. Nam in catalogo defunctorum ejus anni, qui secundum anni tempora ordinatur, Hogerus archiepiscopus est inter postremos. Sepultus jacet in

*) *hac voce deleta* Saxo *addit Eckardus.*

A. 917. ecclesia S. Michaelis prope antecessorem. Ex Corbeja nova venisse, chronicon loci habet ad ann. 915, additque, Wimonem etiam Corbejensem successisse. Legendum Unno; nam Wimo ibidem (ad a. 936.) in Suecia obiisse scribitur, quod de Unnone verum est. Successit Reginwardus, sed qui numerari non solet; forte quod electus ad consecrationem non pervenisset. Unno (qui veteribus Unni) substitutus est.

5. Interea Ungari, quod mirere, quanquam Conradus rex cum exercitu Bavariam hoc anno obtinuerit, per Sueviam usque ad Rhenum pervenere; et transmisso fluvio in Alsatiam et usque ad fines regni Lothariensis penetrarunt. An praevenere illi adventum regis, an venientem pernicitate equorum et levitate armaturae vitavere? Basileam tunc eversam scribit Hermannus Contractus. Et ut ad hunc annum habet chronicon S. Medardi Suessionense: tunc primum Hungari Rhenum trajecerunt, et usque in Burgundiam pervenerunt. Eosdem a. D. 937.*) Franciam et Burgundiam vastasse, similiter memoriae prodit. Credulis terror persuaserat, hos esse Gogum et Magogum, ab Ezechiele et apocalypseos autore praedictos: ita frustra divino flagello resisti. Cui errori ut obviam iretur, jussu Bernoini, Virodunensis episcopi, abbas quidam apocalypsis locum exponens (haec ex Dacherianis), Hungros dixit nihil aliud significare, quam famelicos (Germanico scilicet sermone), gentemque olim ortam, cum in magna quadam fame vilissimus quisque in deserta extrusus esset: ibi ritu ferarum degentes, genus propagasse. Quae etsi vana et ridicula, tamen apud populum valuere; ut facilius vinci posse crederentur, qui tam degeneres ortu fuissent.

6. Hoc anno (certe non serius) quarto Idus Februarii obiit Frideruna regina Galliae; nullis, quod constet, liberis relictis. Diu cum adversa valetudine luctatam, apparet ex praecepto mariti, cujus sensa excerpta exhibere e re erit. *In n. s. et i. T. Karolus divina propitiante clementia rex ... Notum volumus fieri, quod conjux nostra Frideruna ..... flagitavit .. ut post discessum hujus vitae praeceptum nostrae corroborationis super villam Pontigo, quam ei donavimus in dotem, facere dignaremur; ipsa vero ad ecclesiam sanctae gloriosae genitricis Dei Mariae, et Cornelii ac Cypriani martyrum Compendiensis loci, tradidit, sicut ipsius praecepto narratur. Quam petitionem imminente die suae mortis repetivit, praevidens diu obitum suae dissolutionis ... Fratribus etiam venerandi Compendiensis monasterii caetera concedimus, quae uxor nostra Frideruna eis dedit. Inter quae sunt mansi ingenuiles viginti et dimidius cum quarta parte mansi; serviles septem et dimidius, et cum hoc medietas monetae. Voluit tamen, ut dum adviveret frater ejus Bovo Catalaunensis antistes, jure beneficiario praedictam villam retineret, et unoquoque anno argenti libram unam in die anniversarii nostrae conjugis, quae est quarto Idus Febr.... celebrando cum hymnis et psalmis, et praeparetur ipsis refectio ipsa die, quantumcunque melior esse potuerit .... Signum Karoli regis excellentissimi. Gozlinus notarius ad vicem Herivei archiepiscopi summique cancellarii recognovit. Datum 7. Kal. Aug. ind. 5, anno 25. regnante Karolo rege gloriosissimo, redintegrante 20, largiore vero hae-*

*) *margini Leibn. ascripsit:* Fors. 917. Videatur.

reditate indepta 6. Actum Aquisgrani palatio in D. n. f. A. Mabilio summa cum cura descripsit ex originalibus tabulis, et diplomatico operi inseruit, eoque epocham Lothariensis regni, a Carolo usurpatam, extra controversiam collocavit. At Carolus deinde Edgivam duxit, filiam Eduardi et sororem Adelstani Angliae regum. De tempore nuptiarum nihil invenitur: anno tamen sequente contractas, ex eo colligo, quod a Frodoardo non omissuro haud memorantur. Priores autem anni de chronico ejus usque ad annum Domini 919. magna historiae jactura periere; siquidem, ut ex Pithoei editione a Quercetano repetita colligitur, in Caroli Calvi morte coepit. Sed si credimus chronico Andegavensi, a Labbeo in nova bibliotheca edito, bini tantum anni nobis perierint: nam ejus autor chronicon Flodoardi a. D. 917. incipere prodidit. A. 917.

7. Berengarius imperator in ulteriorem Italiam rebus ordinandis redisse videtur. Nam monasterio Casae Aureae, in insula Piscariae amnis sito, res suas corroboravit. *In nomine Domini Dei aeterni Berengarius divina favente clementia imperator augustus . . . Monachi cujusdam monasterii, in quo almificum beatissimi pontificis atque martyris Clementis corpus reconditum est, Casa Aurea nuncupatum, quod domnus Ludovicus, olim serenissimus imperator et noster consobrinus, a fundamento construxit . . . postulaverunt, ut . . monasterii res . . nostrae autoritatis imperialis praecepto confirmaremus* . . . [Quibus annuentes praecipimus] *ut nullus dux, marchio, comes, vice-comes, sculdasius, gastaldio, aut alius quivis eos de rebus monasterii absque legali judicio devestire audeat, aut eis injuriam inferat. Signum domni Berengarii piissimi imperatoris. Joannes episcopus et cancellarius ad vicem Ardingi archiepiscopi et archicancellarii recognovi et subscripsi. Data 12. Kal. Nov. anno dominicae incarnationis nongentesimo septimo decimo, domni vero Berengarii piissimi regis vicesimo octavo, imperii autem sui secundo, indict. quinta* (sexta potius). *Actum in Piscaria, in Christi nomine feliciter. Amen.* Annotavit scriptor Casauriensis chronici, olim, cum fundaretur monasterium, nulla in circuitu castella aut oppida munita extitisse, sed omnem Pinnensis et Teatensis territorii regionem sparsim frequentibus villis et casalibus habitatam, dum quisque sub vite et ficu sua agit. Sed Saracenis ingruentibus, crematum fuisse monasterium et vicina loca vastata; tandem pulsis barbaris reversos incolas, ex villis munitiones, ex casalibus castella facere coepisse.

8. Alberti Tusciae marchionis obitum 16. Kal. Sept. Sigonius in hunc annum confert; certe vivebat adhuc exeunte a. D. 915. Luitprandus Divitis ei cognomentum tribuit; et Ludovico orbo similior regi quam marchioni, non sine invidia visus est. Multi in rebus ejus errores admitti solent. Plerique omnes nonnisi unum Adalbertum marchionem Tusciae a Bonifacio usque, Ludovici Pii auspiciis oram Ligustici maris obtinente, ad haec usque tempora agnovere. Ita septuaginta et amplius annis provinciam suam rexisset. Florentinius dubitare coepit; sed Cosmus Arena, producto diplomate, patrem filiumque recte distinxit. Pater ducis nomen gessit a. D. 847. Sed comitem sese et marchionem vocat in diplomate,

A. 917. quo monasterium Aulae in Lunensi tractu fundavit a. D. 884. Ex ipso et Rotilde ejus uxore, Lamberti Spoletini filia, natus est Adalbertus, alter Tusciae marchio; nam Wido imperator eum dilectum suum nepotem (nempe ex sorore) et marchium (pro marchione) appellat in diplomate, quod Zenobio, Fesulanae ecclesiae episcopo, dedit a. D. 889. Itaque medio inter hos annos tempore ad regimen ditionis extincto patre pervenit, eique per annos circiter viginti praefuit. Hunc ergo errorem diuturnioris aeque administrationis dispunximus.

9. Alter non minus gravis est, quod passim cum Alberico marchione, quem Tusculanum Sigonius vocat, et quem ego in Latio principem agnosco, confundi solet. Baronius ipse, rerum Romanae ecclesiae diligentissimus ruspator, hic lapsus est. Hinc crebrae ejus et tragicae circa ista tempora de Hetruriae principibus querelae, qui pejus quam tyranni veteres Romanae sedi nocuissent: hos enim vitam opesque, illos etiam innocentiam abstulisse, monstris intrusis. Sigonium etiam (etsi tacito nomine) reprehendere videtur, haec mala Tusculanis comitibus transcribentem, qui serius, etsi ex eadem radice, provenissent. Ita cardinalis doctissimus ad a. D. 897. Equidem Luitprandus nobis narrat, Sergium diaconum, cum Romanam sedem affectaret, a Formosi factione pulsum, sese ad Adalbertum Tusciae marchionem recepisse; et Formoso extincto, Adalberti opibus restitutum fuisse, et mox in Formosi cadaver saevisse. Sed hunc errorem suo loco explosimus. Formoso non Sergius, sed Stephanus successit, cui illa in mortuum immanitas recte exprobratur; et qui multis post annis ad pontificatum Sergius III. pervenit, pulsus est non a Formoso, sed Johanne nono; et quantum conjici potest, non ab Adalberto Tusco, sed Alberico marchione, Romae tunc rerum potente, Maroziae marito adjutus est. Huic enim familiarem fuisse intelligas, quando domum ejus adulterio polluisse creditus est, paterque ex Marozia habitus Johannis XI. postea papae. Multa alia Albericum ab Adalberto nostro distinguunt. Ille Romae incubuit, in Latio potens: hic Lucae agebat; neque ullae ejus, quod appareat, in rebus Romanis partes fuere, quas Spoletini principes vel absentibus augustis, vel ipsi augusti pro arbitrio versabant; donec cessantibus ipsis, Albericus marchio caput erexit, credo, quod Mariam vel Maroziam primariam foeminam ad nobilissimos potentissimosque Romanorum genus referentem duxisset. Postremo (ne quis sit dubitationi locus) Adalbertus Bertam, Albericus Maroziam viduam reliquit; et Adalbertus Widonem filium habuit, qui Maroziam ab Alberico relictam duxit: quae ex ipso Luitprando manifesta, poterant Baronium discriminis admonere. Et tamen hic diligentissimum Florentinium aliosque scriptores egregios in errorem traxit; quem Sigonius utcunque cavit. Adjungantur, quae ad a. D. 925. dicemus, quo Albericus obiit.

10. Caeterum Adalbertus Bertam, Lotharii Austrasiae regis ex Waldrada filiam, Theobaldi Burgundionum principis viduam, in matrimonio habuit, mulierem forma insignem et stirpis regiae gloria ferocem; quae turbatis Italiae rebus, maritum suum ad regnum sibi vindicandum stimulabat, quasi nihilo Spoletinis inferiorem. Infelix conatus fuit; captusque

a Lamberto augusto, et nihil simile postea ausus est: res tamen Italicas A. 917. miscere potens, dum regibus aemulos opponit; Ludovico in Berengarium evocato et mox deserto, cum eum potentiae suae invidere sensisset. Filios, a Luitprando nominatos, ex Berta habuit Widonem et Lambertum, qui patri alter post alterum successere; filiam Ermingardem, quae Adalberto marchioni Eporediae post extinctam priorem uxorem Giselam, Berengarii primi filiam, secundi matrem, nupta est. Wido Maroziam postea, Alberici marchionis viduam, duxit, et ex ea pater factus est, sed ex priore ejus matrimonio stirpem propagatum apparet, qua de re mox. De Lamberti conjugio nihil habetur.

11. Denique inania sunt omnia, quae de solutissima Adalberti vita, ex Luitprando male intellecto, plerique fabulantur, quasi ex concubina Marozia liberos genuerit, Romanam ecclesiam factionibus perpetuis turbarit, pessimos pontifices sedi intruserit. Nihil illi commune cum Marozia fuit; Romanae urbis res non attigit; cum conjuge, nobilissima foemina, concorditer vixit. Vetus passionarium in bibliotheca canonicorum Lucensium habet, ope ejus Narniam rebellem ad obsequium pontificis adactam: inde munere pontificis corpora duorum martyrum S. Cassii episcopi et S. Faustae virginis obtinuisse, et Lucam in basilicam S. Frediani transtulisse. Legitur hodieque epitaphium Adalberti nostri in cathedrali Lucensium ecclesia, ubi non mediocriter laudatur. Partem ascribamus, quae ita fere habet:

Pes claudi, vestis nudi, solamen egeni,
Noster Adalbertus dux pius atque bonus.
Quam fortis fuerit, vel noverit ultima Thule,
Qua pietate fuit, dicere lingua nequit.
In sexto decimo Septembre notante Kalendas
Hic artus posuit funereo gemitu.

Successit filius Wido, Berengario probante; juvenis, ut apparet. Nam Bertam matrem retinuisse potestatem, Luitprandus scribit; nec ingenio tantum et liberalitate sua, sed etiam amatorum studiis tantae potentiae fuisse, ut capta mox cum filio a Berengario et Mantuae in custodia habita, nec castellis exui posset, et nulla suarum rerum jactura, libertati restitueretur.

12. Adalberto marchioni Tusciae Franciscus Florentinius Lucensis, de historia Italica praeclare meritus in opere de rebus inclytae Mathildis Italorum principis, tertium ascribit filium, Luitprando non memoratum, nomine Obertum. Ait enim, scripturam authenticam extare in tabulario episcoporum Lucensium, datam in S. Maria de Monte, Lucensis olim ditionis, anno Domini 1011, ubi memoratur Adalbertus marchio, filius b. m. Oberti et nepos b. m. Adalberti, qui fuit similiter marchio. Adalbertum ergo novissimum nepotem esse putat Adalberti Divitis sive secundi, Tusciae marchionis. Videamus, an hoc temporum ratio facile patiatur. Bertam uxorem Adalberti Divitis, filiam Lotharii Austrasiae regis, ante annum Domini 865. natam fuisse oportet. Tunc enim Arsenius, pontificis Nicolai legatus, Waldradam ejus matrem a Lothario abstraxit. Nec Bertam quadragenaria majorem peperisse, verisimile est. Itaque si quem

A. 917. Adelbertum filium edidit, eum non facile post annum Domini 905. natum fuisse censebimus. Ergo Obertum tunc, cum maxime in rerum actu versatus reperitur, id est intra annos 962. et 971, jam senem fuisse dicendum est, quod non satis placet; neque illud, quod filios habuerit, qui ad a. D. 1014. et ultra pervenere, ut suis locis ostendemus. Fateor nihil horum a rerum natura abhorrere; sed tamen minus verisimile putandum est, quod rarius contingit. Neque Luitprandi silentium spreverim: parum enim credibile est, scriptoris quantumvis mali, contemporanei tamen et collocalis, in dignitate positi et in re publica versati, liberos Adalberti Divitis recensentis, memoriam marchionem Obertum Longobardum, inclytum sub Ottonibus principem, fugere potuisse, si ex Adelberto eodem natus erat; notitiam certe non fugit. Nam ipse a. D. 960. ad Ottonem M. profectum memorat, ut de Berengario quereretur; praeterea ita loquitur Luitprandus, ut liberos Adalberti enumerare videatur; itaque Obertum, quem norat, praeterire non potuisset.

13. Est et alia difficultas a natione. Obertum et posteros ejus constat lege Longobardorum vixisse. Sed Adalbertus Dives, Adalberti marchionis filius, Bonifacii comitis nepos fuit; qui sub Magno Carolo et Ludovico Pio litus Hetruscum rexit, et classe etiam profectus in Saracenos, in ipsa Africa feliciter excensionem fecit. Hunc in Italia quidem natum, origine tamen Italum fuisse, est cur dubitemus. Nam non facile Italis nuper subactis Carolus ille Magnus aut Ludovicus Pius gubernationem provinciarum in Italia citeriore credebant: Eberhardum, Fori Julii rectorem, Berengarii primi regis patrem, et Lambertum Spoletinorum ducem, patrem Widonis regis, Salicos fuisse constat. Quod enim in Italia Transtiberina Carolus Aragisum Beneventanis ducem reliquit, necessitate factum scimus, ne is ad Graecos transiret. Quin amplius, habemus, cur Bonifacium ex Bajoariis ortum putemus. Nam Richilda, abbatissa Lucensis, quae se natione Bajoariam profitetur, Bonifacium comitem appellat patrem suum; et inter testes signat chartam Bonifacius comes, abbatissae germanus, qui non alius a provinciae Tuscae rectore videri potest. Diploma, datum a. D. 823, a Mario Florentinio, Francisci non degenere filio communicatum, Cosmus Arena produxit.

14. Reponi potest, regulam de extraneis provinciarum praefectis generalem in Italia citeriore non fuisse. Primus Spoleti dux sub Carolo Magno Hildebrandus Longobardus erat; primus Fori Julii Rotgaudus ejusdem nationis non inepte credetur: nam cum Aregiso Beneventano et Hildebrando Spoletino conjurasse accusatus est. In Tuscia Allonem ducem tunc praefuisse constat. Eum Longobardum fuisse, et ducatum sub Carolo victore retinuisse, verisimile facit ipsa ducis appellatio sueta Longobardis; nam Franci praefecti sub Magno Carolo comites appellabantur. Allonem etiam mare et classem curasse non minus quam postea Bonifacium, Hadriani papae epistola docet. Sed hos Carolus M. magis invenit rectores, quam fecit: quanquam fatear, nisi diploma Richildae extaret, rem in suspenso mansuram fuisse; sed nunc in extraneum et Bajoarium Bonifacium libra rationis inclinat. Neque enim facile apparet,

quid negotii Bajoario comiti, filioque et filiae aut sorori eorum Lucae fuerit, nisi ille ibi cum potestate egisset. A. 917.

15. Caeterum non frustra hanc controversiam agitamus: hinc enim antiquissimae Brunsvicensium Estensiumque origines pendent. Nam Obertum illum marchionem, patrem Adalberti, illorum principum progenitorem habendum esse, suo loco ostendetur. Quodsi constaret, quis Oberti pater Adalbertus, jam in ulteriora multo proficeremus. Scipio Admiratus junior (observante Cosmo Arena) paternae rerum Florentinarum historiae quaedam addidit. In illis est libro primo mentio donationis, quam marchio Adelbertus, filius Alberti Longobardi, fecisse dicitur Alboino episcopo Volaterrano a. D. 896. Is utique marchio Adalbertus haud alius a Divite fuerit. Sed haerere me facit haud usitata legis vel nationis mentio in chartis horum Adalbertorum, aut omnino principum contemporaneorum. Quodsi tamen ex tabulis ipsis aliquando conspectis Longobardica lege usos illos constaret, dicendum foret, electam illis hanc legem, non agnatam; quod etsi rarum, tamen non novum erat. Neque enim, credo, Bajoaria lex in Hetruria noscebatur, et posteris deinde Bajoariae oblitis, sola nationis Longobardae memoria manserit.

16. Illud manifestum est, Adalbertum, Oberti patrem, magnum principem fuisse, et in Tuscorum Adalbertorum cognominum opes pro magna parte successisse. Nam ut alia per Hetruriam loca nunc taceam, quibus Obertum illum liberosque ejus et nepotes et pronepotes (in quibus Azo Guelfi pater) dominatos constat: certe in Lunensi tractu (hodie Lunigiana) rerum potiti sunt, ubi Adalbertum primum, Divitis patrem, in suo patrimonio monasterium Aulae a. D. 884. fundasse et sibi suisque haeredibus patrocinium pepigisse, ex producto supra diplomate constat. Neque alia est abbatia S. Caprasii (doctissimo Muratorio observante) in comitatu Lunensi sita, in quam Henricus IV. ejusdem Azonis filiis jus patronatus confirmavit, quia scilicet ibi martyris hujus corpus quiescere creditur. Ita dicendum est, Estensium progenitores in patrimoniales Adalbertorum Tusciae marchionum terras successisse.

17. Ego, omnibus inspectis, verisimillimum putem, Adalbertum Oberti patrem ex Widone marchione Tusciae natum, avi Adalberti Tuscorum principis nomen accepisse, cujus etiam marchiam repetierit. Et inter Oberti posteros occurrit Widonum appellatio. An vero mater fuerit Marozia patricia, Alberici Hortani principis vidua, quam Wido duxit, dubitari potest: matrimonium quidem haud sterile fuisse, Luitprandus famoso in Maroziam carmine docet. Marozia scilicet Widonis, Berta nati, vidua, fratrem Widonis uterinum Hugonem regem Italiae duxerat. Id reprehendens Luitprandus:

Immemor aspiceris praecepti caeca Johannis,
Qui fratri vetuit fratris violare maritam.
Haec tibi Moyseos non praestant carmina vatis
Qui fratri sobolem fratris de nomine jussit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum:
Nostra tuo peperisse viro te secula norunt.

A. 917. Unde intelligas Maroziam Widoni peperisse, infra tamen (ad a. D. 960) ratio reddetur, cur Adalbertum Widonis filium ex priore matrimonio natum judicem.

18. Caeterum apparet, ob teneram filii aetatem, extincto Widone, marchiam Lamberto quasi vicario datam, itaque non marchionem vocat Lambertus, sed marchiam tenuisse ait, scilicet, ut in adolescentiam Adalberti Widone nati administraret. Sed intercessit Hugonis regis violentia, qui, Lamberto fratre uterino, sed sibi suspecto, capto et oculis orbato, Tusciam germano Bosoni, tandemque filio suo naturali Huberto dedit. Ita exclusus ducatu Adalbertus, cum adolesset, marchionis tamen dignitatem et haereditarias avi Adalberti terras amplissimas per Tusciam, Liguriam Longobardiamque citeriorem retinuit, si non regionem, certe honorem marchionis tenuit, et in posteros propagavit. Obertus filius etiam sub Magno Ottone factus est comes palatii in regno Longobardorum, et marchiam Liguriae obtinuit. Illud vero memorabile est, quod in antiquis monumentis Locatus, Placentinarum rerum scriptor legit, Obertum Oberti filium, in illa Longobardiae parte cum liberis agentem, marchionem de Orta dictum; ut Campius in historia ecclesiae Placentinae aliquoties habet; cujus rei ratio est, quod Adalbertus, progenitor horum marchionum, illic puer apud Albericum patricium patris sui privignum educatus fuisset, dum hostis utrique Hugo rex familiam fratrum uterinorum opprimebat. Inde etiam passim fama invaluit, marchiones nostros cum Malespinis ab Albericis illis Romanis ortos: et Obertus secundus cum liberis Henrico imperatori primo, non in Longobardia tantum, sed et in Roma ipsa, negotium facessivit, quod infra comprobatum dabimus: ut utrobique potentem intelligas. Atque hinc fortasse Romanae Atestinorum principum originis prima opinio nata est; cui posteriorum persuasiones de Acciis Romanis, in Atestina colonia eminentibus, accessere, quasi hinc Azonum nomen in familia frequens prodisset; cum Azonem ex Adelberto, ut Opizonem ex Oberto vel Odeberto, Cunzonem ex Conrado, Heinzonem vel Entium ex Henrico, Frizonem ex Friderico, suetis contractionibus, factum constet: et appareat, Ateste oppidum serius in horum principum jus venisse. Quae omnia infra amplius declarabuntur.

19. Necrologium Fuldense Ratbodonem et Theodericum episcopos paulo ante Hegerum archiepiscopum defunctos notat. Ratbodo est Ultrajectinus, doctrina clarus, quem etiam a sanctitate commendant: nam et alii ejus mortem in hunc annum referunt. Per Nannonem, nescio quem philosophum, septem artibus liberalibus imbutum tradunt Trithemius, Beka, Heda, Johannes de Leidis. Avunculum Guntharium Coloniensem archiepiscopum habuit, abavum Radbodum regulum Frisiorum. Scripta recenset Trithemius: laudes S. Martini libro uno, laudes S. Bonifacii episcopi, de S. Amalberga lib. 1, homiliarum et sermonum lib. 1, de S. Willibrordo flores lib. 1, integrum de S. Martini translatione officium. Swertius in Athenis Belgicis ex Sifrido Petri adjungit varios cantus in honorem sanctorum. Denique ecloga de S. Lebuino tomo VI. Surii extat. Hoc scilicet scribendi genus seculi rudis genius probabat. Vita ejus a vetere scripta, a Mabilione in seculo Benedictino quinto edita

est; unde intelligimus, juvenem in Caroli Calvi palatio literarum cultu florente studiis operam dedisse: postea factum episcopum, everso a Normannis Trajecto, Daventriam ab Arnulfo rege cum praediis vicinis impetrasse, ibique sedem fixisse; et cum parochiam obiret, apud Otmarsam occubuisse; Daventriae sepulturam accepisse. Mortem in annum sequentem non recte Mabillio differt. A. 917.

20. Theodericum etiam Padebornensem hic annus de medio sustulit. Plerique alii retrahunt mortem ejus in a. D. 911. Sed nos necrologio nostro fidimus; favetque computus ipse, quod Crantzius, Bruschius, Korsenbrochius novem sedis annos assignant. Bisonem autem ei locum fecisse a. D. 908, Schatenius ipse assentitur. Theoderico Unwanus successit, quem synodo Altheimensi anno regis Conradi quinto subscripsisse credens Schatenius, Burcardi Wormatiensis annotatione deceptus, Theoderici vitam a. D. 915. circumscripsit. Unwanus ordinatus est anno sequente 8. Kal. Febr.

21. Helmfridus abbas Fuldensis anno superiore obierat, teste eodem necrologio*. Successit Haicho; cui hoc anno literas scripsit Johannes pontifex, quibus ei summam sacrati soli libertatem, exclusionem foeminarum ab ingressu, jus praedicandi verbi divini, episcopis olim proprium, aliaque postulata concedit. *Tibi*, inquit, *fili dilecte Haicho, quia te bene eruditum et eloquentem virum esse novimus, verbum Dei praedicare, autoritate S. Petri, et concedimus et praecipimus. Dat. 14. Kal. Junii per manum Stephani secundicerii sanctae sedis apostolicae, anno Deo propitio pontificatus domni Joannis summi pontificis et universalis decimi papae, in sacratissima sede B. Betri apostoli quarto, imperante domino piissimo augusto Berengario a Deo coronato magno imperatore anno secundo et patriciatus anno secundo indict. 5.* Temporis notae egregie consentiunt. Annis imperii aliquando ascribuntur anni consulatus, hic patriciatus, cujus mentio quid sibi velit, dispici dignum est. Censeo autem, cum patriciatus velut gradus ad imperium haberetur, invitato ad sumendam coronam Berengario aestate a. D. 915, a pontifice delatum, idque illic ex his ipsis papae literis collegi.

22. Rollonis etiam sive Roberti, primi Normannorum principis christiani, decessum chronica pleraque huc referunt; Dudoque et Wilhelmus Gemeticensis diserte affirmant, nonnisi unum a baptismo lustrum vixisse; et Radulfus de Diceto filii ejus Guilielmi a Longa Spatha dicti regimen hinc inchoat. Sed his omnibus obstat Frodoardus tempori vicinior, qui Rollonem Normannorum principem mille suorum militum contra comites, Rudolfo regi adhaerentes, in Caroli regis auxilium misisse refert. Sed tamen filiam ejus Giselam indigne tractasse scribitur. Missi a rege bini ex aula explorandae rei causa; et proditi Rolloni, quasi vitae ejus insidiati essent, in omnium conspectu obtruncati sunt. Injuriae Gisela haud diu supervixit. Poppa recepta est, filioque ejus Guilielmo successio affirmata; cui etiam Alanus et Berengarius, Britonum optimates, fidem dedere. Sed haec serius acta, si Frodoarde stamus.

*) *in margine Leibn. annotat:* Vide supra ad a. 915. fin.

ANNO CHRISTI 918.

Conradus rex Bavariam fratri commisisse dicitur. Fuit Ratisbonae et deinde Hersfeldiae. — Ungari Saxoniam vastant. Reginwardus archiepiscopus Hamburgensis obit, sufficitur Unni. — Burchardus dux in Allemannia tyrannice egisse dicitur. De genere ejus. — Henricus et Burchardus duces regi conciliantur. — Conradus rex obit. — Locus sepulturae Conradi regis. — Limburgi est cenotaphium Conradi regis cum aliis ejus reliquiis. — Filiam habuisse videtur Conradus. Ejus uxor et mater. — De genere Conradi regis. — Diploma Conradi, in quo mentio fit matris Glismudis et fratris Udonis. — Elogium Conradi regis. — Conradus Henricum post se regem designat et fratri proceribusque commendat. — Insignia regni, lancea sacra et gladius antiquorum regum. — Balduinus II. Flandriae comes et Einhardus episcopus Spirensis obiere. Diploma Caroli Galliae regis. — Wilhelmi Pii Aquitaniae ducis obitus. Ejus in ducatu successores usque ad Alienoram aviam Ottonis IV. augusti.

A. 918. 1. Conradum regem, pulso Arnulfo, Bajoaria potitum, administrationem provinciae Eberhardo fratri suo credidisse, Aventinus scripsit, fortasse chronicon Laurishamense secutus, in quo Eberhardus marchio orientalis, frater regis Conradi habetur. Quod si verum est, durabile certe non fuit. Rebus ergo ordinatis, in Franciam rediturus, aedem S. Emmerani Ratisbonensem devotionis causa rex adiit, et a Tutone episcopo honorifice susceptus, votis rite nuncupatis, mausolea Arnulfi imperatoris et Ludovici regis inspexit. Arnulfus quidam, ex comitibus Vohburgensibus ortus, qui res S. Emmerani pro sua nobis credulitate prodidit, narrat, regem libri cujusdam specie captum, qui inter sacras martyris opes scriptoris arte et umbilicorum pretio aestimabatur, invito Tutone episcopo, manum rei cupitae injecisse. Hinc abeunti diras imprecatum; inde tortorem occultum in regis visceribus saevisse, nec remisso libro desisse, donec expiravit. Anilis fabula, indigna magnificentia laudatissimi regis et prudentia episcopi: qui, si tanti visus liber principi fuisset, etiam ultro oblaturus, credo, erat; non sine aedis sacrae compendio, haud dubie majores opes aut utiliora ornamentis praedia recepturae. Rex deinde festum Johanni baptistae diem in Herosfeldensi coenobio, non procul natalibus terris, celebravit: nec quid ultra egerit, memoratur, donec ad extrema pervenit.

2. Interea Ungarorum nova manus, adjunctis sibi Bohemis, in Saxoniam irrupit. Ex Adamo Bremensi intelligimus, simul hos Bremensem parochiam, et Danos Slavosque proximos trans Albim Hammaburgensem lacerasse. Ex eodem tempora cladis discimus; quae superiore anno coepta, in hunc duravit. Nam Corbejensis chronographus ad annum superiorem prodidit, Hunnos vastasse monasterium, et omnia in vicinia. Inde igitur progressi, Hogero archiepiscopo extincto, Bremam pervenere, quando Reginwardus jam electus erat: cumque trucidatis ad aras sacerdotibus, truncatis sacris crucibus, clero et populo promiscue caeso aut in captivitatem abstracto, etiam aedibus sacris ignem immisissent; subita tempestas ardentes de tectis scindulas in ora ipsorum egit. Unde terror panicus et fuga anceps, ut vel in fluvium praecipites irent, vel a civibus caederentur. Ita res parum verisimiliter narratur. Casum gregis mors

pastoris secuta est. Obiit 3. Kal. Octob. ac tum demum Unno successit; A. 918.
quem supremis Conradi diebus investituram a rege obtinuisse oportet. Leidradus, Bremensis chori praepositus, specie ac dignitate insignis, a clero et populo delectus erat; quem ad aulam pro approbatione investituraque regia euntem, Unni quasi capellanus sequebatur. Creditum est, regem divino afflatum spiritu, contemta Leidradi persona magnifice sese efferentis, humili Unni, quem retro astare conspexerat, virgam pastoralem obtulisse.

3. Burcardum ducem Allemanniae factum, tyrannidem invasisse, prodit Hermannus Contractus: credo, quod abuti coepit potestate nuper accepta, et in res praesertim ecclesiasticas grassari: ea enim tunc maxima tyrannis scriptoribus habebatur. Sed etiam cum Rudolfo, rege Burgundiae Transjuranae, vicino principe, collidi coepit; quae res anno sequente in bellum erupit. Veringae et Helfensteinii comitem Burcardum facit Crusius, autores quosdam recentiores de more secutus. Sed ita suae gentis fuisse non dissimulasset Hermannus ille Contractus, ex Veringensium genere natus. Veringenses et Nellenburgios eosdem idem Crusius facit.

4. Henricum ducem bonorum interventu regi reconciliatum, diserte Ditmarus scripsit. Certe quod Leidradus et Unno ex Saxonia pastoralis officii suscipiendi causa paulo ante obitum regis ad aulam venere, bona cum gratia Henrici factum apparet. Nam a. D. 916. rebus adhuc turbatis, nullus episcoporum Saxoniae ad Altheimensem synodum accesserat. Pacem anno superiore coisse apparet; neque enim alias tuto Conradus in Bajoariam movisset, Suevia male pacata, Henrico et Carolo hostibus a tergo relictis. Atque huc pertinet, quod Luitprandus scribit, potentissimos principes rebelles, sed nominatim Henricum Saxonum et Thuringorum, Burcardum Sueverum ducem (nam Gisilbertum et Everardum non recte addit), fortitudini et sapientiae Conradi cessisse, et in ejus fidem venisse, uno Arnulfo usque in exilium obstinato.

5. Sed jam extremis egregii principis appropinquamus; neque enim fere aliud quicquam memorabile annus effert. Morbum attulisse ex Bajoaria, produnt Witikindus Corbejensis et Arnulfus Vohburgensis: ille ex vulnere in praelio accepto, quo Arnulfum vicerat; hic ex indignatione sancti Emmerani, ob rem exiguam stomachesioris. Utrumque jam attigi, sed neutri credulus, veram mortis causam in medio relinquo. Principi in perpetuis curis motibusque versanti facile morbus obrepsit, quem longum fuisse Ditmarus scribit. Annus mortis, ut aliorum fere hujus temporis, in controversiam venit. Praesentem habent chronicon breve S. Galli, vicinissimum rei, et Hepidannus, et Hermannus Contractus, et Marianus Scotus. At sequentem Reginonis continuator et Lambertus Schafnaburgensis et chronicon vetus Hildesemense et Otto Frisingensis. Sed prioribus assentior, testimonio necrologii Fuldensis motus. Adde, quod anno regni septimo decessisse, Luitprandus scripsit et vere: et anni Henrici regnantis, quos sedecim Roswita numerat, anno Domini 936. haud dubie finiuntur. Diem vetus Fuldensis memoria apud Browerum assignat 10.

A. 918. Kal. Januar., eundemque habet Marianus Scotus monachus Fuldensis; quibus de principe Fuldae sepulto credere utique praestat quam Ditmaro, diem 14. Kal. Nov., annum ordinationis 8, utrumque non recte definienti, aut Labbeo, mortem in primum Julii diem annumque sequentem differenti. Necrologium Fuldense Conradum inter defunctos praesentis anni ultimum nominat. Hepidannus conspirat, ante natalitia Domini sublatum.

6. De loco etiam mortis et sepulturae dubitatur. In civitate sua Wilinaburgo (hodie Weilburgum est Nassoviorum) cum moerore et lacrymis omnium Francorum tumulatum, Witikindus affirmat, quem sequor. Nam eundem locum habet Ditmarus a me emendatus ex antiquo codice; olim enim exsequias in Limburg peractas legebatur. At in manuscripto Ditmari codice, qui Petri Albini fuit, Wilini nomen loco datum, Meibomius olim retulit. Et suspicio mihi oborta est, Nassoviam gentem, ad quam haec Weteravica aliaque forte Conradinae familiae praedia pervenere, cognatione eam attigisse, de quo melius judicare poterit, qui, quae ab antiquo tenuere, aut matrimoniis acquisiere Nassovii, discutiet. Browerus vero veterem lectionem praefert, quia in Limburgensi basilica monumentum Conradi extat. Sed ipse credit, nonnisi cenotaphium esse; justa in eo loco persoluta, sed corpus apud Fuldenses terrae mandatum. Nam et continuator Reginonis Fuldae honorificam accepisse sepulturam tradit; juxta altare S. Crucis, ut addit Marianus. At diruta vetere basilica migrasse ossa, et tandem in oratorio S. Andreae sedem accepisse, Browerus censet. Forte viscera Wilineburgi sepulcro illata, corpus Fuldam translatum est. Idem memorabilem affert chartam providi regis, qua sibi tumulum ipse designat in hos sensus: *Conradus divina clementia favente et ordinante Francorum rex . . . notum fieri volumus . . . quemadmodum pro amore vitae aeternae et sacrosanctae christianae religionis praeelegimus Fuldensis monasterii . . ., patrocinatione sanctissimi Bonifacii muniti, locum requiei, Deo annuente, post finem vitae consequi . . . Offerimus autem et tradimus Deo et sanctissimo ejus martyri Bonifacio praedia duo, a parentibus nostris collata nobis, hoc est in Hagen et Sumerode, cum omnibus suis appendicibus, cum cunctis terrarum ac sylvarum terminis; ea conditione certissimaque pactione, ut monasterii fratres victum et vestitum inde habeant, et pro animae nostrae matrisque nostrae Glismudae liberatione preces jugiter Deo fundant.* Finis cum temporis notis desideratur. Browerus edidit: *Romanorum Francorum rex*, sed illud *Romanorum* haud dubie ineptus aliquis allevit, ut saepe fieri solet. Itaque frustra hinc quidam colligunt, vel Conradum Salicum vel tertium intelligi. Sed Salici tempore regis Romanorum titulus nondum in usu erat. Adde, quod Spirae is tumulatus est, viscera Goslariam translata. Nec minus Conradus tertius sepulturam Spirae accepit. Sed dubitationem omnem tollit Glismuda, Conradi primi mater, ut ex alio diplomate mox ostendemus.

7. Limburgum Cisrhenanum locus est ditionis dioecesisque Trevirensis, ad Loganae fluminis ripam. Ibi basilicam S. Georgii a Conradi regis consanguineo fundatam, dictum est ad a. D. 909. et 911, et ipse

rex, cum adhuc dux appellaretur, in partem laudis venit. Porro cernitur in nobilis et turritae basilicae gremio cenotaphium Conradi regis (ut Browerus existimat), illustre monumentum; sive exta ejus aut partem exuviarum conditam, sive funeris hic ducti ac depositi, aut beneficiorum memoriam adhuc recentem honoris habiti causam credas. Tumulo super humum extanti incumbit regis jacentis statua, ornatu habituque magnifica. Capitis insigne, tum torques, sceptrum, baltheus, paludamentum, totus denique amictus, regem potius, quam ducem, commonstrant. Id quod cum posteros forte fugeret, versiculos hos jam evanescentes penicillo inscripsisse crediderim: A. 918.

Hic jacet in tumulo dux, per quem servitus isto
Fit celebris templo; laus, virtus, gloria Christo.

Inter munificentiae in aedem monumenta ostendunt pugiunculum operis argentarii, diadema et baltheum gemmatum, et vasa potoria, quorum unius in centro spectatur anaglyphon regis, cum torque et sceptro in throno sedentis, ascriptumque DUX CHUNRATUS. Haec Browerus, spectator, ut apparet, oculatus. Credibile est, Conradum regem, cum adhuc dux esset, sobrinum fundatorem liberaliter juvisse; at posteriorem quendam ad decus basilicae pertinere judicasse, ut regis ea monumento superbiret, qui dux loco benefecisset.

8. Qua aetate obierit, non satis constat, nisi quod Ekkehardus junior velut jam senescentem depingit, ut a quinquagenario non multum abfuisse credas. Si generum habuit (de quo supra), ex priore conjuge filiam suscepisse dicendum est; sed parum accurati sunt veteres in gradibus propinquitatis designandis, et generum aliquando pro sororio usurpant. Interim quia virili eum prole caruisse scribit Ekkihardus, filiam ei attribuere videri possit. Conjugi nobis cognitae, quae soror Erkangeri et Bertoldi, vidua Leopoldi, mater Arnulfi fuit, nomen fuisse Cunigundi, jam supra nos docuit chronicon Laurishamense; in quo memoratur, Conradi regis uxorem Chunegundam locum proprietatis suae Gingam, cum omni jure regalique praecepto, S. Nazario tradidisse, atque ibidem in ecclesia, quae dicitur Varia, se tumulari praecepisse. Ipse quoque (ut ibidem additur) praedia sua in Wattenheim et Wirnheim in pago Rinicgowa, in comitatu Utonis, quae capellanus ipsius Weriuolfus in beneficium concessa tenebat, post obitum ejus monasterio eidem destinavit. Matri regis nomen Glismuodi fuisse, quod nondum satis manifestum erat ex Browerianis, novo diplomate evicimus, mox subjiciendo. Hujus etiam mortualem annum diemque eruimus ex Fuldensi necrologio, ubi ad a. D. 924. inter extinctos recensetur Glismuot comitissa 6. Kal. Maji: ut eandem apud Fuldenses tumulatam appareat, in quos beneficam fuisse, certum est.

9. De genere Conradi primi, Germaniae regis, aliquid supra attigimus. Ludovicus novissimus nepotem suum dixit; quod suadet, regia propinquitate quacunque tandem ratione inclytum fuisse, per foeminas daud dubie, nec remotissimo gradu; quando tantum in regia Germanica ipse paterque caeteris principibus praeminuere; et regni etiam controversiam nemo movit: qua in causa non virtus (qua nemo cedit), non po-

A. 918. tentia (qua non omnes), genus tamen supra invidiam est. Sed quo sensu nepos regis, id est filius fratris, esse potuerit et vere fuisse videatur, supra explicatum est, nempe quod Ludovici regis mater Oda maritum Conradi comitis patrem, Conradi regis avum, ante caesarem Arnulfum habuisse videatur. Guilielmus Nangiacus, nescio unde, Placidiam Ludovici praedecessoris filiam Conrado nostro conjugem assignat, et alteram Mathildem Henrico duci successori; quod quidem stare non potest, cum Ludovicus adolescens nec maritus obierit, et Mathildis stirps aliunde noscatur. Buccetius, genealogiae Gallorum regiae egregius autor, Arnulfo filias tribuit Placidiam, quae et Glismudis (quae duo nomina idem significare putes), Conradi regis matrem, et Lutgardem Henrici. In Lutgarde manifestus est error. Constat enim, Henricum ex Hedwige natum, cujus genus ignoratur; neque propinquitatis regiae illi fama, quae Conrado. Alii Placidiam Ludovico Germanico juniore et Luitgarde Saxonica natam volunt; quae si eadem Glismudi foret, sobrina Henrico duci fuisset. At Blondellus vir cum omnis historiae, tum genealogicae peritissimus, aliam nobis deductionem effingit, cujus vellem argumenta dedisset. Equidem ex Frodoardi historia Remensi constat, Begonem comitem fuisse maritum Alpaidis, filiae Ludovici Pii, et ex ea Letardum et Ebrardum genuisse; sed ex Ebrardo natum Udonem Wedderaviae comitem, patrem Conradi ab Adalberto caesi, avum Conradi regis, id vero demonstrandum erat, vel aliqua certe conjectura adjuvandum, praesertim cum Ludovicus rex solius Conradi, qui postea rex, propinquitatem in tabulis agnoscat, sobrinorum ejus non item. Begonis posteros peculiarem aliquam ad Germanos relationem habuisse, nuspiam apparet. Ex charta coenobio S. Mauri Fossatensi a Carolo Simplice data a. D. 921. manifestum est, hoc monasterium a Begone restauratum fuisse, unde Neustrium intelligas, qui in media Gallia sua praedia habuerit; ubi jus aliquod familiae Conradi regis fuisse, vestigium nullum est. Vereor itaque, ne unum Eberhardi nomen Conradinae familiae usitatum, regiae propinquitati conjunctum, audacis conjecturae occasionem Blondello praebuerit; qui quantuscunque sit in genealogicis, tantus tamen non est, ut ei sine probatione fidi possit, in plano etiam aliquando lapso, ut in Conradi Salici originatione.

10. Hic diploma Conradi regis totum inserere placet, quo non tantum dubium tollitur de matre Glismude, sed etiam frater Otto vel Odo sive Udo, aliis non memoratus, suppletur:

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Chuonradus, divina favente clementia rex. Si loca sanctorum divino cultui consecrata, in quibus Redemtori omnium jugiter laudes assiduae ac crebrae celebrantur excubiae, congruis honoribus adornamus, et ibidem degentium ac Deo famulantium vitam, quo liberius supernae contemplationi ac Dei vacationi possint assistere, temporalibus subsidiis satagimus fulciri; non solum ipsos sanctos, quibus devotio famulatus impenditur, habebimus patronos, verum etiam omnium judicem, ad cujus laudem cuncta bona deferuntur, procul dubio promerebimur remuneratorem. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum, industria, qualiter

nos ob aeternae mercedis augmentum, et per intercessionem venerandae ac dilectae genitricis nostrae Glismuodae sancto martyri Bonifacio quasdam res juris nostri et paternae haereditatis in pago Husitin dicto et in comitatu Bardonis sitas, id est curtem Dribura nuncupatam, cum curtilibus aedificiis, familiis et mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, sylvis, forestibus, aquis aquarumque decursibus, quaesitis et inquirendis, et omnibus quae dici aut nominari possunt appendiciis, a praesenti die in proprium donavimus, ea videlicet ratione atque conciliatione, ut praefata cara genitrix nostra a praedicti martyris coenobio in pago Loganacgowe appellato, in comitatu Ottonis fratris nostri loca, quae vocitantur Miltui, Altinchirihha, Mertineshusa, Liunia et Niunchirihha cum curtilibus aedificiis, ecclesiis, mancipiis utriusque sexus, terra Salica, cultis et incultis, agris, pratis, campis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quaesitis et inquirendis, omnibusque rebus ad eadem loca rite pertinentibus, ad dies vitae suae e contra in proprietatem accipiat, et post vitae suae discessum in jus et dominium ejusdem coenobii redeant. Jussimus quoque hoc praeceptum inde conscribi, per quod hujusmodi factum in omnibus et per omnia confirmavimus, decernentes et statuentes, qualenus abba saepe dicti monasterii talem inde ulterius in praedicta coadunatione teneat potestatem, sicut et de aliis rebus, quae antiquis temporibus ad eundem locum pertinere videbantur. Et ut hoc confirmationis et largitionis nostrae praeceptum firmum stabileque permaneat, manu nostra subtus illud firmavimus, annulique nostri impressione insigniri praecepimus. Signum domini serenissimi Chuonradi regis. Salomon cancellarius ad vicem Piligrini archicappellani recognovi. Data Kal. Jul. anno incarnationis Domini 912. indictione 15, regnante gloriosissimo rege Chuonrado anno primo. Actum Franconofurt in Dei nomine feliciter. Amen. A. 918.
Bardonem illum esse non repugnem, quem Conrado regi faventem Henricus dux Thuringia ejecit a. D. 913, matrem tamen ejus in Saxonia nostra circa Leinam fluvium, non Eimbeka procul, opima praedia habuisse, notavimus illic.

11. Conradum fuisse virum magnum et virtutibus non minus quam dignitate illustrem, inter veteres convenit. Laudatus est non fictis elogiis, cum nulla adulandi causa superesset, et reges adversae factionis imperarent. Witikindo tantum non hostem professo tamen habetur vir fortis et potens, domi militiaeque optimus, largitate serenus et omnium virtutum insigniis clarus; Luitprando vir strenuus, bellorum exercitio doctus. Henricum fraude mala aut veneno tentare voluisse, ne Hattoni quidem tuto imputatur; quanto minus Conrado. Jucundum fuisse inter amicos, ut ex Sangallensi hospitatione intelligimus, laudi ducet aequus aestimator. Magnae et prudentiae et virtutis fuit, ex domo non regnatice principem inter saevas tempestates clavum recte tenuisse et, quanquam ingruentibus barbaris, tantos aemulos partim vi et terrore, partim clementia et arte superasse; ut non dubitem, si vixisset, etiam Lotharingos recuperaturum fuisse.

A. 918. 12. Sed supra laudem est animi magnitudo, qua principi tantum non hosti, certe vix reconciliato, amore rei publicae sceptrum deferri suasit moriturus. Cum omnes scriptores in ea re uno ore consentiant, dubitandi locus non est. Apud Witikindum vocato ad se Eberardo ita locutus fertur: *Sentio, frater, me vitae stationem diutius tenere non posse, quem avocat supremus rerum imperator. Itaque tempus est, ut tibi et Francorum regno consulas. Sunt nobis opes et arma et regales ornatus et quicquid ad regnandum poscitur, praeter fortunam et mores; quibus vides Henricum praestare, in quem etiam post fata mea populorum favor verget, tibi parum secundus. Si me audies, habebis quietem et dignitatem; sin minus, te pariter et rem publicam pessundabis. Itaque vade age, et regni insignia ad Henricum defer, diadema gemmis grave et sceptrum et lanceam sacram et armillas aureas cum chlamyde et veterum gladio regum.* Frater in lacrymas effusus, se vero obsecuturum spopondit. Luitprandus alios quoque proceres affuisse scribit, regemque eos hortatum, ne praepostera ambitione consilia salutaria turbarent. Idem tradit et Ditmarus et prior continuator Reginonis, vocatis ad se fratribus et cognatis suis, majoribus scilicet Francorum, ultimam voluntatem suam de successore aperuisse. Ex quo intelligitur, non unum Eberhardum fratrem reliquisse. Otto, paulo ante nominatus in diplomate, superstes esse potuit. Sane credibile est, mandata non uni Eberhardo data, cujus in arbitrio non erat, quem Germani regem haberent. Ita septennium Conradi impeditissimum absolvimus, spatio exiguum, sed transitu rerum et diffusa in posteros sequela magnum.

13. Lanceam sacram an anticipationis errore nominaverit Witikindus, oblitus, Henrico successori demum ex Burgundia, allatam an aliam quandam solennem intellexerit (ut sacrum palatium dicebatur), qua jam olim, credo, cum gladio rex in solennibus armari videbatur, haud definierim. Gladius antiquorum regum Caroli Magni credi potuit, uti nunc quoque creditur, qui inter insignia imperii Noribergae ostentatur, cui insculptum: *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.* Sed pomum manubrii rotundum ex uno latere aquilam simplicem, ex altero leonem ostentat cauda bifurcata in altum levata, Bohemiae signum, unde Caroli IV. jussu pomum certe fabricatum recte cum Aenea Sylvio conjiciemus. Gladio Martis, terra eruto, sese olim Attila jactabat. Carolo Magno suum ab angelo allatum credi volunt.

14. Balduinus II. comes Flandriae vivis excessit 4. Non. Febr. et Blandinii sepultus est; quidam biennio anticipant ejus mortem. Ex Edelreda, Eduardo Anglorum rege nata, filios habuit Arnulfum et Adolfum: ille Flandriam, hic Bononiam. Morinorum cum Tervanensi comitatu et S. Bertini abbatiam accepit, sed hic sine liberis decessit. Fratres, si Meiero et Miraeo credimus, mox cruentam de Normannis victoriam reportarunt; sed haec paulo posteriora judico. Obiit etiam nunc demum (ex necrologio Fuldensi) Einhartus Spirensium episcopus, ut adeo erraverit, qui Lehmanno persuasit, captum erutis oculis in vinculis cum cruciatu periisse. Episcopum enim inde ab a. D. 913. in comitum captivitate haesisse, nemo, cognito illorum temporum habitu, credet. Carolus rex

Galliae capellae S. Clementis apud Compendium post Septembrem privilegium dedit, quod apud Mabilionem lib. VI. rei diplomaticae extans, ad confirmationem epocharum annotamus. *Datum indict. 7. anno 26. regnante Carolo gloriosissimo, redintegrante 21, largiore haereditate indepta 7.* A. 918.

15. Obitum Wilhelmi Pii Aquitaniae ducis notae chronicae instrumenti a Labbeo in Miscellaneis laudati referunt in annum Caroli 20, id est Christi 917. vel 918 *. Chronicon Masciacense ab eodem tomo secundo Bibliothecae editum, in a. D. 919. Sed pro 918. stat etiam Hugo Flaviniacensis abbas cum chronico Malleacensi; eumque velut medium sequimur. Masciacense Ingelbergae conjugis mortem conjungit. Boso filius antea obierat. Deprehendimus postea, etiam Mabilionem in annalibus hunc annum, re discussa, probare. Dies mortis prid. Non. Jul. Pii cognomine, credo, Wilhelmus provecta demum aetate dignus habitus est. Nam dum sanguis caluit, armis caedibusque fortis dici meruit: nec abfuit crudelitatis accusatio, cum aemulum Hugonem Bituricensem comitem, etsi deditum et clementiam implorantem, amissorum suorum dolore efferatus occidit, ejusque comitatum sibi vindicavit. Sed haec crimina tunc liberalitas in clerum abolebat. Tria certe Benedictini instituti monasteria condidit, Cluniacense, Celsiacense et Magenciacense. Sepultus est apud S. Julianum Brivatensem, ubi velut ordinem viginti quinque militum sive equitum instituerat, qui bellarent in Normannos, versi deinde in canonicos, documento chartae, quam Savaro, vir doctrina cognitus, ad Belium misit; qui hunc primum in orbe ordinem militarem fuisse statuit. Ranulfo juniori contra Ademarum favit. Ille enim ex Ranulfo Guilielmi patruo natus erat; mox filium ejus Ebalum II. ad recuperandos honores patrios armavit. Hi Pictavos sive inferiores Aquitanos tenebant; ipse Arvernos, id est superiores, regebat, potentia tamen et in reliquos extensa. Tales vulgo duces, a regibus vero, saepe etiam a se ipsis in tabulis, comites et marchiones dicebantur. Etiam Bituricenses Guilielmus habuit, sed eos rex Odo Roberto fratri concesserat. Wilhelmo in Arvernia, Carolo rege probante, successit alius Wilhelmus, ex Adelinda sorore nepos, Acfrido comite natus; cui a. D. 927. sine haerede extincto suffectus est Ebalus ille II, totamque Aquitaniam una autoritate conjunxit. Belius Wilhelmum seniorem sive Pium ad eum usque annum continuaverat; sed Labbeus in Miscellaneis juniorem eruit, qui a. D. 919. Bituricensem urbem dolo intercepit, tanquam praedecessori suo jam debitam. Sed cives se rursus vindicant in libertatem, donec Wilhelmus cum rege Rudolfo in gratiam rediit, et comitatum Bituricensem recepit a. D. 924. Wilhelmus igitur junior se Dei gratia ducem Aquitaniae scripsit; qui titulus tandem cum potentia ad Ranulfi stirpem in Ebalo II. rediit, ejusque filio Guilielmo mansit, qui Caput stuppae appellabatur; et in eadem familia ad Alienoram usque perseveravit, ultimi Guilielmi filiam, primum Galliae, deinde Angliae regis conjugem, matrem Mathildis Henrico Leoni nuptae, aviam Ottonis IV. augusti; qui ei in eodem ducatu successit, antequam ad imperii dignitatem perveniret.

*) *In cod. est:* 817. vel 818. *et mox:* 818.

A. 918. 12. Sed supra laudem est animi magnitudo, qua principi tantum non hosti, certe vix reconciliato, amore rei publicae sceptrum deferri suasit moriturus. Cum omnes scriptores in ea re uno ore consentiant, dubitandi locus non est. Apud Witikindum vocato ad se Eberardo ita locutus fertur: *Sentio, frater, me vitae stationem diutius tenere non posse, quem avocat supremus rerum imperator. Itaque tempus est, ut tibi et Francorum regno consulas. Sunt nobis opes et arma et regales ornatus et quicquid ad regnandum poscitur, praeter fortunam et mores; quibus vides Henricum praestare, in quem etiam post fata mea populorum favor verget, tibi parum secundus. Si me audies, habebis quietem et dignitatem; sin minus, te pariter et rem publicam pessumdabis. Itaque vade age, et regni insignia ad Henricum defer, diadema gemmis grave et sceptrum et lanceam sacram et armillas aureas cum chlamyde et veterum gladio regum.* Frater in lacrymas effusus, se vero obsecuturum spopondit. Luitprandus alios quoque proceres affuisse scribit, regemque eos hortatum, ne praepostera ambitione consilia salutaria turbarent. Idem tradit et Ditmarus et prior continuator Reginonis, vocatis ad se fratribus et cognatis suis, majoribus scilicet Francorum, ultimam voluntatem suam de successore aperuisse. Ex quo intelligitur, non unum Eberhardum fratrem reliquisse. Otto, paulo ante nominatus in diplomate, superstes esse potuit. Sane credibile est, mandata non uni Eberhardo data, cujus in arbitrio non erat, quem Germani regem haberent. Ita septennium Conradi impeditissimum absolvimus, spatio exiguum, sed transitu rerum et diffusa in posteros sequela magnum.

13. Lanceam sacram an anticipationis errore nominaverit Witikindus, oblitus, Henrico successori demum ex Burgundia, allatam an aliam quandam solennem intellexerit (ut sacrum palatium dicebatur), qua jam olim, credo, cum gladio rex in solennibus armari videbatur, haud definierim. Gladius antiquorum regum Caroli Magni credi potuit, uti nunc quoque creditur, qui inter insignia imperii Noribergae ostentatur, cui insculptum: *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.* Sed pomum manubrii rotundum ex uno latere aquilam simplicem, ex altero leonem ostentat cauda bifurcata in altum levata, Bohemiae signum, unde Caroli IV. jussu pomum certe fabricatum recte cum Aenea Sylvio conjiciemus. Gladio Martis, terra eruto, sese olim Attila jactabat. Carolo Magno suum ab angelo allatum credi volunt.

14. Balduinus II. comes Flandriae vivis excessit 4. Non. Febr. et Blandinii sepultus est; quidam biennio anticipant ejus mortem. Ex Edelreda, Eduardo Anglorum rege nata, filios habuit Arnulfum et Adolfum: ille Flandriam, hic Bononiam. Morinorum cum Tervanensi comitatu et S. Bertini abbatiam accepit, sed hic sine liberis decessit. Fratres, si Meiero et Miraeo credimus, mox cruentam de Normannis victoriam reportarunt; sed haec paulo posteriora judico. Obiit etiam nunc demum (ex necrologio Fuldensi) Einhartus Spirensium episcopus, ut adeo erraverit, qui Lehmanno persuasit, captum erutis oculis in vinculis eum cruciatu periisse. Episcopum enim inde ab a. D. 913. in comitum captivitate haesisse, nemo, cognito illorum temporum habitu, credet. Carolus rex

Galliae capellae S. Clementis apud Compendium post Septembrem privilegium dedit, quod apud Mabilionem lib. VI. rei diplomaticae extans, ad confirmationem epocharum annotamus. *Datum indict. 7. anno 26. regnante Carolo gloriosissimo, redintegrante 21, largiore haereditate indepta 7.* A. 918.

15. Obitum Wilhelmi Pii Aquitaniae ducis notae chronicae instrumenti a Labbeo in Miscellaneis laudati referunt in annum Caroli 20, id est Christi 917. vel 918 *. Chronicon Masciacense ab eodem tomo secundo Bibliothecae editum, in a. D. 919. Sed pro 918. stat etiam Hugo Flaviniacensis abbas cum chronico Malleacensi; eumque velut medium sequimur. Masciacense Ingelbergae conjugis mortem conjungit. Boso filius antea obierat. Deprehendimus postea, etiam Mabilionem in annalibus hunc annum, re discussa, probare. Dies mortis prid. Non. Jul. Pii cognomine, credo, Wilhelmus provecta demum aetate dignus habitus est. Nam dum sanguis caluit, armis caedibusque fortis dici meruit: nec abfuit crudelitatis accusatio, cum aemulum Hugonem Bituricensem comitem, etsi deditum et clementiam implorantem, amissorum suorum dolore efferatus occidit, ejusque comitatum sibi vindicavit. Sed haec crimina tunc liberalitas in clerum abolebat. Tria certe Benedictini instituti monasteria condidit, Cluniacense, Celsiacense et Magenciacense. Sepultus est apud S. Julianum Brivatensem, ubi velut ordinem viginti quinque militum sive equitum instituerat, qui bellarent in Normannos, versi deinde in canonicos, documento chartae, quam Savaro, vir doctrina cognitus, ad Belium misit; qui hunc primum in orbe ordinem militarem fuisse statuit. Ranulfo juniori contra Ademarum favit. Ille enim ex Ranulfo Guilielmi patruo natus erat; mox filium ejus Ebalum II. ad recuperandos honores patrios armavit. Hi Pictavos sive inferiores Aquitanos tenebant; ipse Arvernos, id est superiores, regebat, potentia tamen et in reliquos extensa. Tales vulgo duces, a regibus vero, saepe etiam a se ipsis in tabulis, comites et marchiones dicebantur. Etiam Bituricenses Guilielmus habuit, sed eos rex Odo Roberto fratri concesserat. Wilhelmo in Arvernia, Carolo rege probante, successit alius Wilhelmus, ex Adelinda sorore nepos, Acfrido comite natus; cui a. D. 927. sine haerede extincto suffectus est Ebalus ille II, totamque Aquitaniam una autoritate conjunxit. Belius Wilhelmum seniorem sive Pium ad eum usque annum continuaverat; sed Labbeus in Miscellaneis juniorem eruit, qui a. D. 919. Bituricensem urbem dolo intercepit, tanquam praedecessori suo jam debitam. Sed cives se rursus vindicant in libertatem, donec Wilhelmus cum rege Rudolfo in gratiam rediit, et comitatum Bituricensem recepit a. D. 924. Wilhelmus igitur junior se Dei gratia ducem Aquitaniae scripsit; qui titulus tandem cum potentia ad Ranulfi stirpem in Ebalo II. rediit, ejusque filio Guilielmo mansit, qui Caput stuppae appellabatur; et in eadem familia ad Alienoram usque perseveravit, ultimi Guilielmi filiam, primum Galliae, deinde Angliae regis conjugem, matrem Mathildis Henrico Leoni nuptae, aviam Ottonis IV. augusti; qui ei in eodem ducatu successit, antequam ad imperii dignitatem perveniret.

*) *In cod. est:* 817. vel 818. *et mox:* 818.

ANNO CHRISTI 919.*

Eberhardus Henrico regalia affert. Cur hic dictus Auceps. — Fritislariae rex eligitur. — An coronatus; an recte omiserit. Lex de pace publica. — An Henricus ex stirpe Carolina per matrem. — Fuit rex Francorum orientalium. — Salomonis episcopi Constantiensis obitus et quaedem de ipso. — Mira lex amicitiae inter ipsum et Hattonem Moguntinum. — Ejus scripta. Successor. — Bellum inter Rudolfum Guelfigenam regem Burgundiae et Burcardum ducem Sueviae. De hujus familia. — Burcardus se Henrico submittit. — Autoritas ducum crevit. — Carolus rex Galliae abbatiam Trajectensem Giselberto ademtam Trevirensibus restituit. Proceres in diplomate nominati. — Aliud in eam rem diploma. — Gerardus Broniense monasterium fundat. Fit monasteriorum reformator. Familia Giselberti Burgundi. — Hungari usque in Lotharingiam; Britones a Normannis vastati. — Constantinus Porphyrogenneta juvenis Romani Lecapeni fit gener eumque facit collegam. — Romanus filium collegam assumit, se Constantino praefert. Res Bulgarorum. — Discussio chronologica inaugurationis Henrici regis. — Comparatio diplomatum. — Inauguratio maturior praeferenda.

A. 919. 1. Rege sub exitum anni superioris extincto, justisque in frequente Francorum conventu persolutis, Eberhardus, sumtis regalibus ornamentis, ad Henricum contendit. Equidem si Ekkehardo Sangallensi credimus, statim arcanum iter arripuit, petitoque et dato secreti colloquii loco, chlamyde exuta, ad pedes corruit stupentis; tum coronam et sceptrum detexit, jussaque peregit. Sed credibile est, Conradum suprema mandata non occulte dedisse, neque ea diu Henricum latere potuisse. Itaque non dubitem, dum funus curatur, legatos missos. Primi dignitatis delatae nuntii aviculas captantem Henricum, ut refert Sifridus presbyter, vel, ut antiquior caeteris Godefridus Viterbiensis in versibus, et ex eo posteriores, sedentem in area, et per otium retia aviculis parantem, invenere. Inde Aucupis cognomen haesit, quod jam habet annalista noster, medii seculi XII. scriptor, et monachus Hamerslebiensis, scriptoribus nostra illustrantibus insertus. *Dictus est*, inquit, *Auceps, imo venator*. Monstrant ** hodie locum sub colle, cui Stauffenburgensis arx imposta, qua montes Harzici Hildesiam respiciunt; vulgus Henrici angulum vocat, Henrichs-Winkel. Nec tamen affirmaverim, ad hunc pertinuisse: et potuit appellatio occasionem fingendi praebere. Alius Henrici angulus in ipso Quedlingeburgo ostenditur; certe locum ei frequentatum constat, quem conjux tantopere amavit. Andreas presbyter in chronico addit etiam Humilis cognomen. Dubitatur, an simpliciter receperit oblata, et statim se gesserit regem: quin credibilius est, omnia integra conventui procerum servari voluisse: idque est, opinor, quod voluit Luitprandus, declinasse primum, mox non ambitiose suscepisse dignitatem. Eberhardi tamen amicitia gavisus est, eamque coluit, dum vixit.

2. Indicto ergo Fritislariae conventu regni, congregatis principibus et natu majoribus exercitus Francorum, Eberhardus voluntatem defuncti regis omnibus exposuit; Henricumque regem, acclamantibus populis, designavit. Reginonis continuator consensu Francorum, Allemannorum, Bajoariorum et

*) *Hinc inde Leibnitius argumenta scripsit.*

**) *Eckardus expunxit* locum sub colle — ostenditur, *quorum loco posuit:* in ipso Quedlinburgo Henrici angulum. *Idem margini ascripsit:* „NB. Dieser hildesheimische Winckel ist von einem alda aufs Radt gelegten Mörder Heinrich also genandt, wie ich gewiss weiss, habe es also nicht können stehen lassen." *Alius (fortasse Gruber) postea totam sententiam* Monstrant — amovit *delevit.*

Saxonum electum scribit. Delatum munus modeste, et, ut ita dicam, religiose suscepit, uti intelligeres, parere magis, quam petere, et solicitum futuri, sentire pondus, quod imponeretur. Invocato divino numine, dictae sunt graves orationes ab episcopis: ipse respondit, se suaque in potestate rei publicae fore; regnaturum, quando ita Deus per ipsos juberet, sed communi consilio sapientum. Tum gratiae Deo actae, fidesque novo regi data est. A. 919.

3. Coronatum scribit Ditmarus, sed unctionem episcopalis benedictionis defuisse. At Witikindus rectius, nec diadema receptum. Sane utrumque honoris auguramentum parabat more majorum administrare summus pontifex, id est Herigerus archiepiscopus Moguntinus, cujus magnae in tota re partes fuerant; regesque Francorum inde a Pipino ungi solitos constabat. Non sprevit Henricus, nec tamen suscepit, versusque ad praesulem: *Satis mihi est*, inquit, *ut prae majoribus meis rex dicar; unctio et diadema penes meliores esto*. Secuta est astantium acclamatio, qui dextris ad coelum sublatis nomen regis virtutemque celebrabant. Sed ea modestia, superstitiosorum hominum judicia non effugit. Ditmarus veretur, ne peccaverit recusato sacro ritu: nam sanctam Afram Udalrico Augustano praesuli cum alia per visum, tum binos enses ostendisse, a Petro apostolo delatos, alterum capulo carentem; eoque Henricum consecrationis expertem demonstrasse. Idem et Berno habet in Udalrici vita. Sed apud Metellum poetam Tegerseensem, et Gebhardum episcopum vitae S. Udalrici scriptorem et annalistam nostrum veterem nondum editum, et Ottonem Frisingensem episcopum, alia extat interpretatio somnii. Ensis cum capulo Henrici nostri erat; alter mutilus Arnulfi Bajoarii, qui non ex divina sententia populos regeret. Caeterum conventum hyeme actum, et primum regni annum paulo ante Martii mensis initia jam numerari coeptum, ex diplomate anni 931. dato 7. Kal. Mart. indict. 4. anno Henrici regis 13. intelligi potest. Sed sunt tabulae, quae rem gestam in provectam aestatem, imo in autumnum proferre videri possunt; itaque sub exitum hujus anni censum diplomatum agemus, quibus anni regni Germanici notantur, nam de iis, quibus annus regni Lothariensis designatur, quod serius assecutus est, simili studio agemus ad a. D. 924. Leges in comitiis iisdem latas de servanda pace publica, quod multi nobiles viri manu agerent et latrociniis indulgerent, habet continuator Reginonis.

4. Henricum ad regiam Francorum stirpem per matrem multi referunt, et Lutgarde Arnulfi caesaris filia natum volunt. Ista chronographus Saxo primus, quod sciam, ad a. D. 919; itaque antiquus est hic error. Et hujusmodi autores ob oculis habuere Nauclerus, et Botho in chronico Brunsvicensi picturato, quod secutus est Cranzius. Inde opinio in alios dimanavit, et a scriptoribus etiam Gallis in re genealogica insignibus adoptata est, Sammarthanis Buccetioque. Matrem quidem Henrici Hedwigem vocat Ditmarus; sed parum referret, quo nomine appellari deberet, si de genere constaret. Blondellus ad avum Arnulfi Ludovicum Germanicum ascendere maluit, filiamque ejus Hedwigem Ottoni duci copulat. Ita duplici matrimonio simul illustres familiae coissent, simulque Ludovicus rex Germanicus et Ludolfus dux alter alterius filio filiam dedisset, nam sororem

A. 919. Ottonis ducis Ludovico Germanico secundo nuptam constat. Blondelli sententiam nuper vir ingenii doctrinaeque non vulgaris secutus est, qui de Henrico Aucupe scripsit. Ego decora vera nobilissimae stirpi detrahere non magis velim, quam falsa tribuere. Sentio autem, quae verba Witikindus modestiae Henrici tribuit, locum habitura non fuisse, si Ludovicum Germanicum in avis numerasset. Sed maxime urget veterum silentium, Reswitae inprimis. Eane non in panegyrico tantum Ottonis Magni, sed etiam in coenobii sui originibus tam curiose referens, quae ad familiae fundatricis honores pertinent, tanti matrimonii decus praeterisset, et de genero Ludolfi filio regis non perfunctorie dicens, an vicissim generum regis filium Ludolfi ignorasset aut dissimulasset? Itaque vereor ex ipsa nominum similitudine, ne quis memoria deceptus, cum Lutgardem Ludolfi filiam filio regis nuptam legisset, permutatione facta, Lutgardem filiam regis filio Ludolfi copularit.

5. Regem Francorum orientalium non minus, quam Ludovicum et Conradum, debere haberi Henricum, etsi Saxonem ortu, recte disseruit Otto Frisingensis episcopus. Neque enim regis genus naturam regni mutat, et dudum Saxones non minus, quam Allemanni et Bajoarii, Francorum regno incorporati * erant. Et vero multa extant diplomata, in quibus sese Saxonici principes adhuc reges Francorum appellabant: quorum nonnulla suis locis attingemus. Sed nullum est documentum illustrius ipso pacto Bonnensi a. D. 921. inter Carolum et Henricum, quo ille Francorum occidentalium, hic orientalium rex nominatur: mansitque mos Germanis regibus, donec Conradus III. regis Romanorum nomen assumsit. Itaque merito illos sugillat episcopus, exteros, opinor, inprimis canonistas Italos, qui hunc et filium ejus Ottonem Magnum primos faciunt reges Teutonicorum, regno a Francis ad Teutones translato; tanquam nec Franci fuissent Teutones, nec Teutonici principes regnum Francorum tenuissent. Qui ita judicabant, Francos cum Gallis confundebant; isque loquendi mos tandem praevaluit. Sed recte Otto ad veterum formulas, Teutonicum regnum, quod hodie (inquit) Romam habere cernitur, partem esse totius regni Francorum, omnes Gallias Germaniasque complexi. Caeterum in eo lapsus est doctissimus episcopus, sive memoria sive Witikindo non satis inspecto, quod recusatam Henrico unctionem, a pontifice summo oblatam, de Romana accepit; quod aevo ipsius summi pontificis appellatio non alteri temere, quam Romano daretur. Idem ineptam quorundam fabulam attingit, sed non probat, quae apud Gallos quosdam scriptores jam ipsius aevo per ambitionem gentis invaluerat, Henricum, vivente primum Conrado, mox etiam extincto, sive Saxoniam sive ipsum Franciae regnum ex Caroli Galliae regis manu suscepisse; quod memorasse refutasse est.

6. Anno vix coepto in vigilia epiphaniae Salomon, ejus nominis tertius episcopus Constantiensis, decessit, vir genere, ingenio, doctrina, autoritate insignis. Aliquoties nobis dicendi materiam praebuit; sed plura de eo ex scriptoribus Sangallensibus peti possunt. Sangallensem, Elwangensem, Campedonensem aliasque etiam abbatias ante episcopatum

*) inserti *corr. Echard.*

tenuit et egregie ornavit. Gratia regum floruit, et quantum apparet ex subscriptionibus, cancellarii munus in aula Conradi obivit. Festivo erat ingenio; sed cum esset jactantior paulo et mordacior, principum Allemanniae virorum in se iras concitavit, ipsis exitiales, ut narravimus; sed ita, ut vir probus, quasi versa fortunae rota, quam semper obsequentem habuerat, tactus tam funesto exitu, culpam suam agnosceret deploraretque. Itaque pro more seculi Romam adiit; et poenas, a maximo pontifice confitenti indictas, a se exegit; nec diu redux supervixit. Hattoni archiepiscopo familiarissimus fuit; et jucundum erit ex Ekkehardo discere, qua lege amicitiam coluerint. Erat illis sodalitatis jus mirabile, ut alteri alterum in rebus non maximis circumvenire fas esset. A. 919.

7. Forte archiepiscopus in Italiam tetendit sub Arnulfo augusto, ut arbitror, exigendi regii juris causa: in itinere ad Constantiam divertit, ibique amantissime susceptus, pro arctissima necessitudine partem thesauri sui apud veterem amicum deposuit, ea conditione eoque omine, ut si in itinere deficeret, pro utriusque anima impenderetur. Nam quae ad animam pertinent, suis non credebat. Ipsi interim antistites Rhenum coram convivis pro vino potabant; et habebat Salomon vas aeneum egregie figuratum, in quo aqua afferebatur. Sed in conclavi cupam auream servabat: quod sentiens Hatto, pincernam quasi ex voluntate domini admonet, ut eam afferri curet. Inde cum assedissent ad cibum capiendum, vas ab amico sibi donari petiit, quo ad mensam utebatur: annuit ille, nihil de aureo suspicans. Deceptus, dolum graviore dolo ultus est. Post lapsum temporis fingit inter suos, Hattonem extinctum nuntiari; luctum simulat, reclusisque scriniis depositi, omnia quasi pro anima agit. Pecuniam numeratam in pauperes distribuit, cantharum aureum ingentem gemmis micantem in ornatum sarcophagi vertit, quo claudebantur ossa sancti, nescio cujus, quem impensius colebat. Crucem auream insignem, lapillis pretiosis distinctam, per Tutilonem monachum, anaglyptam celeberrimum, S. Gallo parat; tabulas etiam eburneas geminas, magnitudine mirabiles, quasi ex gigante elephanto profert. Eae olim ad inscribendum ceratae fuerant in Magni Caroli usus, qui ad lectum collocatas habuerat; nam Eginhardi testimonio, etiam noctu annotabat subito, quae forte memoranda in mentem venissent. Illis Salomon evangelium per Sintramnum (an Guntramnum) librariorum sui temporis principem, inscribi curat, Tutilonisque sculptura ornat, et auro gemmisque Hattonis. Haec omnia Ekkehardus suo tempore, id est seculo Christi undecimo, superfuisse testatur. Sintramni autem digitos omnem Cisalpinum orbem miratum, qui et pulcherrime et emendatissime literas duxisset; et tamen tam multa diligentiae monumenta reliquisset, ut in potissimis regni armariis obsides S. Galli codices ab ejus manu ostentarentur. Reversus ab Italia Hatto gravis auro caeterisque divitiis, intellecta fraude, haud perfunctorie indignatus, ne aspectum quidem sodalis admisit; donec intellexit, pleraque thesauri conservata. Et in reliquum satisfactio promissa est; quam tamen nunquam obtinuit, et quod praestabat (si fas est credere) anticipati funebris officii fructum tandem mortuus tulit. Nam repetentem Salomon non

A. 919. absurde admonuerat, vivi eleemosynas salubriores esse. Et tandem haereditas defuncti fisco cessit, aliisque salutis alienae incuriosis. In hac narratione fabula tinnit. Hattonem tamen cum Arnulfo in Italiam profectum, suo loco notatum est.

8. Salomon etiam eruditione claruit, a puero invidiae aemulorum expositus, doctus ab Isone, insigni apud Sangallenses magistro, cujus glossae grammaticorum veterum editioni a Dionysio Gothofredo adjectae. Salomonis ipsius scripta complura apud Constantienses et Sangallenses extare feruntur. Juvenis composuit lexicon elegans, quod suo tempore superfuisse, scripsit Henricus Pantaleon in illustribus Germaniae viris. Quin etiamnum extare arbitror; nam sive opus, sive decerpta ex ipso, Thomas Reinesius, vir doctrina inclytus, laudet cum alibi, tum in notis ad fragmentum Petronii Traguriannm. Carmina ejusdem ad Dadonem episcopum in tomo primo antiquarum lectionum Henricus Canisius edidit; non spernenda profecto, ubi Hungarorum crudelitatem et Ludovici pueritiam incusat. Dado cujus loci praesul fuerit, non additur; ego Virdunensem fuisse comperio. Caeterum Salomoni Constantiae Notingus successit in annos quindenos; Hartmannus apud Sangallenses in quaternos. Ita Hermannus Contractus.

9. Burcardum Allemanniae ducem interea bello cum Rudolfo Guelfo Burgundiae Transjuranae rege implicatum fuisse apparet. Guillimannus Rudolfum finibus non contentum, captato turbarum tempore, Allemanniam invasisse arbitratur. Sed praelio victus est a Burcardo ad Winterduram, quam quidam Vitodurum appellant. Burcardum nuntiata Henrici electio ad festinandam pacem impulit. Et fortasse communicavere consilia; nam Rudolfus ipse memor, patrem aliquando Arnulfi majestatem coluisse, regem Germaniae, pollentem viribus et vividum aetate, timebat. Et mox a. D. 922, si Hepidanno credimus, arctius Burcardo junctus est, filia ipsius Berta ducta, post repudiatam, nescio quo colore, priorem conjugem, ex qua quidam apud Pagium Bosonem et filium tribuunt. Ex altera Conradum successorem suscepit, tum Burcardum, Rudolfum et Adelaidem, Lotharii Italiae regis et tandem Ottonis M. uxorem. Divortium Frodoardus reprehendit. Berta vidua tandem Hugoni regi Italiae nupta est.

10. At Henricus eo minus sibi cunctandum ratus, ne machinamenta solidarentur; compositis per Franciam rebus, ad Rhenum Suevosque processit. Diserte annalista noster Saxo expeditionem in Burcardum primo regni anno suscepisse; eadem in nescio quo vetere Crusius legit. Praeiit Witikindus, et comitatum ex armatis, quem rex in conventu habuerat, ad pugnandum eductum scripsit. Burcardus etsi fortissimus haberetur, et recente victoria magnam sui opinionem excitasset; tamen, ut erat prudens, extrema experiri noluit, et Henricum non Francorum tantum, sed et Saxonum et Thuringorum vires trahentem, unius Allemanniae opibus sustineri posse non putavit. Ipse regnum Germaniae sperare non poterat, nec Allemanniam per se stare posse judicabat. Sed nec suis fidebat, in quos recens et pene precarium habebat imperium; non ignarus, episcopos et abbates ad regem respecturos; et esse inter proceres gentis, qui unum eminentem aegrius ferrent. Itaque credidit, ducalem potestatem, novam

populis, non rectius quam regis autoritate constabiliri posse. Ita Burcardus se cum omni Suevia Allemanniave regi tradidit. Rex passus est, ut dux pro rege esset, resque sacras, civiles, militares unus, se absente, administraret: ita proceres sub duce futuri erant, dux sub rege. A. 919.

11. Is gradus fuit ad jus feudale novum, ut minores milites ad comitum aut aliorum procerum vexilla confluerent, et comites sub duce irent, cujus vexillum gens tota sequeretur. Simul et feuda regni milites comitis, comites ducis sui ministerio susciperent, et postremo minores majorum subvasalli haberentur. Nam feuda vexillis designari solebant. Quae Burcardo in Suevis, eadem et Eberhardo per Franciam orientalem indulta quidam putant. Sunt tamen dubitandi causae. Et plus ibi Eberhardum autoritatis quam potestatis habuisse crediderim: tantaque ducum potentia subito fuit, ut vidua etiam Burcardi secundi Hedwiga, sed Henrici Bajoariae ducis filia, Henrici regis neptis, sese imperii vicariam ferret in ducatu suo, et proceres civiles ecclesiasticosque ad conventum publicum, in Walaviso villa agendum, vocaret apud Ekkehardum Sangallensem.

12. Lotharienses adhuc Carolus tenebat, et prima erat sub rege Giselberti autoritas. Sed hoc anno dissentire coepere, et ademta Giselberto S. Servatii abbatia ad Mosae Trajectum, Trevirensi archiepiscopo restituta est. Sive insolentius se gesserit Giselbertus, sive suspectus regi factus sit ob amicitiam cum Henrico Germaniae rege. Bina extant diplomata, a Miraeo bis producta, contractius in donationum Belgicarum codice, Antverpiae a. D. 1629. edito, integrius in notitia ecclesiarum Belgii, quae anno sequente ibidem secuta est. Tenor huc redit:

Carolus divina propitiante clementia rex Francorum. Vir venerabilis Rutgerus Treverensis archiepiscopus [questus est], *quod abbatia S. Servatii, quae est constructa in Trajecto in pago Maseland, quam dedit Trevirensi ecclesiae Arnulfus rex, violentia Ragineri comitis, et filii ejus Gisilberti, a praedicta Trevirensi ecclesia jam olim esset injuste ablata. Ergo judicio scabinorum palatii nostri et attestatione fidelium nostrorum, abbatiam S. Petro et praenominato praesuli reddimus. Haec sunt nomina eorum, qui praefatum contulerunt judicium: episcoporum Wifridus, Dado, Raubertus, Abbo, Stephanus; comitum Matfridus, Sigardus, Otto, Fulbertus, Christianus, Erkengerus, Isembardus, Hungerus, Ecfridus, Ermenfridus, Walterus, item Walterus.* Sequuntur et nomina scabinorum, quae omitto. *Rathbodus notarius praecipiente domino rege Carolo hanc notitiam scripsit. Data Idibus Jun. indict. 7. anno 27. regnante Carolo, redintegrante 22, largiore vero haereditate indepta 8. Actum Heristal palatio.* Ex episcopis, qui nominantur, noti sunt Wifridus Metensis, Dado Virdunensis, Abbo Suessionensis, Stephanus Leodiensis. Ex comitibus Matfridus jam sub Arnulfo celebris fuit. Sichardi comitatus in pago Luviensi memoratus est in diplomate a. D. 915. Christianum eum esse arbitror, per quem Witikindus Gisilbertum ad Henricum regem adductum, memoriae prodidit.

13. Alterum in rem eandem Caroli diploma exhibetur a Miraeo, sed integrius a Browero in Trevirensibus, hoc fere tenore:

A. 919. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis Carolus, divina largiente misericordia rex Francorum .... Archipraesul venerabilis Trevirensis ecclesiae Ruotgerus nostrae serenitatis culmen adiit, conquerens, quod abbatiam quandam, quae est constructa super flumen Mosam in loco Trajectis, ubi requiescit corpus sanctissimi confessoris Christi Servatii, Arnulfus quondam rex, precante Ratbodo praedictae ecclesiae pridem archiepiscopo, delegaverat sancto Petro ad cathedram Trevirensem .... sed a potestate ejusdem sedis Ragnerus pridem comes violenter subtraxit, reclamante Ratbodo, et apud regem Zuendeboldum reddere compulsus est. Verum Zuendeboldo peremto, iterum a Ragnero pervasa est, ac post illum a filio ejus Gisilberto hactenus retinetur ....* [Itaque] *consensu episcoporum nostrorum et judicio comitum seu aliorum fidelium, supradictam abbatiam ... sitam in comitatu Hasbanensi ... reddi imperavimus .... Signum Karoli regis gloriosissimi. Gozelinus notarius ad vicem Ruotgeri archipraesulis summique cancellarii recognovit. Indictione 7, anno 27. regnante rege Karolo, redintegrante 22, largiore vero haereditate indepta 8.*

14. Huc et chartam refero, quae extat in notitia Miraei, qua Gerardus, consentiente patre Stantione, et fratre Widone, res quasdam suas dat ecclesiae, ubi construere monasterium, et militare cupit in servitio Dei in pago Lomacensi, in loco nuncupato Bronium, super fluvium Bornom. *Actum in villa de Bronio anno octavo Karoli regis excellentissimi.* Ascribuntur anni Dom. 918. Sed hi non consentiunt, et adjectitii videntur. Gerardus ipse abbas monasterii factus, mox Romam profectus est, et confirmationem rei gestae impetravit a Stephano papa, quam etiam exhibet Miraeus. Magnum deinde nomen consecutus est Gerardus, monasteriis passim per Belgium reformatis. Nec inutiliter hic Herivei Heduorum episcopi testamentum memorabitur (ex Labbei opere chronologico majore) de rebus collatis ecclesiae S. Nazarii Augustodunensis, *prid. Kal. Nov. ind. 8. post obitum domni Odonis quondam regis, regnante Carolo glorioso rege.* Firmatur donatio ab Hermengarda comitissa, matre episcopi, et tribus caeteris filiis, Walone, Gilleberto et Manasse. His postea cum Rudolfo rege et Hugone principe Francorum plurimum negotii fuit.

15. Hungaros quosdam in Lothariense regnum hoc anno irrupisse, Frodoardus in chronico scribit. Suspiceris, Arnulfo, intellecta Conradi morte in Bajoariam regresso, comites conductoresque venisse, et levitati armaturae suae ac pernicitati equorum fisos, in longinqua procurrisse. Normanni Britannos refractarios graviter perculere. Alanus Dolensium et Berengarius Rhedonensium comes imperium detrectabant. Cum sese locis munitis inclusissent, regio vastata est. Digressis Normannis, Britones vices reddere audent: sed acerrimo praelio plerique periere. Normanni in ipsa Aremoricae extrema penetrantes, quod cornu Galliae appellabatur, incolas plerosque delent, aut in servitutem abstrahunt. Berengarius malis domitus, deditionem fecit, et servatus est; Alanus, desperatis rebus, in Britanniam majorem transfretavit.

16. Constantinopoli, dissentientibus principis matre et tutoribus, Romanus cognomento Lecapenus, natione Armenus, humilis ortu, sed

classis praefectus, necessarius nonnullis visus est tuendae adolescentis autoritati, in quem passim conspirabatur. Ita in aulam irrepit, filiae Helenae cum principe nuptias paciscitur, Constantinum in potestatem redigit. Zoe augusta insidiarum in Romanum accusata, pellitur; Romanus caesar renuntiatur. Nicolaus patriarcha coronam ei imponit; mox et filius Christophorus collega assumitur. Eo denique processum est, ut Constantinus, cujus gratia illi in sublime ascenderant, postremo loco nominaretur. Romanum ex classiario milite ad summum decus non fortuna tantum, sed et fortitudo extulit. Luitprandus, cujus pater ad eum ab Hugone rege mox missus fuit, narrat, navalia stipendia merentem a praefecto classis caeteris facile praelatum fuisse. Forte in Saracenos exploratum profectus, sono audito, credidit, insidias in quodam arundineto latere. Itaque Graecum ignem injici jussit. Tum leo exiliit, et circumeuntem cum socio Romanum invasit. Alter semianimis concidit; Romanus pallium hosti objicit, quod dum leo pro homine discerpit, ipse hunc totis viribus a tergo inter clunium juncturas ense percussit, et dissociatis cruribus cadentem confecit. Ita cum clarus haberetur, a Leone augusto classi praefectus est, dum Phocas domesticus terrestribus copiis praeesset. Inter hos deinde sub infante caesare aemulatio fuit. Romano praelato, Phocas in ipsa cum Bulgaris pugna nuntium ingratum accipiens, victoriam, quam in manibus habebat, sponte omisit, receptuique cani jussit. Inde fuga Graecorum et clades. Ipse in urbem reversus palatiumque armis tentans, deseritur a suis, captusque luminibus orbatur. Romanus primum Basileopatoros novam dignitatem nactus, et (si maledico scriptori credimus) etiam Zoes concubitu potitus est. Inde caesar et augustus renuntiatur. Haec Luitprandus; sed Graecis scriptoribus magis fido, qui nihil tale de Zoa, neque de Phocae cum Bulgaris praelio habent. Illud memorant, Leonem Phocam dignitate magistrum, id est consiliarium intimum, robore et proceritate spectabilem, Romanis exercitibus praefectum, contractis undique copiis ad tyrannidem aspirasse; et ad Chrysopolin e regione regiae urbis castra metatum, ea re Romano classis praefecto et jam in aula potenti, summam autoritatem accelerasse. Hunc enim unum habebant amici caesaris pueri, quem opponerent ingruenti Phocae. Itaque literae imperatoris ad exercitum mittuntur, quibus abdicatur Phocas, Romani fidelitas commendatur. Ita Phocas a suis deseritur; Romanus primum ad magistri, deinde ad patris appellationem provectus, a caesare postremo collega renuntiatur. A. 919.

17. Luitprandus rem ita narrat, quasi eodem quidem, quo pater caesaris creatus est, anno, Helenam filiam adolescenti desponderit; sed altero post vix impetrarit, ut rubricatarum pellium caligis, more imperatorum uti liceret. Tertio demum ridiculum se haberi questum, cui sola in pedibus dignitas appareret, capitis diadema obtinuisse. Sed rectius Graeci, eodem anno, cum filia in paschate augusta coronata fuisset, mox in ipsis Christi natalitiis vel paulo ante, augusti honorem a genero tulisse. Nicolaus patriarcha coronam ei imponit, mox et filius Christophorus collega assumitur, et eo denique processum scribunt Graeci quidam, ut Constantinus, cujus gratia illi in sublime ascenderant, postremus haberetur. Ego

A. 919. tamen in diplomate quodam Casinensibus dato post Romanum quidem, sed tamen ante Romani filios nominari reperio. Nec de Bulgaris recte Luitprandus. Hi enim biennio ante sexta die Augusti, Simeone regnante, Graecos jam victores, sed fortuna male usos, versa vice in fugam verterunt. Simeon, memorante eodem Luitprando, puer Constantinopoli Demosthenis orationibus et Aristotelis syllogismis operam dederat: deinde monachi habitum sumserat. Sed mox aperto ad regnum aditu, sceptrum cucullo praetulit. Itaque ridiculo scriptori cum Juliano apostata comparatur.

18. Henrici regis inaugurationem in vernum tempus retulimus. Labbeus non indiligens in chronologia annos ejus a Julio mense computat. Nuper vir doctus, inspectis tabulis authenticis, conclusit, hoc certe anno ante 16. Kal. Octob. regnare non coepisse. Sed cum in illis ipsis tabulis sit lapsus aliquis, qui neque authenticis semper deest, ad plurium monumentorum veterum collationem venire visum est, ut certius aliquid de Germanici regni epocha constituatur; nam de Lothariensi dicemus ad a. D. 924.

Tabulae Henrici regis Germaniae, datae

quibus	mense	anno Christi	indictione	anno regni
	Kal. Januar.	919	8	0
	Kal. Januar.	920	9	1
pactum Bonnense	2 Non. Nov.	921	10	3
Corbejensibus	10 Kal. Mart.	922	11	3
	Kal. Januar.	923	12	3
		924		
		925		
		926		
Horvordensibus	15. Kal. April.	927	15	9
				male 7
reginae	16. Kal. Octob.	928	2	10
		male 929		
		929		
		930		
Werdinensibus	7. Kal. Mart.	931	4	13
synodus Erfordiensis	Kal. Junii	932	5	14
		933		
Herivordensibus	4. Id. Octob.	934	8	16
		male 935		
Herisiensibus	5. Id. Maji }		{ 8	17
		935		male 16
Hamburgensibus	9. Kal. Junii }		{ 8	17
	Kal. Januar.	936	9	17

19. Distinximus hic indictionem ante Kalendas Septembris ab indictione post easdem, priore sinisterius, posteriore dexterius collocata.

Similiter distinxissemus annum regni, qui in diem anni Christi inaugura- **A. 919.**
tione priorem incidit ab incidente in posteriorem; si hoc loco dies inaugurationis certa fuisset, aut certe prior se dedisset. Si Corbejensibus tabulis fidi potest, inauguratio regis Henrici non fuit posterior decimo Kal. Mart. Hac hypothesi usus, omnia succedere reperio. Si modo hanc regulam teneamus, ut in casu discordiae notarum trium chronicarum, anni Christi, indictionis et anni regni, una nota dissentiens binis consentientibus cedat, nisi aliunde habeantur, quae tertiam juvent. In pacto Bonnensi, etsi male notata sit indictio nona pro decima, errorem tamen in tabula non annotavi, quia aliae plures ibi concurrentes notae praeter annum Christi, et regni Henrici ipsum annum Christi extra controversiam locant.

20. Opponit vir egregius inspectionem tabularum authenticarum, quibus Henricus reginae Mechtildi dotalitias ditiones constituit 16. Kal. Oct., quas cum editionibus diligenter a se collatas ait; ibique expresse legi testatur annum dominicae incarnationis 928. seu 929; annum regni Henrici 10. Nolo in dubium revocare compertam viri docti diligentiam, nolo etiam suspicari, additam a posteriore aliquo male sedulo unitatem ad 8. Illud repono, notas chronicas in his tabulis certae fidei non esse, quia contradicunt ipsae sibi, indictio enim adjecta secunda die 16. Kal. Octobris in annum Christi 928. incidit. Nec nunquam authenticis indubitatis errores inesse, viri docti dudum notarunt. Porro ut caeteras tabulas et nostrae et oppositae hypothesi comparemus, pactum quidem Bonnense utrique conciliari potest. Nostrae hypothesi liquido favent Corbejense, Herfordiense prius, Werdinense, Hamburgense; et inprimis synodus Erfordiensis, eo dignior fide, quod non privati documenti, sed publici monumenti autoritatem habet. Opposita hypothesis ne unum quidem diploma habet, quod non aeque faveat ac repugnet; in binis enim reginae et Herfordiensi posteriore annus Christi, in Herisiensi annus regni, quem hypothesis nobis opposita praefert, ab indictione impugnatur. Itaque hypothesin nostram multipliciter praevalere debere, quodam velut calculo constat, statuendumque est, Henricum regem anno Domini 927.* mature inauguratum fuisse; cum etiam rei publicae necessitates longam moram haud tulisse videantur.

ANNO CHRISTI 920.

Arnulfus dux Bajoariae ad regnum Bajoariae aspirat, sed ab Henrico in ordinem redigitur. — Potestas ei tamen magna concessa, etiam in episcopos. Jura ducum aucta. — Arnulfus apud ecclesiasticos male audit. — Provinciam non male rexit. — Carolus rex a proceribus deseritur, sed reconciliatur. — Invadit Franciam Rhenensem. — Giselbertus in Lotharingia ad Henricum respicit. Certamen de episcopatu Leodiensi inter Hilduinum et Richarium. — Rex et papa pro Richario. Papa negat, episcopum quendam nisi rege autore fieri debere. — Saraceni Fraxineto in Provincia occupato Alpes infestant; alii Apuliam. Normanni Britanniam minorem. — Turbae in Italia Huberti contra papam, Odelrici et archiepiscopi Mediolanensis contra Berengarium. — Hugo marchio ex Provincia Italiam tentat. — Saraceni Hispaniae victis regibus Castellae et Navarrae in Vasconiam irrumpunt.

*) 919. *corr. Eckardus.*

A. 920. 1. Arnulfus interea ab exilio in Bajoariam redierat, magno populi plausu multaque gratulatione optimatum susceptus. Is favor, si Luitprando credimus, animum ad majora dedit, ut etiam regnum speraret; Bajoariique et Orientales (id est Austriaci), eodem memorante, hoc vehementer expetebant, sive invidia in Saxones, sive quod non semel proprio rege usi fuissent. Sed Henricus haec molimina celeritate sua disjecit. Hyemem apud Allemannos agens, vires in Arnulfum ex omni regno contrahebat. Atque huc pertinet, quod Crusius observavit, regem secundo regni anno in Hegoviae villa Siginga fuisse. Primo ergo vere transmisso Lyco amne, in Bajoarios movit. Witikindus Arnulfum viribus imparem, sese Reginesburgo inclusisse, ibique obsessum scribit: Luitprandus, obviam processisse, et rem ad praelium spectasse. Illud constat, venisse ad colloquium partium duces, Henricumque ad divinam voluntatem et populi judicium provocasse: Arnulfum, magis necessitate quam oratione persuasum, rem ad suos retulisse, et ex eorum sententia se cum omni regno suo regis fidei permisisse.

2. Ita Arnulfus, ut Luitprandi verbis utar, Henrici regis miles efficitur, et vicissim potestatem accipit in omnes Bajoariae episcopatus, ut successores defunctis dare posset; eo scilicet jure, quo antea reges solebant. Etsi enim hi judicium cleri et populi non omnino spernerent, poterant tamen dissentire ex causa, et negare dignitatem electo, et tantum non commendare, quem vellent. Unde consequens erat, ut facile alium surrogarent; eaque potestate, florentibus in Italia Francorum rebus, etiam Romae utebantur. Assensus autem et investiturae, id est traditionis, signum erat annulus, quo desponsabatur episcopus ecclesiae, et baculus, quo potestas in plebem conferebatur: ac tum demum ordinatio electi comprobatique praesulis peragebatur. Porro data duci tanta in episcopos potestate, haud dubium est, multum et in comites concessum, quod durabilius, magisque increvit; paulatimque eo pervenit, ut duces milites regum, comites milites ducum haberentur. At jus in episcopos non duravit ad posteros. Diserte enim Ditmarus, cum post varios virtutum ornatus vitam finisset, nulli successorum tantum honorem relictum, sed solos reges summi rectoris vice caeteris pastoribus praeesse: quanquam et Henrico Leoni postea aliquid simile indultum constet bulla aurea peculiari, sed tantum in quosdam ducatus Saxoniae episcopatus. Foedus ducis cum rege nuptialibus sacris firmatum, et Gerbergam, Henrici filiam, Arnulfi *filio* nuptum traditam, Aventinus prodit, nescio quo autore. Quodsi pactas nuptias concedamus, perfectae non fuere; Gerbergam enim Giselberto postea nuptam constat. Neque Jutham filiam Arnulfi filio regis Henrico jam tum promissam, quod idem tradit Aventinus, verisimile est; cum Otto natu major jam adesset, cujus cura prior esse debebat.

3. Arnulfus concessa in episcopos et clerum potestate intemperantius usus creditur, et viris militaribus passim ecclesiastica praedia concessisse; unde nactus est Mali cognomentum. Metellus Tegernseensis, S. Quirini monachus, in Quirinalium carmine scribit, monasterio maxima latifundia a majoribus data, diu inviolata perstitisse,

Cum tandem magnus violavit templa tyrannus. A. 920.

Arnulfum mox nominat, qui nonnisi mansos ei centenos et quaterdenos reliquit. Nec mirum est, maximos hactenus reges et late potentes supra avaritiam rapinasque fuisse; mediocrem autem principem, in locum eorum subintrantem, suae suorumque cupiditati succubuisse. Certe Otto Frisingensis episcopus, cujus judicium (etsi haud affectuum hic expertis) non temere spernas, Arnulfum ecclesias et monasteria Bajoariae destruxisse, possessiones earum militibus distribuisse, memoriae prodit.

4. Caeterum Arnulfus qualiscunque in clericos, certe provinciam strenue defendit; urbes ejus ornavit, Ratisbonam, cujus pomoeria Arnulfus imperator protulerat, moenibus cinxit, opusque, distributum in proceres, acceleravit. Inde ad Dingolfingam, oppidum inferioris Bajoariae in Isarae ripa concilium gentis convocavit, si Aventino fides. Affuere Hildebertus Salisburgensis archiepiscopus, Isengrinus Ratisbonensis episcopus, Gerardus Patavensis, Wolframus Frisingensis, Nithardus Sabonensis. Ibi reddita sunt multa, quae ecclesiis vitio temporum detracta erant; disciplina etiam sacra restituta est. Plura de Arnulfo dicemus ad a. D. 937, quo decessit.

5. Dum Henrico omnia ex sententia procedunt, Carolum tempestas concussit. Cum apud Suessiones esset, sub initium anni, ut arbitror, omnes eum Franciae proceres deseruere, quod unius Haganonis omnia consilio ageret, quem ortu mediocrem ad summam potentiam extulerat. Ita Frodoardus. Is certe color ambitioni sumtus est ab indignantibus, regem, ingenio simplicem et occupantibus obnoxium, reperisse hominem fidum neque suspectum, cujus consiliis sustentaretur. Ajunt, Carolum, pace Normannica parta, quasi solutum curis, laxasse animum et negotia in Haganonem rejecisse. Ademarus, a Frodoardo dissonus, apud Suessiones in ipso motu Hugonem quendam comitem monuisse caeteros scribit, ut civile bellum caverent; nam Aquitanos et Lotharienses pro Carolo staturos. Ita inducias coisse in annum, rege meliora pollicente. Sed Frodoardus narrat, caeteris dilabentibus, unum Heriveum Remensem archiepiscopum per septem menses regem suis opibus fovisse tandemque principibus reconciliasse.

6. Simul indicta est in Henricum expeditio, renovatae fidei pignus; sive quod Carolus ex morte Conradi spem redintegrandi Francorum imperii concepisset, sive quod Henricus Belgicae repetendae voluntatem ostendisset. Et Carolus per arma occupaturus proceres, novas ambitiosis spes dabat ex alieno crescendi, si successus affuisset. Itaque cum exercitu in pagum Wormatiensem, adulta jam aestate, irrupit; atque hoc est, quod habet Hermannus Contractus Canisii, Carolum in Franciam (nostram scilicet seu orientalem) venisse. Atque huc pertinere arbitror; quod in continuatore Reginonis anno non suo, id est a. D. 923, positum apparet, Carolum Alsatiam et Franciam Rhenensem, Moguntiam usque, sibi subjecturum, ad Paltennicheim villam juxta Wormatiam pervenisse; sed coeuntibus Henrici amicis territum, parum decore aufugisse. Credibile est, hoc Caroli motu acceleratam pacem cum Arnulfo, et Henricum

A. 920. maluisse intestino hoste mature defungi, ut in externum valentior iret. Itaque magnis itineribus a Danubio rediit ad Rhenum, et Gallo sese tempestive objecit. Cum castra castris opposita essent, Erlebaldus comes Castricensis ad regem suum contendens, a milite Henrici interfectus est. Eum excommunicaverat Heriveus ob res Remensis ecclesiae occupatas et structam ad Macerias munitionem, vicinis infestam. Mesieras hodie vocant, quam quadrimestri obsidione archiepiscopus tandem expugnarat.

7. Interea Giselbertus, dudum regi suo offensus, in apertam rebellionem erupit, sive ad Henricum respiciens et ducem se Lothariensium paterno jure ferens, cujus successionem Carolus negabat; sive regnum ipsum affectans: nam utroque sensu accipi potest, quod Frodoardus ait, Giselbertum a plurimis Lothariensibus, relicto Carolo rege, principem electum; priorem tamen interpretationem malim. Neque enim sperare poterat Giselbertus, ut inter Germaniae Galliaeque reges medius neutrique obnoxius staret. Forte tunc obierat Stephanus Tungrensium sive Leodiensium episcopus, et successorem rex Hilduinum nominaverat. Sed illo Giselbertum desciscentem secuto, mutata sententia, Richarium abbatem substituit. Hilduinus nihilosecius, annitente Giselberto, favente clero et populo, cum jurasset, habere sese nominationem regis voce factam, ab Herimanno Coloniensi archiepiscopo ordinatur. Herimannus, vim a Giselberto et ipso Henrico rege intentatam, excusationi suae praetendit. Giselbertus (an ducatu extorto) regi cum factione sua reconciliatus, Hilduinum destituit. Is irae Caroli relictus, trans Rhenum ad Henricum confugit, nec ab Herimanno citatus, ad synodum venit; accusatusque est etiam, ecclesiae thesauros secum abstulisse. Ea Carolus indignissime tulit, literasque ad Galliae praesules encyclias misit, quae extant; in quibus Hilduinus intrusionis, perfidiae, rapinae accusabatur. Sed illud maxime crimini dabatur, quod ad inimicum principem confugisset. In iisdem literis Carolus commemorat, cum quidam pestiferi viri a fidelitate sua discessissent, convocasse sese archiepiscopos sedecim sui regni; nonnullos etiam marchiones, comites optimatesque, ut tantae vesaniae obviam iretur. Hujus tanti conventus alibi mentio non est; certe magnam efficaciam non habuit. Contra Hilduinum etiam ad Johannem papam scripsit: simul effecit, ut clerus Legiensis ad eundem pro Richario literas daret, quasi Hilduinus invitis obtrusus fuisset.

8. Extant binae Johannis literae, unae ad Herimannum, alterae ad Carolum. In prioribus pontifex, regis decus sibi cordi esse, ostendit, qui Berengario gloriosissimo imperatori amicitia et sanguinitate junctus esset: simul Herimannum increpat, et cum ambobus aemulis Octobri mense, aut si metus infidelium itineri obstaret, proximis Kalendis Aprilibus Romae adesse jubet, ad rationem reddendam causamque disceptandam. Venere aemuli: Herimannum valetudo excusavit. Addit pontifex, imo inculcat (quod memoratu dignum est), juris ecclesiastici regulam ex prisca consuetudine vigere, *ne quis clerico episcopatum conferat nisi rex;* cujus scilicet approbatio post sacerdotum electionem populique acclamationem necessaria esset: neminem enim sine regali praecepto

ochiae cujuscunque episcopum creari debere. In eundem sensum ad A. 920.
olum scribens: *Prisca*, inquit, *consuetudo et regni nobilitas exigunt*,
nemo episcopus ordinetur sine regia jussione. Caeterum ostendit, in-
ta sibi esse, quae regi a Giselberto, praesertim adversa, accidissent;
quicquid a se opis proficisci possit, liberaliter pollicetur. Regi etiam
nificat, Hubertum quendam res Romanae ecclesiae per praedas et
endia violasse, neque aut a se aut a Berengario imperatore ad res
dendas et emendationem facti adduci potuisse. Itaque communione
lium exclusum esse: quod regem nosse velit, ne quem homini ex
no suo opem ferre patiatur. Quis ille Hubertus fuerit, potens, credo,
ex Umbria Tusciave, amplius inquirendum.

9. Quod iter in Italiam intutum pontifex agnoscit, ad Saracenos per-
et, qui ex Fraxineto Provinciae oppido Alpes infestabant. Itaque ad
num sequentem Frodoardus meminit, Anglos quosdam Romam petentes,
er angustias montium lapidibus obrutos periisse. Alii itineris securi-
tem multa pecunia redimere cogebantur. Luitprandus initio historiae
fert, regnante in oriente Leone Basilii filio, viginti Saracenos lintre
rvo oram Hispaniae solventes, vi ventorum in litus Provinciae actos,
ctu excensionem fecisse prope Fraxinetum villam, in confinio Italiae et
ovinciae sitam, jugulatisque incolis locum tenuisse: tum Maurum montem
oximum, dumetis consitum, munisse spinea indagine, angusto tantum
litu relicto; deinde socios domi accersisse; ex eo omnem viciniam
festam habuisse. Ajunt, hodie locum Frainetti nomine in dioecesi Fo-
juliensi superesse. Scribunt quidam, deletis a. D. 916. Saracenis, qui
a Gariliano incubarant, mox alios ex Africa in eorum locum venisse,
m inter Landulfum Capuanum principem et Graecos nova dissidia
rrexissent. Ea opportunitate usos communes hostes, Apuliam Calabriam
ntiosque vastasse, tandem etiam circa a. D. * Beneventum cepisse;
m eodem tempore Italia ab altera parte Hungarorum terrore urgeretur.
a historicus Samnii Ciarlantus Sabellicum secutus, quae ex antiquioribus
mprobata vellem. Idem notat ab aliis occupationem Beneventi in a. D.
30. differri: mihi suspecta est. Normanni hoc tempore omnem minorem
ritanniam vastant, incolis occisis vel ejectis. Tunc corpora sanctorum,
quae erant in Britannia, in varias regiones asportata sunt. Ita chronicon
. Michaelis in periculo maris, a Labbeo editum.

10. In Italia praeter turbas, quas Hubertus dabat, rebellionem
Odelricus marchio, natione Suevus, cum aliis meditabatur. Extat privile-
ium imperatoris, canonicis abbatiae Johannis baptistae de Modoëtia,
nterventu Widonis episcopi et Odelrici, quem inclytum marchionem et
acri palatii sui gloriosum comitem appellat, datum *Kal. Jul. anno dom.
ncarn. 920, domini Berengarii piissimi regis 24, imperii quinto, ind. 8.*
Sed amicitia non diu duravit. Et Odelricus in vincula conjectus, Lamberto
Mediolanensium praesuli servandus datur. At praesul occulto in Beren-
garium odio flagrabat, quod multa pecunia emunctus esset, antequam
sedem obtinere potuerat, coactus regi dare, quantum cubicularii, quantum

*) *ita Leibn. omisso numero;* c. a. D. *postea delevit Eckard.*

A. 920. ostiarii, denique quantum pavonarii et altilium custodes poscere poss
Itaque Lambertus et Odelricus capita conferunt: Odelricus repetenti n
negatur, eo colore, quod in periculo capitis esse videretur; sacer
autem nihil in cujusquam vitam moliri posset. Mox plane dimittitur,
matura tandem rebellio erumpit, [Adalberto*] marchione Eporediae parti
accedente, qui tunc post mortem Giselae filiae regis Ermengardem Tusc
Adelberto et Berta natam, in matrimonio habebat.

11. Ad hoc itaque tempus aut certe vicinum expeditionem Hugo
marchionis Provinciae retulerim, qui erat Ermengardae frater. Hunc ea
diu Italiae inhiasse, Luitprandus scribit; et vivente adhuc Berenga
cum copiis in Italiam descendisse, sed a Berengario territum ac fugat
fuisse. Rem fusius narrat Constantinus Porphyrogenneta; sed fortas
parum accurate, ut solet, certe alieno tempore, quasi post Berengarii
Rudolfi regum reconciliationem contigisset, quam omnes autores ignora
Itaque si augustum autorem audimus, tres ex Burgundia marchiones i
Italiam cum copiis venere, Hugo Tagliaferrus, frater Hugo, qui post
regnavit, et frater ejus Boso. Berengarius occurrit armatus, viisque i
sessis, nec opinantes undique intercludit. Suis interdicit, ne hostes inte
ficiant, sed captos, naribus auribusque amputatis, dimittant. Itaque duc
circumventi et fame pressi, arma abjiciunt, excalceatique et manib
evangelia praeferentes, ad Berengarium accedunt; veniam supplic
petunt, Italiam ejurant. Ita domum incolumes redire permissi, qu
fabulam sapiunt. Sub exitum anni Berengarius imperator augustus, precib
Grimaldi gloriosi comitis inflexus in gratiam carissimi auricularii s
Widonis (episcopi Placentini) abbatiolam, in Ticinensi urbe ad honor
B. Christinae virginis consecratam, Christi martyri Antonino et B. virgi
Justinae (id est Placentinae ecclesiae) concessit *13. Kal. Januar. a.*
incarn. 920 [sic corrigo ex 921.], *domini Berengarii piissimi regis 3*
imperii autem sui quinto, indict. 9.

12. Abderramen ex Corduba califa Saracenorum, milite ex Afric
conducto, Ordonium Legionis et Sanctium Navarrae regem magno i
valle Juncaria praelio vincit. Ibi capti fuere duo episcopi, Dulcidiu
Salmanticensis et Hermigius Tudensis, et pro Hermigio sobrinus eju
Pelagius datus est obses, de cujus martyrio dicemus ad a. D. 925. Mau
eodem impetu protritis obviis Pyrenaeos montes superant, seque i
Septimaniam et Vasconiam infundunt. Tolosam usque penetrasse chart
a Moreto, rerum Navarrenarum scriptore producta (apud Pagium ad hun
annum) probat. Tunc Aquenses Vasconiae vastati sunt, episcopus Odal
ricus grege dissipato sese in Galliam citeriorem recepit, et Remis mo
defuncto archiepiscopo, rerum sacrarum credita illi cura est a. D. 925.

ANNO CHRISTI 921.

Henricus filius Henrico regi nascitur. — Synodus Remensis provinciae apud Tros
lejum. Diploma Caroli, in quo tempora quaedam annotantur. — Ricuinus Lothr
ringiae comes ad Henricum respicit. — Roberti ducis (postea regis) bellum cu

*) Adalberto *postea Eckardus addidit.*

lormannis. — Richardus dux Burgundiae, Bosonis regis frater, obit. Conjugis milia, quae fuit filia Rudolfi Guelfigenae regis. — Carolus et Henricus reges Bonnae conveniunt. Pactum extat. — Episcopi et comites testes. Carolus tunc Lotharingiam retinuit. — Berengarius ope Hungarorum rebelles capit, Odelricus occiditur. — Episcopus Veronensis Berengario valde addictus. Bellum inter Graecos et Beneventanos. — Bohemorum principes christiani. Monasterii Gemblacensis initia.

1. Henrico regi natum ex Mechtilde filium cognominem hoc anno, alista noster antiquus habet. Sed fabulam addit anilem ex Ditmaro, em coenae dominicae die largius potum, noctu ad conjugem multum ugnantem accessisse: diabolum mox rem nescio cui bonae matronae didisse, et conceptum filium sui juris fore jactasse. Illam rem ad inam retulisse; quae ex eo operam dedit, ut semper episcopos aut sbyteros secum haberet, donec partus editus et baptismo ablutus esset. diabolus elusus, increpita matronae garrulitate, praedixit, tamen non ore ex hoc puero discordiae fomenta. Verba annalistae ex alio descripta, paret, qui Henrici Sancti tempore vixit. **A. 921.**

2. Carolus anni initio apud Laudunum egit; et extant diplomata ad Miraeum in Notitia, unum intercessione Isaaci et Haganonis comitum, erum Ingelrami illustris comitis interventu, Mariculensis (in Hannonia) nasterii fratribus data *8. et 9. Idus Januar. anno ab incarnatione mini 921, indict. 9, palatio Lauduno.* Inde synodo Remensis provinciae it, apud Troslejum praesidente Heriveo actae, ubi Erlebaldus comes per occisus, intercessione regis a vinculis excommunicationis solutus . Rex cum exeunte Februario Compendii ageret, praeceptum coenobio Mauri Fossatensis dedit, apud Labbeum in chronico technico ad hunc num. Ibi Carolus Rumaldum abbatem consanguineum suum ex parte nitricis suae Adelasiae appellat, et Begonem ejusdem genitricis suae avum tempore Ludovici Pii imperatoris monasterium illud restaurasse serit, adeoque monasterium sancti Mauri in pago Andegavensi super gerim fuisse a fratre suo Carlomanno subjectum coenobio Fossatensi, unum essent et sub uno gubernarentur abbate. Unctum se fuisse in gem quinto Kalendas Februarii, et ejusdem mensis quarto Idus celendum esse anniversarium conjugis suae Friderunae; orandum pro omni ole sua et pro comite Haganone sibi bene fideli, etc. Haec legitur bscriptio: *S. Caroli gloriosissimi regis. Gauzlinus notarius regalis cti, vice Rogeri archiepiscopi recognovit. Datum 10. Kalendas Maji l. 8.* [seu potius 9.] *anno 29. Carolo rege gloriosissimo regnante, redintegrante, et largiore indepta haereditate 10. Actum Compendio alis sedis palatio f. A.*

3. Appetente deinde aestate, Carolus in Ricuinum Lothariensis ni comitem, suspectum et refractarium, movit, eique aliquot castella orsit. Is esse videtur, cujus caedem a. D. 923. memorabimus. Sed n Henricus rex in auxilium Ricuini venisset, jamque res ad praelium ctaret, episcoporum studio induciae usque in Martini festum placuere. Carolus ad montem Lauduni rediit, dum Henricus ad Rhenum rem licam ordinabat.

A. 921. 4. Normannos interim victis Britonibus insolescentes Robertus in compescuit, et per quinque menses in munitione ad Ligerim claus obsedit; tandem acceptis obsidibus pacem dedit, et cum Britannia, qua vastaverant, etiam Nanneticum eis pagum concessit, cum jam radic magis magisque apud eos ageret Christi fides. Sed et Bajocensem tractu paulo post obtinuere; Nanneticum autem pagum cum Britannia rurs tandem amisere.

5. Interea Richardus dux Burgundiae vel, ut Frodoardus loquit marchio de Burgundia, obiit, Bosonis, qui se regem tulit, frater, semp fidus suis regibus, ipsique inde fratri inimicus. In basilica S. Columb apud Senones sepultus est Kalendis Septembris, ob fidem et pacis jus tiaeque studium dictus est raro elogio Justificator vel, ut alii enuntia Justitiarius. Ex Adelaide, sorore Rodulfi Guelfigenae, primi Burgund Transjuranae regis, tres filios habuit, Rodulfum, qui mox regnavit ap occidentales Francos; Hugonem, quem quidam, ut a caeteris distinguat Nigrum appellant; et Bosonem, comitem in Burgundia superiore si comata, ut ait chronicon S. Benigni, Hugonem appellans Capitonem, inferioris Burgundiae ducem. Lazius in migrationum opere chart exhibet, visam sibi apud Cluniacenses: sed quaedam Guillimannus Habesburgicis integrius exhibuit in hunc sensum: *Ego Adelais comiti do per praesentes in dominium et providentiam Oddonis venerabi abbatis et fratrum* [Romani monasterium in pago Waldensi, nunc Be nensis ditionis] ..... *pro Dei amore et sanctorum apostolorum, dei pro anima germani et dulcissimi mei domini Rudolfi regis, harum videl rerum largitoris; tum vero pro requie domini mei piae memoriae Richar ac pro Willa regina; dehinc pro me et domino Rudolfo rege, filio me et item Rudolfo, nepote meo* [ex fratre], *pro aliis quoque filiis meis, Hugo Bosone et Ludovico nepote* [quis ille?], *sed et pro caeteris consanguin nostris* .... In fine tandem habetur: *Adelahis comitissae, regiae mat signum, Luceurrae* (corruptum) *filiae Rodolfi regis signum, Hugonis comi signum, Rodolfi filii Ludovici imperatoris* (orbi scilicet) *signum. Dat. Kal. Jul. anno quinto regnante Rodolfo gloriosissimo rege* (filio scilic Adelaidis) *ind. 1. Actum in villa Bonalacu.* Mortem Richardi ruina Caro velut subtracta columna, secuta est; nam filius Rudolfus, Roberti per E mam conjugem gener, in paternas opes non pari moderatione successit.

6. Cum tempus constitutum appropinquasset, Carolus et Henric prope Bonnam oppidum supra Coloniam Agrippinensem in medio flumi congressi sunt, et foedus pacis amicitiaeque percusserunt. Ejus vet documentum in capitularibus extat, in hunc sensum:

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, divina propitiante clementi anno dominicae incarnationis 921. [sic enim legendum est], *anno ver regni domni et gloriosissimi regis Francorum occidentalium Karoli 2 redintegrante 24, largiore vero haereditate indepta 10, indictione 1* [sic legendum] *anno quoque regni domni et magnificentissimi regis Fran corum orientalium Heinrici tertio, pactum amicitiae et societatis exord sumsit* .... *Convenerunt enim ambo illustres reges, sicut ultro citroq*

mmeantibus legatis convenerat, 2. Non. Nov. feria prima. Domnus enim A. 921.
rolus super Rhenum flumen ad Bonnam castrum, et strenuus Henricus ex versa ripa, alter in alterius conspectu fuere, ut sacramentis legatorum tisfieret, qui conventuros ea die polliciti erant. Feria deinde quarta, ptimo Idus Novembris uterque ad navem applicuit, quae in medio Rheni achorata stabat. Ibi talibus juramentis pacem sanxerunt: Ego Karolus vina propitiante clementia rex Francorum occidentalium, inde ab hoc mpore ero huic amico meo regi orientali Henrico amicus, sicut inter nicos jus fasque est, quantum sciero ac potero, si ille mihi eadem juret rvetque. Sic me Deus adjuvet, et istae sanctae reliquiae. Econtra rex Hencus eandem promissionem iisdem fere verbis sacramento prosecutus est.

7. *Haec sunt nomina episcoporum et nobilium ac fidelium laicorum, ui pactum regum collaudando acceptaverunt, et manibus suis per sacraenta firmaverunt. Episcopi ex parte domni regis Caroli: Herimannus rchiepiscopus Agrippinae, quae nunc Colonia appellatur, Rodgerus archiiscopus Trevirorum, Stephanus praesul Cameracorum, Bovo episcopus atalaunensium, Baldricus Trajectensium episcopus. Haec nomina comitum: Iatfredus, Erkengerus, Hagano, Boso, Waltkerus, Isaac, Ragenbertus, heodricus, Adalardus, Adelelmus. Episcopi ex parte regis inclyti Heinrici: Ierigerus archiepiscopus Moguntiacorum, Nithardus episcopus Mimmoernoferdae, Dodo episcopus Osnebroggae, Ricaudo episcopus Vangionum, uae nunc dicitur Wormatia, Hunwanus episcopus Padebornensis, Notingus iscopus Constantiae Allemannicae. Haec sunt nomina comitum: Evrarus, Chonradus, Herimannus, Hato, Godefredus, Otto, Herimannus, Cobbo, agenhardus, Fridericus, Foldac.* Hactenus verba pacti. Ex comitibus aroli noti sunt Matfridus, Hagano, Isaac, Waltgerus, Theodericus. In Henrianis Eberhardum ejusque consobrinos Conradum et Herimannum agnoscas. obbonem filium ejus putem, qui suo Arnulfo occurrit a. D. 890. Ipse hothum hiatboldum habuit, a Tancmaro, regis Ottonis fratre rebelli, occisum. Gotiid comes, Otto comes in Fuldensibus nostris fastis ad a. D. 938. extincti meorantur. Recte notavit Sirmondus, regni Lothariensis praesules et comites x partibus Caroli adhuc stetisse. Tunc ergo provincia ex foedere apud um mansit, satisque habuit Henricus asseruisse, quae reliquerat ei Conradus. 'alluntur que adeo plerique inter Germanos viri docti, qui pacto Bonnensi otharii regnum Germaniae redditum credidere; quod factum est demum per 'aroli calamitatem. Variant scriptores in anno pacti Bonnensis; sed feria t caeterae temporis notae in hunc conspirant. Quidam pactum a Sirmondo ditum in dubium vocant, quidam et binos faciunt congressus Bonnenses, reduntque posteriore Lotharienses Henrico cessisse: neutrum recte.

8. Apud Longobardos Lambertus archiepiscopus Mediolanensium, delbertus marchio Eporediae, gener imperatoris, Odelricus comes palatii, iselbertus comes, jam aperte Berengarium regno exuere moliebantur, t Rudolfum ex Burgundia solicitabant, cum subita clade percelluntur. 'onsilia tamen non suppressa, sed dilata sunt. Veronam improvisa mnibus advenerat Hungarorum manus, quos Dursaces et Bugatus reguli lucebant. Evocatos a Berengario crediderim, etsi dissimularit: certe

A. 921. obsequentes habuit, in vindictae instrumentum. Itaque avidis prae caedisque occasionem ostendit: perduelles suos in monte ad Brix convenisse; ibi consilia perfidiae plena agitare, sed facile inopinat opprimi posse: quinquaginta haud amplius passuum millibus abess Nec mora, Hungari, duce accepto, per vias ignotas tanta celeritate i gruunt, ut nec arma induendi spatium esset. Odelricus sese virili defendens occiditur: Giselbertus et Adelbertus vivi capiuntur: sed hi ut calliditate magis quam fortitudine pollebat, cum spes fugae ade esset, abjecto baltheo armillisque aureis et omni apparatu, sumtis gr garii militis vestimentis, modico sese aere redimi curat. Giselbertus pe nudus ad Berengarium adductus, plerisque risum, principi miseratio expressit; et generose dimissus, malam gratiam reddidit, quemadmod postea intelligetur.

9. Extat Notherii Veronensis episcopi testamentum, conditum du decimo die Februarii indictione 9, quo domum, quam propriam Vero habebat, in xenodochium vertit, eique praedia complura de suo allod attribuit; idque et suae animae et animae imperatoris Berengarii prodess cupit, a quo, nullo praecedente in eum merito suo, ad hoc culmen gratui provectus fuisset. Et singulis etiam Kalendis pro anima domini Bereng senioris sui, domini amabilis imperatoris, pauperes duodecim, et in an versaria die obitus ejus, trecentos pauperes convivio excipi jubet. He visum est memoratu dignum et Berengario augusto honorificum. In hu autem annum refero, si sanus numerus indictionis. Sed ita ascript annus imperii Berengarii sextus mutandus erit in quintum. Sin muta indictione annum imperii servamus, rem in annum Domini sequente transferre oportebit. Landulfum, Beneventi et Capuae principem, h anno cum Graecis conflictatum, scribit Ciarlantus, nescio quo autor prope Ascolum concursum est, captoque Landulfo victoria in Graecor manu esse videbatur, cum Ursileo eorum stratego occiso, versa fortun Landulfus liberatus vicit.

10. Sigebertus hoc loco memorat, Zeptinaeum (popularibus Sbiti gnaeum), Bohemiae principem christianum, juste regnasse et pie vixiss Ipse recens conversum putat, quod ad patrem Borzivoium pertinet. Addi Wratislaum filium ejus etiam sanctitate praeclarum haberi. Sed Wratis laus, frater Sbitignaei et successor, filium Wenceslaum habuit, qui inte sanctos refertur. Itaque Albericus correxit Sigebertum, vel emendatiore legit. Idem Sigebertus habet, Wicbertum, circa haec tempora insignem inte Lotharienses virum, deposito militiae cingulo, monachi habitum sumsisse et monasterium Gemmelacense struxisse. Sed hac de re postea plura.

ANNO CHRISTI 922.

Synodus Confluentina jussu Caroli et Henrici. — Richarius obtinet Leodiense sedem. Hilduinus confugit ad Hugonem regem Italiae. — Privilegium ab Henric Corbejae datum; et arae ornatus. Mansi dominicales. — Henricus in pace se ad bellum parat. Milites limitanei, munitio Mersburgi. — Misna. Quedlinburgum. — De Goslariae initiis. An ibi palatium regium. — Initia fodinarum. — De Francis ad fodinas Harzicas supra Goslariam. — De Rammo et Gosa fabulae. — De

inventione fodinarum Harzicarum. — De fodinis apud Francos et Suevos. — De dialecto eorum, qui ad superiores Harzicas fodinas habitant, diversissima a vicinis. — Fodinae ibi intermissae et restitutae. — Rudolfus II. Guelfigena, rex Transjuranus, ab Italis ad regnum vocatur. — Ejus diplomata, ut Italiae regis; potestas in urbes episcopis data. Adelbertus qui et Atto. — In Gallia motus contra regem Carolum. Robertus, Odonis nuper regis frater, fit rex. — Herivaeo Remensi archiepiscopo defuncto succedit Seulfus, qui Roberto et Heriberto adhaeret.

1. In hyemem aut veris initia refero synodum episcoporum, a. D. A. 922. 22. apud Confluentes jussu Caroli et Henrici venerabilium principum abitam. Nam nuper congressos reges synodum indixisse credibile est, t aestate proxima Caroli autoritas concidit. Ibi congregati antistites octo, Iermannus Agrippinensis archiepiscopus, Herigerus Moguntiensis; episcopi autem Thiedo Wirceburgensis, Liutharius Mindanensis, Doto Osnarugensis, Richouwo Wormaciensis, Richwinus Strazburgensis, Unwanus Padebrunnensis, cum abbatibus aliisque multis sacri ordinis viris. Haec Burcardus in decretorum opere, lib. VII. cap. ult. Cui soli conservatam Confluentini hujus concilii memoriam debemus; nam Ivo eum tantum exscripsit, apud quem corrupte annus Domini 912; idque Baronius et Binius, avita chronologia, secuti sunt. In hoc concilio multa sanctae Dei ecclesiae profutura fuisse tractata, dicto loco Burcardus scribit: sed illud inprimis necessarium (si credimus), ut ne cognati jungerentur, quod incestum appellabant. Decreverunt itaque, intra sextam generationem nuptias inter christianos permitti non debere. Monachorum ecclesias episcopis subesse jubent (Burcard. lib. III. cap. 240.). Qui christianum pro mancipio vendiderit, eum homicidae aequant (lib. VI. cap. 49.). Negant decimas ecclesiae, cui semel assignatae sunt, auferri posse, etsi ager alteri ecclesiae detur (lib. III. c. 241.).

2. Circa hoc tempus Richarius Roma reversus, Leodiensem episcopatum tenuit ex pontificis sententia, qui Hilduinum eodem profectum excommunicavit. Hilduino postea datus est episcopatus Veronensis, de quo ad a. D. 927. Ita Carolo satisfactum est; qui Giselbertum iterum refractarium persecutus et Ottonem comitem (eum opinor, qui paulo ante pacto Bunnensi affuit, et mox a Rudolfo rege novo ad Henricum defecit), regnum Lothariense tota hyeme, etiam per quadragesimam, rapinis incendiisque vastavit, Frodoardo memorante. Richarium Albericus refert abbatiam S. Petri Leodiensis, a Normannis destructam, reparasse; sed et canonicos ibi collocasse; eundem altare sanctae Trinitati sacrum in ecclesia S. Lamberti posuisse; et charta sigillata testari, a Stephano antecessore hymnum de sancta Trinitate factum. Hilduinus postea ab Hugone rege Italiae, affinitate juncto, archiepiscopatum Mediolanensem accepit.

3. At Henricus per hyemem in Saxonia egit, et 10. Kal. Mart. Quedlinburgi Corbejensibus praeceptum dedit: *In n. s. et i. T. Henricus d. f. cl. rex .... Rogatu conjugis nostrae dominae reginae Machtildis, una cum prole et aequivoco nostro, nec non episcopi Adalwardi* [Verdensis], *qui legatus fuit ad nos missus ab abbate venerabili Folcmaro, fratribusque Christo in nova Corbeja militantibus, et sanctis martyribus, nostris advocatis et intercessoribus nostris, Stephano atque Vito fideliter servientibus;*

A. 922. *omnes concessiones, quas priorum regum temporibus habuerunt, concessimus: praecipue ut potestatem habeant inter se .... abbatem eligendi, et ut a nullo episcopo de dominicalibus mansis ejusdem monasterii decimae exigantur; neque a comite vel ex qualibet judiciaria potestate, coloni eorum ac liti ad justitiam faciendam, aliquo banno constringantur, sicut anteriorum Francorum regum temporibus praefato monasterio concessum fuisse, cunctis fidelibus nostris liquido patet. Et ut haec autoritas nostrae largitionis firmior habeatur, ac per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, nostra propria manu subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. Signum domni Henrici serenissimi regis. Simon notarius ad vicem Herigeri archicappellani recognovi et subscripsi. Data 10. Kalend. Mart. anno incarnationis Domini 922, indictione 10, anno autem regni gloriosissimi regis Henrici 3. Actum in villa quae dicitur Quitilingaburg in D. n. f. A.* Ex autographo sigillum Heineccius expressit. Eundem regem in nova Corbeja hortatu uxoris aram Viti martyris auro gemmisque ornasse, habet Ditmarus a nobis restitutus. Mansi dominicales (quorum saepius mentio) sunt, qui domino proprii sunt, non vasallo aut colono dati. Indominicati proprie, qui ad dominum rediere; etsi promiscue pro dominicalibus adhibeantur, Caesario Heisterbacensi in glossario „Vroynde“: est enim „Fron“ dominicum, ut „Frau“ domina.

4. Annalista noster ineditus*), quae Witikindus et Ditmarus sine temporis nota memoriae produnt, in annos non inepte digerere solet. Is in hunc refert, quod illi de studio Henrici, in muniendis quibusdam urbibus adhibito, habent. Timebat novas Hungarorum irruptiones: Slavis male pacatis non fidebat. Itaque in pace bellum meditans, non malo consilio homines audaces et promtos, sed latrociniis furtisque infames, conquirit. Hos, venia praeteritorum data, in finibus collocat, et vim fraudemque in hostes vertere jubet. Talibus suburbium Mersburgi implet, datisque armis et agris, praedam ex barbaris ostendit. Pessimi quique ingeniis animisque valent, sed causa gravantur; utiles futuri rei publicae, si per licita occupentur. Moenia etiam Mersburgi de saxo excitavit, et ex eadem materia ecclesiam ibidem struxit, quae 14. Kal. Jun. dicata est. Eam filius episcopalem fecit. Ditmarus loci episcopus, qui haec memoriae prodidit, urbem parum erudite pro antiquo Romanorum opere habet.

5. Misnae etiam initia huc refert annalista idem. Mons erat ad Albim, densis arboribus opacus, quem rivulus Misna praeterfluit. Ibi sylva excisa, urbem arcemque rex collocat, et praesidiarios imponit. Ex ea deinde Milzenos trans Albim suae ditioni subactos, censum pendere coegit, urbe eorum Lebusia sivi Libuzua capta. Gobelinus conditis ab Henrico civitatibus Quedelinburgam et Goslariam addit. Et sane priorem locum uxori in dotem datum, et adisse crebro et ornasse, apparet; donec coenobium etiam illustre ejus hortatu illic struxit, de quo suo loco.

6. De Goslaria ambigas; nam metalla ejus sub filio demum Ottone detecta scribuntur: et Adamus Bremensis Henricum III. Goslariam ex molendino magnam civitatem fecisse prodidit. Sed in eo valde deceptus

*) Saxo *corrigit Eckardus.*

est: nam Ditmarus jam sub Henrico Sancto comitia Goslariae celebrata A. 922. memorat. Locum ab Henrico III. frequentatum amplificatumque, libens concedo. Pro Aucupe autore primo stant etiam Tidericus Lange in poemate de Saxonia apud Meibomium, anonymus de landgraviis, Henricus Bodo in syntagmate Gandesiano. Conradus Botho, auter chronici picturati, ad a. D. 928. diserte: *In loco*, inquit, *ubi nunc urbs Goslaria visitur, villam Henricus I. condidit, quae a rivo Gosa nomen accepit.* Caeterum Gosa mox ab Ovacro sorbetur. Credibile est, locum venandi studio a rege frequentatum; inde casas structas. Caspar Sagittarius excerpta Goslariensis chronici, a Matthaeo Eylenbergio syndico capituli cathedralis Numburgensis, viro in his studiis versato, habuit, in quibus aedium venatoriarum mentio fiebat. Si palatium Saxoniae regium prope Goslariam arx esset Werla, in quam se Hungaris ingruentibus Henricus recepit, de quo ad a. D. 924, consentaneum foret, Goslariam a Werla crevisse, ut Gottingam a Grona, etsi utraque arx nunc ignoretur. Sed Werlam Westfalicam infra malo.

7. Sunt qui suspicantur, jam sub Henrico coepisse fodinas, quae sub Ottone filio demum ad celebritatem venere. Witikindus tamen venas argenti demum ab Ottone M. apertas scribit, quod Sigebertus refert ad a. D. 968, ubi rem attingemus. Equidem non instituerim chartae Folcmari abbatis Corbejensis, de qua ad a. D. 936, ubi prope Groningam metalla memorantur (nam ferrifodinae esse potuere, neque hujus sunt loci); narrationem tamen, quae sequitur ex chronico Amelungsbornensi, apud Engelhusium extantem, non plane spreverim. Henricus I. crebro locum adibat, qui nunc Goslaria dicitur, ursorum (qui hodie disparuere), cervorum, caprearum venatu insignem. Ibi tugurium habebat quidam Gundelcarlus, cujus hospitio rex aliquoties usus, tandem ei optionem dat, ut peteret, quae viderentur. Ille optat montem oppositum, qui Rammesberg hodie appellatur. Annuit rex, et: *Vellem*, inquit, *utiliora rogasses.* At ille conscius, quantum thesauri monte occuleretur, laetus fossores ex patria sua Franconia excivit, venasque plumbi, cupri, argenti aperuit, unde ad ingentes opes pervenit: moxque affluentibus hominibus villa primum, deinde civitas nata est.

8. Rem quasi Henrici II. temporibus actam narrat annalista Saxo ad a. D. 1009, in quo errasse arbitror. Addit, quod alibi non reperio, cum Francones Goslarienses ex metallis ditati, et insolentiores facti, Saxones injuriis afficerent spernerentque, et moniti a contumeliis non cessarent, missis a principibus Saxoniae militibus partem occisos, reliquos fugatos, et sic locum pro alienigenis Saxones habitasse; Frankenebergae nomen (ubi nunc quoque puellarum monasterium est) de veteribus incolis testari. Haec autor, qui seculo duodecimo nondum medio scripsit; et rem undecimo actam puto sub Henrico IV, cui cum Francis suis Saxones infesti erant. Addit enim autor, rem sibi relatam ab iis, qui tunc vixerant. Crediderim, pulsos sese in editiora loca interioris Harzicae sylvae recepisse, ibique detectas jam metallorum venas porro excoluisse. Ibi enim hodieque viget superioris Germaniae dialectus, toti circumviciniae ignota. At Goslariae, id est ad pedem montis, nihil incolae sermone a Brunsvicensibus distant.

A. 922. 9. Vulgo ineptiunt, venatorem Rammum dictum, uxorem ejus Gosam; ab illo monti, ab hac flumini nomen datum. Fabulam jam expressit Tidericus Lange apud Engelhusium:

Sylvae scrutator, servorum concomitator
Rammo fuit dictus, ramorum pertulit ictus.
Est mox tantillo Rammesberg dictus ab illo,
Uxor ejus Goza, nunc est ex hac aqua Gosa.

Lohneisius, fodinarum loci olim praefectus, in opere de rebus metallicis non spernendo, utriusque sepulcrum repertum, sibi persuaderi passus est. Et conjugibus istis vulgus monumentum tribuit, quod in capella S. Augustini effossum est, cujus rudera nunc in coemiterio ecclesiae S. Petri et Pauli supersunt. Visuntur in lapide scalptae viri, gladium nudum erectumque sinistra tenentis, mulierisque precantis figurae, fundatorum fortasse capellae. Et quidam inepte seduli, recentibus characteribus nomina ipsa Rammi Gosaeque insculpi curarunt.

10. Illud non absurdum, ab equo venatoris, ictu ungulae supra Pegaseam felicis, venam detectam; quemadmodum salinas Luneburgicas suillo rostro deberi fama est. Thomas Schreiberus, autor libelli Germanici de fodinarum Harzicarum originibus et incrementis, sublatis peste fossoribus per integrum decennium metallorum culturam cessasse, et a. D. 1016. a Gunthercarlo, primi inventoris consanguineo, imperatoris Henrici II. venia, cui ab aulae ministeriis erat, resumtas, ex schedis nescio quibus prodidit. Quae res in causa esse potuit, ut totius rei origo ad hujus principis tempora per errorem referretur.

11. De Francis accitis quidam dubitant. Henricus Meibomius junior dissertatione de fodinis Harzicis edita negat, Franconiae incolas unquam rerum metallicarum peritia claruisse. Si annalistam nostrum, gravem et antiquum scriptorem, vidisset, credo, scrupulos abjecisset. Quam multa temporum tractu obliterata, hominum memoria exciderunt! Argentifodinarum Sueviae meminit Walafridus Strabus in versibus, ex quibus aurum sperat, gemmam acceptam ad amicum mittit:

Argyriou albentes depromit Suevia montes,
Chrysia te vivente diu fore secula spondens.
Haec inter gemmam nec tuta valle repertam,
Gemmam lucidulam, raram, caram, pretiosam,
Transmittit proprius promto tibi pectore dulus,
Ooliab sculpsit quam Beseleelque notavit,
Quippe agathes agathos, bonus est lapis, ipse fateris.

Praeterea est inter Franconiam, terram Advocatorum, Thuringiam et Nordgoiam mons Pinifer, etiam libris propriis et carminibus celebratus; unde Moenus, Sala, Egra, Nabis amnes effunduntur. Ibi olim fodinas celebres extitisse constat. Praeterea Francorum nomine Saxonibus plerique superiores Germani censebantur. Ditissimas suae regionis fodinas mox Bohemi celebrant. Sed vix ego credulus illis; qua de re ad a. D....*

*) q. d. r. ad a. D. *postea expunxit Eckardus.*

12. Caeterum jam dicere coepi, non eos, qui Goslariensia, id est inferioris Hercyniae, sed qui superioris metalla, binis a Goslaria leucis et ultra, circa Nicolai (an Clusae?) vallem et Cellae campum et Andreae montem aliaque vicina oppida exercent, a circumjacentibus ad pedes montium populis, id est Saxonibus inferioribus, tota dialecto dissonare, et aliquid inter Misnos Franconesque medium spirare. Id vero, nondum expenso annalistae Saxonis loco, non Francis illis ante tot secula adventantibus ascribere propemodum animus erat, sed his, quos Henricus junior dux Brunsvicensis, suasu ducis superiorum Saxonum Georgii, ex ejus ditionibus accivit, quando metalla superioris regionis Harzicae diu derelicta refodere coepit. Sed vix Francos accolae appellassent, quos ex Misnia venisse constabat; nec de originibus Francis constans opinio apud incolas vicinosque facile nata fuisset, atque inolevisset. Operarios interim ex montanis Misniae, Bohemiae vicinis, evocatos tunc, scimus: itaque mistum aliquid ex vetere Franconico et recentiore Misnensi medium, et Vogtlandico non absimile animadvertas. A. 922.

13. Adde, quod ipsos Misnenses olim suos metallarios ab Hercynia nostra nactos constet. Nam ante complura secula valde floruisse rem Hercyniae superioris metallicam, plurimi putei ostendunt, specusque magnis passim sumtibus effossae, sed dudum obrutae obstructaeque temporis lapsu. Ajunt deinde, incendio maximo sylvam absumtam, et pro quercubus et fagis, quibus plenae sunt antiquae substructiones, abietes natas, quae nunc illa mediae altitudinis juga tegunt. Fides sit penes narrantes: tanta in natura rei mutatio creditu difficilis videtur; et maluerim, metallorum eo tempore raritatem sumtibus suffecisse, ut durabiliora ligna ex inferioribus locis adveherentur. Interea partim lignorum penuria, partim peste aut aliis casibus operarios abactos, operaque deserta, facile admiserim. Cum vero adhuc exercerentur, accidisse ajunt, ut auriga quidam plumbum ad Bohemos vehens, vi rotae aperiret venam prope Freibergam, et notato loco, fragmentum lapidis divitis secum deferret. Comperta utilitate, operarios ex Hercynia illuc profectos, Misnensibus metallis originem dedisse. Inde multo post tempore Misnenses nobis vicem, missis metallariis, reddidere.

14. Longobardorum pars magna Berengario infensi, praecipuusque inter illos exgener ipsius Adelbertus Eporedius, alium undecunque principem quaerebant. Rudolfum Guelfigenam, Burgundiae Transjuranae regem, suggessit Bonifacius Camerinorum comes, qui sororem ejus Waldradam in conjugio habebat. Luitprandus eam a forma et sapientia laudat, et, cum scriberet, superfuisse ait, suis etiam temporibus Bonifacium marchiam Spoletinorum rexisse. Hujus ergo instinctu Itali ad Burgundum mittunt, nuper a Berengario generose dimissum, nunc fidei pactae immemorem. Rudolfus ad res domi firmandas vicini principis Allemannorum Burcardi filiam Bertam duxerat (quod in hunc annum Hepidannus refert), eoque securior, Italicam expeditionem parabat. Frodoardus viventi uxori aliam superinduxisse scribit: quis divortii color, non constat. Berta ipsa tandem Hugoni regi Italiae nupsit, et filiam Adelaidem filio ejus Lothario uxorem

A. 922. dedit. Caeterum Rudolfus, ut in Italiam venit, ab Italis plerisque receptus est, Berengariusque intra solitum Veronae latibulum compulsus. Rodulfus a Lamberto Mediolanensi archiepiscopo coronatur. Itaque jam nunc indict. decima Placentinae basilicae S. Justinae 22. Maji donationem faciens, praesente Widone episcopo consiliario suo, Italiae se regem appellat, Campio in historia ecclesiastica Placentina ex cathedrali archivo referente.

15. Consentit aliud apud Ughellum in hunc sensum: *Rodulfus divina favente clementia rex ... omnium ... fidelium noverit industria, domnum Lambertum S. Mediolanensis ecclesiae archiepiscopum, Guidonem quoque Placentinum et Benedictum Terdonensem venerabiles episcopos, et Gisilbertum illustrem comitem, dilectos consiliarios nostros, nostram adiisse mansuetudinem vice Adelberti reverendi sanctae Pergamensis ecclesiae episcopi* [ob] *urbem Pergamum hostili quadam impugnatione destructam, unde nunc maxime etiam saevorum Ungarorum incursione turbatur, postulantes, ut turres et muri civitatis reaedificentur ... Nos ergo statuimus, ... ut civitas ipsa Pergomensis reaedificetur, ubicunque praefatus episcopus et concives necessarium duxerint: turres quoque et muri seu portae urbis labore et studio ipsius episcopi et concivium ibi confugientium, sub potestate et defensione praefatae matricis ecclesiae* (S. Vincentii) *et ipsius episcopi suorumque successorum, perpetuis consistant temporibus.... Confirmamus etiam ipsi ecclesiae praecepta et cuncta instrumenta chartarum .... Signum + domni Rodulfi serenissimi regis. Manno cancellarius subsc. Data 3. Non. Decemb. anno incarnationis dominicae 922. domni vero Rodulfi piissimi regis in Italia 1, in Burgundia 11, indict. 11. Actum Papiae in D. n. f.* Ita videmus, potestatem in urbes episcopis dari coepisse. Hostilis Bergomensis urbis destructio ea est haud dubie, quae contigit Arnulfo impugnante. Similia dudum imminentibus Hungaris petiisse Bergomenses, supra annotatum est: nunc recruduit metus. Et certe Fredoardus habet, Hungaros, Berengario instigante, jam in Italiam irrupisse, multa oppida cepisse. Wido episcopus Placentinus mox iterum ad Berengarium defecit. Porro cum Eriprandus archidiaconus Veronensis donationem in gratiam incolarum castri Ceretae hoc anno fecisset, inter testes refertur Adelbertus, qui Ado (vel Atto) apud Ughellum in Veronensibus; quod observo, ut appareat, saepe plerumque haec nomina pro iisdem habita, et unum ex altero contractum esse. Azonem vel Attonem Berengario auxilia adducentem supra habuimus ex poeta panegyrista.

16. In Gallia gliscens diu rebellio, tandem emicuit. Carolus *omnia ad* nutum Haganonis agebat, etsi spem mutandi fecisset: et nuper ei Calensem abbatiam* dederat, Rotildi amitae suae, socrui Hugonis Roberto nati ereptam. Hi ea contumelia irritati, nullo jam freno retinebantur; nam et Richardus obierat, et Heriveus ipse pertaesus irritarum admonitionum, ad Caroli hostes inclinabat. Ergo Carolo ex Lothariensibus vix Laudunum reverso, Hugo paulo post pascha ad Vidulam amnem venit. Ibi apud Fimmas archiepiscopi milites et alios quosdam comites sibi adjunxit; quibuscum ad Axonam progreditur, Haganoni minitans. Carolus amico timens,

*) *in margine additur:* [Abbaye de Chelles].

cum Heriberto comite et Haganone clam Lauduno egressus, sese trans Mosam recipit: quem Hugo cum duobus armatorum millibus usque ad Mosam insecutus, obvium habuit Giselbertum Lothariensem, cum quo ad patrem revertitur, Axonae jam in pago Laudunensi assidentem. Quo comperto, Carolus, ascitis quibusdam Lothariensibus Giselberto contrariis, in Galliam transmisso Mosa redit, Remensem agrum populatur, Altmontem * castellum capit. Robertus cum suis ad Matronam vertitur, venienti genero suo Rudolfo Burgundionum duci copias conjuncturus. Carolus insecutus Matronam transit, et Sparnacum diripit. Robertus Burgundi copiis auctus, transmisso paulo infra Sparnacum flumine, tribus leucis a Carolo castra metatur. Credibile est, Heriveum et alios, effusionem sanguinis humani aversantes, a vi abstineri maluisse: apparebat etiam, Carolum sine pugna victum iri, labantibus suis, quorum plerique ad colloquia cum hostibus venere. Ita septimana sedendo consumta est. Interea Hugo Burgundus, frater Rudolfi, cum novis copiis accedit, et in ducentos ex Carolinis offendens, ex villis Remensis ecclesiae praedam agentes, tribus occisis caeteros captos, ademtis equis armisque, cum dedecore remisit. Inde Robertus Calmiciacum **, rex prope Remorum urbem venit, eamque ipsa dominica pentecostes frustra oppugnat: cum ecce trepidus nuntius advenit, Laudunum (quod tunc potissimum munimentum erat) a Roberto captum; thesauros Haganonis in praedam cessisse, fratre ejus in vincula misso. Ea re consternati, pars Lothariensium domum redeunt: Carolus cum reliquis Laudunum contendit. Robertus ad Axonam, Carolus Lauduno exclusus, ad Saram tentoria fixit: sed mox crescentibus hostibus, desertus a suis, cum Haganone trans Mosam refugit. Franci Robertum regem creant, et Remis in ecclesia S. Remigii tert. Kal. Jul. de more consecrari curant. Ab Heriveo id factum, Frodoardus non dicit, et contrarium insinuasse videri potest. Inspiciatur tamen chronicon Frodoardi Remense, addanturque, quae Mabilio ad hunc annum notavit. A. 922.

17. Heriveus aegritudine oppressus, tertio post coronatum Robertum die decessit, quarto antequam vicesimum secundum episcopatus annum expleret. Sufficitur Seulfus archidiaconus, vir non indoctus, Remigii Autissiodorensis discipulus, et jussu novi regis ab Abbone Suessionensi caeterisque provinciae episcopis ordinatur. Heribertus comes deserto et ipse Carolo caeteris se conjunxerat. Seulfus ab Herivei propinquis, Odone fratre, ecclesiae Remensis vicedomino, et Heriveo nepote, sibi metuens, Heriberti patrocinium quaerit. Unde magna deinde malorum seges. Accusat eos fidei violatae, et ad judicium subeundum vocat. Cum nec venire, nec singulari certamine cum accusatoribus decernere vellent, beneficialibus ecclesiae praediis exuuntur; et ab Heriberto capti, novoque regi adducti, Odo Parisiis, Heriveus apud Heribertum in custodia usque ad Roberti mortem servantur. Robertus interea Hugonem filium in regnum Lothariense mittit, ad Capraemontem Giselberti castellum tuendum, quod Carolus premebat. Ita obsidione soluta Hugo, acceptis quorundam Lothariensium obsidibus, ad patrem redit.

*) *in margine additur:* [Aumont]. **) [Cormi].

ANNO CHRISTI 923.

Colloquium Henrici et Roberti. — Diploma Henrici Fuldensibus datum. — Normanni in Aquitania. Qui ibi principes. — Carolus an in Aquitaniam et Alsatiam profectus. — Ricuinus Lotharingus a Bosone Burgundo occisus. Praelium inter Carolum et Robertum, ubi hic cadit. — Quaedam praelii circumstantiae. — Roberti diplomata. — Perplexae Roberti regis et Rudolfi, ejus successoris, propinquitates. — Novae perplexitates ex propinquitatibus inter Robertum ejusque filium Hugonem Album et Heribertum Veromanduum. — Autorum variationes. — Solutio nodi. — Rudolfus Burgundiae dux fit rex in locum Roberti. Burgundiae rectores Normanni pro Carolo. — Carolus fraude Heriberti capitur. — Synodus Remensis, ubi poenitentia illis indicta, qui apud Suessiones pugnarant. — Ragenoldus Normannus in Gallos. Rudolfus in Lotharingiam et Alsatiam. — Quidam Lotharingi Henricum invitant. — Errores scriptorum. De Eilberto, an Veromanduus. — Berengarius a Rudolfo Guelfigena vincitur. — Constantini Porphyrogennetae errores. — De marchionibus Spoletinorum et Camerinorum. — Berengarii uxores. — De sanguine Domini ad Augiam Divitem delato. An ex imagine Berytensi. Res Fuldenses. — De Theoderico, quem vocant primum Hollandiae comitem, et fundatione monasterii Egmondani. — Ejus genus et posteri. An inter eos Wigmannus Billinganus. — Megingaudi familia. Frisiae marchiones. Hollandiae nomen. — Udalricus fit episcopus Augustanus. Potestas ducis Sueviae. Sangallensia.

A. 923. 1. Henricum haud dubie Carolus Robertusque certatim in partes solicitabant. Roberti res potior visa, sive jure, si jus Francorum in regem agnosceres, sive fortuna, ut diis fatisque accedendum videretur. Itaque Henricus in pagum Ripuarium, Robertus in regnum Lothariorum venit. Ad flumen Ruram congressi sunt: ibi alter alterum convivio excepit, et magnificis donis coluit, amicitia pacta. Quidam etiam Lotharienses, induciis ad proximum Octobrem factis, obsides Roberto dedere.

2. Henricus Haichoni abbati Fuldensi quasdam res juris sui in Buchonia sylva, in pago Grabfeld, in comitatu Popponis infra terminum Soresdorf, et quicquid in Bertolfestat tenebat, cum curtilibus, aedificiis, familiis, mancipiis, terris, aquis, quaesitis et inquirendis tribuit. Et cum questus esset abbas, quaedam bona in australi Francia, a Carolo rege olim concessa, pene in oblivionem venisse, posteris eorum, qui in beneficium ab abbate acceperant, proprietatem sibi vindicantibus, honoremque et servitia praestare recusantibus, rex graviter minatur refractariis, abbatique potestatem tribuit, beneficium sine causae cognitione in alium transferendi. *Et hoc*, inquit, *praeceptum manu propria firmavimus annulique nostri impressione, et nominis nostri charactere descripto sigillari praecepimus. Signum Henrici regis. Ego Symon notarius recognovi* (nulla hic mentio archicancellarii). *Data 10. Kal. Jul. ind. 11. Actum Alsatio* (corruptum puto) *feliciter*. Praeceptum sumtum est antiquo chartulario Fuldensi. Hoc eodem anno (teste necrologio) Haicho decessit.

3. Interea Normanni Aquitaniam Arverniamque vastant; quibus congressi Guilielmus Arvernorum et Ragemundus Tolosatium princeps, duodecim eorum millia occiderunt. Guilielmum Labbeus in Miscellaneis non eum, qui notus est fundatione Cluniaci, sed nepotem ejus esse contendit contra Belium aliosque doctissimos viros. Nepos erat ex sorore, de quo infra ad a. D. 927. At Raymundus, filius Bernardi, nepos Raymundi fuit, qui a Carolo Calvo comitatum Tolosanum accepit.

4. Binas expeditiones nunc Carolo tribuunt antiqui autores; quas A. 923. ambas falsas censeo, quia nullum earum in Frodoardo vestigium est, non contemporaneo tantum, sed et interveniente negotiis, et minutatim Gallica memorante. Prima est Ademari et aliorum quorundam autorum Aquitanicorum, qui, Carolum secreto itinere trans Ligerim ad auxilia cienda profectum, memoriae produnt. Addunt, cum Normannorum principe, quos nuper Robertus ad Ligerim obsederat, in transitu collocutum, ut novus huic hostis a tergo oriretur; apud Lemovices in ecclesia S. Martialis totum diem precibus consumsisse. Deinde Guilielmum et Raymundum, absolutos metu Normannico et familiae regiae ob beneficia addictos, ad auxilium promtos habuisse. Ita milite Aquitano succinctum, per Burgundos in Lotharingiam ad amicos redisse, et tunc iterum in Robertum contendisse. Sed quis credat, haec tam secreto agi potuisse, ut Robertum fallerent Burgundosque ei addictos et sese haud dubie per tanta terrarum spatia venienti objecturos. Neque in pugna mox secuta mentio fit Aquitanorum. Continuator Reginonis aliam hoc anno expeditionem Caroli memorat, haud credibiliorem. Irrupisse in Alsatiam, et cuncta usque ad Moguntiam sibi subjicere conatum. Id scilicet tempestivum erat in principe, ne domi quidem se satis tuente: et quis credat, quasi deessent hostes, novum et potentem adversarium quaesisse. Itaque dicendum est, haec (ut multa alia in Reginone a suis annis avulsa sunt) ad a. D. 920. pertinere, cum Carolus, intellecta morte Conradi, ad Franciae orientalis regnum aspiraret; irrita spe, nec duratura.

5. Bellum ergo Carolus in Lotharingia simul sustinebat et parabat. Boso, Rudolfi Burgundi frater, Ricuinum in lecto languentem occidit; Lothariensem comitem interpretor, qui ante biennium adversus Carolo, nunc sive misericordia infelicis sive aemulatione Giselberti in gratiam cum eo redierit. Nihilo secius Carolus exercitum in Robertum eduxit: Lotharienses complures, etiam qui hosti nuper induciarum obsides dederant, sese comites praebuere. Malbrancus Arnoldum Flandriae comitem et fratrem ejus Adolfum Bononiae cum copiis affuisse scribit. Theodoricum etiam ex Frisia in partibus fuisse videri, mox dicam. Itaque Mosa transmisso, Attiniacum venit, magnisque itineribus Robertum, apud Suessiones Axonae assidentem, aggreditur. Huic inexpectata erat irruptio, credo, induciis fidenti; nec suos contrahendi spatium datum. Die dominica, hora jam sexta praeterlapsa, cum ea die praelium non speraretur, plurimi etiam Francorum pranderent; Carolus cum Lothariensibus Axonam transit: Robertus, armatis, qui aderant, contra procedit. Commisso praelio, multis ab utraque parte cadentibus, Robertus ipse lancea perfossus cecidit: victoria quidem penes ipsum stetit, ductoribus Hugone filio et Heriberto. Turbati tamen morte regis, Carolum cum suis fugientem persecuti non sunt: spolia rusticanis et Suessionensium suburbanis cessere. Impedimenta etiam Lothariensium in comitis Rotgarii potestatem venere, qui Laudunum adduxit.

6. Continuator Reginonis eumque secutus, emendato tamen anno, noster annalista scribunt, Carolum ipsum ori perjuro Roberti ita lanceam infixisse, ut diffissa lingua, cervicis posteriora penetraret. Sed nihil tale in Gallicis scriptoribus reperio: neque nostro credo, multa millia utrinque

A. 923. caesa memoranti; neque enim Robertus vires contraxerat, et Carolus venerat expedita manu. Ademarus, Lemovicensis chronici autor, etsi parum tutus, quaedam tamen singularia habet: atque inter alia, Fulbertum comitem Caroli signiferum fuisse. Huic, veniente Roberto, inclamasse Carolum: *Cave, Fulberte.* Fulbertum, diviso per medium cerebro, Robertum occidisse. Inde superesse proverbium: *Cave, Fulberte.* Diem praelii 17. Kal. Jul. habet chronicon breve tomo III. Quercetani cum aliis. Sed idem valde fallitur, cum Henricum Saxonum regem Carolo affuisse tradit. Sigebertus, Witikindum Corbejensem secutus, post Suessionensem victoriam Henrici opem implorasse, seque et Franciam ei submisisse, et in pignus amoris foederisque perpetui manum pretiosi martyris Dionysii, auro gemmisque inclusam, misisse prodit. Caetera concesserim; submissionem factam non credo. Gallorum chronica, sed pleraque omnià, si Frodoardum demas, a rebus gestis remota, passim errores immanes historiae aspergunt. Ademarus et chronicon S. Maxentii a Labbeo editum, et fragmentum historiae Aquitanicae tomo II. Quercetani, et autor vitae S. Genulfi, quem idem edidit Quercetanus, Ottonis Magni auxilio Carolum usum fabulantur. Hi bini scriptores cum Ademaro etiam addunt, Carolum victorem extitisse, et occisi filio Hugoni ducatum concessisse.

7. Roberti tam brevi in regno rara sunt diplomata. Unum, quod Doubletius edidit, 25. Januar. anno regni primo indict. 11. abbatiae Sandionysianae datum, Labbeus ad hunc Robertum refert. Et fateor, cum omnia propemodum et in posteriorem Hugonis Capeti filium cadere possint, huic tamen magis convenire. Nam etsi 8. Kal. Febr. indict. undecima in annum primum utriusque Roberti incidat, et posterior etiam Abbonem archicancellarium habuisse dici possit; nescio tamen, an et posteriori fuerit simul notarius Reginaldus, qui in diplomate Roberti pariter prioris et successoris Rodulfi vice Abbonis scripturam recognovit. Praeterea, quae Sandionysianum hoc diploma de hostibus et spe victoriae habet, nescio an a posteriore Roberto apte dici possint.

8. Mira hic nascitur perplexitas in Roberti regis, Rudolfi, ejus successoris, et Heriberti Veromandui propinquitatibus per conjugia involutis. Rudolfus rex Emmam, Roberti regis filiam, in matrimonio habuit, Hugonis Magni sororem, ita diserte Glaber Rudolfus. Ita etiam repertorium privilegiorum S. Martini Turonensis, ubi dicitur Perulfi villam cum aliis locis ad vitam precario more datam Immae reginae, filiae Roberti regis et sorori Hugonis, qui scilicet abbatiam Turonensem tenebant. At vicissim Hugo Magnus sive Albus Roberto natus scribitur ex filia ducis Burgundiae, atque inde haereditario jure Burgundiam petiisse et tandem filio obtinuisse. Ita Albericus ex Guidone de Bazochis. In eo tamen errat Albericus vel Guido, quod hanc Roberti uxorem filiam facit Hugonis Burgundiae ducis, quem ipse Cappatum vocat, Frodoardus Nigrum, fratrem Rudolfi Galliarum regis, sed ejus potius soror fuit, filia ducis Richardi; nam ambo Hugones, Albus et Niger, fere aequales fuere, nec alter esse potuit alterius avus. Et extincto Rudolfo rege, statim Hugo Albus Nigro familiae herciscundae controversiam movit jure materno. Itaque Frodoardus ad


a. D. 936, quo Rudolfus obiit: *Hugo,* inquit, *filius Roberti* (Albus) *cum Hugone filio Richardi* (Nigro), *divisa Burgundia, pacem facit.* Ergo Emma Rudolfo nupta scribitur, et tamen ex Rudolfi sorore Hugo Albus Emmae frater natus erat. A. 923.

9. Sed ecce tibi alium nodum non minus implicatum. Hugo Albus fuit avunculus liberorum Heriberti II. Veromandui; ita diserte Frodoardus ad a. D. 946, qui etiam eosdem Hugonis nepotes appellat, ut a. D. 943; et fuit sane eruditus autor proprietatisque verborum servans, et hos principes notissimos habuit, ipsisque notus fuit. Et Witikindus Hugonem Heriberti filium (Remis obtrusum archiepiscopum) vocat nepotem Hugonis. Eadem habent Sigebertus ad a. D. 949, Albericus ad a. D. 920. 924. 930. Et liberos Heriberti Odonem Hugonemque nomina ex familia matris traxisse apparet. Et tamen Robertus rex, pater Hugonis, habuit in matrimonio sororem Heriberti, filiae suae mariti. Nam ita Aimoinus lib. 5: *Habebat,* inquit, *Robertus sororem Heriberti, de qua natus est Hugo Magnus.* Eadem habent chronicon S. Petri Vivi Senonensis a Dacherio editum et Guilielmus Gemeticensis et Hugo Floriacensis, et his vetustius fragmentum de destructione Corbejae a Buccetio productum, cujus verba sunt, Carolum Pium (id est Simplicem) occidisse Robertum, qui uxorem habebat sororem Heriberti de Perrona.

10. Hic varias in partes scissi sunt autores. Alteram Roberti Burgundicam necessitudinem negat Buccetius, alteram Veromanduam Chiffletius, nos utramque duplicem facimus. Nam Buccetius Hugonis matrem Burgundam, jus Hugonis Albi in Burgundos maternum impugnat, contra testimonium Guidonis et Alberici et contra consequentiam ductam ex Frodoardo. Idem nixus quodam chronico S. Martini Turonensis inedito Hildebrandam sororem, non filiam Roberti regis Heriberto copulat; contra proprietatem verborum Frodoardi. De liberis Roberti Fortis aliquid diximus ad a. D. 866. Chiffletius hoc Heriberti matrimonium omnino rejicit, duplicem Hugonis et Heriberti propinquitatem inconsistentem judicans; Pagius Hugonem Album voluit non Roberto rege, sed Odone ejus fratre natum, contra tot expressa Frodoardi loca, ubi nunc Albus, nunc Roberti filius appellatur. Sammarthani putant Heribertum bis maritum; alias incestum commissum, aut dispensationem (sed tunc insolitam) intervenisse debuisse.

11. Omnibus expensis, in sententiam veni, qua solvitur hoc aenigma genealogicum, et veterum testimoniis rerumque ipsarum eventibus satisfit. Dicendum est ergo, binas uxores Robertum habuisse, Hugonemque Album et uxorem Heriberti II. ex sorore Rudolfi regis, Emmam autem uxorem hujus Rudolfi ex sorore Heriberti suscepisse. Apud Sammarthanos quatuor nomina uxoris afferuntur, Beatrix, Berta, Adelais, Hildebranda; sed Beatrix certa est mater Hugonis Albi ex charta S. Martini Turonensis, ubi Hugo pro eleemosyna domini genitoris Roberti regis et genetricis dominae Beatricis loca quaedam allodii sui ex materna haereditate, sita in pago Bituricensi et Turonico, S. Martino tribuit. Beatricem ego Burgundicam judico, sororem Rudolfi Galliae regis, Hugonis Nigri et Bosonis comitis Victoriaci, et hinc Hugonem jure matris partem

A. 923. Burgundicae regionis, extincto Rudolfo, obtinuisse. Altera Roberti uxor Berta, aut quocunque alio nomine, Veromandua fuit, soror Heriberti, cui vicissim filiam ex Burgunda natam, Hugonis Albi germanam copulavit, ut Rudolfo Burgundo natam ex sorore Heriberti; rara replicatione, et ut sic dicam, decussatione connubiorum. Itaque simul ejusdem Roberti conjux fuit amita, filius avunculus liberorum Heriberti; rursusque ejusdem Roberti conjux fuit soror, filia conjux Rudolfi regis. Brevissime: Robertus tam Rudolfi quam Heriberti simul et sororius et socer fuit. Sed totam rem in tabula oculis subjicere operae pretium est:



12. Carolus a Lothariensibus post praelium desertus, Heribertum comitem, Seulfum archiepiscopum, aliosque regni proceres solicitat frustra. Illi Rudolfum ex Burgundia ad sceptrum vocant. Aimoinus credit, Heribertum perfidiae odio rejectum; Hugoni Roberti regis filio (qui vulgo Magnus dicitur, credo a statura, Frodoardo Albus aliquando) adolescentiam obstitisse, plures putant. At Glaber ex Emma sorore quaesisse scribit, fratrem an conjugem regem mallet: illa respondit, mariti honorem magis ad se pertinere. Carolus Ragenoldum principem Normannorum Ligeri incubantem ciet. Adest Rudolfus, et ad Isaram castra locat, ne Normanni copias cum Carolo conjungere possint. Carolus consiliorum irritus, se trans Mosam recipit. Rudolfus apud Suessiones in monasterio S. Medardi rex constituitur 3. Idus Julii, ut habet chronicon breve apud Quercetanum et Odorannus, dominica scilicet die. Addit hic, unctum a Waltero episcopo Suessionensi; absentene an dubitante Seulfo, haud constat. Sed Abbo tunc Suessionensibus praefuit, et inter Abbonem ac Seulfum ambigit Labbeus. Hugo Flaviniacensis addit, Burgundiae superioris regimen Bosoni, inferioris Hugoni, quem Capitonem cognominabant, fratribus regis, datum. Quibusdam dicitur Hugo Niger. Porro Abbo Rudolfi et antea, ut videtur, etiam Roberti archicapellanum egit. Praeceptum S. Benigno Divionensi datum est *3. Kal. Jul. ind. 15. anno quarto Rudolfi; Raynardus ad vicem Abbonis pontificis recognovit.* Et aliud *datum S. Martino Turonensi 2. Kal. April. anno Rodulfi octavo; Robertus notarius ad vicem Abbonis praesulis nec non archicancellarii recognovit.*

13. Heribertus, fraudum artifex, Bernardum comitem Sylvanectensem consobrinum, Pipini filium, aliosque legatos doli inscios ad Carolum mittit, opem fidemque per sacramenta pollicetur. Rex ad Heribertum cum paucis proficiscitur, qui eum in castello S. Quintini ad Somam hono-

rifice suscipit: sed mox sociis remissis, nudata fraude captum in castellum Theoderici, munitionem suam ad Matronam, mittit. Ipse ad Rudolfum in Burgundiam contendit. A. 923.

14. Seulfus synodum suae provinciae habet, in qua Abbo Suessionensis, Adelelmus Laudunensis, Stephanus Cameracensis, Adelelmus Sylvanectensis, Airardus Noviomensis episcopi cum caeterorum legatis convenere: et poenitentia illis injuncta est, qui praelio Suessionico interfuissent, ut tribus quadragesimis per tres annos secunda, quarta et sexta feria pane, sale, aqua sint contenti; similiter quindecim diebus ante nativitatem S. Johannis baptistae, et totidem ante nativitatem Domini Salvatoris, et omni feria sexta per totum annum: nisi redemerint, aut festivitas celebris in eam diem inciderit, aut ipsi infirmitate vel militia detineantur. Quidam hanc synodum in annum sequentem differunt. Non absurdum est, etiam justissima arma sacra quadam censura gravari; quia raro innocuis manibus puraque mente tractantur. Heribertus captum regem nec liberare, nec Rudolfo tradere voluit, ut quodammodo arbiter regni haberetur.

15. Interea Ragenoldus, ascitis etiam Rotomago popularibus, regionem trans Isaram vastat, Heriberti milites per castella dispersi, in Normannos armantur, Rudolfum Rotgeri privignum et Ingobrannum comites sibi adjungunt, praedam ingentem hostibus et captivos mille extorquent. Ragenoldus, vindictam sumturus, pagum Atrebatensem populatur; sed obvius ei comes Adalelmus, sexcentos hostium sternit. Ragenoldus sese ad munimenta recipit, et inde excursiones facit. Itaque Rudolfus Burgundia iterum excitus, Compendium venit ad Isaram situm, et cum Seulfo et Heriberto in Normannos, circa Bellovacum praedas agentes, tendit: quin, transmisso Itta amne, vices redditurus hostibus, regionem dudum Normannis concessam invadit. Et poenas ab infidis exegisset, nisi Lothariensium legati venissent, se suaque subdere spondentium. Itaque Hugone et Heriberto tuendae Franciae relictis, ad Mosomum Lothariensibus occurrit. Interim Emma uxor Remis regina sacratur. Rudolfus a plurimis Lothariensium receptus, rogatu Wigerici Metensium episcopi castellum Tabernarum in pago Elisatio obsidet, credo, quod inde episcopi ditiones infestarentur. Ibi rex totum pene autumnum contrivit. Tandem praesidiarii Germani, expectato frustra Henrici auxilio, datis obsidibus deditionem spondent. Rudolfus Laudunum ad uxorem redit. Normanni de pace tractant, sed terram amplam trans Sequanam sibi dari petunt. Obsides deinde regi Laudunum mittunt, et inducias in medium Majum anni sequentis accipiunt.

16. At Henricus rex a Giselberto comite et Rotgario Trevirorum praesule invitatur. Nondum enim hi Rudolfo se subdiderant, quod notat Frodoardus; ut simul indicare videatur, postea caeterorum exemplum secutos. Certe biennio post Henricus Giselberti castellum obsedit. Nunc imminente jam hyeme, transmisso fluvio, agros inter Rhenum et Mosellam vastat, armenta abigit, captivos abducit. Sed cum Rudolfum ingentem exercitum contrahere intellexisset, rebus nondum satis firmatis in regnum sese suum recipit, cum inducias in Kalendas Octobris anni sequentis concessisset. Solus Otto comes ex his, qui Rudolfo fidem dederant, ad

A. 923. Henricum defecit. Hunc Ricuini a Bosone Rudolfi regis fratre occisi filium putant. Sane ea caede a Rudolfo aversum apparet, et anno sequente cum Bosone conflictatus est, et eundem esse credo, quem Otto M. addictum Germaniae judicans, Lothariensibus praefecit a. D. 940. Sed cur dubitem, an Ricuini filius fuerit, dicam ad a. D. 929; fratrem malim. Wigericus episcopus castellum Tabernarum ut obtinuit, evertit. Dado Virdunensium episcopus obit. Hugo a Rudolfo successor designatur, et a Seulfo Remis ad sacerdotii gradum promovetur. Sed episcopatu non est potitus, quod Rotgerus ipsius metropolitanus Henrico faveret: qui biennio post melioribus auspiciis reversus, regnum Lothariense obtinuit.

17. Longum fuerit, errores scriptorum multis perstringere. Witikindus ipse noster, rerum Gallicarum haud peritissimus, credidit, Robertum regem Odonis filium fuisse, qui frater erat; et Carolum non ab Heriberto, sed ab Hugone Roberti filio captum. Chronicon breve Quercetani putat, Carolum captum Rudolfo, quem olim de sacro fonte susceperat, regnum concessisse. Chronicon quoddam Valciodorensis monasterii, ab Eilberto, ut ajunt, comite fundati, a Dacherio editum, de tota re miram nobis fabulam narrat. S. Eligius episcopus jussu Clotarii regis monile pulcherrimum manu sua paraverat, cujus in medio beryllus mira arte insculptam ostendebat Susannam, a malis judicibus in crimen vocatam. Id monile Eilbertus ille, Heriberti frater, canonico cuidam Metensi pignus dederat, pro pretio equi praestantissimi exsolvendo. Clericus deinde pignus datum negat: Eilbertus Metas obsidet, ecclesiam incendit, pignus recuperat. Ideo a rege impetitur, sed praelio commisso, rex ab Eilberto et Heriberto capitur. Nugae! Fundatorem monasterii Eilbertum nemo inter Veromanduos novit; et autor chronici aliam longe genealogiam texit, quam quae Veromanduis congruat. Hanc ducit ab Aimerico comite Narbonensi, cui uxor Ermengardis, soror Bonifacii magni de Papia principis. Aimerico filius Warinus comes de Asclovia. Huic Bovo, dictus Sine barba; huic Ebroinus comes, cui ex uxore Berta, Widerici et Evae filia, nati Eilbertus fundator monasterii, Uddo comes de Roix, Heribertus comes de S. Quintino, Gerardus comes de Odenarda, Boso et Witerus comes, Marquardus episcopus. Haec ascribere placuit, quia aliquid iis veri inesse potest: sed ad Veromanduos nihil. De hoc Eilberto et ejus familia plura infra.

18. In Italia hominum animi de more circumagebantur. Luitprandus hoc partim gentis, partim novi regis mobilitati ascribit, cui una media diei parte placuerit, quod altera displicuerat. Ita multi ad Berengarium rediere, vires reparantem. Wido, civitatis Placentinae episcopus, inter intimos Rudolfi consiliarios anno superiore habebatur: nunc iterum Berengario favebat. Itaque belli theatrum in sua dioecesi aperuit. Concurritur ad Florentiolam, duodecimo a Placentia lapide, quarto Kal. Augusti. Sigonius Fidentiolam vocat: Berengarius et Rudolfus suos voce, manu, exemplo animabant. Tandem victoria ad Berengarium inclinare videbatur, et Berengariani passim laxatis ordinibus spolia colligebant: cum ecce Bonifacius Gariardusque comites cum recentibus copiis in ipso temporis articulo, ex insidiis coorti, supervenere. Ita versa vice Berengariani

disjecti, victoriam e manibus amisere. Magna eorum strages facta est, Bonifacio nulli parcente; cum Gariardus mitior, fugientes hasta versa quam ferro percutere mallet. Berengarius notum Veronae latibulum repetiit. Tantam tunc caedem editam Luitprandus scribit, ut suo quoque tempore magna inde militum raritas haberetur. Milites interpretor equestris ordinis viros, non minus factos ad arma, quam natos. Frodoardus tamen, nonnisi mille et quingentos viros cecidisse memoriae prodidit, cui libens credo. A. 923.

19. Constantinus Porphyrogenneta, etsi imperator et contemporaneus, tamen de rebus Italicis parum congruentia prodere solet. Is cap. 24. libri de administrando imperio, notante Hadriano Valesio, pugnatum semel atque iterum scribit; priore praelio victum Rudolfum, posteriore vicisse: desertum a suis Berengarium, cum nec fugae copia esset, abjectis insigniis, media inter equorum cadavera procubuisse, et ne agnosceretur, corpus scuto texisse. Quidam ex Rudolfi militibus jacentis pedem, qui intectus apparebat, hasta pupugit; cumque nihil moveri corpus vidisset, mortuum ratus discessit. Nocte Berengarius ex media strage se subducit, reparatisque viribus Rudolfum acie vincit. Ita denique pacem cum eo facit, ut, divisa regione, superior tamen Berengarius haberetur. Quae omnia erronea sunt; videnturque Widonis et Rudolfi gesta confusa.

20. Bonifacio Rudolfus sororem Waldradam in matrimonium dederat, comiti potentissimo; quem Luitprandus suo tempore Camerinorum et Spoletinorum marchionem extitisse, Waldradam autem forma et moribus laudatissimam etiam superfuisse scribit. Regem Hugonem Spoletinos filio Huberto regendos [commisisse *], infra intelligemus, sed Bonifacio defuncto, cujus filiam duxerat. Bonifacio patrem Hubaldum, marchionem et ipsum Camerinorum et Spoletinorum supra assignarat. Rudolfus post victoriam Ticinum triumphans ingreditur; cumque jam omnia in potestate haberet, bona cum voluntate Italicorum procerum Burgundiam suam revisit. Et sane anno sequente cum Hungaris irrumpentibus illic certandum ei fuit. Sigonius discedentem Spoletinos Bonifacio credidisse scribit: sed hoc ex ingenio. Nam quantum ex Luitprando intelligi potest, serius eam dignitatem obtinuit, cum pater hactenus superstes esset. Saraceni tunc Alpes infestas habentes, ex Fraxineto, opinor, multos Anglos limina S. Petri orationis causa petentes trucidant.

21. Berengarius imperator augustus (ut se ipse appellat), exorante Anna dilecta conjuge regnique consorte, Docale curtem juris regni sui, de comitatu Cenetensi, et duas massaritias de sculdasia Bellunensi, Almoni episcopo Bellunensi concedit. *Hermenfridus cancellarius imperiali jussione recognovi. Data est donatio anno dominicae incarnationis 923, regni vero d. Berengarii piissimi imperatoris 28, imperii autem sui 8. indict. 12. Actum Veronae.* Diploma integrum habetur in Bellunensibus episcopis apud Ughellum tom. 5. Anna conjux Bertilae successerat, quae quod **, nescio cujus Circes dementata incantamentis, infida marito facta esset, veneno hausto interiit.

*) *a Leibn. omissum add. Eckardus.* **) cum *Eckard.*

A. 923. *Primum fida satis conjux, peritura venenis*
Sed, postquam haustura est inimica hortamina Circes,
ut habet poeta Berengarianus.

22. Hoc anno etiam, secundum continuatorem Reginonis, pretiosissimus thesaurus sanguinis Domini ad Augiae Divitis monasterium delatus est sexto Id. Novemb., sed ut biennio abhinc docebimus, rursus inde nunc ablatus, et tunc demum concessus est. Addit annalista noster, forte ex imagine Domini fluxisse, in qua secundo a Judaeis priora passus est. Nec inepta est conjectura, talisque Einbeccae in ecclesia S. Alexandri habebatur; quam ab Ernesto Augusto mariti fratre impetratam Benedicta Palatina, a Johanne Friderico duce Brunsvicensi vidua, secum in Gallias tulit, et Parisiis splendido loco collocavit. Vetus schedula lipsano addita, haec verba habebat: *Hic est sanguis Domini intimatus populo Tyrio.* Imago enim confixa Beryti in Phoenicia seu Tyriorum regione sanguinem fudisse fertur, quod etiam Sigebertus hoc loco annotat. Caeterum totam historiolam illati in Augiam sanguinis dominici, alia memorabilia complexam, dabimus ad a. D. 925. sub finem. Haicho abbas Fuldensis obiit 4. Kal. Jun. Successit Hildibertus, postea archiepiscopus Moguntinus. Ita Reginonis continuator et necrologium Fuldense. Obiit etiam Hessio comes, Fuldensibus ob benefacta celebratus, 7. Kal. Octob.

23. Diploma Caroli, quo Theoderico fideli suo Egmondam concedit, amplius differri non potest. Extat apud Johannem de Leidis, unde Miraeus in notitia ecclesiarum Belgii repetiit; sed suppletis notis chronologicis extat * in opere de principibus Hollandiae, quod Scriverii cura editum titulus habet. Miraeus ait datum a. D. 913. Sed quia in eo Rotgeri archiepiscopi mentio est, qui tunc nondum sedebat, mendum inesse oportet; legendum 923, ut mox magis patebit. Sic ergo habet: *Carolus divina propitiante clementia rex Francorum. Adiens praesentiam solii nostri Hagano venerabilis comes, expetiit a nostra mansuetudine, dari cuidam fideli nostro, nomine Theoderico, quasdam res, ecclesiam videlicet Hecmunde cum omnibus ad eam jure pertinentibus, a loco, qui dicitur Zuitherdeshage usque ad Fortrapa et Kinnem. Cujus petitionem benigne suscipientes, concedimus praefato fideli nostro haec omnia ex integro, cum mancipiis, quaesitis et acquirendis, pratis, sylvis, aquis sive aquarum decursibus. Signum Caroli gloriosissimi regis. Hagano notarius ad vicem Rotgeri archiepiscopi summique cancellarii recognovi. Datum a. D. 923. 17. Kal. Jul.* Caeterae notae ex codicibus ita supplentur: *indict. 11. anno 30. regnante domino Karolo rege, redintegrante 25. largiore vero haereditate indepta 11. Actum Pladella villa feliciter Amen.* Ita Fr. Sweertius in margine Johannem Leidensem correxit. Ita et in opere de principibus Hollandiae Petri Scriverii cura edito habetur. Nam annus 923. ex chronologicis caeteris notis singulis consequitur. Ut necesse sit corruptum esse numerum 863, quem codices quidam veteres proferunt. Tempus sic constitutum incidet in diem praelii Suessionensis. Itaque oporteret villam Pladellam prope Suessiones fuisse, ubi Carolus novo beneficio virum ex

*) recusum est *corr. Eckardus.*

Lotharicusi regno potentem, sibi fidelem, Haganonique amicum, immi- A. 923.
nente jam pugna, ad fortitudinis documenta edenda accenderit.

24. Hunc Theodoricum esse manifestum est, a quo comitum Hollandiae origines petuntur. Vanum enim est, quod vulgo ad Carolum Calvum et cubicularium ejus Theodericum rem referunt. Comitem rex non vocat; credo, quod superstes esset frater major, Waltgarius, qui comitatum administrabat. Ambo adsunt pacto Bonnensi ex parte Caroli. Erat filius Gerolfi comitis, cui in comitatu proprio inter Rhenum et Suithardeshagam quaedam Arnulfus rex concesserat a. D. 889, ubi memorantur. Postea Theoderico comiti Gandensi castellano, filio, ut arbitror, Wigmanni Billingani, successori generoque, ut apparet, Theoderici Hollandiae comitis, Lotharius rex Ludovici Transmarini filius forestum Wasdae dedit, de quo dicemus ad a. D. 969.

25. Familia Gerolfi diu cum adversaria Megingaudi colluctata, tandem in Frisiis praevaluit. Haraldus rex Danorum exul a Ludovico Pio beneficium in Frisia acceperat, orientali, ut opinor; videturque Abdagus, qui circa annum Domini 873. habuit, Haraldi filius fuisse. Frater autem Roricus occidentalem Frisiam aut ejus partem obtinuit, Dorestado a Lothario Austrasio in beneficium accepto, ut alios Normannos arceret. Postea Godefridus Danus in easdem regiones illectus est, Giselamque Lothario natam in matrimonium accepit. Gerolfo amico utebatur, sed mox oppressus est. Inde comites loca rexere; et praefectura paulatim haereditaria haberi coepit, accedente etiam marchionis honore. Nec tantum nuper Raginerius eo nomine oram maritimam contra Normannos tuebatur, sed etiam post bina fere secula ex Brunsvicensi regione Henricus Northeimius Frisonum marchio appellatus est. Holtlandiae, ut alicubi scribitur, sive Hollandiae nomen, a sylvis natum, quae nunc disparuere, regionis parti tandem haesit. Etsi suspicio non desit, Hollandiam dictam terram cavam, uliginosam et spongiosam, quae sub pedibus tremit. Eo enim sensu vox apud Anglos usurpatur. „Hohl" (κοῖλον) Germanis cavum est.

26. Udalricum Augustanum episcopum, sub hujus anni exitum Hiltino defuncto ordinatum, Pagius bene observavit. Nam ex biographo contemporaneo (quem ipse Gerardum presbyterum appellat, quod Welserus, ni fallor, refutavit) habetur, in festo innocentium puerorum consecrationem peractam. Ea vero dominica est hoc anno, cui Hermannus numerum aerae christianae assignat 924, quod verum est, si a nativitate Domini inchoetur. Erat Udalricus ex illustri Allemannorum prosapia, patre Hucbaldo, matre Thetbirga. Id decus Kyburgii comites suae genti vendicarunt, de quorum stemmate, quale Welserus ex antiquo codice dedit, infra dicemus. Matrem additur fuisse natam duce Suevorum. Waningum Udalricus apud Sangallenses praeceptorem habuerat. Refert biographus, a cognato Burcardo duce regi commendatum, significata antecessoris morte: regem, cum et staturam ejus decoram et doctrinam non vulgarem perspexisset, regio eum more in manus accepisse, munereque pontificatus honorasse. Inde reversus, praeceptum regis Augustam attulit; quod consecratio secuta est. Haec annotasse operae pretium est, ut intelligatur,

A. 923. episcopatus Allemanniae non in ducis, sed regis potestate fuisse. Burcardus tamen magnam sibi etiam in ecclesiasticum ordinem potestatem sumebat; inde multae de eo querelae. Jam a sex annis Augiae Diviti prope Constantiam monasterio praeerat Heribertus (vel ut alii Hildebertus) abbas, cum Liuthardus a duce intruditur: is omnia susque deque vertebat. Qui restitere intruso fratres, in exilium missi.

ANNO CHRISTI 924.

Hungari in Saxoniam. Induciae cum ipsis novennales. — Quae Werla, ubi rex. — Rex durantibus induciis oppida munit et privilegiis ornat. — Castella extra urbes haud probata. — De patriciis seu militibus oppidanis, et de militibus agrariis. — Libertates et privilegia urbicorum paulatim nata. — Commercia, manuficia urbibus attributa. — De jure braxandi urbium. — Henricus subditos in armis exercet, ferro tegit. — Gravis armatura pedestris et equestris. — De herewedae et geradae jure. — Tornamenta non sunt ab Henrico instituta, sed posteriora. De Rixneri figmentis. — Leges tornamentorum potius ad Henricum VI. referendae. — Tornamenta vel trojamina dicta a flexu equi. — Et in seriis et in ludis apud historicos et poetas veteres magis res hastis missilibus quam cominus acta legitur. — Conflictus in quo vir virum lancea legit, etsi veteribus non plane ignotus fuerit, sero tamen et seculo demum undecimo in disciplinam ivit. — Hastiludia hujusmodi tunc a Gallis coepta, seculo sequente etiam a Germanis usurpata. — Unde giostrare, jouster, justen. — Ob casus infelices hi ludi ab ecclesiasticis damnati. Nunc mutato armorum genere cessarunt. — Arverni Rudolfum regem agnoscunt, nondum Pictavi. Hugo de Vienna post Italiae rex. — Rudolfi pax cum Burgundis (ubi de Manassis familia) et Normannis. — Giselbertus Lotharingus turbat. Familia Berengarii regis Italiae. — Rudolfi morbus. Conflictus inter Lotharingos. Normannorum hostilia. — Hungari Italiam vastant, Papiam incendunt. — Transeunt in Burgundiam et Septimaniam. — Berengarius interficitur. — Caedes ejus a Milone Veronae comite vindicatur. Fata Berengarii. — Milo fit marchio. Ex eo comites S. Bonifacii. — Rudolfus Guelfigena jam solus regnat. — Procerum mortes. Praesules Halberstadensis et Coloniensis. — Ogiva uxor Caroli captivi cum filio in Angliam fugit. Quis tunc ibi rex. — Henricus rex Germaniae nunc sibi Lothariense regnum vindicat. — Dationes diplomatum, in quibus anni regni Lothariensis. — Videtur Henricus prius Coloniae, quam in toto regno Lothariensi receptus. — Conciliatio tabularum.

A. 924. 1. Hungarorum iterum turbo erupit. Infestatam Italiam testimoniis constat: Germaniam etiam, argumentis disceremus, si continuator Reginonis deficeret, qui orientalem Franciam hoc anno vastatam scribit. Neque enim diutius differri possunt initia pactarum cum Henrico induciarum novennalium; quibus finitis, recruduisse barbaros a. D. 933. ex Frodoardo constat. Idem, Henricum in Sarmatarum finibus tota aestate *corporis* valetudine detentum haesisse, scribit, scilicet limitis curam agentem; tametsi volaticus hostis et in turmas sparsus, cui flumina omnia pervia essent, statario milite coerceri non posset. De quo ita fere Witikindus, cujus verba etiam annalista noster ad hunc annum refert: Cum jam civilia bella cessarent, scilicet inter Germanos, iterum Hungari totam Saxoniam percurrentes, passim omnia igne et caedibus miscent, oppida comburunt, agris vastitatem inferunt. Rex erat in praesidio urbis, quae dicitur Werlaon; nam rudi adhuc militi salutem publicam non credebat. Contigit autem, quendam ex principibus Hungarorum capi. Cum aurum pro liberatione ejus offerretur, rex captivum sine pretio reddere maluit, ea tamen

ge, ut in novem annos induciae essent. Annuam etiam pensionem A. 924.
actos, indicia adsunt. Fatetur enim Witikindus, barbarorum legatos,
nitis induciis, solita munera poposcisse.

2. Quae urbs Werla, non satis constat. Est in Westfalia hujus ominis, quam Meibomius et doctissimus episcopus Ferdinandus tunc asessam putant, quibus nuper assentitur doctus Goslariensium scriptor Heineccius. Et sane crebro illic postea reges egere, ubi et palatium antiquum memorant; hodie urbs est juris Coloniensis. Nominatur et alia Werla in Venedis, unde principes Obotritorum de Werla et Wenda dicti: sed eam, cum Transalbina sit, minus ad rem facere putes: idem objicias et Westfalicae trans Visurgim, quasi remotiori ab Hungaris in Ostfalos ingruentibus, quam ut fortissimus rex tam longe ab hostium conspectu in latebris egisse videatur. Et tamen aliquis suspicari possit, ad vires contrahendas in Westfaliam se recepisse, imparem citerioribus tuendis, cum Hungaros tunc nihil Visurgim moratos etiam Herifordiense monasterium destruxisse Gobelinus referat, quod mox ex documento anni D. 927. firmabitur. In excerptis Goslariensis chronici supradicti, quae Caspar Sagittarius vidit, Werla nominatur palatium vel castellum quoddam regium ad Goslariam situm, et eo adductum regem Hungarorum. Et constans apud Goslarienses fama est, Heineccio fatente, locum, ubi nunc Goslaria est, Werlam olim vocatum, quae et Spangenbergii non indiligentis rerum Saxonicarum observatoris sententia est, favetque Speculum Saxonicum, ubi palatium regium a Werlizia vel (ut in antiquis quibusdam codicibus legitur) a Werlaha in Goslariam (vicinam opinor) translatum habetur. Frodoardus, Henricum morbo impeditum in Sarmatiae finibus egisse, scribit, quod Werlae Venedicae faveret, si eousque tunc progressi fuissent nostri. Goslaria Sarmatis, id est Slavis, vicinior est, quam Westfalica Werla. Ego tamen omnibus expensis, ad hanc inclino, tunc regibus frequentatam, nullo pro Goslaria ab antiquitate firmamento. Nec Hungari ad Herivordiam usque propressi multum abfuere. Crediderim, regem ab improviso hoste in Westfalia deprehensum, obviam eundi et colligendi exercitus spatium non habuisse. Autor Goslariensium excerptorum et Tidericus Langius versibus apud Engelhusium servatis, Hungaricum principem Werlae capite plexum, non recte dixere. Werlenses comites infra occurrent. Saxones giganteae molis homines Hünos vocant. Id Spangenbergius ad has Hungarorum irruptiones refert; alii ad Attilam et antiquiores Germaniae metus. Et potest alia longe nominis origo esse; nec statim Huneburgum, Hunefeldam, Hunesruckam, aliaque id genus ab Hunnis dicta necesse est.

3. At rex praesenti metu liberatus, ut otio concesso recte uteretur, ad muniendam Saxoniam restituendamque disciplinam militarem animum adjecit. Passim erant in Saxonia villae celebriores, quaedam ab antiquo ex situs commoditate natae, ut Eresburgum, Padebrunna, Sosatum, Scaninga, Oldensteda, Bardewicum, Magdeburgum: quaedam debitae fundationibus ecclesiarum et monasteriorum, aut etiam palatiis principum, ubi homines confluebant; et mercatus fere constituebantur in illa tempora,

A. 924. quibus festum localis sancti devotorum hominum frequentiam attrahebat. Sed si montana quaedam castella adimas, quale ipsum Eresburgum; loca utcunque hominibus abundantia serius muniri coepere. Primum maritima quaedam contra Normannos moenibus circumdata sunt: deinde Hungaris ingruentibus, mediterranea oppida muris claudi coepere. Sed quod antea temere et pro cujusque arbitrio fiebat, Henricus certo consilio ordinavit. Witikindum hic audire oportet, qui pene solus nobis haec prudentissimi principis acta servavit. Primum, inquit, ex agrariis militibus nonum quemque in urbes traduxit, ut caeteris vicinis et familiaribus suis octo habitacula exstrueret, in quibus frugum pars tertia servaretur, quas caeteri seminantes metentesque colligebant. Concilia, conventus, convivia in urbibus celebrari jussit. Addit Gobelinus, forum rerum venalium et tabernas extra urbes vetuisse.

4. Caeterum jussu regis praecipitata opera, diu noctuque in urbibus muniendis laborabatur. Vilia aut nulla extra urbes fuere moenia. Sic codicem Dresdensem et exscriptorem Ursbergensem secutus lego, ut scilicet majore omnes studio in oppidis muniendis conniterentur, quibus solis salutem credere possent. Itaque castella privatorum non probabantur, quae et in bello munimenta publica urbesve praesidiariis nudarent, et in pace latronum receptacula essent. Ditmarus etiam occasionem affert, quae Henrico has curas injecit. Aliquando (hoc ipso fortasse anno) cum Hungaris exigua manu congressum, pulsumque in vicinam urbem Bichinam (nescio quam, ex recentiorum quorundam opinione Beichlingam) confugisse; oppidanorumque fortitudine servatum, urbanorum hominum operam magis aestimare coepisse, quam vulgo a provincialibus fieri solebat.

5. Henricum quidam non inepte Thesea Saxonicum dixere, qui Athenas contractis vicis urbem fecit; et mirum est, plura munita loca Slavis, quam Saxonibus olim fuisse. In superiore Germania crebriora et antiquiora oppida moeniaque erant. Ad Rhenum et Danubium supererant coloniae quaedam Romanorum. Schidinga jam bello inter Francos Thuringosque celebrata est. Nunc tamen multa nova munimenta moeniaque extructa, non dubito, Crusiusque Tigurum, Ulmam, Francofurtum nominat. Agrariorum militum appellatione Witikindo significantur homines ingenui, quibus solis jus militiae erat, nam vulgus colonorum pro servis habebatur. Ingenui erant agrorum suorum domini, et ingenuitas, libertas, nobilitas pene idem significabant, etsi olim nobilitas magis de proceribus intelligeretur. Cum postea crebrescerent mercatores et opifices, non servi, plerique tamen ex colonis dimissis orti; ingenui agrorum habitatores dicti sunt homines generis militaris, tandemque nobilium appellationem sibi vindicavere. Etsi credibile sit, hodie multos ingenuae originis cum plebe confundi, multos ex colonis praedia propria nactos in superiorem ordinem receptos. E militibus ergo agrariis in urbibus collocatis ex praesenti instituto patriciorum origines ducuntur. Nam constat, ante seculum tertium decimum, et aliquamdiu etiam post, regimen urbium, ut agrorum, penes familias meliores fuisse, id est penes militaris generis viros. Ex his erant non burgravii tantum, sed et advocati regis vel principum, sculdasii,

bini. Itaque etiam oppidani insignes passim inter armigeros et eque- A. 924.
is ordinis viros admittebantur, quos equites aut milites peculiariter
pellabant. Saepe familiae insigniores in urbibus a villis vicinis deno-
nantur. Id aliquando contigit, quod ex minore illa nobilitate venissent,
ae villas regebat, aut saltem in illis praedia libera habebat. Et augetur
risimilitudo, cum multa bona censitica in agris vicinis habent. Extat
h. Draconis liber non malus de patriciis. Buntingius in Brunsvicensi
ronico nonnulla in hanc rem de Brunsviga Hanoveraque dixit. Nuper
itnerus Luneburgicae urbis antiquas familias peculiari opere illustravit.
d totum caput de statu hominum per Germaniam viri docti et periti
eram expectat, nec male nuper Potgieserus de servis Germaniae egit.

6. Praeter patricios seu equestres viros in urbibus collocatos, cae-
ra incolarum colluvies ex iis erat, qui favore opificiorum aut mercaturae,
t beneficiis ecclesiasticorum hominum, libertati concedendae pronorum,
piscoporum inprimis vel abbatum, mox et aliorum principum indulgentia
: colonis glebae addictis pervenerant ad libertatem. Hos enim pecuniam
endentes (cujus tunc magna raritas) domini utiliores civili libertate,
uam rustica servitute sentiebant. His paulatim multiplicatis in urbibus,
oncessi sunt civibus ex proprio ordine, qui jus de mensuris aut ponde-
ibus et caeteris id genus dicerent, quae hodie politeiam vocamus, nec
re satis nisi a rerum peritis intelliguntur: unde nati sunt burgimagistri
um consilio suo, vel ut olim appellabant, consulatu, id est senatu, vel
x primariis familiis sumto, vel ex plebe ipsisve tribubus lecto. Urbes
ostremo, confusis Germaniae rebus per debilitatem imperatorum ever-
ionemque majorum ducum, contra turbatores pacis publicae, ex medio-
ribus dynastis et militibus agrariis (id est minore nobilitate) consurgentes,
oederibus inter se junctis, arma sumserunt et jurisdictionem regimenque
d se traxerunt, vel a regibus principibusque obtinuerunt aut redemerunt.

7. Sunt etiam, qui ex Henrici edicto venire arbitrantur, quod com-
nercia manualiaque opera et inprimis jus coquendae cerevisiae vel bra-
andi in usum viciniae, quasi ex antiqua Saxonum lege, oppidorum esse
censetur. Certe in Speculo Saxonico cautum reperitur, ne intra leucam
Germanicam alii, quam urbis mercatus habeantur. Hoc eo produxit usus,
ut nonnisi urbis cerevisia venalis haberetur, neve damnosa oppido merci-
monia exercerentur. Quin eo res provecta est, ut iis etiam, qui longius
a quacunque urbe abessent, braxandi jure quod vocant, et similibus
commerciis interdictum esse censeretur, quae oppidis propria visa.
Neque omnino negaverim, Henrici instituta hujus juris fundamenta jecisse;
cum tamen olim fere incolae in villis obnoxii dominis essent, et quasi in
familia magnae domus esse viderentur, more veterum Germanorum apud
Tacitum, ubi servi suos penates regebant; crediderim, tunc in tota villa aut
vico valuisse, quod nunc quoque in arce aut domo cujusque valet, ut sibi
quisque potum quisque parare possit; et tabernas in villa etiam domesticas
visas, ut in magna familia suis dominus de necessariis prospicere potest.

8. Sed ex quo rustici in libertatem vindicati sunt, id est, ex quo
servitute prope sublata, majores domini minoribus potestatem amplissimam

A. 924. in colonos ademere; invaluisse putem, ut rerum propriarum consumtione intra aedes cujusque coercerentur, nisi ubi aliter hodieque receptum esse. Nunc vero passim principes oppidanorum emolumenta in suas ration transferunt; quos, fateor, aliis manuficiis commerciisque florere mali quam illis unis, quibus ebrietas alitur. Et eo res alicubi redacta est, urbes sibi jus antiquum vix aliter, quam ipsa cerevisiae praestanti vindicare possint. Hanc mellitam etiam parabant veteres Germani; qua hodie in desuetudinem venit, ipso mellis usu imminuto ac pene neglecto ex quo saccarum tam copiose ex transmarinis affertur. Cum autem potu qualitas plurimum in alterutram valetudinem possit, praestabit haud dubie oppidorum collegiis concedi cerevisiarios paratus, ut severis legibu coerceri possint, atque inde fiscum indemnem servari, quam praediorum fiscalium incrementa per conducentium corruptelas publica calamitat autumnalibusque morbis populorum redimi.

9. Caeterum fortitudo non tantum in tuendis moeniis, sed mult magis etiam in campestribus praeliis sese ostentare debet. Itaque re dedit operam, ut exercitatum militem haberet, quem ferocissimo host opponere posset. Erant hactenus rariores thoraces et loricae, quibu sagittae barbarorum repellerentur, quae ex ingenti arcu, valida et exercitata manu tenso, vibrabantur. Et constat, nunc quoque Tartaros et Sarmatarum etiam nonnullos, ut Getas olim et Parthos, arcu valere intolerabiles nostris futuros, jam nescio qua mollitie seculi exarmatis, nisi ignivomae fistulae omnibus jaculis praevalerent. Itaque non miror, Hungaros Germanis, Gallis, Italis ea tempestate tam formidatos fuisse, donec ferratam illis aciem Henricus objecit. Olim in Caroli Magni exercitibus abundasse loricatos, ex quodam Sangallensis biographi loco intellig potest, cum Desiderio regi, ex Ticini moenibus venientem spectanti, fulgentes ferro armati speciem fluminis campos inundantis praeberent. Se intestina Francorum bella consumserant fortissimum quemque, licentiaque et regum imbecillitas nervos militares laxaverant. Restituenda ergo era pristina bellandi severitas, nec quicquam magis, quam militem ferr tectum timuisse Hungaros, ex loco Witikindi apparet, ubi ait, regem sequentibus temporibus cum Hungaris congressurum, veritumque, ne viso milite armato statim diffugerent pugnamque vitarent, legionem Thuringorum cum paucis loricis praemisisse.

10. Graviter armatos superiorum seculorum non male monachus Colmariensis ad a. D. 1298. depinxit. *Armati*, inquit, *habebantur, qui galeas ferreas in capitibus habebant, et qui wambasia* (Germanica e vox est pro thorace) *sive tunicam spissam ex lino vel stuppa vel ex veteribus pannis consutam, et desuper camisiam ferream gerebant, sive vestem ex circulis ferreis confectam, sagittis impenetrabilem ferebant. Ab his armatis centum inermes mille facile dissipabantur.* Hactenus pedites, nunc et equites videamus. *Insidebant illi dextrariis, id est equis magnis* [et exercitatis], *qui inter caeteros equites quasi bucephali eminebant. Ipsi equi coopertariis ferreis, id est veste ex circulis ferreis* [annulis scilicet] *connexa, muniebantur. Sessores etiam loricas ex ferro habebant,*

aligas manipulosque ferreos [manicas pro manipulis posuerim], *et in* A. 924.
itibus galeas ex ferro polito splendentes; aliaque multa, quae [inquit]
rrare taedet. Nempe nec tibialia, nec clypeum attingit, et arma
endentia, hastam, gladium, aliquando et arcum et missilia jacula, silet.
utum ex collo pendebat, lancea in manu erat, etsi et sellae affigi posset.
his intelligi potest, quantum nostri temporis militia a pristino robore
generarit.

11. Gobelinus decanus Bilefeldensis, non spernendus autor, etiam nc expeditionalium rerum jus natum arbitratur. Constituisse scilicet enricum, ut major fratrum esset in exercitu, et solus tolleret patris xuvias, inter quas arma maxime reputantur: et inde vulgo herewedam odieque nominari. Equidem vestis bellicae jam fit mentio in legibus nglorum et Werinorum, quemadmodum et geradae, seu mundi muliebris, uae rhedo appellatur, ut in editione scriptoribus nostris inserta subnotavi: voxque ipsa heregat, Spelmanno notante, apud Anglos transmarinos servata est. Dubium, an „hehr-gerat", id est instrumentum eunti in exercitum; an, ut leges cismarinorum, bellica vestis, sive „hehr-gewand" vel „hehr-gewat", quod malim. Nulla tamen ibi primogeniti praerogativa, quam ab Henrico rege introductam non repugnem; non ita tamen, ut caeteris fratribus expeditionem remiserit, quod nec in Francorum regum capitularibus factum. Nec loricam tantum, sed et galeam brachialiaque et tibialia, et alia quoque militaria instrumenta cum equo assignata, facile credam, quae in posterioribus Saxonum legibus nominantur (praeter generales Speculi Saxonici nomine notas), passim per provincias oppidaque receptis: ex quibus nonnulla vetera Goslariensis, Brunsvicensis Luneburgicaeque civitatum statuta nuper produximus.

12. Etiam tornamenta ab Henrico nostro instituta, plerique arbitrantur; et favere opinioni visus est Witikindus, qui ait, in exercitiis ludi militaris prae caeteris insignem terribilemque fuisse. Tornamenta erant ludi militares solenni apparatu celebrati; qui tandem huc evasere, ut in campo designato cancellisque incluso, equites armati lanceis concurrerent, viriumque simul et artis specimen praeberent. Georgius quidam Ruxnerus opus olim edidit, in quo exhibentur ludi equestres publici a seculo decimo ad decimum quintum; subjiciunturque cuique nomina familiarum, unde equites comparuisse dicuntur. Sed quae de vetustioribus refert, omnia merito pro fictitiis habentur ab eruditis, quia nullis testimoniis documentisque adjuvantur, et rebus etiam ipsis satis confutantur. Et quis credat, conventus tam celebres, tam frequentes, pertinaci omnium silentio pressos? Primam decursionem Magdeburgi anno 938. celebratam refert. Sed bene notavit Brunnerus, tunc jam obiisse Henricum. Ultima refertur Wormatiensis a. D. 1484. Et sane postrema facilius admiserim. Narrat Ruxnerus vel fingit, codicem antiquum, dialecto Saxonum scriptum, in suas manus venisse. Inde excerpta, quae videbantur, interprete Johanne Kirchbergero, vicario ad S. Mauritii Magdeburgensi, qui habuit codicem et in Ruxneri gratiam, si ipsi credimus, igni deinde injecit, ut hic scilicet tanto thesauro solus frueretur, quae frivolae rationis allegatio narrationem suspectam

A. 924. facit. Si quod extitisset tale monumentum fide dignum, id vir aliquis prudens studiose conservasset. Spangenbergius, Stumpfius, Hundius, Goldastus, Meibomius, Brunnerus aliique viri docti dudum damnationis sententiam pronuntiarunt. Caspar Sagittarius, vir praeclare doctus, nobis censuram operis titulo Ruxneri exenterati promisit: sed nihil tale inter ejus paralipomena repertum est, nisi quod est in manuscriptis ejus locus valde notabilis et prolixus de Ruxnero *. Franciscus Modius, his nugis in Latinum versis, partem Pandectarum triumphalium implevit. Et Nothaftius comes apud Speidelium apologiam paravit; scilicet quia Nothaftiorum homo oblitus non erat. Balbinus etiam, non malus alioqui judex, hic inane patrocinium profligato errori paravit.

13. Leges ludorum quasi ab Henrico nostro latas, Sebastianus Munsterus cosmographiae suae, Goldastus etiam collectionibus rerum imperialium, etsi suppositas crederet, inseruit. Ibi prima lex curiatis illis comitiis ab Henrico ipso rogatur, ne impii admittantur; secunda a Conrado palatino, ne perduelles; tertia a duce Franconiae, ne desertores; quarta a duce Sueviae, ne mulierum infamatores; quinta a duce Bavariae, ne perjuri vel aliter infames. Caeteros articulos alii ludo praefecti adjecere, ad decimum usque contra parricidas, sacrilegos, raptores, concussores, adulteros. Undecimus ac duodecimus debentur magistro Philippo secretario regis; quibus cavetur, ut nobiles mercatura abstineant, et ut nobilitas ex quatuor avis probetur. In mentem aliquando venit, si quid veri inest, ad Henricum VI. referri debere, cujus patruus Conradus palatinus Rheni inter proceres imperii eminebat: quanquam Franconiae dux eo tempore abesset, pro quo Saxoniae legi malim, qui Bernardus Ascanius habebatur. Et vero jam tum eo tempore recepta erant tornamenta apud Gallos Anglosque; ut facile credam, Germanis etiam usurpari coepisse, et tunc primum apud eos legem subisse.

14. Tornare est in gyrum agere apud Latinos, a quibus barbaros vocem sumsisse putem. Unde illud *torna*, *torna*, seu „verte habenas", in historia miscella. Habetur et Graecis τορευτής, τορεύειν, et Germanorum „drehen" non abludit; et quo minus dubitem, omnia esse a communi, id est Celto-Scythico fonte ipsoque sono vocabuli rem exprimente, quo ultima pertingit etymologica analysis; Graecis cognata voce τρέχειν „vertere" est, trochus, „qui convertitur"; et crediderim, hinc trojamina dicta. Jam enim apud Virgilium, de ludis equestribus per gyros exercitis:

Trojaque nunc pueri, Trojanum dicitur agmen;

etsi ille, ut poetam decebat, originem ad Trojanos retulerit. Antiquissimi ergo sunt hi ludi, si tam ample sumantur. Neque aliud nobis quam aptos decursus flexusque apud Nithardum et simulata certamina militum exhibent, quos Ludovicus Germanicus et Carolus, rex Francorum occidentalium, congressi in comitatu habebant. Ita nuper Bavarus ille apud Luitprandum, ab Hubaldo interfectus, flexibilem equum multa arte regebat.

*) est in — Ruxnero, *omisso signo* ‡, *quod est in textu, leguntur in margine, ubi postea addidit Leibnitius:* Credo, ubi de ducatu Thuringiae. *In apographo Eccardiano* nisi quod — Ruxnero *omittuntur*.

Et serii etiam concursus tornationes dicebantur. Ita apud Cangiacum A. 924.
Galbertus in vita Caroli comitis Flandriae, Ipra urbe obsessa, factas esse tornationes acresque militiae (id est equitum) concursus. Ad seria an ludos referam, ambigo, quod Otto Frisingensis habet, rege Lothario Saxone Herbipoli haerente, duces Fridericum et Conradum ad muros accessisse cum suis, et cum militibus ejus tirocinium, quod nunc turniamentum dicitur, exercuisse. Videri possit episcopus Guieto praelusisse, qui apud Menagium in etymologico opere non probantem tamen tornamenta duxit a tirocinando, quae vox in glossis Isidori reperitur.

15. At vero etsi flexus et gyri nomen dederint, crediderim tamen, novum aliquid accessisse, quo tornamenta posteriora a ludis militaribus veterum distinguantur: neque id in solo apparatu legibusque consistere, sed in hoc potissimum, quod nec apud historicos, nec apud poetas olim frequentatum animadverto, ut vir virum hasta legeret, et ipso concursus impetu lanceas experirentur alter in alterius scuto; etsi anticipent fabulatores posteriores, et Arturo Britonum regi, aut Theoderico Ostrogotho, aut Carolo Magno Saracenos impetenti, caeterisque heroibus tribuant tales conflictus, quos tamen poetis seculo Christi undecimo prioribus usurpatos non animadverto. Nam Achilles apud Homerum, aut Aeneas apud Virgilium, missilibus hastis (quas hodie Sarmatae retinuere) summa vi intortis hostes eminus confodiebant. Etiam Romani et Gothi apud Procopium Gothicorum quarto et apud Agathiam libro secundo docebant militem equum in orbem agere, telum mittere, missum ex terra recolligere. Nec sese hostes hastis, nisi missilibus, impetunt in praelio Berengarii et Widonis, quod poeta panegyristes ad veterum morem finxit. Et in ludo trojaminis apud Virgilium, *dum tela ferunt pugnaeque cient simulacra sub armis*, non concurrunt lanceis manu cominus impactis, sed *lenta lacertis spicula contorquent.* Et in hoc, quasi emissionem minantes hastilia crispabant juvenes Wormatiae ludos equestres spectantibus Ludovico Germaniae rege et Carolo Galliae fratribus edentes; quod etiam faciebant Saraceni apud Cordubam, cum Johannes Gorziensis apud eos Ottonis M. legationem obiret; et similem fuisse arbitror *ἱπποδρομικὴν ἔριδα* Michaelis augusti, Theophilo nati, quam ex Genesii nondum editi scriptoris Byzantini Lipsiae extantis quarto *βασιλειῶν* retulit Schubartus, vel Struvius, erudita dissertatione de equestribus ludis, ubi et curru et cursu certabatur. Nam quod tirones conto exercebantur, contopaectae dicti, partim ad saltum cum conto (nostris „springstock", usurpato, ubi fossae frequentes), partim ad jactum seu missilia pertinebat. Palus aut in eo figura petebatur.

16. Equidem legimus aliquando in praelio concurrentes hastis per clypeos transadactis perisse: neque id lethi genus veteribus deesse poterat. Bruto primo Romanorum consuli et Arunti, pulsi regis filio, id evenisse, Livius prodidit. Aruns in Brutum conspectum concitat calcaribus equum; sensit in se iri Brutus, seque avide certamini obtulit: dum ambo hosti nocere student, neuter sui protegendi memor est, contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus haerentibus hastis moribundi ex equo

A. 924. lapsi sunt. Et ut antiquiora mittamus, apud Fredegarium c. 90. Bertha comes palatii Francus de pago Ultrajurano cum clypeum elevas Manaulfus eum conto in pectore percutit. Aubeda filius Berthariі cu velocissimo in patris auxilium properans, Manaulfum conto in pect percussum in terram prosternit. Et Belio in Pictaviensibus referen a. D. 863 Turpio Engolismensis comes et Maurus Normannorum duc in Santonum finibus concurrentes, mutuis lancearum ictibus perfos ceciderunt. Et a. D. 1057. Lamberto memorante, cum fratres hinc Brun et Ecbertus, illinc Otto et Wilhelmus confligerent, in prima fronte Brun et Otto, ambo pleni irarum, ambo sui immemores dum hostem ferirent tanto impetu in se vicissim concitati sunt, ut uterque alterum primo in cursu equo excussum lethali vulnere transfoderet. Sed haec non studio sed casu et impetu contigere, neque in disciplinam ivere, aut praeludii armorum seu exercitiis equestribus frequentata aut duellis usurpata leguntur aut a poetis introducuntur ante seculum undecimum. Neque uspiam in seriis aut ludis observes, duorum ex compacto sese lanceis cominus impetentium monomachiam, quod tamen confligendi genus apud posteriores poetas omnem paginam implet. Et poetis computo etiam, qui soluto sermone fabulas veteribus Milesias, nostris Romanas scripsere. Itaque hanc sive duelli sive hastiludii rationem seculo demum undecimo invaluisse crediderim. Sunt qui ex oriente advectam putent, an per Hispaniae Mauros, nam ante bella sacra jam innotuit nostris, ut mox dicam. Sed, ut verum fatear, Latini rem potius Graecis et Saracenis ignotam in orientem attulerunt, etsi appareat, jam olim apud Persas usurpatam fuisse, cum in figuris Persepolitanis exhibeatur ab adversario lancea equo dejectus: sane et illi maxime ex equo pugnabant, et praeter acinacem potissimum lancea et scuto cominus utebantur. At veterum Graecorum Romanorumque hastati magis fere pedites erant; et a Persis aut Parthis equestrem gravis armaturae militiam didicisse videntur, et Josephus lib. 3. de bello Judaico Romanum equitem describit, gladio cinctum contumque in manu et pendentem ad latus clypeum ferentem, galea et thorace munitum. Franci et Saxones veteres etiam a peditatu potissimum laudabantur, etsi non deessent inter Germanos, quales Tenchteri, equestri militia laudati, sed levis utique armaturae ob inopiam; nobiliores tamen postea ad Romanum morem armari coepere, et auctis opibus, auctus est numerus graviter armatorum, ingens utique sub Magno Carolo, postea imminutus, ab Henrico Aucupe restauratus, ut Hungarorum sagittis melius resisteretur. Porro clypeati loricatique fortiores atque eminentiores, etiam contos ferro acuminatos ferebant; talis erat signiferi lancea, cui vexillum affigebatur, et tale ferebant bandophori seu bandereti, qui vasallos habebant sub suo vexillo militantes; et cum totius provinciae viri militares majus vexillum ducis sequerentur, hinc duces aut majores seu provinciales comites lancea vexillifera insignes in sigillis spectantur, et Henricus ex Bajoariae duce rex factus dicitur Adelboldo a vexillo provectus ad solium: nam reges tunc in sigillis solio seu throno insidentes spectabantur. Caeterum disciplina concurrendi clypeisque lanceas excipiendi serius introducta est,

iando ab exercitio etiam in spectaculum ivit, ut dissilientibus in frag- A. 924.
ina lanceis eques imperturbatus duraret.

17. Sed in Gallia inprimis apparet frequentari coepisse novum ludi ilitaris genus, novam confligendi rationem imitantis. Itaque notante angiaco in glossario incomparabili Matthaeus Parisiensis tornamenta onflictus Gallicos appellavit, et Radulfus Coggelhalensis propriam meo adicio rei naturam exprimens, more Francorum ait hastis vel contis sese ursim equitantes vicissim impetere. Quercetanus in historia Preuliacae entis observavit ex chronicis Turonensibus, Godefrido de Preuliaco inrentionem torneamentorum ascribi, qui a. D. 1066. occisus est. An primus spectaculum edidit ludicri concursus? nempe mucrone de lancea detracto gladiisque hebetatis. Unde manifestum est, hoc institutum bella sacra praecessisse. Non tamen subito receptum est, et plus seculo post Richardum regem publice in Anglia hastiludia instituisse, quae pater Henricus II. permittere noluerat, Guilielmus Neubrigensis scripsit; quo tempore etiam ab Henrico VI. in Germania legibus circumscripta verisimile judicavi.

18. Idem jam ante Nicetas notavit libro tertio annalium, Emanuelem Comnenum, Latinorum imitatione, quos solerti hastarum tractatione excellere videbat, ludicrum certamen hastarum sine ferro Antiochiae edidisse. Concursum hastatorum Johannes Cantacuzenus imperator lib. I. τζȣςρίαν vocavit, Gregoras lib. X. Nicephoras τζȣ̃ςρα, fassus uterque, a Latinis ad Graecos venisse. Consonat Italicum giostrare, Gallicum joustare, antiquis Germanorum poetis „justen", Salmasius ad historiam augustam, διώςραν ait veteres (sed quorum loca non affert) luctam dixisse, ἀπὸ τȣ̃ διωθεῖν, ut ἐξώςρα ab ἐξωθεῖν: inde Graecos recentiores ζῶςραν fecisse, quod ingeniosum licet, minus verisimile est, Graecos scilicet, si rem a Latinis accepere, Italis nomen dedisse. Menagius ergo justas dictas putat quasi a justo certamine. Sylvius quidam apud ipsum, Gallis jouxtas, quod confligentes sibi juxta essent: Casanovius a jungendo, quod fere eodem redit. Fuit cum suspicarer giostrum et joustrare a claustro esse, id est clauso campo, intra quem pugnantes coercebantur: unde „chiostro" Italis, ut a clavi „chiave", ne alia memorem; pronuntiatio enim illis fere est „dschiostro".

19. Caeterum cum non raro seria mala ex ludo nascerentur, et quidam casu aut malitia mortem oppeterent, vel graviter vulnerarentur: Romani pontifices aliique episcopi hastiludia prohibuere, etiam excommunicationem interminati. Itaque cum anno Domini 1175 Conradus, filius Theoderici marchionis Misniae, in exercitio militari lanceae ictu occisus esset, Wichmannus Magdeburgensis episcopus collusores excommunicatos denuntiavit; neque aut illos absolvit, aut corpori occisi sepulturam indulsit, donec cognati principes ludos tam periculosos ejurarunt. Sed praevaluit mos utilitate elegantiaque probatus, imperatore et regibus etiam autoritatem commodantibus; itaque inania antistitum monita fuere, et licet Coelestinus pontifex, referente Rogerio Hovedeno, a. D. 1192. literis encycliis tornamenta vetuisset, Richardus tamen rex Angliae in hoc ludo militaris exercitationis fructum quaesivit, ne Galli Anglis tanquam rudioribus insultarent. Itaque spretus est passim contrarius concilii

A. 924. Lateranensis canon, sub Alexandro III. conditus et multo post a Clemente V. exasperatus, cujus tamen interdictionem Johannes XXII. rescidit, quod studium armorum inter christianos recuperando Domini sepulcro necessarium judicaret. Sed cum sumtuosa esset illa militia hastatorum graviter armatorum, nec ad corpus protegendum armatura sufficeret pyriis fistulis introductis, et militia mercenaria passim delectui nobilitatis surrogaretur, antiquata belli gerendi ratione, etiam exercitatio praeludiorum desiit, et ludi speciosiores ornatu, et mollitiei nostri temporis accommodatiores successere. Tornamenta majorum Henricus II. Galliae rex infelici casu obsignavit. Caeterum toti ferrati equites etiam depositis lanceis aliquandiu superfuere; nunc pene omnia vetera armorum decora evanuerunt, nec memoria hastiludiorum superest, nisi in libris aut picturis, jamque etiam nos armaturae gravi impares fatemur, quoties in armamentariis thoraces avorum galeasque miramur.

20. Pax, sed parum duratura, hieme inter Gallos Normannosque conclusa est, pecuniaque collatitia populis irrogata. Inde Rodulfus in Aquitanos expeditionem parat, ubi Wilhelmus Arvernorum comes, ducem se ferens, parere negabat. Is venienti se ad Ligerim objecit, commeantibusque ultro citroque legatis, tandem in ripa fluminis pago Augustodunensi ambo ex opposito comparuere. Die per nuntios extracta, ingruente jam nocte, Wilhelmus ad Rudolfum transit, et ad regem equo insidentem accedit. Rex eum osculatur, et post breve colloquium disceditur. Postera die Wilhelmus redit; induciae in octiduum constituuntur; quibus finitis, ille se suaque regi de more commendat. Rex illi Bituricas restituit, quos nuper auxilio Roberti nondum regis sibi vindicarat. Heriberto deinde Peronam et Hugoni filio Roberti Cenomannos concedit, pretium auxiliorum. Ebolum Pictaviensem nondum tunc summissum apparet, et in charta anno sequente scripta, apud Beslium, habetur, datam *tertio anno Rodulfi cum Francis infidelibus regnantis*. Simili formula et alii remotiores utebantur; velut *anno, ex quo Franci injuste regem suum honore privarunt*. Affuit et Hugo de Vienna, qui postea in Italia regnavit, quo consilio, non apparet. An missu Ludovici Orbi ad Rudolfum sobrinum? Hugo iste Seulfo terram S. Remigii in Lugdunensi provincia sitam restituit, cujus nullus ad Heriveum fructus pervenerat.

21. Haec Frodoardus, quem apparet cum Seulfo interfuisse. Nam *Inde reversi*, inquit, *ad castellum venimus, quod dicitur Mons S. Johannis, quod Ragenardus invaserat*, vicecomes Antissiodorensis, frater Manassis. Hortatu tamen nepotum suorum, Walonis et Giselberti Burgundi caeterorumque, quos rex ad obsidionem miserat, obsidem regi filium transmisit; quem rex rogatu propinquorum ejus et Hugonis fratris sui reddidit. Ragenardo inducias dedit, caeterosque qui cum ipso erant sacramento obstrictos reliquit. Rege deinde digresso, Heribertus, Hugo Roberti filius, et Seulfus pacem cum Normannis per sacramenta firmant, Cenomannosque eis et Bajocenses addunt, et rex assensit.

22. Sed alter Giselbertus per Lotharingiam interim turbas dabat: cum enim ad Henricum (quantum arbitror) respiceret, capitur a Beren-

gario, sororis marito, et vix, intercedente fratre Ragenario obsidesque A. 924.
dante, dimittitur. Redditus libertati, utriusque et Isaaci comitis Cameracensis terras vastat: tum Rudolfo se suaque per legatos offert; qui consilio amicorum, instabilitatem ejus perosus, hominem rejecit; credo, ne amitteret ejus hostes. Berengarium Butkenius facit comitem Lummensem vel Namurcensem, notatque ex vita Gerardi abbatis et fundatoris Broniensis, huic cognatum et familiarem fuisse. Et memoratur in confirmatione fundationis, ab Henrico rege concessa a. D. 932; et multo ante (si modo idem) testis est in praecepto Ludovici, dato Aquis 5. Kal. Febr. 908. Utraque charta extat in Notitia Miraei: nec absurdum fuerit Berengarii regis fratre genitum fuisse.

23. Rex deinde, placito Attiniaci habito, cum expeditionem in Lotharienses pararet, gravi morbo primum, deinde vi recidiva oppressus ac desperatus, Remos se deferri jubet; thesauros per Franciae Burgundiaeque monasteria spargit. Recreatus tandem, post mensis apud Remos moram Burgundiam repetit. Dum interea Giselbertus et Ragenarius fratres, Boso item, quem regis fratrem puto, et Otto (an Ricuini filius, quem Boso occiderat) infestis animis conflictantur: abususque perturbatione rerum Isaac comes castellum Stephani Cameracensis episcopi dolo capit et incendit. Turris ad Matronam in castro S. Theoderici, ubi Heribertus Carolum servabat, fortuito incendio conflagrat. Ragenoldus Normannus, cum nondum speratam regionem accepisset, ditionem Hugonis Roberto nati inter Sequanam et Ligerim vastat. In synodo Troslejana, Octobri mense habita, Seulfus Isaacum comitem ad satisfactionem adigit, cautione pacis data. Rex Montem S. Johannis recipit, et in Franciam redit. Wilhelmus Aquitanus et Hugo filius Roberti privatam cum Ragenoldo pacem faciunt. Hic in Burgundiam Normannos ducit, quos putem pace nupera cum caeteris Sequanae accolis non comprehensos.

24. Majoribus Italia malis laborabat. Hungari ductu Berengarii a suis pulsi, Longobardiam populantur. Ita Frodoardus, cui magis credo in ipsis rerum articulis scribenti quam Luitprando, qui defuncto eos Berengario demum Salardo duce ingruisse tradit. Hungari ergo Italiam ingressi, si Sigonio fides, Mantuam, Brixiam, Bergomum diripiunt. De Papia eversa, urbe populosissima et opulentissima, omnes consentiunt. Primum hostes defixis in gyrum tentoriis, exitum civibus intercludunt; tum quarto Idus Martii flantem acriter ventum nacti, ignem injiciunt, attingentibus moenia tectis; unde late propagatus, totam urbem uno incendio involvit. Cives ancipiti malo pereunt, inter ferrum flammasque divisi. Ecclesiae tres supra quadraginta succensae sunt: urbis episcopus cum Vercellensi igne fumove necatur; immensae opes periere. Nec tamen urbs capta est; reliqui pauci ex cineribus collectos octo argenti modios hostibus mittunt, vitam urbemque vacuam redimunt.

25. Hungari mira audacia per praerupta Alpium in Galliam transcendunt. Rudolfus Italiae Burgundiaeque rex et Hugo Provinciae marchio occurrunt, frustraque iter intercludere tentant. Barbari inopinato per devia montis evadunt, et transmisso ipso Rhodano (ita necesse est) in Gothiam

A. 924. (id est Septimaniam) transeunt; nisi improprie Gothiae appellatione Provinciam etiam hoc loco designatam censeamus. Ibi peste quadam afflicti, inflatis capitibus et dysenteria pene omnes consumti, reliqui ab insequentibus Rudolfo et Hugone caesi sunt.

26. Interea Berengarius, Italiae rex et sese augustum ferens, Veronae a suis interficitur, sive quod Hungarorum amicitia in odium populorum incurrisset, sive privatis causis. Autor conspirationis Flambertus fuit, amicus atque etiam compater regis, qui filium ejus de sacro fonte susceperat. Berengarius indiciis designati sceleris ad se perlatis, hominem vocat, beneficiorum admonet, ostendit, fortunas ejus in sua dignitate sitas: itaque se fidem accusatori habere non posse, quin potius occasione ostendendae fiduciae gaudere. Itaque poculum auro grave propinans: *Quod intus*, inquit, *amore mei bibito, vas tibi servato.* Addit Luitprandus, hausto vino tanquam in alterum Judam intrasse satanam, obfirmata in scelus mente. Rex ea nocte in villa amoena prope ecclesiam haesit, custodibus etiam corporis recusatis, quos Milo alumnus regis impiger juvenis et fidus offerebat. Inde primo mane, campana signum de more dante, ad aedem sacram venit. Flambertus, re intellecta, paratos sicarios adducit. Fit tumultus prae foribus; rex visurus, quid rei esset, egreditur, et tanquam in medium amicorum receptus, Flamberto a tergo romphaea feriente, exanimis cadit. Addit autor, lapidi illic sanguinem aspersum elui non posse.

27. At Milo, cujus salutem non potuerat, saltem vindictam procuravit. Convocatis enim bonis, urbeque in potestatem redacta, triduo post caedem Flambertum et conscios suspendio vitam finire coegit. Milo Veronae comes aliquoties deinde in diplomatibus memoratur. Is finis laborioso principi fuit, anno regni trigesimo septimo et imperii, si agnoscimus, nono. Sigonius uno anno anticipat mortem: Sigebertus tantundem profert. Ego Frodoardum haud dubius sequor. Cum se ex privato regem fecisset, nunc regno pulsus, nunc restitutus, mox toto potitus, mox parte dimidia, aut etiam perparva contentus; cum minime expectares, hostibus mortuis aut fugatis, imperatoria etiam insignia obtinuit: neque eo tutior, iterumque pulsus, postremo intimorum scelere periit. Addamus jam infidam conjugem veneno potatam, generum hostem; et in perpetua fortunae jactatione miremur ambitionis humanae stultitiam, titulum sepulcri vitae infelicitate redimentem. Berta ejus filia fuit parthenonis S. Juliae Brixinensis abbatissa, ut patet ex praecepto patris dato a. D. 916.

28. Ughellus in episcopis Veronensibus, ubi de Ratherio agit, Milonis quasdam tabulas vel (ut vocat) testamentum producit, in quo a se ipso appellatur *Milo marchio, filius bonae recordationis Manfredi, qui lege Salica vivere visus sum.* Manfredum comitem vocat germanum suum. Conradus Salicus imperator confirmat monasterio S. Zachariae Venetiarum castrum Runcum, quod ei dederat marchio Milo, quod praeceptum mox recensebitur. De eo graviter queritur Ratherius in epistola ad Johannem XII, quod multis modis vexasset episcopi munus obeuntem, et pulso nepotulum suum substituisset. Ab eo comites S. Bonifacii, quae primaria

marchiae Veronensis vel Tarvisinae familia fuit, orti creduntur. Anno Domini 1678. prodiit libellus, cui titulus: *Lingua S. Zachariae soluta, publicata antiquissima origine, prosperis incrementis et amplissimis privilegiis insignis parthenonis Veneti.* Ibi Conradi augusti praeceptum invenio sequentis tenoris: ... *Conradus divina favente clementia Romanorum imperator augustus ... Maria abbatissa monasterii S. Zachariae in finibus Venetiarum constructi prope palatium per Johannem, cui cognomen est Storlatus, nostram adiit clementiam ... qualenus idem monasterium .... sub nostrae defensionis praecepto consistat .. cum omnibus ... videlicet castrum Runcum, quod marchio Milo pro anima sua eidem monasterio per chartam offersionis obtulit in Veronensi comitatu, multa etiam alia, quae Ingelfredus comes ... signum domini Conradi serenissimi Romanorum imperatoris augusti ... Radelaus* [an Radulfus] *cancellarius vice* [Herimanni] *archicancellarii recogn. Datum 16. Kal. Madii ind. 5, a. d. inc. 1037, anno autem d. Conradi reg. 13, imp. 11. Actum Ravennae.* A. 924.

29. Rodulfus hunc annum regni sui Italici quartum numeravit; extat praeceptum, in quo *intercessione Hermangardis inclytae comitissae et Bonifacii strenuissimi marchionis, consiliariorum regiae suae potestatis, Sublonetam juris regii curtem Hercardo reverendissimo praesuli S. Parmensis ecclesiae concedit. Signum d. Rodulfi serenissimi regis. Monus cancellarius ad vicem Beati archicancellarii recognovi jussus. Data 8. Idus Octob. anno Domini incarnationis 924, domini vero Rodulfi piissimi in Burgundia 14, hic in Italia 4. Datum Papiae.* Idem *rogantibus Lamberto reverendissimo archiepiscopo et Giselberto, qui et Sanson, ac Guillelmo illustribus comitibus* Widoni episcopo Placentino praeceptum concedit. Is est Sanson, a quo Rudolfus lanceam sacram obtinuisse scribitur, quam deinde Henrico Germaniae regi transmisit.

30. Ex fastis nostris Fuldensibus* obiere hoc anno Sigismundus Halberstadensis episcopus 19. Kal. Febr., Herimannus archiepiscopus Coloniensis 3. Idus Aprilis, Glismudis comitissa, mater Conradi regis, 6. Kal. Maji; postremo nescio quis Udalricus comes, an qui in Allemannia junctus Erchingero cum Hungaris pugnarat? Ditmarus eandem Sigismundo diem fatalem assignat, sed anno anticipare videtur. Halberstadenses Georgii Torquati annales inediti, a Buchaeo medico laudati, et chronicon Bothonis picturatum cum fastis nostris conspirant, et quod majoris est ponderis, chronicon ipsum antiquum loci, tomo nostro scriptorum secundo editum. Successit Bernardus, quem Cranzius ex burgraviis Magdeburgensibus ducit, Meibomius ex Hademerslebiis nobilibus dynastis. Nam coenobium Hademerslebiense condidisse, eique Gunderodam sororem praefecisse creditur. At Winningstadius non satis bonus autor, fratres Bernardo assignat Geronem marchionem notissimum et Sigefridum. Herimannum archiepiscopum jam superiore anno extinctum continuator Reginonis scripsit, apud quem anni passim dimoti sunt, et chronicon quod secutus est Mabilio, qui ejusdem autoritate et Sigismundi episcopi mortem eodem refert. Successit Wigfridus. Herigeri archiepiscopi Moguntini obitum multi huc referunt; sed differenda est in annum Dom. 927.

A. 924. 31. Annalista noster et Albericus Ogivam uxorem captivi regis cum filio Ludovico in Angliam patriam suam fugisse scribunt. Wilhelmus Gemmeticensis addit, ad patrem se recepisse, quem Adelstanum vocat: sed is frater, pater Eduardus. Apud Anglos etiam non satis certum est, hoc an sequente anno Eduardus sit extinctus, cui filius Adelstanus successit. Fuit Eduardo potentia super priores Angliae reges, ut etiam a Walliae principibus et Dano Northumbriae rectore Reginoldo et rege Scotorum in modum domini coleretur. Prudentia ei infra fortunam haud fuit; neque Adelstanus sese degenerem ostendit, etsi matre parum legitima cretus. Ogiva in hoc portu salutem filio invenit.

32. Desperatis Caroli rebus, hoc anno nactus ab Hungaris Normannisque otium Henricus rex orientalium Francorum, ad regnum Lothariense animum ita adjecit, ut tandem voto sit potitus. Neque enim lacerantes Galliam Rudolfum, Hugonem, Heribertum, Aquitanos, Normannos otiose spectasse credibile est principem, qui florente adhuc Carolo, jus regni Germanici in Ripuarios armis assertum isset. Accedebat commodum novi Coloniensis archiepiscopi electio, quem nisi regis jussu ordinari non posse constabat. Itaque Carolo destituto, Rudolfo in illis partibus haud admisso, Wigfridum Henrici factione electum crediderim, cui semper addictus fuit. Et inter vicinos principes Theodericum maxime potentem, qui pro Carolo nuper pugnaverat, a Rudolfo abhorruisse consentaneum est. Itaque vel hoc, vel sequente anno Henricum regnum apud Lotharienses inisse dicendum est. Si Coloniam post electionem Wigfridi, favente occasione, advolasse ibique natalem Domini egisse, et a proceribus praesentibus proclamatum regem statuamus, omnibus tabulis non manifeste mendosis circa annos regni satisfieri potest. Neque solennem inaugurationem expectasse putandum est, qui in ipsa Germania ungi coronarique insuper habuit. Itaque ignoratam vel dissimulatam rem Frodoardo puto adhuc ambigenti, dum magna pars Lothariensium nutabat; et anno sequenti demum annotatum Henrico cunctos Lotharienses se commisisse, quo subinnuitur simul, paulo ante jam a gentis parte susceptum.

33. Conspirat apud Blondellum Adalberonis Metensium praesulis charta, in gratiam monachorum Gorziensium scripta, quae hoc fine clauditur: *Actum Metis publice sub die 17. Kal. Januar. anno ab incarn. domini nostri Jesu Christi 933, regni autem gloriosissimi regis Henrici in regno Lothariensium 8, episcopatus autem domini Adalberonis, qui hoc scriptum fieri jussit, quinto.* Obrechtus Gorziensibus tabulis alias binas opponit, ex Trevirensibus Broweri, unas transactionis inter Rotgerum archiepiscopum et Giselbertum ducem de Trajectensi abbatia; resque acta dicitur in *Trajecto* (Mosae scilicet) *anno dom. inc. 928, regni vero serenissimi regis Henrici super regnum quondam Lotharii quinto, ind. 1;* alteras, quibus archiepiscopus bona cum Alberto quodam potente viro communicavit * *Treviris a. dom. inc. 929, regno Henrici serenissimi regis 6, ind. 2.* Pervenit ad me exemplum chartae Wicfridi archiepiscopi Coloniensis, quo sororibus de monasterio S. Caeciliae virginis consilio cleri-

*) *Eckard. corr. commutavit.*

rum suorum et laicorum in id convocatorum donat bona quaedam in lla Palmersdorf. *Actum publice in civitate Coloniae 12. Kal. April. anno ordinissimi regis Henrici decimo, ind. 6.* A. 924.

34. Has tabulas inter se conferenti apparet, Henricum paulo citius oloniae, quam Trajecti ad Mosam, vel Treviris, aut Metis pro rege agnitum, et unamquamque ecclesiam morem receptum tenuisse. Miraeus in otitia Belgica etiam binas in rem tabulas exhibet, sed alteras hiantes, lteras in annis corruptas. Gerardus Broniensis non procul Namurco onasterii instaurator et abbas (de quo ad a. D. 919. et 940.) Stephanum omanum pontificem adit, impetratque, ut acta firmarentur. Charta ita initur: *Ego Castorius notarius regionarius et scriniarius S. Romanae ecclesiae corroborante apostolica autoritate et sancto papa Stephano uggerente recognovi.* Sed quod sequitur singulare est. *Data 5. Kal. Majas anno .... regnante Henrico in regno Lotharii, imperante in Italia Hugone anno secundo.* Altera charta est, qua Henricus ipse abbatiae jura petenti Gerardo confirmat *a. d. inc. 932, ind. 5, regnante Henrico rege glorioso anno 13. Actum Aquisgrani palatio.* Sed annus regni decimus tertius nec in Germania nec in Lotharingia in annum aerae dominicae convenire potest.

35. Sed nunc conciliationem tabularum Metensium, Trevirensium et Trajectinarum tentemus, ponendo annos Henrici a natalitiis dominicis vel saltem post 17. Kal. Decemb. anni 924. coepisse. Rem in tabella spectandam dare operae pretium erit.

924. post 16. Decemb. Henricus proclamatur rex Lotharienslum ob chartam Metensem aliaque indicia.

925. 926. 927.

928. annus Henrici quintus ex charta Trajectina, si data ponatur post diem anniversarium inaugurationis.

929. ante 16. Decemb. Adalbero fit episcopus Metensis, ex charta Metensi; accedit Frodoardus ad h. a.
post 16. Decemb. annus Henrici sextus ex charta Trevirensi.

930. 931. 932.

933. 16. Decemb. annus Henrici octavus / Adalberonis quintus } ex charta Metensi.

Hic una fieri potest objectio, quod in charta Trajectensi indictio secunda pro prima, in Trevirensi tertia pro secunda ponenda videatur, si indictiones, ut plerumque fit, a Septembri inchoentur. Exemplis tamen ostendit Mabilio, saepe apud notarios indictionem cum anno cucurrisse. Sed tum demum extra controversiam collocari res tota poterit, cum ipsas tabulas authenticas consulere licebit. Interea aut huic anno aut sequenti pro his locis standum puto; sed Coloniae receptum regem jam verno tempore, vix electo Wicfrido, haud dubito, ut scilicet autoritatem accommodare posset; nam sine consensu regis ad ordinationem electi procedere non licebat. Quodsi ergo receptio regis facta est hoc anno ante 12. Kal. April., consequens est, ut ea die indictione 6, id est a. D. 933, jam annus decimus Coloniae sit numeratus.

ANNO CHRISTI 925.

Normanni in Burgundia. — Lotharienses quidam Rudolfo in speciem reconciliantur. — Normanni Galliam vastant. Rollo adhuc superfuit. — Seulfus Remensis archiepiscopus obit, non sine suspicione veneni. Heribertus administrationem ad se trahit, dum filius Hugo adolesceret, quem puerum eligi curat. — Papa assentitur. Baronius in papam invehitur, is a nobis excusatur. — Lothariense regnum Henrico regi Germaniae summittitur. — Giselbertus fit dux Lotharingiae et Henrici filiam ducit. Falsa de ejus captivitate narratio. — Henricus dat Virdunensibus episcopum, Metensem sibi vi subjicit. — Error est, Henricum regnum Lothariensium jam ex pacto Bonnensi habuisse. — Rudolfo quidam Itali rebellant. Fabulosa narratio Luitprandi. — Hugo ex regno Arelatensi ad regnum Italiae vocatur. De morte Ludovici Orbi et de ejus filio. — Berta Hugonis mox regis mater obit. — Sorores Bertae. — Albericus marchio Roma pulsus, apud Ortam occisus. — Marchiones de Orta. — De Marozia uxore Alberici marchionis et filiis Alberico patricio et Johanne XI. — Albertus marchio et Albericus confusi. — Alberici et Marozia Romae potentes. — Hungari in Bajoariam et Sueviam. — Plura de sanguine Domini Augiam allato. De Rhaetiae et Istriae principibus et Lindaugia.

A. 925. 1. Dum Henricus rex res Saxoniae componit, Gallia per hiemem a Normannis perturbatur. Ragenoldus Burgundiam depopulatur. Occurrunt ei Ansegisus episcopus Trecassinus et Gozelinus Tullensis; Warnerius item et Ansegisus comites. Congrediuntur ad Montem Calvum, hodie Chaumontium vocant, in Bassiniaco pago. Octingenti ex Normannicis cecidere; sed Warnerius comes equo confosso captus et interemtus est, Ansegisusque vulneratus. Rex Rudolfus in Francia tunc agebat. Itaque intellectis patriae suae malis, adjunctis sibi feudatariis militibus Remensis ecclesiae, et Abbone episcopo Suessionensi, in Burgundiam properat. Burgundi affluunt: Heribertus pone sequitur. Normanni ad Sequanam castris munitis considebant. Franci eos egressos in castra sua compellunt, desiliuntque equis, ut munimenta hostium aggrediantur. Sed cum Burgundi in equis manerent, oppugnatio omissa est, satisque visum, includere hostes stationibus dispositis in gyrum. Franci duobus vel tribus passuum millibus a Normannis remoti, castra sua metati erant. Hugo Roberti filius in ipsa Sequanae ripa consederat, ut flumen intercluderetur: sed procrastinantibus Gallis et oppugnationem differentibus, dum naves Parisiis cum apparatu bellico venirent, hostes, eruptione clam facta, nonnullis etiam, ut ferebatur, conniventibus, in saltum vicinum evadunt. Ita frustrata obsidione, quisque domum redit.

2. Sub initium quadragesimae Heribertus cum Giselberto, deinde cum Hugone Roberti filio colloquitur, id agens, ut Lotharienses ad obsequium regis Gallici adducerentur. Ea spe Rudolfus ex Burgundia arcessitur; venit Cameracum; sed cum Lotharienses ad placitum in eo loco habitum non venissent, rex ad Mosam perrexit. Ibi Giselbertus et Otho, hactenus vel adversi vel ambigui, obsequium spondent, sacramentis datis. Sed mobiles animi non diu in eadem sententia perstitere, cum bellum Normannicum recruduisset. Nam hi quoque, qui Rothomagum dudum tenebant, sive, ut popularibus succurrerent, sive praedae cupiditate, abrupto foedere agrum Ambianensem et Bellovacensem vastant. Urbs

Ambianensis negligentia eorum, qui sese in eam receperant, igne conflagravit: sed etiam Atrebatensis, orto forte incendio, periit. A. 925.

3. Normanni usque ad Noviomum veniunt, et suburbana succendunt: sed a castellanis et suburbanis repelluntur. Bajocenses trans Sequanam vicem hostibus reddunt, agrosque eorum depopulantur: quo exemplo Parisienses excitati, cum Hugonis militibus et nonnullorum castellorum oppidanis partem pagi Rothomagensis cis Sequanam vastant, villis succensis, pecoribus abductis. Heribertus interim, cum nondum herba equis suppeteret, ad Isaram sedebat, ut hostes transitu prohiberentur. Sed hi intellecta agri sui vastatione, domum redeunt. Nam et Hilgaudus comes caeterique Franci maritimi loca vicina Normannis concessa infestabant. Rudolfus banno, id est denuntiatione publica, expeditionem generalem contra Normannos indicit. Heribertus cum Remensibus, Arnulfus comes, Balduini filius, caeterique maritimi Augam (hodie Eu vocant) praesidium Normannorum ad mare situm aggrediuntur; nomen insulam sonat. Rollo ei ex Rodomo mille praesidiarios immiserat. Sed Franci, facta oppugnatione, vallum antemurale inscendunt: deinde muro dejecto irrumpunt, mares interficiuntur, pauci in insulam vicinam evadunt. Sed hi quoque pulsi, fluctibus vel armis periere. Interea Rudolfus cum Hugone fratre agrum Bellovacensem tuebatur. Postremo digresso Heriberto, Hugo Roberti filius pacem cum Normannis pro se suisque ditionibus facit. Sed filii Balduini Arnulfus et Adolfus, Hilgaudus etiam comes et Rudolfus de Gaugeio, id est Picardi Flandrique, pacto non comprehenduntur. Rollonem Normannum adhuc superfuisse, intelligimus ex Frodoardo, tametsi chronicon S. Michaelis in periculo maris, et Rotomagense a Labbeo editum, aliique a. D. 917. defunctum tradant. Synodus Turonensis hujus anni in novissima conciliorum editione datur.

4. Quae dum aguntur, Seulfus Remorum archiepiscopus obit, annis tribus, quinque diebus sedis expletis. Fertur venenum ipsi a familiaribus Heriberti datum, quod Frodoardus, canonicus sub ipso Remensis, memoriae prodidit. Heribertus mox advolat, et Abbone Suessionensi, Bovone Catalaunico sibi adjunctis, clericos vasallosque Remensis ecclesiae convocat, ut de rectore eligendo ageretur. Ibi praetextu sumto, ne episcopatus praedia in extraneos dispergerentur, Hugo Heriberti filius nondum quinquennis eligitur, ut, dum puer adolesceret, Heribertus ecclesiam (scilicet) tueretur. Rex intellecta electione, suadentibus iisdem episcopis, res Remenses Heriberto regendas committit, cui Carolum regem in potestate habenti nihil negare audebat. Ita multum ad inquieti hominis potentiam opesque accessit. Mirum tamen est, Bernardi regis Italiae pronepotem per mares nunquam ad Carolinam stirpem et jus regnandi provocasse: adeo tunc titulus iste debilis habebatur. Fama fuit, Seulfum, ut Odonem fratrem et Heriveum nepotem antecessoris coercerent, Heriberti filio successionem pepigisse, sed sibi exitum accelerasse, quem patrono tam utilem fecisset.

5. Abbo Romam mittitur, electionis decretum ferens; papa assensum praebet, et quae sunt episcopalis ministerii Abboni ipsi delegat: Odelrico

A. 925. tamen, Aquensi a Saracenis ex Vasconia pulso episcopo, vicaria haec cura postea commendata est. De quo dicemus ad a. D. 928. Hic merito irascitur Baronius; episcopum puerum quinquennem monstrum appellat, nondum hactenus in orbe christiano visum. Johannem vero papam decimum, qui assenserat, etiam conviciis proscindit, turpioremque nullum Petri solio intrusum scribit; in quo non assentior. Supra hujus pontificis apologiam scripsimus. Indulgentiam ejus non probo; sed neque piaculum admissum video, quando rebus sacris per administratorem episcopum prospiciebatur, et praedia episcopalia per potentiam Heriberti in tuto collocata videbantur. Quid enim faceret absens Johannes et praesentibus credulus, et frustra, nec fortasse sine detrimento ecclesiae, repugnaturus. Quodsi tantum scelus est creari episcopum nondum officii capacem, cur hodie pontifices Romani hujusmodi acta confirmant? An divinis legibus usu contrario et lapsu temporum praescribi potest? Interim res male gesta mox in exemplum transiit, et in ipsa Roma et Constantinopoli pueri archiepiscopi hoc ipso seculo prodiere.

6. At Lotharienses pertaesi instabilitatis Gallicae, dum rex legitimus captivus tenetur, dum Heribertus Remos invadit, Aquitani dubitant, Rudolfus et Hugo cum Normannis conflictantur; Henrico spem redintegrandi regni faciunt. Quantum intelligo, archiepiscopi Ruotgerus Trevirensis et Wigfridus Coloniensis necdum Rudolfum agnoverant: Wigfridum electum a clero, sed nondum ordinatum puto, capto Carolo, longinquo Rudolfo, ambiguo rege, qui electionem probaret, donec in Henrici sceptra consensum est. Gisilbertus et Otto comites in alterutrum latus nutabant, prout spes metusve ostenderetur. Theodoricus cum Frisiis, aliique Carolo nuper fidi, Rudolfum dominum nolebant. Neque absurde credi potest, Carolum captivum occultis nuntiis vel interpretatione amicorum Henrici auxilia implorasse et Lotharienses ei tradidisse, quos nuper regni Germanici fuisse constabat, et quos vicino, quam rebelli parere malebat. Witikindus scribit, Henrico Rhenum transgresso, Carolum legatos cum manu Dionysii martyris misisse, et opem petisse. Ditmarus regnum Lothariorum promisisse addit, si opera ejus liberaretur. Itaque si Carolus Henrico regnum Lotharicnse concessit, si se suaque commendavit, quod passim scribunt, id circa haec tempora factum putem. Sigebertus ad a. D. 923. refert, annalista noster in praesentem. Henricus ergo non ferendum ratus, quod Giselbertus et Otto se Rudolfo tandem summisissent, et Giselbertus in Tulpiaco castro non procul Rheno praesidium haberet, Rhenum transiit, locum vi capit, Giselbertum obsides dare cogit.

7. Giselbertus cum amicis, regresso licet trans Rhenum Henrico, videns longe sibi Rudolfi auxilium esse, ad Germaniae corpus redire statuit. Idem episcopis ac caeteris optimatibus Lotharicnsibus optimum visum. Ita enim paucis verbis rem magnam complectitur Frodoardus: *Henrico se (inquit) cuncti Lotharienses committunt.* Giselbertus etiam majora desperans, exemplo Arnulfi et Burcardi stabiliorem potentiam ducatus honore apud Henricum sibi paratam intelligebat. Accessit in spei firmitatem matrimonium ejus cum Gerberga regis filia, circa haec

umpera sive pactum, sive etiam perfectum; cujus occasionem Witikindus A. 925.
oster non recte enarrasse videtur. Scribit enim, Christianum quendam
otharienseм, simulata infirmitate vocasse ad se Giselbertum, et dolo
aptum regi Henrico misisse. Hunc cum nobilitatem et opes et indu-
triam adolescentis perspexisset, filiam ei Gerbergam dedisse, cum ducatu
otius Lothariensium regni. Sed illa de captivitate Giselberti narratio
rum Frodoardi annalibus, quibus magis fido, consistere posse non videtur.

8. Henricum ad Aquas Grani placitum celebrasse, ibique Lotharienses in fidem suscepisse, crediderim. Et tunc quidem Bernuino, Dadonis episcopi nepoti, Virdunensem ecclesiam regendam dedit, qui mox pulso Hugone, quem Rodulfus nominaverat, consecratur; ita Frodoardus. Id factum Rotgeri haud dubie archiepiscopi autoritate, quem unum Hugoni obstitisse apparet: Hugo autem anno sequente decessit. Frodoardum sequitur chronici Virdunensis autor Hugo Flaviniacensis abbas, qui addit, ex eo Virdunum et alias civitates a regno Francorum avulsas; sed addere poterat, ad aliud rediisse regnum Francorum, scilicet orientalium, cujus dudum partem faciebant. Wigericum, Mediomatricum episcopum Rudolfinae factioni pertinacius addictum, in urbe sua cum Rudolfi praesidio se tenentem, ab Henricianis obsessum, et cum moenia aliquandiu impigre defendisset, ad deditionem adactum, in Henrici fidem venisse, Broverus refert.

9. Ab hoc ergo anno vel fine prioris annos regni Henrici apud Lotharienses computare oportet; nam quod continuator Reginonis, passim in rebus temporibusque hallucinatus, scribit, Bunnensi pacto convenisse, ne Carolus sibi ultra Lothariense regnum usurparet; aut quod Sigebertus, Carolum redidisse tunc Henrico Lotharingiam, episcopis et comitibus rem utrinque jurejurando confirmantibus: tum rebus ipsis, tum pacti tabulis evertitur, quarum tenorem paulo ante dedimus. Equidem Ulricus Obrechtus vir insignis in prodromo rerum Alsaticarum fidem earum in dubium vocat, et quicquid extat pro integro pacti instrumento venditatum, rude atque informe fragmentum appellat, quod excerpserit nescio quis capitularium Caroli Calvi descriptor, suoque codici attexuerit; cujus etiam nonnisi unicum exemplum noscatur Heriberti Rosweidi, unde accepit ediditque Jacobus Sirmondus. Sed multa vetera pacta non aliter habentur, neque ideo fides eorum laborat. Et demus, fragmentum esse, continet tamen, quae cum cessione regni Lothariensis consistere non possunt; et ipsi episcopi comitesque regni inter Carolinos proceres recensentur omnes, et pactum fit in medio Rheni, qui tunc limes illic utriusque regni. Frodoardi etiam, non contemporanei tantum, sed et locis rebusque vicini scriptoris, narrationes consentiunt, frustraque alium Bonnensem conventum, alia pacta biennio posteriora, ex Sigeberto aut Reginonis continuatore, comminiscemur; quo Conringium etiam in addendis ad opus de finibus imperii inclinasse miror. Itaque rerum seriem intuenti dubium nullum superesse arbitror, quin nunc coeperit regnum Lothariense Henrici.

10. Occiso Berengario, Rodulfus reditum in Italiam maturat, et Verona ipsa potitur, quam hactenus Berengarius tenuerat. Vidit Sigonius diplomata, anno regni tertio Veronae data, quibus Patavinae, Parmensi,

A. 925. Cremonensi ecclesiis sua bona juraque firmat. Non addit mensem; qui si in hyemem incidit, potuit hujus anni esse. Interea Alberto Eporediae marchione mortuo, Ermengarda ejus vidua, Adelberti et Bertae filia, Widonis Tusciae marchionis soror, cum fratribus res novas moliri coepit. Dudum mater Berta filium ex Theobaldo Hugonem contra Berengarium exciverat; sed expeditio irrita fuerat. Nunc Rudolfus magis patere artibus videbatur, homo mobilis; sed nec satis firmatus, et fortasse fortuna superbius utens. Et Itali suo regi aemulum opponere solebant. Ermengarda ergo multis Italiae proceribus non per potentiam tantum et necessitudines, sed per illecebras etiam, si Luitprando fides, sibi conciliatis, regni caput, Ticinum, occupat. Rex, Lamberto Mediolanensi archiepiscopo adjutore, collecto exercitu urbem obsidet. Ibi Luitprandus rem narrat, quam extra Romaniscorum fabulas non expectes. Ermengarda occultis nuntiis Rudolfo talia significat: *Si te perdere vellem, dudum perisses. Tui te mihi tradere vinctum pollicentur. Ego vero tibi bene cupio: tu vide, ut benevolentia mea recte utare.* His rex credulus, et (quod suspicari pronum est) etiam Ermengardae pulchritudine incensus, nocte concubia clam suis omnibus parvum lintrem ingressus, ad Ermengardem contendit. Ea nocte pax inter eos facta est. Mane proceres ad tentorium veniunt, diuque expectant. Provecto jam die tentorium vacuum reprehendunt. Alii captum regem, alii interfectum verebantur; transfugam ex propriis castris nemo putasset: cum trepidus ecce nuntius affert, regem non tantum apud hostes esse, sed etiam hostili in socios animo venire. Diffugiunt omnes: Rudolfus sui, vel potius suorum victor, cum Ermengarda exultat. Haec in hominem sanae mentis vix cadant. Sed haud multo minus ridicula jam de Arnulfo aliisque narrantem Luitprandum audivimus.

11. Soluta quamcunque ob causam obsidione, Lambertus archiepiscopus jam offensus Rudolfo, ex plerorumque procerum sententia ad uterinum Ermengardae fratrem Hugonem mittit, quem Luitprandus potentissimum provincialium comitem appellat. Poterat ille plurimum in Ludovici Orbi regno, qui in diplomatibus nonnullis apud Chorierium in rebus Delphinatus et alibi propinquum eum suum vocat. Erant enim consobrini: Orbus filia Ludovici augusti, Hugo filia Lotharii regis Austrasiae natus. Et jam Ludovicum Orbum extinctum crediderim. Nam ultima charta, qua memoratur, est in indice Peireskiano tabularii ecclesiae Arelatensis (Pagio citante ad a. D. 911.) conventionem continens Manassis archiepiscopi cum alio quodam, quae facta dicitur *in Arelate civitate publice mense Junio anno 33. regnante Ludovico rege et imperatore, filio Bosonis regis*, id est anno Domini 922. Nec filius Orbi Carolus Constantinus regem se, sed principem Viennae tulit, credo, quod Hugonis magnitudine obumbraretur, qui Arelatensem provinciam tenuit, titulo jam comitis (ut apud Luitprandum), jam ducis et marchionis, quem majores comites tunc passim sumebant; hic enim ei tribuitur in eodem indice 5. Non. Octob. 921. Et in idem Pagius hoc anno Saxii pontificium Arelatense citat. Nempe litus Narbonensis Galliae contra Saracenos tueri ad officium ejus pertinebat.

12. Porro Hugo anno demum sequente in Italiam venit, nec filii fe-

licitatem vidit, quae praeparaverat, mater Berta. Ea enim vitam nunc finivit A. 925.
octavo Idus Martii, quemadmodum ex epitaphio intelligitur, quod in cathedrali Lucensi ecclesia positum, refertur apud Florentinium, unde sequentia excerpemus:

Hoc tegitur tumulo comitissae corpus humatum,
Inclyta progenies Berta, benigna, pia.
Uxor Adalberti ducis Italiae fuit ipsa,
Regalis generis quae fuit omne decus.
Nobilis ex alto Francorum germine regum,
Carolus ipse pius rex fuit ejus avus.
Quae specie speciosa, bono speciosior actu,
Filia Lotharii pulchrior ex meritis.

* * *

Idibus octavis Martis migravit ab ista
Vita cum Domino, vivat ut in requie.

* * *

Nunc Europa gemit, nunc luget Francia tota,
Corsica, Sardinia, Graecia et Italia.
Qui legitis versus istos, vos dicite cuncti:
Perpetuam lucem donet ei Dominus.

Anno dom. incarnationis 925. indict. 13. obiit de mundo. Nec video, cur Pagius hoc epitaphium in dubium vocet, et serius positum arbitretur.

13. Idem Florentinius sororem ejus Ermengardam, aliis ignoratam, nobis conservavit, quae religioso habitu sumto, in monasterio S. Justinae Lucensi tale epitaphium accepit:

Hic jacet in tumulo felix, venerabilis atque
Ermengardis erat namque dicata Deo.*
Quam rex egregius Lotharius edidit, ipse
*Francorumque potens Teutoniaeque decus**.*
Huc quisquis veniens epigrammata legeris ista,
Dic: Famulae, Christe, probra remitte tuae.

Alia soror Gisela Godefrido Dano nupserat: quo occiso, ex praediis concessis in Belgica victitavit, aliquoties regum tabulis memorata. Ex Hugone rege, filio Bertae, Estenses et Brunsvicenses Bucelinus deduxit, quem Hofmannus archivarius in ea re secutus est. Sed ea derivatio consistere non potest.

14. Sigonius ex monumentis, ut arbitror, quae ad nos nondum pervenere, memoriae prodidit, marchionem Albericum (ipse Albertum vocat) maritum Mariae vel Maroziae, qui opibus Romae pollebat, in offensionem pontificis lapsum, urbe excessisse, et Ortae sese Tusciae (Romanae scilicet) oppido, validis praesidiis munito, inclusisse: inde Hungaros ad Romanam ditionem invadendam excivisse; hos in Tusciam irrumpentes cladem dedisse, nec rerum tantum spolia tulisse, sed et virgines puerosque abripuisse; ejus rei odio Albericum hoc anno a Romanis oppressum.

*) *in margine est:* [erat pro olim].
**) *in margine:* pro: Germaniaeque potens Francorumque decus.

A. 925. Blondus prodidit, ab Alberto Spoletano apud Ortam occisum. An Adalbertum Tuscum in animo habuit? Sed is jam obierat. Itaque de Alberico nostro accipi debet. Hungarorum irruptionem ad annum praecedentem retulerim; nam cum Longobardiam inundassent, potuit turmas aliquot conducere Albericus, ut sese de pontifice vindicaret.

15. Albericus marchio is est, qui pontifici a. D. 916. affuerat in expugnatione Gariliani. Et potuerit filius ejus esse Alberici, qui synodi Ticinensis decreta signavit a. D. 876, quive Berengario regi apud poetam auxilium tulit, et Tiberis undas fraude infecit. In nuperis antiquitatibus Hortanis a Justo Fontanino v. cl. editis, etiam nummus expressus est, Alberici nomine signatus. Marchiones Longobardiae ab Orta dictos, Estensis stirpis progenitores, ab hac urbe nomen nactos, atque inde venisse in Longobardiam vel redisse, dictum est ad a. D. 917. Qua ratione id factum sit, infra dicetur ad a. D. 960.

16. Albericus marchio ex Maria vel Marozia conjuge genuit Albericum patricium Romanum, et Johannem XI. pontificem Romanum; ut alios liberos taceam, de quibus deinde dicetur. Luitprandus lib. II. cap. 13. haec suppeditat: *Theodora Alberici, qui nuper hominem exuit* (patricii scilicet) *avia suo tempore Romanae civitatis non inviriliter monarchiam obtinebat; quae natas habuit Maroziam et Theodoram:* earum pater Luitprando siletur. Addit deinde Maroziam ex papa Sergio (nondum papa, ut arbitror) Johannem (XI. scilicet), qui post Johannis Ravennatis (decimi scilicet) obitum Romanae ecclesiae sedem obtinuit, adulterio genuisse: *ex Alberto autem marchione Albericum, qui nostro* (inquit) *post tempore Romanae urbis principatum usurpavit.* Haec ille. Legi malim: *ex Alberico marchione Albericum:* ita enim habet ipse Luitprandus lib. III. cap. 12. Alberti autem pro Alberico posita vox erroribus causam dedit, ut Albericus marchio circa Romam, cum Alberto marchione Tusciae, a Baronio aliisque confunderetur. Porro et Johannem XI. pro Alberici marchionis filio habendum apparet, cum pater sit, quem nuptiae demonstrant, nisi aliter constet. Neque enim confessum Maroziae adulterium putem, sed rumoribus in vulgus sparsum: foeminam enim legibus infamem et adulterii convictam quis post primum maritum rursus alios summae fortunae invenisse putat, Widonem marchionem Tusciae, et tandem Hugonem Italiae regem? Verisimile est, ex Theodora sorore Maroziae, Johanni cuidam nupta, natum Crescentium ducem a. D. 984. defunctum, ex quo genitum apparet Crescentium Ottoni III. rebellem, quemadmodum notabimus ad a. D. 998.

17. Librarii (ut arbitror) vitium, cognata nomina facile permutantis, secutus est etiam Sigonius, qui marchionem hunc in Latio potentem etiam Albertum vocat, et partem Formoso pontifici adversam semper sustentasse scribit, ex ingenio, ut apparuit. Recte tamen a Tusciae marchione, Lucae residente, Bertae marito, distinguit, quem constanter Adalbertum vocat. Baronius et hos confudit: sed discrimen asseruimus ad a. D. 917, cum Adalberti Tusci obitum referremus.

18. Caeterum, etsi haud satis sciam, quo jure comitum Agri Romani,

qui postea Tusculani dicti sunt, factioni a multo jam tempore, et ante A. 925. Albericum hunc primum, tantum in rebus Romanis agendis vertendisque Sigonius tribuerit; nunc tamen plurimum valuisse agnosco, et Spoletinis principibus extinctis caput extulisse. Opima in Latio praedia tenuisse, facile admiserim. Sed in urbe potentiam vel acquisitam vel certe auctam puto Maroziae conjugio, ex nobilissimis potentissimisque Romanorum ortae, cujus mater Theodora tantae autoritatis fuit, ut etiam papam faceret, quem deperibat; hunc scilicet Johannem X. Itaque Frodoardus hujus temporis scriptor, qui Romam ipse adiit, semper patriciam vocat, et filius Albericus junior patricium re nomineque egit. Alberico igitur et Marozia Romam velut derelictam tenentibus, illibata potentia fuit, donec cum papa collisi sunt, qui nunc praevaluit, cessitque urbe Albericus, et paulo post caesus est. Sed Marozia auxilio Widonis novi mariti ulta est priorem, capto papa et in vinculis extincto a. D. 928. Neque Albericus tantum junior paternam potentiam recuperavit auxitque; sed etiam posteri per absentiam imperatorum, plurimum Romae potuere, et pontifices aliquot Romanos habuere: quorum tabulam etiam infra dabimus, illustrandis hujus familiae rebus profuturam.

19. Non bene cum novennalibus induciis a Witikindo memoratis cohaeret, quod Hungari sese rursus in Bajoariam Allemanniamque infudere; nisi ponamus, inducias ad solam Saxoniam pertinuisse. Irruptio eorum, et Wiboradae caedes in hunc annum refertur ab Hermanno Contracto Canisii, et Hepidanno. Ego in sequentem differre malo, Frodoardi coaevi autoritate. Huic tempori Pagius ascribit Pelagii, pueri Hispani tredecennis, martyrium, quod Roswita virgo Saxonica carmine celebravit, memorans, ab oculato teste sibi relatum. Cum enim Abderramen in praelio ad Juncarias a. D. 920 Hermigium episcopum Tudensem cepisset, is puerum sobrinum suum pro se obsidem dedit: qui cum solicitantibus ad turpia fortiter restitisset, gladio membratim scissus et in flumen projectus est.

20. Hoc anno sanguinem Domini in Augiam, quae Dives dicitur, illatum ajunt. Narrationem rei gestae coaevam ob inspersa historiae adjumenta excerpere placet. Azan Hierosolimitanae urbis praefectus (Saracenus, opinor) cum sacris muneribus ad Magnum Carolum profectus, in Corsica morbo detinetur. Mittuntur Waldo abbas Augiensis et Hunfridus praefectus Istriae, qui donaria accepta Ravennam ad Carolum deferunt. Ea erant ampulla ex lapide onychino, in quo sanguis Christi cum crucicula ex auro gemmis ornata, continens et ipsa nonnihil dominici cruoris, in quatuor partibus inclusi, quarum in medio particula de ligno crucis, quae Dominum tulit; ad haec corona spinea, quae Christi sacrum caput redimivit, et unus de clavis, quibus fuit confixus; ac denique aliquid de sepulcro. Hunfridus cruciculam, quamvis aegre, a Carolo obtinuit, et in parthenone, quem Schennis in Rhaetia Curiensi exstruxerat, deposuit. Albertus filius eam repoposcit. Hic pulsus Rhaetiae praefectura a Ruotperto, Ludovici Pii vasallo, auxilio fratris Burcardi, qui tunc Istriae praesidebat, Ruotpertum adoritur. Is in fuga equo excussus interiit, et ab

A. 925. Adalberto sepultus est in monasterio, quod Lindowa nominatur. Adalbert filius Udalricus cruciculam moriens Emmae filiae commendavit. Hujus filius et haeres Udalricus sacrum thesaurum Walthario socero concessit, qui in capella castri sui, cui Zurzacha nomen, asservavit. Burcardus dux, Walthario infensus, castellum forte oppugnat, resque ad deditionem spectabat, cum Suanehilda Waltharii conjux cum sacra crucicula hostibus obviam procedens, obsecrat, ut a coepto desistant. Cum refragarentur, unus lapide percussus tantum caeteris terrorem incussit, ut sese in fugam darent. Augienses, re intellecta, multis ab ea precibus thesaurum flagitant: abnuit illa, sed tandem morbo monita cessit. Monachi a. D. 925, V. Idus Novemb. ecclesiae solenni ritu intulerunt. Sigebertus hunc sanguinem putat ex imagine Berytensi fluxisse.

ANNO CHRISTI 926.

Burcardus dux Sueviae, Rudolfi Guelfigenae socer, ei auxilio venit in Italiam. — Cum Italos sprevisset, ab iis per proditionem occiditur. Rudolfus Italia cedit. — Hugonem Itali regem faciunt. Ejus familia. Mater Berta; filia Lotharii regis Austrasiae. Wido, Hugonis frater uterinus, Maroziam ducit. — Vera origo Hugonis regis Italiae diu ignorata. — Pater Theobaldus comes Burgundiae, vitricus marchio Tusciae Adelbertus secundus. Alia de Hugonis regis familia. — Initium regni Hugonis ex tabulis. De regno Arelatensi et Burgundico juncto. — Eberhardus frater Conradi regis in Lotharingiam mittitur. Giselbertus deinde fit ibi dux. — Hungari iterum in Sueviam et Galliam. — Herimannus ducta vidua Burcardi fit dux Sueviae. — S. Wiborada reclusa ab Hungaris occisa. De solitariis vel reclusis, et modo recludendi. — De vita reclusorum. — Normanni in Picardiam et Flandriam: pecunia pacantur. — Rudolfus rex Galliae in Wilhelmum Aquitanum. — Hugo Albus vel Magnus, Roberti regis filius, cum Rudolfo rege colliditur. Dona Ogivae reginae in Anglia exuli mittit. — Quaedam Hildeshemensia et Gandeshemensia. Roswita abbatissa alia a poetria. — Synodus Carilocensis.

A. 926. 1. Rodulfus Guelfigena, Longobardorum idemque Burgundionum Transjuranorum rex, re nuper apud Ticinum male gesta, intellectaque procerum in se conspiratione, viribus diffidens ad retinendos in officio Italos, Burcardum socerum excire statuit: neque ille deerat propriae ambitioni, nam res magnas moliebatur, ut ex Hartmanno Sangallensi apparet, vitae S. Wiboradae scriptore; qui ait, magno comitatu in Italiam tendentem circumvenire proceres, totamque regionem sibi (id est, ut arbitror, genero) subjicere molitum. Ipse fortasse, Rodulfo Italiam tenente, Transjuranum regnum sibi sperabat. Ut expeditioni sufficeret, passim ecclesias spoliavit, et inter caeteras auream S. Galli crucem abstulit, unde Wiboradae reprehensionem meruit, quae brevem vitam interminata est. Mature in Italia fuit, ut superiore anno jam ingressum putem, nam hyeme vix perviae sunt Alpes; et genero comitem ivisse Frodoardus habet. Porro cum Eporediam venissent cum exercitu, Burcardus legationis specie Mediolanum praegressus est, ut animos hominum exploraret. Adventantem archiepiscopus maximo cum honore suscepit, et tamdiu tenuit, donec collecti conscii proceres, adjunctis sibi Papiensibus, redeuntem occupare possent.

2. Addit Luitprandus, ut est rumusculorum curiosus annotator, Burcardum, antequam Mediolanum ingrederetur, ecclesiam S. Laurentii extra

muros orationis specie adisse, revera ut locum specularetur, in quo arx collocari posset; et opportunitate situs perspecta, jactasse inter suos, effecturum sese, ut Itali imposterum nonnisi uno calcari uterentur, nec nisi deformibus equabus veherentur. Id quendam inobservatum, Teutonici sermonis callentem, ad archiepiscopum retulisse, indeque odia aucta. Quid multis! cum revertens Novariae pernoctasset, et mane egressus oppido Eporediam tenderet, in hostes improvises incidit, et in fugam versus cum equo in fossam civitatis lapsus, lanceis confoditur. Sed et comites intra ecclesiam S. Gaudentii, in quam se receperant, occisi sunt. Eo nuntio accepto, Rodulfus Italiam pro derelicta habuit. Frodoardus caedem Burcardi filiis Bertae tribuit; sed Hugo nondum aderat; ad filiam Bertae, Ermengardem incentricem rebellionis, causam referre malim. A. 926.

3. Porro Hugo ex Provincia solvens, classe in Italiam venit, et cum apud Pisas appulisset, extincta matre, a fratre Widone Tusciae principe exceptus est. Ticinum tenebat Ermengardis soror. Lambertus archiepiscopus Mediolanensis, hactenus in occulto favens, jam remoto metu partes professus est. Itaque Hugonem tunc inauguratum regno Longobardorum, non dubito. Papiae inisse Luitprandus prodit. Ex genere Francorum fuisse, ait Luitprandus, at uxorem Aldem gente Teutonicam. Nempe tunc paulatim Francorum appellatio ad occidentales restringi coepit. Tetbaldum Burgundum patrem regis Hugonis fuisse, mox probabitur. Fuerat ille dux copiarum Hugonis, ex Lothario rege et Waldrada geniti, cujus casus supra memoravimus; et sororem ejus Bertam, iisdem parentibus natam, duxisse memoratur; unde et filium Hugonem, Arelatensem deinde comitem, postremo Italiae regem, itemque Bosonem, factum a fratre Tusciae marchionem, susceperat. Si Aventino credimus, Hugo Arelatensibus praefectus est a. D. 890, cum Ludovico regnum patris Bosonis autoritate Arnulfi regis Germaniae in synodo affirmaretur. Hugo autem, filius Lotharii regis, ob matris conjugium pro notho habitus, eoque exclusus, et cum regnum appeteret, oppressus est. Berta secundis nuptiis Adelberto potenti Hetruriae duci nupserat, inde tandem filio aditum ad regnum fecit. Ex Adalberto nati sunt Wido et Lambertus, quorum ille patri, hic fratri in Tuscia regenda successit. Wido etiam Mariam sive Maroziam, Alberici marchionis viduam, in matrimonio habebat. Conjugium Sigonius in hunc annum refert, sed hoc non indicat Luitprandus. Ipsa Romae plurimum poterat; itaque Johannes etiam pontifex Hugoni favit, et Mantuam usque progressus, foedus cum ipso percussit. A fortitudine et ingenio Luitprandus hunc regem laudat; tantum culpat, quod in libidines effusior fuisset.

4. Sed quoniam vera origo Hugonis regis Italiae diu latuit, visusque est plerisque ex stirpe Caroli Magni per mares processisse, dicta comprobare operae pretium erit. Cuspinianus Lothario regi Austrasiae filium Lotharium Arelatensem principem dedit, patrem Hugonis Italiae regis; eum Onuphrius et Sigonius sunt secuti. Ita ex filio natum credidere, qui ex filia fuit, et Carolinae stirpi inseruere. Filium Lotharii regis Lotharium veteres ignorant. Hugonem ex Waldrada natum, memoravimus.

A. 928. Ei filium Hugonem Italiae regem ascripsere Peucerus et Lazius. Uxorem habuit Friderucham (an Friderunnam?) apud Reginonem ad a. D. 884; sed liberos genuisse, non legitur. Friderunna antea Engelramno potenti viro nupta, filiam ei genuerat, quam Richwinus comes ductam ob adulterium decollari jussit. Richwinus, credo, comes Lothariensis regni fuerat, memoratus nobis aliquoties, cujus filius Odo ad ducatum sub Ottone M. pervenit. Lotharius rex praeter Hugonem ex Waldrada suscepit Giselam, Godefrido Normanno nuptam, cujus etiam mentio subinde facta est, et Bertam. Hanc frater Hugo Theobaldo, viro insigni et strenue, in matrimonium dedit. Vocatur ab annalista Fuldensi ad a. D. 880. princeps militiae Hugonis, sed annales Bertiniani eodem anno sororium vocant, id est sororis maritum. Idem ex annalibus iisdem (qui serius prodiere) descriptum jam legebatur apud Aimoinum. Verba ita habent: *Hugonem* (hostes) *non invenerunt, sororium ejus Theobaldum bello aggressi sunt, et multis interfectis, eum in fugam verterunt.* Theobaldus inter comites Hugoni ad spem regni paterni faventes a Reginone nominatur ad a. D. 883.

5. Porro Hugonem regem Italiae ex Berta natum saepius habet Luitprandus, quae tunc in matrimonio erat Adelberti Divitis marchionis Tusciae, et originis regiae memor maritum ad capessenda Longobardorum sceptra stimulabat, ut idem docet Luitprandus; et in epitaphio Lucae posito, quod retulimus, diserte *filia Lotharii* appellatur, et *nobilis ex alto Francorum germine regum.* Patrem Theutbaldum eruit Johannes Belius, Pictaviensium comitum historia clarus, deque ea re peculiarem dissertationem contra Scioppium scripsit; cum scilicet in bibliotheca Floriacensi Johannis de Bosco datas ab Hugone rege tabulas excerptas reperisset, quae ita habent: *Hugo et Lotharius* [pater et filius] *divina providente clementia reges pro Dei amore, animaeque nostrae et Theobaldi avi seu genitoris nostri* [qui scilicet pater Hugoni, avus Lothario], *nec non et Bertilionis patris Ingelberti remedio offerimus* [quae sequuntur] *Deo et ecclesiae S. Mauritii martyris Christi fundatae Viennae, ubi Sobo archiepiscopus praeesse videtur.* Data est scriptura *octavo Kal. Feb. a. d. inc. 945, regni vero domini Hugonis 18. et Lotarii 14, indict. 3. Actum Papiae.* Coriarius, rerum Delphinatium scriptor, aliam affert chartam ab Hugone nondum rege datam anno vigesimo Ludovici (nempe Orbi), qua restituit quaedam ecclesiae S. Petri Viennensis pro remedio animae Theobaldi patris, Bertae matris, Willae conjugis primae (quam illic sepultam ex alia charta habemus), Hildae conjugis secundae (Luitprandus Aldam appellat), fratrum, sororum, quorum nomina non adjiciuntur. Hugo comes, marchio, dux appellatur, Coriarius comitem Viennae, marchionem Arelatensem interpretatur, dux erat honoris nomen. Vellem ipsa tabularum verba aut saltem temporis notas nobis rite excerpsisset. Adjuvatur paterna origo Hugonis (si pluribus argumentis opus esset) ex Luitprandi locis, qui Hugonis regis filium nothum nominat Theobaldum* archidiaconum Mediolanensem; et propinquum regi eidem tribuit alium Theobaldum, Camerinorum factum marchionem, quem ipse rex nepotem vocat. Et filius Hugonis Hubertus, marchio Tusciae, filiam Waldradam proaviae nomine appellavit.

*) Theobaldum a Leibnitio deletum restituit Eckardus.

A. 926.

Lotharius rex Austrasiae ⌣ Waldrada.

- Hugo affectans regnum in monasterium trusus.
- Gisla nupta Godefrido Normanno.
- [Theobaldus comes] ⌣ Berta ═══ Adelbertus marchio Tusciae dives.
  - (ex Theobaldo:)
    - Hugo rex Italiae.
      - Adelais, filia Rudolfi regis Burgundiae, postea uxor Ottonis M. ⌣ Lotharius.
        - Emma uxor Lotharii regis Francorum.
      - Alda nupta Alberico patricio Romano.
      - Berta (ex concubina) nupta Romano imperatori, filio Constantini Porphyrogennetae.
      - Hubertus (ex concubina) marchio Tusciae, dux Spoleti. Uxor Willa, filia Bonifacii marchionis Spoletini et Camerini.
        - Waldrada nupta Petro Candiano duci Venetiarum.
          - Waldrada nupta Azoni marchioni ex familia, quae postea dicta Estensis.
        - Hugo dux et marchio Tusciae et Spoleti.
      - Theobaldus archidiaconus Mediolanensis.
    - Boso ═══ Willa.
      - Willa uxor Berengarii II.
      - Berta uxor Bosonis comitis Arelatensis et postea Raymundi marchionis Tolosani.
      - et aliae filiae.
  - (ex Adelberto:)
    - Wido marchio Tusciae, maritus secundus Maroziae patriciae, habuit liberos.
    - Lambertus marchio Tusciae excaecatus, vixit adhuc Ottone M. in Italia regnante.

A. 926. 6. Pulso ergo Rudolfo et Hugone recepto, exinde diplomata per Italiam annis regni Hugonis notata sunt. Giselbertus aliquoties memoratus sacri palatii comes, in nonnullis nominatur. Hoc intercessore confirmata sunt privilegia Astensi ecclesiae, *anno dominicae incarn. 926, prid. Id. Nov. ind. 15, Hugonis serenissimi regis primo. Actum Astae.* Sic etiam ad preces Adalberti egregii praesulis, et Giselberti sacri palatii gloriosi comitis, Widoni episcopo Placentino abbatiolam in Ticinensi urbe B. Christinae dicatam donavit, *anno inc. Dom. 926, 4. Kal. Decemb. indict. 15, anno vero d. Hugonis regis primo. Actum Papiae.* Giselbertum comitem palatii mox obiisse, ex Luitprandi verbis intelligitur, Razam ejus conjugem memorantis. Medio jam mense Majo regnare Hugonem coepisse, hinc intelligas, quod Burcardus Nonis Maji occisus est, et ille quarto Idus jam pro rege habitus est, ut ea dies anni 929, in quartum regni cadere possit, quemadmodum diploma ostendit. Ordinatione celebrata Veronam rediit, ibique 8. Id. Aug. egit; inde Mantuae cum Romano pontifice colloquium habuit. Paradinus ex diplomate contendit, etiam regis Burgundiae titulum sumsisse; sed ego non credo, quod nusquam alias apparet, ubi oportebat. Quin potius, quo firmius in Italia regnaret, pace cum Rudolfo facta, in hunc postea transtulit omnem sui ducatus potestatem, qua post mortem Ludovici Orbi pro rege agebat. Ex eo juncto Transjurano Bosonianoque regno novum surrexit, quod modo Arelatense, modo Burgundicum dictum est.

7. Interea Henricus rex Germaniae, quo magis Lothariense regnum sibi firmaret, Everhardum praedecessoris fratrem (an ut Austrasiae seu Franciae orientalis ducem?) illuc mittit justitiae administrandae causa, ut controversias procerum componeret, ipso rege vel impedito, vel invidiam offensorum potentum, quos coercere necesse erat, in alium transferente. Conradus etiam ante regnum in illis regionibus validus erat, opesque ejus in Everhardum fratrem fluxerant. Inde huic autoritas sufficiens vicariae ad tempus potestati. Diu durasse non videtur; nam postea Giselbertum, ducta Gerberga Henrici filia, ducatu Lotharingiae potitum apparet. Sigebertus conjugium in annum 929. differt, quia Giselbertum post exitum demum Caroli regis Henrico conciliatum putavit. Ragenarium ducem sive marchionem supra memoravimus magnae virum autoritatis, Normannicis bellis celebratum, natum, ut plerique arbitrantur, ex Ermengarde, filia Lotharii augusti, et Giselberto comite Mansuariorum. Ragenerio ex Alberada natus fuit Giselbertus, Henrici regis gener, sed ejus frater Ragenarius comes Montensis, pater Longicolli, stirpem propagavit, ex qua deinde Lotharingiae inferioris duces prodiisse censentur.

8. Recrudescente Hungarorum furore, Henricus adhuc imparatus, cum ubique excubare non posset, Saxoniam et propriora loca ipse tueri voluit, superiorem Germaniam suis ducibus tutandam reliquit, qui tamen improvisam impressionem barbarorum equitum prohibere non potuerunt, quos gladio et arcu contentos equisque velocibus nare suetis utentes, nec flumina nec montes sistebant, et hyeme ingruente etiam loca paludosa patebant. Bajoaria prima hostem sensit, quam provinciam aliis praeteritam

es ipsa supplet, et biographus Wiboradae. Inde Allemanniam vastabant, st mira audacia Rheno transmisso, per Elisatiam et Mosellanos in pagum usque Vonzensem sive Vungensem caedibus incendiisque grassantur. Ab Augusta Vindelicorum repulsos, scribit Ekkehardus junior. Wiborada tunc apud Sangallenses reclusa sext. Non. Maji trucidata est. Pagus Vonzensis a Vongo municipio vel castro ad Axonam nomen habet, qua Remis ad Treviros itur. Cum abbas monachique Sangallenses sese cum pretiosis rebus in tutum reciperent, Wiborada cellam deserere noluit. Multo post, Notperto abbate annitente, cum Clemens II. papa ad monasterium venisset, in numerum martyrum relata est. Epitaphium ejus apud Hartmannum biographum aequalem tale legitur: A. 926.

Annis nongentis viginti quinque volutis,
Post quatuor menses bis quatuorve dies,
Wiborada, Deo meritis dignissima virgo,
Palma martyrii scandit ad astra poli.

Inde Pagius rem gestam in annum praecedentem retulit. Sed quatuor menses annis 925. volutis additi in praesentem cadunt.

9. Casu Burcardi viduatam duce Allemanniae provinciam Hungarorum irruptioni magis patuisse, credibile est. Itaque Henricus, rebus ad septentrionem compositis, magnum conventum Wormatiae habuit. Ibi Herimannus, qui viduam ducis duxit, etiam in ducatu successit, Gebhardi filius, Conradi regis consobrinus. Nam continuator Reginonis ad a. D. 910. Gebhardum ab Hungaris caesum filios Herimannum et Udonem reliquisse tradit; de Udone illic actum; Crusius tertium addit fratrem Conradum, Curciboldum, credo, intellexit; sed is Eberhardo, Gebhardi fratre, natus fuit teste eodem continuatore Reginonis ad ann. 948, quo obiit. Eberhardus a. D. 902. ceciderat apud Reginonem. Crusium Sigebertus decepit. Vidua Burcardi Regulinda dicta est, quemadmodum ex vita Wiboradae discimus, ab Hartmanno Sangallensi scripta. Herimannum tertium ejus maritum fuisse apparet, nam Alaricum filium Regulinda habuit; qui si ex Burcardo natus fuisset, credo, non fuisset honore paterno privatus. Plura de ipso et matre dicemus ad a. D. 949. Hungari, Constantia frustra tentata, in Augiam etiam navigarunt, nec quicquam, qua aditus furori, intactum reliquerunt. Inde omnia passim terrore et fuga completa, et Remenses ipsi sanctorum pignora in loca munitiora transtulere.

10. Wiboradae inter reclusas celeberrimae memoria facit, ut exponere operae pretium videatur, quo ritu viros foeminasve in monasteriis certa inter septa concludere mos fuerit, ut in coenobio, id est communis vitae gymnasio, tamen eremitarum speciem induisse viderentur, ne jam deserta quaeri opus esset. Solitariorum talium institutum in regula Grimlaici cujusdam apud Mabilionem sic fere describitur. In eorum numerum passim admittebantur tantum ii, qui in vita coenobitica exercitati erant, omnino ad mentem sancti Benedicti in regulae suae capite 1. Haec reclusio non fiebat sine licentia episcopi aut abbatis proprii, atque omnium fratrum ejusdem monasterii, in quo idem frater recludendus educatus fuerat; nec nisi in ipsis coenobiorum congregationibus, non autem in

A. 926. villis aut in aliis campestribus locis, nisi forte quis more antiquorum patrum ad eremum secedere voluisset. Accepta episcopi vel abbatis facultate, recludendus unum annum, si jam monachus esset, aut duos annos, si nondum monachus, habitabat inter fratres, ut extra claustra nunquam exiret, sed tantum in ecclesiam veniret. Post annuam probationem coram episcopo et toto clero in oratorio de stabilitate sua et morum conversione promissionem faciebat.

11. Post ejus ingressum in cellulam reclusionis, episcopus ostium cellulae sigillo suo consignabat. Haec cellula exigua erat, et firmissimis undique munitionibus circumsepta, nec cuiquam in eam aditus patebat. Si reclusus sacerdos esset, habebat intus oratorium ab episcopo consecratum, et quidem domui ecclesiae contiguum, ut per fenestram, ad quam appensa erant vela, posset ad missas per manus sacerdotum oblationes offerre atque cantantes et legentes fratres audire. Eidem cellulae adhaerebat hortulus, in quo olera plantare et colligere, et aeris usu frui posset. Non minus (puto: non plus) quam duo vel tres reclusi in monasterio esse debebant, singuli tamen in singulis cellulis, quae sic contiguae erant, ut alter alterum per fenestram alloqui posset. Ad mensam pauperes et peregrinos, atque eorum defectu quosdam e fratribus admittere eis licebat. Ad refectionem quotidianam libra una depensa; pulmenta duo cocta ipsis, ut caeteris fratribus, concessa; quibus addi poterat et tertium, si poma vel nascentia leguminum tunc non fuissent. Cibaria eorum erant olera et legumina, aliquando caseus et ova; interdum pisciculi, qui pro summis deliciis habebantur. Quod attinet ad potum, eandem mensuram, quam sanctus Benedictus constituit monachis, Grimlaicus solitariis indulsit. Infirmi carnibus vesci poterant. Eorum cellulae infirmitatis tempore sub sigillo minime clausae erant, ut a fratribus visitari possent. Vestes omnibus ad praescriptum regulae sancti Benedicti concessae, siquidem proposito monastico addicti essent; si nondum professi, cucullos non induebant, sed cappas. Ad haec pelliceam unam vestem et duas stamineas habebant, et duo femoralia, quorum usus eis permissus, maxime his, qui ministerio altaris applicati erant. Comam et barbam nutrire illicitum: sed tamen rarius, quam monachi, id est quadragesimo quoque die, barbam radere et capillos tondere poterant, praecipue illi, qui sacra mysteria contrectabant. Unicuique unum, aut duos, vel ut plurimum tres discipulos habere licebat.

12. In Gallia Normanni pace cum Hugone a Sequana Ligerique exclusi, adverso Quantio amne agrum Atrebatensem vastabant. In eos Rodulfus rex cum Heriberto vicinisque Francis maritimis tendit, et in saltu quodam clausos obsidet. Arnulfus comes Flandriae et Adolfus frater ejus affuere. Hostes pressi noctu castra regis aggrediuntur. Rex ibi vulneratus et Hilgaudus interemtus est, quem quidam Pontivensem comitem vocant. Sed Heriberto succurrente, in suas latebras repulsi sunt hostes, ultra mille suorum desideratis. Soluta tamen obsidio est, sive Hungarorum terrore, qui in Remensem provinciam ingruebant, sive Wilhelmi Aquitani defectione. Sed Hungari, audito adventu regis, qui Lau-

annum venerat, retrocessere. Normanni per pagi Dorcensis loca sylvestria praedas agunt; sed tandem cum pecunia collatitia ex Francia Burgundiaque confecta esset, pax utrinque jurejurando firmata est. A. 926.

13. Rex deinde in Wilhelmum vertitur, ac Nivernensium urbem obsidet, quam Wilhelmi frater tutabatur, patris Bernardi marchionis comitatum retenturus. Rex pacisci cum oppidanis et obsides quietis accipere maluit, ut terga tuta essent, quam trahere obsidionem. Sed jam Wilhelmum in Aquitania persequentem novus ab Hungaris, sed vanus terror repedare coegit. Labbeus Bituricensis scribit, tunc a Rudolfo cautum, ne vicecomes Biturici caeterique regionis primores alteri, quam regi, fidem darent. Et valuisse legem, et ab eo tempore eos nec domi comites novisse, nec foras duces Aquitaniae vel alios dominos coluisse. Ego arbitror, quod Rudolfus praecepisse scribitur, tunc jus commune fuisse, nam passim reges in abusum potestatis pugnabant majorum minores in fidem adigentium, qui nihilominus plerisque in locis praevaluit.

14. Porro Hugo Roberti filius, qui pace Normannica privata nuper rationes suas a Rudolfo separaverat, manifeste ad Carolum captivum respicere coepit, missoque in Angliam Adolfo, Balduini Flandri filio ex Elftrude Eduardi regis sorore nato, Edhildam filiam Eduardi conjugem expetiit, Adelstani nuper regis et Ogivae Carolo nuptae sororem. Wilhelmus Malmesburiensis, qui Hugonem (regis Galliae patrem) regem putavit, dona ab Adolfo allata plus quam regia praedicat. Mitto clavum Domini et vexillum Mauritii et gladium Constantini et lanceam Caroli Magni, per fabulas pretiosa; diadema gemmarum fulgore oculos praestringens, et smaragdi vicissim grata viriditate reficientes, et equi aurum in frenis mandentes monachum scriptorem in hyperbolas extra se rapuere. Ego vero omni dono gratiorem fuisse puto spem factam liberandi Caroli regis per novam affinitatem. Nec dubium est, Rudolfum et Heribertum eo maxime metu turbatos. Conjugium sub anni exitum ad consummationem pervenit.

15. Sehardum episcopum Hildeneshemensem hoc anno turrim occidentalem Gandeshemensem dedicasse, et defuncta Roswita abbatissa Wendelgardem ordinasse, habet Eggehardus Uragiensis in chronico episcoporum Hildeshemensium a nobis edito, consentiuntque alia chronica episcopatus, quae partim produximus, autorque annalium nostrorum ineditorum *) ad hunc annum; qui Rotswingam habet, Eggehardus Ruitsuindam, at chronicon Hildeshemense a Quercetano editum, a nobis repetitum, emendatius Rothsuitam; quam supra illustri illi ob doctrinam Roswitae cognatam conjecimus. Bodo serus autor syntagmate Gandeshemensi et secuti eum indiculi quidam abbatissarum recentiores, Roswitae et Wendelgardi Luitgardem Henrici regis sororem falso, ut arbitror, interponunt.

16. In tabulis Carilocensis monasterii synodi quaedam species illic habitae invenitur, Ancherinus archiepiscopus Lugdunensis, Geraldus Matisconsis, Odelardus Mauriensis illic congressi, cum alia emendare conati sunt, tum ipsi monasterio loca quaedam ablata restitui curarunt. Eo tunc potissimum disciplinae cura redibat.

*) ineditorum *expunxit Eckardus, superscr.* Saxonicorum.

ANNO CHRISTI 927.

Hugo rex Italiae cum Henrico et Venetis negotia habet. — Rebelles Papiae punit. — Hilduinum Leodiensis episcopatus spe dejectum Veronae praeficit. Is secum Ratherium adduxit. — Berno fit Metensis episcopus, ex eremita ejus loci, ubi nunc est Einsidelense monasterium. — Praeceptum Henrici Essendiensi monasterio datum, quod Hungari vastaverant. — Tractatur de Carolo rege liberando. Hugo Albus et Heribertus cum Henrico rege contra Rudolfum. — De archiepiscopis Moguntinis. — De abbatibus Fuldensibus. — Normanni ad Ligerim. Heribertus a Rudolfo dissidens Carolum regem in speciem liberat. — Principes Pictavienses emendatius, quam hactenus, exhibiti. — Posteri Aquitaniae duces. Wilhelmus Eboli filius Hugoni Albo, Heriberto et Wilhelmo Normanno Rollonis filio junctus. — Ante hunc Ebolum et ejus filium Wilhelmum Acfredus apud Arvernos. — Cluniacensis monasteriorum reformationis initia. Odo abbas autoritate eminet. — Fata rei monasticae. — Cluniacensis disciplina in sacris ritibus. — In moribus. — Opes et munia. Communio sub utraque specie. — Episcopi Mindenses. Abbates Laureshamenses. Cognatio Stadensium cum Ottonibus.

A. 927. 1. Hugo rex Longobardorum ante omnia Henrici amicitiam sibi conciliare statuit. Ex ejus enim regno Rudolfus Transjuranus facile coerceri poterat, et ab Italia diverti. Urso etiam duci per legatos petenti, vetera Venetorum privilegia immunitatesque per regnum Italiae, referente Sigonio, confirmat. Sed in eum Papiae agentem seditionem concitant judices urbis praepotentes, Walbertus, qui Petrum filium (sed nunc haud superstitem) ad episcopatum Comensem provexerat, et Razam Giselberto quondam comiti palatii uxorem conciliarat; et Gezo praenomine Everhardus, Walberto affinitate conjunctus.

2. Hugo, ut erat callidus et captator animorum, aequa omnia pollicitus, plerosque mitigavit, sed Gezone potissimum invito, qui vindicem timebat. Rex urbe digressus, dilatae vindictae opportunum tempus captat. Mos erat, ut venienti ad regiam urbem splendidiores cives obviam irent. Itaque re cum Leone episcopo, parum illis amico, composita, egressos clausis portis excludi curat. Ita Gezo captus, oculis orbatur: linguae etiam in regem improbae pars abscinditur. Bona ejus in fiscum redacta Samsoni praepotenti comiti, autori consilii, donantur. Diu tamen supervixit, neque eo secius lingua sua multis nocuit. Luitprandus se scribente superfuisse testatur. Walbertus postridie capite truncatur; de thesauris ejus in uxorem per tormenta quaesitum. Ex eo rex supra praedecessores timeri coepit, ut vix aperte in eum dicere quisquam auderet. Et opinio invaluit, auriculares, id est exploratores, passim discursantes alere, qui audita referrent.

3. Hilduinus Leodiensi episcopatu dejectus, ad Hugonem venit, cui affinitatis quadam linea jungebatur. Conceditur ei Veronensis episcopatus ad stipendiarium usum; id est dignitatis loco reditus accepit. Adduxit secum Ratherium monachum, qui constanter adhaeserat, non tantum religione, sed et septem artium liberalium scientia suo seculo clarum. Is deinde ad Veronensem episcopatum pervenit, et plus semel nobis dicendus offeretur. Folcuinus libello de gestis abbatum Lobiensium, praeter Ratherium ibi Scaminum et Theoduinum literarum studiis tunc floruisse

cripsit. Ratherius anthropomorphitas in Italia gliscentes refutavit, quod A. 927.
pus extat.

4. Wigricus vel, ut apud Frodoardum legitur, Widricus Metensium piscopus hoc anno fato fungitur 2. Kal. Mart., ut chronicon Metensium ntistitum habet. Hugo Flaviniacensis abbas in chronico Virdunensi peste ercussum scribit, quae cum febri et tussi per Germaniam Galliamque rassabatur. Successorem ei, rejecta cleri electione, dat Henricus Bennonem, vita eremitica clarum. Ille ex canonico Argentoratensi, purioris vitae studio, ante viginti annos in Subalpina Helvetica Turgoviensis pagi secesserat, et vacuam a quadraginta quatuor annis Meginradi cellam reparaverat, de qua diximus ad a. D. 961, qui locus tandem in basilicam et amplissimum monasterium evasit, quod hodieque ab antiquis illis eremitis Einsidelense nuncupatur. Henricus pietatis amans, Bennonem ex solitudine in lucem revocatum insigni ecclesiae praeficit; sed ut eventus docuit, inolita hominum pravitas tam subitam emendationem non ferebat.

5. Henricus rex appetente vere apud Westfalos agebat, in vicinia Lothariensis regni. Nam extat praeceptum datum Assindiae, quo rogatu Mechtildae reginae et Unwani Bodarbrunnensis episcopi, sanctis, ut ait, monialibus Herivordiensibus privilegia confirmavit, quia praecepta loci regia ethnicorum (Hungarorum scilicet) infestatione exusta erant. Loca etiam coenobii nominantur contra quorundam conatus, Angeresgowe, Viniswalde, Overanberg, Liudwinesdorp, et Hunbeck secus fluvium Sigina. *Signum domni Henrici serenissimi regis. Simon notarius ad vicem Herigeri archiepiscopi capellani* [nescio an haec recte] *recognovi. Data 15. Kal. April. ann. inc. D. 927, indictionum 15, anno regni 7.* [lego 9.] *Actum Astnid* [lego *Asnide*]. Idem rex conjugis rogatu, Willibargae, fideli suae ministeriali, praedia quaedam in villis Endhove et Mengida in comitatu Friderici dedit. *Signum domini Henrici serenissimi. Simon notarius ad vicem Hildeberti archiepiscopi principisque capellani* [sic et prius diploma interpolandum putem] *recognovi. Ann. inc. Dom. 927, 7. Id. April. indictionum 1, anno regni 8, in loco Troimenni.* Sed hic nullus est inter notas chronicas consensus, annusque adeo incertus. Extat integrum in antiquitatibus Quedlinburgensibus v. cl. Friderici Ernesti Ketneri. Willibargem haec praedia postea congregationi Quedlinburgensi dedisse, credibile est.

6. Rex rebus Lothariensibus Gallicisque ex Westfalia intentus, cum Heriberto Verimanduo et Hugone Roberti filio consilia cudebat. Nam ex quo Hugo Ogivae sororem duxerat, jam aperte Caroli captivi restitutionem moliebatur, et Heribertum offensum jam Rudolfo stimulabat. Homo enim avidus omnem repulsam injuriam interpretabatur, lassabatque Rudolfi patientiam, qui filio ejus Hugoni Remensem archiepiscopatum indulserat, sed alteri filio Udoni Laudunensem comitatum negabat, quod nimium ex re publica peteretur. Laudunum enim situ castelli inter Mosam et Sequanam dominabatur. Eum ergo comitatum Rudolfus Rotgario, Rotgarii Laudunensis dudum comitis filio, dedit. Heribertus legatos trans Rhenum ad Henricum usque in Westfaliam mittit, et mox (foedere cum Hugone

A. 927. percusso) constituta die ad Henricum, jam, ut arbitror, in Lotharii regnum progressum, venit, comitante ipso Hugone, quantum ex Frodoardi Remensibus intelligi potest; et muneribus datis acceptisque, amicitia firmatur. Ibi Benno factus est Metensium episcopus. Henricus, rebus illic in tuto collocatis, reliquum anni apparando in Slavos Transalbinos bello impendit, qui jam diu regibus Germaniae parum ex fide obsequebantur. Ita exercitatione militis in facilioribus armis, majori ab Hungaris discrimini praeludebatur.

7. Herigerum archiepiscopum Moguntinum hoc anno obiisse, constat ex necrologio Fuldensi; tempus autem anni ex duobus Henrici diplomatibus constituitur, jam nunc adductis, si modo emendate habentur. Nam 15. Kal. April. Herigerus, a 7. Id. April. Hildebertus ejus successor, summus capellanus appellatur. Medio ergo tempore Herigerus obierit. Sed Marianus Scotus diem mortis notat Kal. Sept., manuscriptus Serrarianus Kal. Decemb. In anno etiam erravit continuator Reginonis, qui assignat 926, manuscriptus Serrarianus 924. Error ex eo nasci potuit, quod Bruschianus habet catalogus, munus episcopi cuidam Ruperto resignasse a. D. 924, credo ob gravem aetatem vel infirmitatem. Sed hunc vicarium, non episcopum, Serrarius censet, eum nempe, qui continuatori Reginonis ad an. 942. archidiaconus Moguntinus appellatur. Hildebertus erat Franco genere, monachus professione ex Fulda, ubi loci abbas factus, tandem ad summum pontificatum Moguntiae sedis ascendit. Ita Witikindus, cui Marianus addit, Fuldae Hademarum loci priorem successisse. Ea occasione Fuldensium abbatum seriem emendari, e re erit.

8. Serrarius a minore suo manuscripto deceptus, pene summae Mabillonis diligentiae illusit. Nempe codex ille Herigerum archiepiscopum Fuldensem abbatem fuisse docuit. Ibi Mabilio in annalibus Bened. ad a. D. 912: *Si ita habet* (inquit), *non dubito, quin is sit Huoggi seu Huogerus Fuldensis abbas, quem Browerus ad annum 912. pervenisse demonstrat.* Tunc ergo Mabilio Hattoni eum Moguntiae successisse arbitratur. Sed Huoggi semper, nunquam Huoggerus, multo minus Hergerus dictus est; et ad annum adhuc 915. Fuldensibus praefuit, quo decessit; et in necrologio Fuldensi Huoggi et Herigerus annis fatalibus distinguuntur: illi 915, huic 927. assignatur. Huoggi vel Huoggo ab Arnulfi caesaris temporibus, ultra Herigeri promotionem Moguntiacam, perpetuo tenore Fuldam rexit; neque Herigerus abbas admitti potest. Huoggi Helinfredum successisse, Browerus scribit, eumque secutus est Mabilio, sed in annis haeretur. Ascribi illi annos 16, menses 5, Browerus fatetur; sed vix triennio locum esse ait. Ego vix uni anno; nam iisdem fastis autoribus 4. Id. Feb. a. D. 916. vita cessit. Sed anno demum 923. memoratur in iisdem mors Haichonis abbatis, quem a. D. 917. 14. Kal. Jun. Johannes pontifex per epistolam salutavit. Ergo Helinfredus locum tuetur; sed aegre et in breve tempus.

9. In Gallia rursus Normanni ad Ligerim incrudescunt, abruptis vel finitis cum Hugone pactis. Hic ergo socio Heriberto in eos pergit; quo tempore Wilhelmi Aquitanici principis mors nuntiata est. Normanni per quinque septimanas obsessi, datis acceptisque obsidibus acceptoque pago

Iannetico, pacem cum Francis pepigere. Heriberti deinde instinctu, immo, A. 927. ut Frodoardus ait, jussu, synodus sex episcoporum Remensis provinciae ad Troslejum convocatur, mandante nequicquam Rudolfo rege, ut differretur, et Heribertum colloquii causa Compendium vocante. Sed is synodo interfuit, ubi Herluinus comes ad poenitentiam venit, quod uxorem, priore vivente, duxisset. Soluto conventu, Heribertus Laudunum tentavit. Sed Rodulfus praevenit, milite immisso, et mox ipse accessit. Heribertus indignatus, Carolum custodia extractum in pagum Veromanduorum ad fanum S. Quintini ducit, specie libertatis, tum ut Rudolfo metum incuteret, tum ut Johannis papae monitis satisfacere videretur: qui memor meritorum Magni Caroli, coronam generi ejus servandam judicabat, et rebellibus excommunicationem minabatur. Rudolfus regni ambiguus, in Burgundiam suam redit; uxorem cum Rotgarii filiis ad Laudunum tuendum relinquit. Ad Carolum Heribertumque Augam accedit Guilielmus, Rollonis filius, Normannorum Neustriae princeps, Caroloque fidem dat, in ea servanda melior Francis.

10. Extincto Guilielmo, Ebolus II. Pictavorum comes etiam Arverniam et Lemovicenses sibi mox vindicavit, quasi haereditario jure Aquitanorum se jam ducem ferens. Belius Bernardo Pictaviensi comiti duos filios tribuit, Bernardum comitem Arvernorum, ex quo natus Guilielmus Pius, et Ranulfum Pictavos retinentem, qui se primus ducem Aquitaniae tulerit, et dignitatem in filium Ranulfum II. transmiserit, sed cui successerit frater Ebolus dictus primus: ab hoc scribit ducatum ad Guilielmum Pium, praeterito Ebolo II. primi filio, venisse; illumque defunctum hoc anno, huic locum fecisse. Haec vera sunt, nisi quod Guilielmo Pio alium Guilielmum sororis filium successisse, qui nunc obiit, detectum a Labbeo, Belius ignoravit, Aofredumque, posterioris Guilielmi fratrem et successorem, etiam Labbeus neglexit. Ac tum demum Ebolus II. Arvernos obtinuit.

11. Aquitaniae ducatus diu apud Eboli posteros mansit, donec ad Anglos matrimonio Alienorae haeredis translatus est. Caeterum si Dudoni, primo Normannorum Neustriae scriptori, credimus, aequante simplicitatem vanitate (ut mos est ex barbarie recens emergentibus) miris ac pene ridiculis narratiunculis historiae suae autoritatem extenuanti, Wilhelmus Normannus, consilio Hugonis Francorum ducis, sororem Wilhelmo Pictaviensi Eboli filio despondit, Heriberti filiam ipse duxit; factaque res est, cum ad autumnalem cervorum venationem apud Normannum convenissent. Haec quatenus vera sunt, vix in alium annum quadrant. Conjugem Wilhelmi Pictaviensis Adelam dictam, Joh. Belius ex chartis ostendit; filiam Rollonis Normanni et Popae fuisse, idem etiam probat.

12. Caeterum haud satis Eboli potestas mihi cum Acfredi ducis actis consistere videtur, qui Celsiniacensi apud Arvernos monasterio dotem, a Wilhelmo Pio datam, hoc anno firmat, additque particulam rerum suarum, quas Deus illi liberalissime dedisset, quam offert Deo, tam pro se ipso, quam pro parentibus suis Acfredo et Adelinda, ac pro avunculis suis Guillermo et Guarino, fratribusque suis Bernardo et Guillermo. *Actum 5. Id. Octob. apud Celsinianas anno quinto, ex quo infideles Franci regem suum*

A. 927. *Carolum inhonestaverunt et Rodulfum in principem elegerunt.* Has tabulas Labbeus edidit. Unde in res Aquitanicas amplius inquirendum apparet. Itaque suspicor, Acfredum statim, Wilhelmo nunc defuncto, Ebolum II. serius apud Arvernos successisse. Lucem affert alia in Miscellaneis Labbei eruta charta Celsiniacensis a. D. 916. ipsius Wilhelmi Pii, in qua mentio patris ejus Bernardi, matris Ermengardis, uxoris Ingelbergae, sororis Adalendis et filiorum ejus Wilhelmi et Acfredi. Sic ergo judico, Wilhelmo Pio a. D. 918. sororis Adelindae et Acfredi majoris filium Wilhelmum successisse; Wilhelmo defuncto hunc Acfredum minorem, hujus Wilhelmi fratrem; deinde vero in Ebolo II. Arvernos ad familiam Wilhelmi Pii redisse, Aquitaniaeque superioris atque inferioris ducatum consolidatum.

13. Berno, primus Cluniacensis abbas, autor reformationis, obiit non procul hujus anni initio, ipsis Idibus Januarii. Paucis ante diebus, cum mortem imminere sentiret, testamentum condidit, quo successores in monasteriis sibi subjectis abbates designavit Widonem consanguineum et Odonem discipulum; huic Cluniacense, Masciacense et Dolense apud Bituriges monasterium, illi Gigniacense, Balmense atque Aethicense credidit, probantibus, qui aderant, episcopis optimatibusque vicinis, et ipso fratrum conventu, quibus electionis potestatem fecerat, abdicata omni potestate. Testamento subscribunt Wido abbas et Odo abbas, uterque nomine jam tum sumto. Odo institutum mirifice auxit et ad summam celebritatem extulit, ut autoris gloriam obscuraret, tota pene Europa ejus opera et consiliis ad reformandos claustralium mores utente.

14. Florentibus Francorum rebus sub Magno Carolo, Alcuinus aliique insignes viri studia et disciplinam in monasteriis resuscitaverant: mox Benedictus Anianensis abbas sub Ludovico Pio coepta perfecerat, et quoddam velut monasticae congregationis corpus formaverat. Sed scisso Francorum imperio, barbarisque ingruentibus, simul res publica et ecclesia collapsa est; monachis ab hostibus fugatis et occisis, ab ipsisque protectoribus suis, militaribus viris, qui sese passim etiam abbates ferebant, oppressis: cum reges illis navatae operae pretium ex alieno persolverent, monasteriis ad comedendum concessis. Eoque res devenerat, ut multis in locis ipsa regula Benedicti primi fundatoris vix nomine nota esset. Cum corruptio ad summum venisset, remedii necessitas magis apparuit. Itaque episcopi et proceres certatim reformationem adjuvabant. Et fuit in his quaedam periodorum vicissitudo: nam relabentibus paulatim in laxiora Cluniacensis instituti coenobiis, prope ducentis abhinc annis, Cistercienses normae veteris restitutione inclaruere. Et alio post seculo cum hi quoque vitio rerum humanarum declinarent, opibus, ut fit, in luxum vergentibus, novo instituti genere mendicantes surrexere; quorum tamen multitudo deinde gravis esse coepit, et mores ipsorum non minus quam veterum ordinum collapsi sunt. Et collegia regularia coenobiaque, praediis censibusque opulenta, in suis moribus perstitere, quamvis viri prudentes, praesensione futurae maximae rerum conversionis, emendationem passim tentarent; quo in genere Bursfeldensis Benedictinorum reformatio per Saxoniam Westfaliamque inprimis enituit, Nicolao Cusano promovente.

15. Porro quae fuerit Cluniacensis disciplina, quive ritus in primo A. 927.
fervore, ex Udalrici cujusdam tribus libris Mabilio annotavit, unde huc translata legisse non poenitebit. Quod spectat officium divinum, duas missas solemnes quotidie celebrari mos erat; privatis sacris, nisi extra divini officii horas et majorem missam, operari haud licebat. Singulis diebus suas singuli hostias alterni chori offerebant: tametsi quinque monachi tantum diebus dominicis, tres feriatis communicare solerent: caeteri hostias benedictas (non consecratas) in modum eulogiarum ante communes cibos sumebant. In missis defunctorum solemnibus atque in triduo rogationum uterque chorus oblationem faciebat. In majoribus sacris diaconus ex hostia sacerdotis celebrantis communicabat, subdiaconus ex aliis hostiis. Omnibus communio praebebatur in triduo ante pascha. Si quis sabbato sancto ante solemnem missam privatim sacrum facere vellet, non utebatur candela, quia novus ignis nondum erat consecratus. Sed observatu digna est inprimis Cluniacensium religio in conficiendo pane sacro, qui ad sacrificium usui esse debebat. Primo frumentum granatim seligebatur, et studiose a fratribus lavabatur; tum sacculo ad hoc speciatim destinato receptum, ad molitrinam portabatur a famulo probo, qui utramque molam prius lavabat operiebatque sursum ac deorsum cortinis; albaque indutus, faciem praeter oculos amictu velabat. Eodem ritu cribrata fuit farina, cribro prius diligenter abluto. Demum major ecclesiae custos, si sacerdos aut diaconus erat, reliqua perficiebat, duobus aliis ejusdem ordinis cum uno fratre converso adhibitis. Hi quatuor, finitis matutinis officiis, faciem manusque abluebant: tum tres ex his priores, albis amicti, unus quidem farinam aqua nitidissima conspergebat; alii duo hostias in ferramento characterato coquebant.

16. Jam vero in regularibus exercitiis disciplina apud eos non minor. Silentium juge interdiu, noctu adeo sacrum, ut illud ante primae horae officium violari ducerent nefas, mortemque ipsam potius appeterent, quasi sanctus Benedictus istud vitae periculo sanxisset: quod in duobus illis patuit monachis, qui referente Johanne, a Nortmannis comprehensi, ne vitae quidem discrimine ante praescriptum tempus ad loquendum adduci potuerunt. Hinc signorum usus apud eos verborum vice: quod tamen non omnino probavit Guigo, Cartusiae majoris praepositus quintus, quamtumvis et ipse addictus silentio, sufficere putans linguam solam, non etiam ceteros artus reatibus implicare loquendi. Ab Idibus Novembris seniores meditationi post nocturnas vigilias in ecclesia vacabant, dum juniores cantui operam in capitulo navarent. Opus manuum psalmis recitandis fiebat: proclamatio culparum apud eos usu recepta. Post completorium hospites non admittebantur, nec fratribus, qui a communi mensa abfuissent, post id tempus reficiendi se facultas concedebatur. Ejus rei exemplum Udalricus de quodam cellerario refert, cui, cum tota die recipiendo vino fuisset occupatus, edendi post completorium licentiam abbas praefracte denegavit. Eadem in officiis divinis severitas. Iturus foras, et equum mox conscensurus, si officii divini signum pulsatum fuisset, dilato itinere ad ecclesiam properare debebat. De jejuniis id fere servabatur, quod praecipit sanctus

A. 927. Benedictus. Ab Idibus Septembris unica tantum comestio: in festis tamen duodecim lectionum, et in octavis natalis Domini et epiphaniae duplex. In illis festis post prandium et lectionem in claustro, dicta nona, omnes ibant ad refectorium ad bibendum: in diebus vero privatis id fiebat tantum post vesperas et lectionem: quo facto, iterum lectio, dehinc collatio spiritualis ante completorium. Reliquiae panis et vini ab eleemosynario in peregrinos pedites erogabantur.

17. Insuper octodecim pauperes quotidie aliti: at in quadragesima ea in omnes caritas erat, ut septem millia pauperum in capite quadragesimae uno anno apud Cluniacum, teste Udalrico, eleemosynam et ducentas quinquaginta pernas acceperint. Quin etiam Romano pontifici subsidium haec domus praebuit non semel, haud secus atque commune quoddam ecclesiae aerarium, ut Petrus Venerabilis auctor est. Juniorum denique institutio tanta diligentia fiebat, ut vix ullus regis filius majore diligentia in palatio nutriretur. Haec porro tam accurata disciplina procurabatur sub abbatis imperio per priorem majorem, decanos, priorem claustralem, circatores, puerorum magistros, praecentorem, et armarium, qui libros, maxime ecclesiae destinatos, in amario claustri servabat; per camerarium, cui vestium cura; apocrisiarium, cui ecclesiae thesaurus commissus erat; cellerarium, stabularium, eleemosynarium, et infirmarium: quorum omnium munia Udalricus describit. Hinc Cluniacense monasterium religione, disciplina, severitate, fratrum numeroso coetu, toto pene orbe celeberrimum evasit. Illic omnium professionum, dignitatum et ordinum personae fastum luxumque secularem abjecerunt, prae humili et tenui monachorum vita. Illic ipsarum ecclesiarum venerabiles patres, ecclesiasticorum honorum rejecto onere, subesse quam praeesse maluerunt. Id Gallia, Germania et transmarina quoque Britannia testatur, nec non Hispania, et Italia, totaque demum Europa, plena monasteriis Cluniacensium aut recens conditis aut restitutis. Haec Mabilio, qui nihil de communione calicis addit, quam audio ex ipso Cluniacensi monasterio inter monachos ad nostra usque tempora perseverasse. Caeterum major hic rituum, quam verae virtutis cura in hac reformatione apparet. Esse tamen in rituum disciplina quaedam ad virtutem praeparamenta, non negarim.

18. Liutharius Mindensis episcopus die S. Annae diem suum obiit. Diem ex chronicis Mindensibus, annum praesentem ex necrologio nostro Fuldensi discimus. Nepotem regis Ottonis fuisse, scribit autor chronici Laureshamensis, quod extat apud Freherum tomo scriptorum primo. *Stadensis* vel Walbeccensis familiae esse potuerit; utraque enim Lotharios frequentes habet. Et in Stadenses inclino, quia Henricus Stadensis, Ditmari episcopi Mersburgensis avus maternus, a Ditmaro ipso consanguineus Ottonis regis nominatur. Potuerit ergo Lotharius episcopus Mindensis consobrinus fuisse Lotharii, avi materni Ditmari, et avus amborum matrimonio suo familiae Ludolfinae innexus, ipsiusque Ludolfi ducis fortasse sororis maritus, quae ita etiam episcopi Lotharii avia fuerit. In monasterio Laurishamensi educatus, et a fratribus abbas electus est post mortem archiepiscopi Hattonis, electione a Conrado rege restituta. Suc-

cessit nunc Evergisus in episcopatu pariter et abbatia Laureshamensi, A. 927.
seditque usque ad a. D. 953.

ANNO CHRISTI 928.

Johannes X. a Widone et Marozia capitur et in carcere extinguitur, non illaudatus, contra Baronium. — Succedit Leo VI, et mox Stephanus VII. — Rudolfus Galliae, Hugo Italiae reges colloquuntur. Wido Tusciam regit. — Beneventani et Capuani ad Graecos respiciunt. — Boso Rudolfi frater Henrico se ob praedia Lotharingica submittit. — Giselbertus dux fit abbas Trajectensis ad Mosam. — Bennonis Metensis episcopi calamitas et abdicatio. Vita. — Redit in eremum, ubi hodie monasterium Einsidelense, de quo nonnulla. — Heribertus Carolum dimittere velle simulans a Rudolfo Laudunum extorquet. — In speciem Carolo homagium renovatur. Hugo et Heribertus proficiscuntur ad Henricum. — Henricus uxori dat loca, in quorum parte post structa monasteria. — Diploma hac de re. — De Poledano palatio et monasterio. De Northusano. — Rudolfus et Heribertus cum Hugone rege colloquuntur de Vienna. Rudolfus in speciam coram Carolo se humiliat. — Odalricus episcopus Aquensis ex Vasconia pulsus fit Remis vicarius. — Episcopus major centenario. — Episcopi Hildeshemenses, abbates Hersfeldenses. — Rolloni Normannorum duci filius Wilhelmus succedit.

1. Hoc tempore interregnum erat Romae, nemine post excessum A. 928.
Berengarii sese caesarem ferente. Wido marchio, qui cum Marozia conjuge rerum illic potiebatur, hactenus uteunque concors pontifici, violentas nunc ei manus injecit, die septima Aprilis, quod uxoris pessimae impulsu factum plerique scribunt. Luitprandus invidiae tribuit in Petrum pontificis fratrem, cum quo (ut apparet) autoritatem partiri nolebant. Itaque cum Petrus forte apud pontificem in Lateranensi palatio esset, milites Widonis irrumpentes, Petrum interficiunt, pontificem in carcerem trahunt; in quo cum non multo post defunctus esset, fama increbuit, cervicali super os injecto suffocatum interiisse. Ita Luitprandus. Post biduanum carcerem, addit Amalricus de Biterris. Sed diutius rem tractam, crediderim ex Flodoardo, apud quem legatus Heriberti Roma reversus, carcerem summi pontificis nuntiarat, in quo detineretur a Widone, Hugonis regis uterino fratre. De eo idem autor pontificali carmine:

Surgit ab hoc decimus scandens sacra jura Joannes.
Rexerat ille Ravennatem moderamine sedem,
Inde petitus ad hanc, Romanam percolit arcem,
Bis septem qua praenituit paulo amplius annis.

* * * *

Pace nitet, cum patricia deceptus iniqua
Carcere conjicitur, claustrisque arctatur opacis.
Spiritus at saevis retineri non valet antris,
Emicat immo aethra decreta sedilia scandens.

Itaque Flodoardo laudabilis visus est, et Rubeo Ravennatum historico ob praeclare acta, omni Italiae hoc tempore admodum salutaria, hoc nequaquam exitu dignus: quae Baronio in eum impotentius bacchanti oppono. Apologiam viri jam supra dedimus.

A. 928. 2. Equidem Flodoardus in chronicis hoc anno captum, sequente demum extinctum scribit, cui rebus aequali fidem habeo. Bis septem ergo annos computavit usque ad captivitatem. Successit Leo VI. Ita enim Frodoardus post priores versus:

Pro quo celsa Petri sextus Leo regmina sumens,
Mensibus haec septem servat quinisque diebus,
Praedecessorumque petit consortia vatum.

Leonem Onuphrius (autorem vetustiorem, ut arbitror, secutus) Christophori primicerii filium facit. Sua morte (nec, ut Baronius narrat, in carcere) defunctum, ex Frodoardo apparet, quae cum (Sigonio referente) contigisset 10. Kal. Nov. biduo post suffectus est Stephanus VII, Theudemundi Romani filius, mense Februario anni Dom. 929, de quo ita Frodoardus:

Septimus hinc Stephanus binos praefulget in annos
Aucto mense super, bisseno ac sole jugato,
Disposita post quod spatium sibi sede locatur.

Ac tum demum Johannes Maroziae filius numero undecimus a. D. 931. ad pontificatum pervenit, quem Luitprandus, ut est negligens, decimo statim subjungit.

3. Hugonem Italiae regem hac aestate in Galliam ordinandis rebus domesticis redisse, et cum Rudolfo, Gallorum se regem ferente, collocutum, Frodoardus habet. Quae inter se tractarint, mox dicendi occasio erit. Cum esset Viennae, possessiones S. Mariae et S. Tenderio, id est ecclesiis loci, confirmavit. *Data prid. Id. Novemb. regni domini Hugonis piissimi regis tertio. Actum Vienna civitate. Petrus notarius ad vicem Gerlauni Abbatis* (Bobiensis scilicet) *et archicancellarii recogn.* Interim Tusciam Wido gubernabat; et scripturam profert Florentinus, qua titulo ducis Lucae principem egisse constat, datam *ipsis Kal. Januar. ind. 1. anno regni Hugonis secundo.*

4. At Beneventani et Capuani hoc tempore ad Graecos respicere videbantur, ut ambiguorum dominorum neutri parerent. Extat scriptura in hunc sensum: *Anno 15. imperii divinorum nostrorum Romanorum* (forte Romani) *Constantini et Christophori* (Romani ex primogenito nepotis), *magnorum imperatorum, et duodecimo anno domini Landolfi anthypati patricii et principis, et domini Atenulfi eximii principis, nec non 12. anno Johannis venerabilis episcopi ... ecclesiae S. Martini in civitate Bovini* immunitas quaedam a Johanne episcopo confirmatur: *actum Beneventi in episcopio.*

5. In Germania Henricum circa Rhenum egisse, reperio. Itaque Slavicam expeditionem, quam multi scriptores in hunc annum vel binorum praecedentium alterum retulere, differendam puto. Cum Giselberto Ragenarius frater collidebatur; Boso etiam, Rudolfi regis frater, Lotharingiam turbabat, sive quod solicitaret populos in Rudolfi partes, sive quod subire judicium, et episcopis ademta reddere nollet. Cum ergo regia praecepta pertinaciter sperneret, Henricus eum exercitu Rhenum transit, castrum ejus Durofostum (alibi Durfos, Normannis olim insessum) obsidet. Venit tandem in castra Boso, obsidibus acceptis dat fidei sacramenta; quae vi

abstulerat, reddit, accepta compensatione quadam; ita in gratiam recipitur, caeteri quoque Lotharienses pacantur. A. 928.

6. Tunc et Giselbertus cum Trevirensi archiepiscopo in conventu procerum regni Lothariensis reconciliatus est. Res acta *Trajecti a. d. inc. 928. regni vero serenissimi regis Henrici super regnum quondam Lotharii quinto, indict. 1.* Mensis et dies vellem ascripti haberentur. Chronologicas hujus transactionis notas ad a. D. 924. discussimus. Nunc conditiones videamus. Giselbertus se ducem vocat rectoremque sanctae Trajectensis ecclesiae, qui titulus in homine politico monstrosus videtur. Sed pro ecclesia hic abbatia accipienda est, et in morem tunc ierat, ut comites ducesque abbatum non reditus tantum, sed et nomen sumerent. Cum Rotgerus ipsi abbatiam S. Servatii, id est Trajectensem diu controversam, jam tandem relinqueret, ipse vicissim S. Petro Trevirensi praedia certa ex Arduennae saltu et Megenacensi (hodie Meyensem diceres) apud Treviros comitatu attribuit, et Mosellae pagum Gulisam, vicinum Confluentibus, adjungit, et ex praediis d. Maximini, quae tunc in potestate habebat, Talevangium. Ita praesente rege vestitu ornatuque abbatis ad aram d. Servatii productus, abbatiae investituram seu possessionem legitimam accepit. Falsum Ottonis M. diploma super hac causa Ragenario datum referemus et examinabimus ad a. D. 953.

7. Sub finem anni Benno, Metensis episcopus regia autoritate nuper constitutus, a sceleratis hominibus oculis virilibusque orbatus est. Autor subaequalis ex Lothariensi regno, qui vitam Johannis abbatis Gorziensis scripsit, parum aequus (ut videtur) alienigenae, Bennonem quendam genere Suevum, vita solitaria apud Turegum celebrem, zelo pio optimi principis Wigirico successorem datum, a pristinae sanctitatis laude defecisse, scribit, et a servulis in abditis excaecatum, sese tandem in concilio episcoporum abdicasse. Id factum fuit anno sequente in synodo Duisburgensi, abbatia quadam ad sustentationem dignitatis accepta. Sed nihilo secius solitudinem amatam repetivit, et tam ingratus fuit Metensibus, ut etiam in catalogo episcoporum omittatur. Ex Guillimanni Argentoratensibus discimus, Bennonem prope 20 annos in eremo ante episcopatum exegisse, pluresque eo exemplo suo invitasse, quorum opera passim habitacula erecta sunt. Montem etiam, qui nomen Bennau retinuit, caesis arboribus cultiorem fecit; ab Adalberone episcopo Basileensi, propinquo suo, ex propriis ejus praediis vicum Sirnsam impetravit. Ita eremus paulatim in coenobium verti coepit. Factus episcopus, Benedicti nomine usus est; nam apud Meurissium, Metensium episcoporum scriptorem, refertur ejus instrumentum, in quo Benedictus, sanctae Metensis ecclesiae praesul humilis, a Rothilda illustri foemina et filiis ejus Racheringas in pago Salnensi aliaque S. Stephano seu S. Arnulfo donata refert.

8. Post abdicationem in eremum rediit, ibique, quod reliquum vitae, exegit, obiitque a. D. 940. tertia Augusti, sepultus ibi a socio suo, tertio eremita Eberhardo, ex praeposito Argentoratensi. Haec Guillimannus, qui Rudolfo primo, Burgundiae Transjuranae regi, Bennonem sanguine conjunctum credi addit, idque etiam approbat Browerus: quod si ita est,

A. 928. aut Guelfus fuerit (ex quibus erat ipse Rudolfus), aut certe Guelfis cognatione junctus. Eberhardus sese a. D. 934 Bennoni adjunxit, ut ex Hermanno Contracto discimus, et a. D. 958. vivis excessit. Et eremita et abbas appellatur, et monachis praeesse dicitur in praecepto Ottonis regis Francofurti dato a. D. 956, quod produxit Guillimannus: post quem Thietmannus primus electus est abbas, nec videtur nisi eremi nomen (Einsideln Germanis) superfuisse. Abbates Einsidelenses principum imperii dignationem sunt consecuti; et studia sub iis florere, ipse doctissimus abbas Augustinus operibus ostendit.

9. In Gallia res iterum ad bellum intestinum spectabat. Rudolfus enim rex, jam apertus Heriberto hostis, qui Carolum populis ostentabat, cum exercitu ex Burgundis in Franciam venit, obvia vastans. Sed congressuris medium se Hugo obtulit, natus ex Beatrice sorore Heriberti, et frater Emmae, quam Rudolfus uxorem habebat. Induciae tunc quidem factae sunt, et alter ab altero obsides accepit. Ita Rudolfus in Burgundiam rediit, sed uxori persuadere non potuit (si modo voluit), ut Lauduno exiret. Heribertus interim Remos cum Carolo venit, et inde ad papam nuntium mittit cum literis, quibus libertatem Carolo regi redditam significabat; nam Johannes, si secus faceret, excommunicationem interminabatur. Heribertus ei suam in restituendo regno operam venditabat. Rudolfus et Heribertus ex pacto in quadragesima conveniunt ad placitum habendum, in quo pax constitueretur. Ibi compositis rebus, Emma Heriberto Laudunum aperit, et in Burgundiam redit.

10. Heribertus jam voto potitus id agebat, ut filium Odonem, apud Normannos obsidem, recuperaret, quasi conditiones foederis implesset, et Carolum libertati restituisset. Itaque Hugo et Heribertus cum Guilielmo Rollonis filio colloquuntur. Iste multa licet mutuae amicitiae significatione, tamen aliquid majus pro Carolo exigebat, ut scilicet novam ei Heribertus, aliique comites et episcopi fidem darent; quod denique in speciem factum est. Nuncius interim Roma reversus, Johannem carceri inclusum refert. Ita Heribertus, excommunicationis metu deposito, quae Remensis ecclesiae administratori, filiumque illic archiepiscopum volenti, gravis futura erat, jam liberius agere coepit. Ecclesiae tamen quasi vicarium episcopum praeficit Odalricum, Aquensem in Provincia praesulem, sed a Saracenis loco pulsum. Inde Hugo et Heribertus ad Henricum in Lothariensi regno agentem proficiscuntur, credo, ne animum nudaturi, tantum regem adversum haberent.

11. Henricus ex Lothariensi regno reversus in Saxoniam, Mathildi conjugi donavit Quitilingaburg, Palithi, Northuse, Gronau, Duderstete, loca suae haereditatis. Ex tribus prioribus reginae ardentissima religione, auxilio Henrici et filii Ottonis insignia coenobia surrexere. Henricum non dubium est, consiliorum piae conjugis conscium, haec loca, assentiente filio Ottone, illi donasse, ut cogitata in rem conferre posset, etsi Ottonem initio nonnihil matris studiis adversatum constet. Duderstadium regina Quedlinburgensibus virginibus attribuit, unde feudi jure Brunsvicenses duces Grubenhagii tenuere, a quibus ad Moguntinam sedem pignoris jure

pervenit. De Grona et Poleda non semel dictum dicendumque erit. Sed tabulas ipsas integras hoc loco inserere, operae praetium erit. Corrigendus est annus Christi ex consentientibus anno regni et numero indictionis. Nam a. D. 928. dies 16. Kal. Octob. in secundam incidit: et hunc annum rex decimum numerabat. A. 928.

12. *In n. s. et i. T. Henricus div. fav. clem. r. Noverint omnes fideles nostri praesentes scilicet et futuri, qualiter divina misericordia dispensante sublimati in regnum, omnibus circumquaque degentibus fidelibus aeque et justo moderamine praeesse, et omnia Dei respectu regere cupiamus, placuit etiam nobis domum nostram, Deo opitulante, ordinaliter disponere. Quapropter legali moderatione astantibus fidelibus nostris, cum consensu et astipulatione filii nostri Ottonis et episcoporum procerumque et comitum petitione, dulcissimae conjugi nostrae Mathildae potestativa manu tradimus et donamus, quicquid propriae haereditatis in praesenti videmur habere in locis infra nominatis. Haec enim sunt: Quitilingaburg, Palithi, Northusa, Gronau, Duderstete, cum civitatibus et omnibus ad praedicta loca pertinentibus, in jus proprium concessimus, litis, servis, mancipiis utriusque sexus, aedificiis, terris, cultis et incultis, agris, pratis, campis, sylvis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quaesitis et inquirendis. Et ut cuncti cognoscant, eo modo et ea ratione, si nobis superstes extiterit, et in sancta viduitatis pudicitia permanserit, praedicta loca ei concedendo tradimus, ut libera atque secura potestate, cum omni quaesitu eisdem locis invento, temporibus suis feliciter perfruatur. Nec non etiam interiorem familiarum collegium* intrinsecus famulantium, cum omni supellectili, cum equariciis ibidem inventis, potestati illius possidenda perpetualiter praedestinamus. Et ut nostrae donationis largitio firma stabilisque permaneat, manu nostra subtus firmavimus, et annulo nostro sigillari praecepimus. Signum domni Heinrici serenissimi regis. Simon notarius ad vicem Hiltiberti archicapellani recognovi. Datae 16. Kal. Octob. anno dominicae incarnationis 929. indictione 11, anno autem 10 Henrici gloriosi regis regni. Actum in loco, qui dicitur Quitilingaburg, in Dei nomine feliciter, Amen.*

13. Mathildae igitur autori haec coenobia nonnulli ascribunt, etsi mariti quoque et filii Magni Ottonis in ea re non exiguae fuerint partes; ut solebant tunc merita et animae levamenta potissimum collocare in hoc genere benefaciendi. In Polida vel Palithi palatium erat regium saepeque** habiti sunt conventus procerum regni; nunc est sedes praefecturae Brunsvicensis Grubenhagiae. Res Poledanas ex Hoffmanni archivarii collectaneis, sed propria diligentia auctis, Leuckfeldius peculiari opere persecutus est. De Northusano coenobio Syntagmatis Gandesemensis autor Bodo, *monasterium monialium* (inquit) *Mechtildis in Northusa extruxit, quod malo omine in secularem canonicatum est mutatum, virginibus pulsis.* Caufungensis quoque monialium coenobii fundationem huic reginae ascribit Tidericus Langius, cujus verba barbaris versibus de Saxonia apud Engelhusium sic leguntur:

*) *postea, neque vero Leibnitii manu, corr.* collegionem. **) *Eckhard. addit* ibi.

A. 928. *Huic conthoralis Mechtildis erat specialis;*
Northusen pulcras statuit Kaufungque puellas.

Sed Caufunga Cunigundae augustae debetur, non minus pietatis laudibus celebratae.

14. Heribertus ab Henrico rege reversus, Rudolfo dat fidei sacramenta, Carolum Remis sub custodia habet, specie honoris: deinde cum Rudolfo in Burgundiam proficiscitur. Ibi congrediuntur cum Hugone Italiae rege, cui persuasum est, ut Viennam suam, Odoni Heriberti filio promissam, ipsi patri concederet. Sed ad eos pervenisse, non apparet. Nam Viennam deinde Carolus Constantinus, Ludovici Orbi regis sive augusti filius, tenuit, simplice principis honore contentus. Heribertum non multum longinqua moratum credas. Rudolfus deinde et Heribertus Remos veniunt, et Rudolfus cum Carolo pacem facit, sese coram ipso humiliat, an ut regnum ejus beneficio tenere profiteretur? simul Attiniacum fiscalem locum tradit: alter ab altero munera capit. Tunc fidem Carolo a multis episcopis comitibusque ipsoque Heriberto renovatam, apparet. Ea comoedia acta est, ut Heribertus filium Odonem a Normannis recuperaret.

15. Odalricum Aquensem episcopum a Saracenis pulsum, nunc vicarium apud Remenses episcopum agentem, fratres Sammarthani, Galliae christianae autores, Albericum secuti, aliique Aquensem in Provincia archiepiscopum credidere, non absurde, quando tunc Saraceni ex Fraxineto vicina infestabant, et ipsa Alpium Cottiarum itinera Romam ex Gallia ituris includebant. Praefero tamen Pagii sententiam, qui non archiepiscopum Aquensem in Provincia, sed episcopum Aquensem in Vasconia facit. Nam a. D. 920 Saracenos * in Hispania ingenti victoria potitos in Vasconiam irrupisse, supra diximus. Et quando Odalricus in exilio egit, alium praesulem Aquensem Israelem in Provincia invenio, a. D. 948.

16. Otgarius Ambianensium praesul major centenario obiit. Frodoardus, qui hoc memoriae prodidit, virum sanctum vocat. Inter macrobios, in omni historia raros, referri meretur, et Odae, Henrici regis aviae, Azonique nostro, communi Brunsvicensium Estensiumque autori, comes addi. Deroldus medicus anno sequenti surrogatus est, cui ars non praestiterit, quod antecessori natura. Praecoces vindemias hac aestate per Galliam Augusto mense factas, Frodoardus notavit, caloris utique abundantia, humiditate quadam tempestiva temperati.

17. Conspirantibus testimoniis annalium Hildeshemensium, chronici Ekkihardi Uragiensis, necrologii Fuldensis, et Lamberti Schafnaburgensis obiit hoc anno Sehardus Hildeshemensis episcopus. Etsi diu sederit, vix aliud de eo memorant domestica monumenta, quam quod altare S. Crucis et pulpitum evangelii argento redimivit. Successit ei Thiothardus (quem quidam Thetmarum vocant) abbas Herosfeldensis, cujus locum Burcardus accepit, qui post tres praefecturae annos Wirziburgensem cathedram ascendens, Megingozo abbatiam reliquit. Thiothardus undecimo episcopatus anno ecclesiam Gandeshemensem dedicavit.

*) Saraceni *Leibn.*; *corr.* Saracenos *Eckhard.*

18. Rollonem, a baptismate Robertum, Normannorum ducem, hoc demum anno rebus humanis excessisse, memoriae prodit Albericus; et favet Frodoardus, qui nunc Odonem Heriberti filium apud Rollonem adhuc obsidem fuisse scripsit. At historici Normanni multum anticipant mortem. Ego Frodoardo aequaevo et tempora accurate notanti fido. Filium tamen Guilielmum jam vivo patre in gubernationem ascitum, ex nuperis apparet. A longa spatha cognominatum, addit idem Albericus. Uxor ante Giselam Poppa Wilhelmi mater, nobilis ex Gallia viri filia, fuit, ut ex Dudone intelligi potest. Sunt qui scribunt, Berengario Bajocassensi comite natam. Christo Francisque se submittens, Poppa rejecta, Giselam duxit: sed facti poenitens, Poppam recepit. A. 928.

ANNO CHRISTI 929.

Widonis marchionis Tusciae mors. Ejus posteritas in Brunsvicensibus et Estensibus floruit. — Synodus Duisburgensis. Trevirensis. — Adelbero I. episcopus Metensis. — Slavi Winidi saepe Hungaris socii. Henricus eos aggreditur. — Brandeburgum captum. Hinc marchia septentrionalis. — Brandeburgi etymon. — Dalemincia, quae hodie Misnensis regio, subacta. Sorabi. Olsterlandia. — Misnensis arx structa. Hinc postea marchia dicta. — In Lusatiam profertur Germanorum imperium. — Bohemiae reguli fiunt tributarii. — Continuator Reginonis saepius in chronologia aberrat. — De regio nomine principis Bohemorum. — De lancea sacra, in qua clavi de cruce Domini. An et ferrum, quod ejus latus hausit? — Testimonia imperatorum, pontificum et ecclesiae. — Pars Allemanniae regi Transjurano concessa. Vicissim postea Zaringiae ducum potestas in Burgundia. Transjuranum regnum sub Germanico. — Boso regis Galliae Rudolfi frater turbat. Collisio Hugonis et Heriberti. — Caroli vulgo Simplicis mors. Liberi. — Giselberti in Lotharingia ducatus et matrimonium. — Normanni a Flandris in fidem recepti.

1. Johannem pontificem Romanum, angore animi (an oblata morte?) in carcere, provecto jam in aestatem anno periisse, ex Frodoardo verisimile fit. Secuta est non multo post mors Widonis Tusciae principis, notante Luitprando. Itaque facile in hunc annum vel sequentem inciderit. Cum enim, liberis ob teneram aetatem exclusis, ei successerit in Tuscia regenda primum frater ex marchione Adalberto patre Lambertus, mox hoc dejecto, alius frater uterinus Boso Hugonis regis germanus, quem jam Julio mense a. D. 932. praefuisse, notavit Florentinius; vix amplius differri mors Widonis potest. Marchio et comes passim appellatur, sed et ducis nomine celebratus est, quemadmodum notavimus anno superiore. Ex liberis, quantum intelligi datur, marchio Adalbertus fuerit avi cognomine, pater Oberti marchionis, avus Oberti et Adalberti, de quo jam diximus ad a. D. 917. et plura dicemus ad a. D. 960. Sed infantis Adalberti neglectum aut dilatum jus est pro more temporum, et locum ejus obtinuit patruus, excussus mox ipse potestate per vim, regiam, magno totius familiae detrimento, ad quam Tuscia rediit quidem in Adalberto, sed nonnisi ad breve tempus, nec ad ejus filium Obertum pervenit. Familia tamen non tantum diu retinuit patrimoniales Adalbertorum opes per Longobardiam, Liguriam Hetruriamque, sed et multo majora amissis sibi tandem alibi comparavit, quando in Germania duces Bavariae et Saxoniae, tandemque Brunsvicenses, in Italia vero Ferrariae, Mutinae, Regii hinc prodiere. A. 929.

A. 929. 2. In Germania celebrata est synodus Duisburgensis ad confluentes Rurae et Rheni. Nam cum sub finem anni superioris Benno Metensis oculis orbatus fuisset, hoc demum abdicationem ejus, et surrogationem Adalberonis in synodo comprobatam, credendum est, et lege actum in scelestes mali autores. Frodoardus certe Adalberonis initia huic anno ascribit. Browerus hanc synodum biennio anticipasse videtur. Rotgerum Trevirensem, Wilfridum Coloniensem archiepiscopos affuisse, aut potius praefuisse, credi par est. Rotgerus mox ipse synodum provincialem domi celebravit, in quo suffraganei omnes, Bernuinus Virdunensis, Drogo Tullensis, Adelbero Metensis comparuere. Ibi comprobatus est ecclesiasticarum sanctionum liber, quem Ruotgerus ipse composuerat, uti in tabulario quodam Trevirensi reperit Browerus.

3. Adelbero inter Metenses episcopos hujus nominis primus inprimis celebratur. Eum putat Browerus, cui Trevirensi adhuc chorepiscopo Regino suam historiam dicavit, qui universae philosophiae studiis egregie imbutum scribit; temporum tamen ratio non favet. Vix enim a. D. 905. jam chorepiscopus fuerit, qui a. D. 963. episcopus decessit; sed quid conjectura opus est? Adalberonem juvenem ad episcopatum pervenisse, habet autor vitae Johannis abbatis Gorziensis, et Fridericum patruum, professione monachum (tandem abbatem monasterii Andagini seu S. Hucberti) secum habuisse, ait n. 55. Idem ait, regii generis fuisse ex patre matreque, sed ob secundas matris nuptias tenuem censum. Richardus Wasserburgius lib. III. facit filium Odonis ducis Lotharingiae, Ricuino nati. Sed patrem, ut audivimus, amiserat ante episcopatum, Odo autem vixit adhuc, et a. D. 940. ducatum Lotharingiae obtinuit; et Fridericus episcopi frater tandem ducatum Mosellanum a Brunone obtinuit a. D. 959. Alium fratrem Gozelinum, quaedam ab episcopo Metensi in beneficium habentem, idem biographus memorat, sed, ut opinor, uterinum. Evam item comitissam, quam ibidem annotat Mabilio ex tabulis ipsius et filii Odalrici archiepiscopi Remensis, Hugonis comitis viduam, Adalberonis consanguineam fuisse. Sed inprimis notatu dignum est, quod idem biographus narrat, Johannem illum Gorziensem monachum monasterii nomine res repetitum ad Bosonem missum, Richardi Burgundiae ducis filium, Victoriacum Campaniae castrum tenentem, hoc responsum tulisse: *Giselbertum ducem tuum non magis, quam servum meum curo; episcopum tuum Adalberonem juvare decreveram, qui de vitrico quoque ejus Richizone ejus causa vindictam sumsi; sed quia nunc contra me ad Giselbertum defecit, viderit ipse, quo fructu.* Satis apparet, Ricuinum intelligi, comitem insignem, a Bosone caesum a. D. 923, sed Giselberti, an episcopi vitricum appellet, non satis agnoscere patitur ambiguitas verborum; magis tamen ad episcopum inclino, cujus propior mentio, et quem vitricum habuisse constat, et a scriptoribus, licet recentioribus, ad Ricuinum parentem refertur, etsi per errorem ex vitrico patrem vel avum fecerint. Itaque jam vereri incepi, ne ipse Fridericus, postea dux, nonnisi uterinus frater fuerit Adalberonis. Ex duabus certe receptis sententiis, Adalberonem et Fridericum germanos fuisse, et Odonem ducem fuisse filium Ricuini, alterutram falsam esse apparet. Nam

rater germanus Adalberonis Odone senior fuit, si Odo ex Ricuino natus A. 929.
st vitrico Adalberonis; sed Odo dux fuit, et decessit, antequam Fridericus uxorem duceret, et Fridericus Odoni ex intervallo successit in ducatu, liuque superstes fuit. Itaque hic ampliandum censeo. Adelbero, etsi Henrici autoritate provectus, magis ad Gallos inclinavit; sed tandem Ottonis potentiae cessit.

4. Sed rex, firmatis Lothariensium rebus, exercere militem, et in majorem hostem praeparare instituit. Nam induciae Hungaricae paulatim decurrebant. Sarmaticae gentes sub Hunnorum, Slavinorum, Avarum, Bulgarorum nomine jam olim finibus egressae magnam partem Illyrici, Pannoniae, Germaniae insederant; antequam Hungari et Cumani (hi Turcicae, sed illi inter Turcas Fennosque mediae originis) supervenirent: Slavorum commune nomen plerisque advenis Sarmatis mansit. Sed Saxonibus contiguae multiplices Slavorum nationes uno fere Winidorum nomine censebantur. Hi licet a Magno Carolo in ordinem utcunque redacti, jam a multo tempore Teutonicis regibus maligne obsequebantur, et passim fines carpebant et Christi cultum detrectabant. Sed plurimum inter se divisi, nec multum exercitati in armis, regi provido vinci faciliores judicabantur. Praeterea verendum erat, ne Hungaris, ut antea, aditum darent, immo accederent. Nam et in ipsa Pannonia Hungari Avaribus vel Hunnis, id est Sarmaticis populis, permisti jam tum, ut nunc quoque, habitabant. Ut credibile sit, sub Hungarorum nomine gentium colluviem in Germaniam irrupisse, quae ad instar globi ex nive per Slavos provoluta, in transitu crescebat. Itaque si ante domarentur, tantundem formidoloso hosti detractum videbatur.

5. Henricus inde ab ipsis anni auspiciis, ab inferioribus populis incipiens, adverso Albi eniti in Dalemincios, tandem in Bohemos assurgere consultum putavit. Itaque Habolae fluminis accolae, qui Hevelli passim dicuntur, primum impetum excepere, quos jam Magno Carolo summissos olim diximus, nunc obsequiorum pactorumque obliti videbantur. Helmoldus, antiquitatis haud consultus, Herulos facit, quos in haec loca venisse, nullum indicium est. Hanc ergo gentem rex multis praeliis carpens, demum hyeme asperrima, qua intimi paludum recessus patebant, castris in glacie positis, urbem Brennaburgum, caput gentis, fame, ferro, frigore domitam cepit. Ea est, quae nunc Brandeburgum appellatur. Marchionum contra Slavos, a Magdeburgo huc fortasse jam nunc promotorum, vetusta sedes, tametsi interdum praevalentibus Slavis, in citeriora se recipere cogerentur, unde eadem marchia, quae ab officii situ septentrionalis, a sede nunc Brandeburgica, nunc Soltquellensis; aliquando et a familia marchionum Stadensis dicta est; plerisque re parum perspecta, marchias frustra multiplicantibus.

6. Quidam inepte docti, etiamnum in hac luce literarum a Brenno, Gallorum duce, nomen urbis ducunt; quod vix poetis indulserim. „Bor" sylvam, „brany" custodiam significare Slavonicis gentibus, Balbinus monuit. Ita fuisset, quod Germani vocarent Waldshut. Itaque plura loca per Marchiam et Borussiam Brandeburgi nomen habent. Sed Poloni postea,

A. 929. cum a Germanis incoleretur, ex Germanico Brandeburgum, id est titionis vel incendii castrum, interpretati, sua lingua Zyorzelek vertere, id est locum, qui deflagravit. Est in monte illic structura templi perantiqui singularis splendoris antiqui testis, quae jam neglecta ruinam minatur: incolae enim per Germaniam plerumque ex montibus in plana descenderunt, et ipsae speculae, quae in finibus amplius non sunt, assuetis quieti populis, adhiberi desiere; ex hac certe Brandeburgica nunc utilius astra, quam hostes observarentur.

7. Rex successu incitatus, et jam regressus cis Albim, vim in Dalemincios convertit, Thuringis imminentes, veterem hostem suum, in quem juvenis a patre duce missus, militiae tirocinium posuerat. Sed nunc majoribus auspiciis veniebat. Sigebertus et alii regionum haud periti pro Daleminciis, ignoto nomine, Dalmatas posuere. Dalemincii, qui hodie Misnenses, tunc, ut apparet, pars potissima Soraborum fuere, qui intra Salam et Albim, et ultra hunc agros colebant. Fluvii cis Albim primarii, Elister et Mulda duplex. Ab Elistro sive Elstra Olsterlandiam dictam suspicor, quam deinde quidam in Osterlandiam verterint, Thuringiam quandam orientalem comminiscentes. Daleminciorum pagus, Glomazi nomine (de quo supra), Albi propior, urbem habuit Ganam, ita enim (pro Grona aut Kietna corruptis, ut videtur), vetus Witikindi codex Casinensis habet, et ita legit etiam Sigebertus. Assentitur Gundlingius, in libro de Henrico Aucupe docte elaborato, cujus diligentia hic adjuti sumus. Et hodie ad rivum Hanam Jana superest, ignobilis locus, sed tunc primaria urbs Daleminciorum. Eam Henricus obsidens, vigesima demum die per vim cepit: ira victorum vel consilio, in terrorem puberes omnes interfecti, tenera aetas captivitati servata est, praeda militi cessit. Credibile est, hanc fuisse regionem Genebanam ad Albim, quam Magni Caroli duces a. D. 805. vastavere.

8. Tunc, quod Ditmarus episcopus Witikindo historico addit, factum puto, ut montem vicinum ad citeriorem Albis ripam, ob situm rex deligeret, purgatoque ab arboribus loco, arcem imponeret, quae a rivulo praeterfluente Misna dicta est. Ibi praesidium collocavit, coercendis Daleminciis, et armis in ulteriora proferendis. Ea marchionum orientalium, qui postea Misnenses dicti sunt, origo fuit. Burgravio sive castellano contentum tunc in Misna arce Henricum fuisse, putem, sed marchionis officium per adversos Sorabos exercuisse paulo post Sigefridum comitem Mersburgensem (ut diserte Ditmarus), affinem regis, cujus uxor prior Hateburgis, Ervini comitis filia, Sigefridi matertera, fuisset.

9. Ex Misna (mox, an post aliquod temporis intervallum?) trans Albim, versus Spream amnem Milzeni subacti, tributum regi pependere, eodem Ditmaro autore. Ea regio hodie ad Lusatiam pertinet. Lebusam urbem quoque rex obtinuit, munimentumque in ea collocatum deditione cepit. Sed urbs in eo tumultu conflagravit, additque Ditmarus, ex eo tempore habitatore caruisse. Ita paulatim coloni Saxonum in ea loca profecti sunt, ipsique Sorabi, ut placerent dominis, linguam pristinam dedidicere, ut hodie pauca Winidici sermonis loca supersint. Porro eo

inclino, ut statuam, Henricum huc usque provectum, jam nunc victricia A. 929.
arma de vicino usque in Bohemos protulisse, cum Witikindi verba pati non videantur, ut anno eodem et Praga sit capta, et Lunkinensis victoria contigerit, quam sequenti ascribere cogor.

10. Bohemias tunc, ut non inepte Witikindus loquitur, complures reguli, vel sub potentioris autoritate subreguli tenebant. Balbinus Bohemorum historicus nominat Lucensem, Mielnicensem, Boleslaviensem, Caurimensem, Weitrachensem, quos historiae fere neglexerunt, Pragensibus tantum imminentes, qui caeteris tandem superiores fuere, et regum opinionem speciemque habuere. In hos ergo Henricus cum exercitu duxit, et Pragam, caput Bohemiae, adiit, quae Marobodui, olim Marcomannorum principis, regia habetur. Eam Henricus cum rege Wenceslao in deditionem accepit, et Bohemias tributarias fecit. Deinde Saxoniam repetiit; ita Witikindus. Quae etsi ignorata antiquis Bohemorum scriptoribus, Balbinus merito admittit, cum etiam continuati Reginonis, Hermanni Contracti, Sigeberti aliorumque veterum autoritate juventur. Wenceslaus inter sanctos habetur; de quo plura dicenda erunt suo loco.

11. Continuator Reginonis biennio et hoc et multa alia anticipavit: et videntur numeri annorum perturbati, etsi res, quas refert, non raro ejusdem sint anni. Sane eodem anno 928. tribuit Bohemos victos et Rotgeri, archiepiscopi Trevirensis, mortem, quem tamen a. D. 929. adhuc vixisse, certum est, et Browerus quoque a. D. 930. extinctum, maxime verisimile putat. Illud pejus quod Caroli Simplicis obitum et Witgeri episcopi Metensis in eundem annum 925. confert continuator; cum Carolus a. D. 929, Widricus Metensis a. 927. haud dubie obierint. Itaque haec autoris vitia sunt, non solius librarii, numerorum seriem prorsum aut retrorsum dimoventis.

12. Miratur Boguslaus Balbinus, Bohemo principi regis nomen tribui a Witikindo. Sed cum Weleslavinus scriptor gentis prodat, Wenceslaum ab Ottone M. regem appellatum, prolepsi usum Corbejensem judicat Balbinus, quod Stranskius, autor libri de re publica Bohemiae, ipsi Henrico tribuat. Sane et Frodoardus a. D. 950 Boleslaum, fratrem Wenceslai, regem vocat. At Christannus Boleslai filius in opusculo, quo infra utemur, patrem et patruum semper duces appellat. Ego, populis minus cognitis nec satis edomitis facile a scriptoribus reges tribui, observo. At curia, vel imperialis vel Romana, non aeque honoris prodiga erat. Et potentes etiam principes, nonnisi regno Christi summissos, Romani pontifices regum nomine dignabantur, quemadmodum et Romana olim res publica nonnisi socios et amicos principes reges appellare solebat: Witikindus, Wenceslaum, quamdiu vixit, imperatori (id est non Henrico tantum, sed et Ottoni M.) fidelem et utilem mansisse, addit. Itaque Henrico cum Hungaris congredienti auxilium tulisse arbitror. Vita Wenceslai etsi fabulas admisceat, in Ratisbonensibus comitiis, quae in a. D. 935 Balbinus differt, magno honore ab Henrico cultum refert. Ego vereor, ne, quicquid id est, differendum sit in tempora Ottonis Magni, quem Ratisbonae adierit a. D. 938. Itaque tunc prope regis in morem

A. 929. habitum putem, potestate etiam majore in alios Bohemiae subregulos et in fratrem Beleslaum concessa, qui proprium principatum Boleslaviensem gubernabat. Inde auctae irae fuerint, quae mox in scelus fraternae caedis eodem anno erupere.

13. Victorias Henrici, si Luitprando credimus, mire ornasse visa est triumphalis lancea, ex Burgundia Rudolfi regis Transjurani munere allata, quam formidabilem hostibus Magnus Constantinus circumtulisse dicebatur. Eam Rudolfus, cum Italiae regnum teneret, a Samsone comite (cujus nuper mentio) obtinuerat. Coram ea, rebus in arcto positis, spectante exercitu, preces fudisse Ottonem Magnum, idem refert. Caeterum ita describit, ut conspexisse videatur. *Erat*, inquit, *longe ab aliarum specie lancearum diversa, novo quodam opere novaque elaborata figura, habens juxta limbum medium utrobique fenestras. Hae*, inquit, *pro pollicibus perpulchrae duae acies usque ad declivum medium lanceae extenduntur*, quae verba Oedipo indigent. Limbum putes intelligi transversim porrectum in binas acies pollicum loco utrobique prominentium. Addit, media in spina, quam limbum supra memoraverit, ex clavis manibus pedibusque Domini affixis cruces haberi. At ipsum ferrum, quod Domini latus hausit, nuspiam hic memoratur. Mentionem fecere posteriores, ut dubites, Luitprandus tantae rei oblitus sit, quod aegre admittetur, an alii ex ingenio suppleriat. Wagenseilius, qui clinodia imperii nostri primus in commentario rerum Noribergensium accurate descripsit, nam Noribergae custodiuntur, etsi (quod miror) Rudolfini muneris et Luitprandinae narrationis oblitus, inter caetera recenset ferrum lanceae, qua Servatoris in cruce pendentis latus fuerit perfossum, et in qua filis aureis notatum, quousque in corpus ejus penetrarit.

14. In syngrapha Caroli IV. regis Romanorum, quam Ludovico marchioni, imperatoris Bavari filio, ob accepta imperii insignia dedit, ponitur crux aurea, ornata gemmis et margaritis, et in illa cruce est lancea (vel ferrum lanceae) et clavus Domini. Et multo ante Gregorius IX. in literis ad Fridericum II, quae inter epistolas Petri a Vineis extant, quinque imperii insignia cum eorum mysticis significationibus in ejus corde, quasi stylo ferreo in ungue adamantino, scribi suadet. Ea deinde mysteria fusius explicat. Primum ipsi est crux, in processione anteferenda, ubi est lignum Domini et lancea, ubi clavus ejus existit, et postea: *lanceam considera diligenter, cujus acumen latus ejus aperuit, de quo Christus largiter sacramenta tuae salutis effudit*: caetera quatuor insignia sunt: corona capite gestanda, sceptrum dextra manu, pomum sinistra, crux denique alia ante oculos habenda. Et in Martini V. bulla, qua Sigismundi augusti consilium probat, insignia imperii quo tutiora essent, Noribergae inferentis, inter caetera nominatur: *Lancea ex aliqua parte, qua latus Domini miles aperuit, et clavus unus, quo manus ipsius cruce affixa extitit.* Quae testimonia pontificum Romanis certe hodiernis opponi possunt. Autor libri de investitura episcopatuum a Theoderico de Niem recensitus scribit, ab ecclesia Germanica ita cani (an forte olim in ceremonia coronationis?):

A. 929.

Gaude pia plebs justorum
Gensque cuncta Germanorum
Tantis de muneribus:
Nam jocalia salutis
Tibi dedit rex virtutis
Suis de vulneribus:
Clavos lanceamque et crucem,
Haec sacra magnalia;
Ergo Christum vitae ducem
Recole per omnia.

Et rursus:

Collaudemus Christi clementiam;
Quae per gloriosos clavos et lanceam
Dat ecclesiae de inimicis victoriam,
Et in coelo vitam et coronam perpetuam.

Sed alia quoque lancea celebratur in historia, cujus opinio christianis post captam Antiochiam a Corbagathe Turca obsessis victoriam peperisse fertur, quae deinde a comite Tolosano et a Raymundo (Podiensi vel Aniciano, in Arvernia episcopo), legato inter cruce signatos pontificio, conservata est, sed quae in ignis examine testem suum incolumem haud praestitit, quemadmodum ex Wilhelmo Tyrio aliisque expeditionum sacrarum scriptoribus intelligi potest. Sed et plures aliae surrexere, de quibus Collius in libro de sanguine Domini, et Casp. Sagittarius peculiari de lanceis dominicis opusculo egit, nos controversiam sacrae congregationi rituum discutiendam relinquimus.

15. Henricus (ut ait Luitprandus) cum intellexisset, Rodulfum inaestimabile donum lanceae sacrae habere, missis legatis, pretio, precibus, minis extorquere conatus est. Tandem obtinuit parte provinciae Suevorum concessa. Ego sapientiorem fuisse Henricum, credo, quam ut talis in eum permutatio cadat; suspicorque, Rudolfum potius partem Allemannici ducatus extremam et controversam, in Helvetia sitam, quam suae provinciae partem esse dudum, credo, contendebat, eamque ob rem nuper cum Burcardo conflixerat, tunc impetrasse; simulque veterem fidei sponsionem renovasse, quam Arnulphus caesar a minoribus regibus postulabat, et lanceam in obsequii cultusque pignus misisse, aliis utique magnificis donis ab Henrico repensatam. Conradus Rudolfi filius in tabulis quibusdam se regem Allemannorum et Provinciae scripsit, Provinciae scilicet, postquam Arelatem cum Bosoniano regno adeptus est, Ottonis Magni ope, et ob beneficiariae obligationis jus Otto ejus tutelam sibi attribuit, de qua dicemus ad a. D. 937. Hinc etiam postea factum est, Burgundico regno Germaniae reddito, ut Zeringii duces simul Burgundiae cujusdam rectores haberentur. Habentur tabulae commutationis bonorum, quam Teucinda matrona in utilitatem ecclesiae S. Petri in Monte prope Arelatem instituit, datae *Nonis Octobris anno 12. regnante Conrado rege Alamandorum vel* [et] *Provinciae.* Subscripsere archiepiscopi Manasses Arelatensis, Israel Aquensis; episcopus Conradus Forojuliensis. Allemanniae partem pater

A. 929. ejus non potuit nisi regis Germaniae beneficio tenere, sed et hunc Transjuranae regionis Henrico vicissim obsequium obtulisse crediderim; ut totus coleret imperii Germanici majestatem. Et mox provincia Arelatensis vel Bosonianum regnum Ottonis M. maxime ope accessit, quod Bosonis filius Ludovicus (qui deinde Orbus) Caroli Crassi et Arnulfi autoritate tenuerat. Ita regnum Subalpinum, ex Rodulfino Transjurano et Bosoniano infra illud jacente compositum, Arelatense vocari coepit; et sub Conrado Salico, extincto ultimo rege Guelfigena Rudolfo, ad corpus imperii Germanici rediit, consolidatione supremae et subordinatae potestatis.

16. In Gallia Boso Rodulfi frater iterum res turbabat. Rothildis nobilis foeminae nuper extinctae allodia invaserat, ea Hugo quidam, defunctae gener, repetebat. Huic Hugo Roberti filius et Heribertus auxilio veniunt, castrum Bosonis Victoriacum (hodie Vitryum) capiunt: ita malo coactus Boso, induciis interim pactis, ad Henricum regem proficiscitur ibique quietem jurejurando pollicetur. Carolus rex tandem Perronae in custodia obiit, morbo, an aegritudine animi, incertum. Veneni suspicio nulla est, nam Heriberti intererat, ut eum diu in potestate haberet. Postea statim inter Hugonem et Heribertum novae lites. Monasteriolum ad mare situm, castrum Herluini Hilgando comite nati, vix ambo obsederant, hominemque ad obsides dandos compulerant, cum ecce Herluinus, Hugonis vasallus, ab Heriberto recipitur. Inde cum Hugone simultas. Heribertus jam e manibus amiserat illud terriculamentum, quo sibi alios obnoxios factos putabat.

17. Carolus obiit 7. die Octob., sepultus in ecclesia S. Fursei intra Perronam. Non animos ei, sed prudentiam defuisse, apparet. Simplices sunt, qui non a stoliditate, sed bonitate et rectitudine animi dictum interpretantur, tanquam a quo omne tortum versutumque abesset; uti quidam sancti homines a laudantibus viri mirae simplicitatis dicebantur. Itaque chronicon S. Benigni pium et martyrum facit. Nec abnuit Sigebertus; sed aliis veteribus dictus est „Karl-sot“. Uxores ejus Friderunam et Ogivam memoravimus. De Frideruna dictum est supra. Ogivae epitaphium extat in Mabillionis Analectis, obitus dies subnotatur 7. Kal. Januar., quod praeoccupare licebit, etsi ad secundas nuptias transierit, de quibus suo loco. Gisela utrum naturalis, an ex Frideruna nata sit, ambigas. Ludovicum, quem Transmarinum dicunt, ex Ogiva suscepit. Alios ei liberos in charta abbatiae S. Remigii apud Remos tribui, Sammarthani, regias Gallorum familias describentes, observarunt. Roriconem filium nothum, quem Frodoardus ad a. D. 948. diaconum, regis Ludovici fratrem, et mox episcopum Laudunensem electum habet, doctrina insignem fuisse, ex vetere scriptore notant iidem Sammarthani. Qui Rudolfum non agnoscebant, trans Ligerim ad Barcinonem usque, ex eo annos a Caroli morte numerare coepere: formula erat: *anno, ex quo obiit Carolus filius Ludovici, Christo regnante et* [Francia] *regem expectante.*

18. Giselberti matrimonium cum Gerberga, Henrici filia, Labbeus, secutus continuatorem Reginonis, etsi alias circa tempora haud fidum, in hunc annum refert. Certe ultra differri commode non potest. Nam facile

credideris, cum uxore administrationem Lothariensis regni accepisse, quam sequente jam anno exercuisse ostendunt, quae tunc ex Frodoardo afferemus. Nihil tamen video, quod matrimonium adhuc maturius contractum vetet. Captivitatem Giselberti per cujusdam Christiani comitis fraudem jam explosimus. A. 929.

19. Sigefridus quidam Danus, Quantium flumen classe ingressus, Adolfi, comitis Bononiae et S. Bertini abbatis, ditionem infestabat. Huic frater Arnolfus comes Flandriae auxilio venit: res tandem eo redacta est, ut Sigefridus, ad S. Audomarum veniens, sese fidelem Adolfo comiti et abbati profiteretur, censum S. Bertino sponderet, et in Guinensi comitatu velut ad custodiam contra populares suos collocaretur. Haec Malbrancus refert ex localibus documentis.

ANNO CHRISTI 930.

Hugo rex, Maroziae conjugium meditans, Widonem ejus maritum novissimum suum fratrem fuisse negat, Bertam matrem sibi liberos supposuisse ait. — Lambertum alterum fratrem uterinum sese opponentem capit. Bosonem germanum in Tusciae marchia ei substituit. — Hilduinus fit praesul Mediolanensis, Ratherius Veronensis. — Rhedarii Winidi ab Henrico in ordinem rediguntur. — Vestigia marchiarum septentrionalis et orientalis. Bernardus videtur Billinganus. — Winidi Ucrani. — — Rethra celebris urbs Redariorum. Radegasti idolum. — Wallesleva a Redariis vastata. — Lunkinum, ubi caesi. — Hostium eruptio. — Lunkinense, an Lenziense praelium. — Familiae Walbeccensis et Stadensis. — Henricus filio Ottoni conjugem dat Edgitam principem Anglam. — Ejus soror despondetur principi Alpino. Fabulae de uxoribus principum Italorum ex regia Ottonum familia. — Princeps ille Alpinus fuit Ludovicus Orbus. — Ejus filius Carolus Constantinus ex hoc matrimonio non natus. — Prior alius filius Rudolfus. — Familia regia Anglica circa hoc tempus. — Liberi Alfredi regis. — Rotgerus archiepiscopus Trevirensis obit, collocandus inter scriptores ecclesiasticos. — Successit Rotbertus, frater reginae Mechtildis veterum quorundam testimonio. — Ejus sorores in fastis Trevirensibus. — Rudolfus sibi Aquitanos conciliat. — Heribertus turbat. — Rudolfus Viennam sibi subjicit. — An a Carolo Constantino Viennae principe Sabaudi orti.

1. Hugo rex Longobardorum, cum omnia prospere succederent, ad Romani imperii honorem aspirabat. Commodum acciderat, ut, extincto Widone, Marozia vidua esset, quae sese patriciam Romae ferebat, et autoritatis erat retinens, quam a parentibus in urbe potentibus, et Alberico marchione primo marito habuerat, et adolescenti filio Alberico destinatam interim exercebat. Ejus nuper ingens documentum dederat, dejecto papa; et in Leone VI. surrogando, ac mox Stephano VII. potissimas ejus partes fuisse apparet. Itaque ducendae ejus consilium Hugo cepit, sive sponte sua, sive, ut Luitprandus vult, ipsa Marozia invitante. Sed obstabat novissimum hujus conjugium cum Hugonis fratre uterino, et ignota tunc erat Romana dispensatio, nostrorum temporum remedium contra sacras leges, quicquid de seculi decimi corruptelis Baronius vel alii jactent. Itaque commentum matri injurium Hugo in vulgus spargi curat, Bertam, spe prolis amissa, simulato partu aliarum mulierum liberos, Widonem et Lambertum, addo et Ermengardem, sibi supposuisse. A. 930.

A. 930. 2. Lambertus hoc contumeliam suam interpretatus, ut par erat, vir animosus, pro more temporum gentisque ferro se refellere velle dictitavit, quicunque de natalibus suis dubitaret. Id Hugoni gratum accidit, nam Lamberti virtutem et autoritatem suspectam habebat, ne Italiae regnum affectaret. Itaque campionem (ut vocant) suscitat Teduinum, juvenem robustum et gladiatoriis experimentis cognitum; per quem Lambertus ipse juris colore e medio tolleretur. Sed contra vertit. Lambertus Teduinum primo congressu prostravit. Tum Hugo nihil amplius dissimulans, et opprimendum quoquo modo hostem ratus, ne praeveniretur, Lambertum in custodiam mittit, nec multo post lumine privat. Bosonem, fratrem germanum, nempe ex Thietbaldo et Berta in regimen Tusciae subrogat. Inde iter Romanum, et cum Marozia conjugium vel vergente hoc anno, vel proximo secutum puto.

3. Lamberto Mediolanensi archiepiscopo rebus humanis exemto Kal. Jul., autoritate Hugonis regis successit Hilduinus Belga, regi affinitate quadam conjunctus, quem Leodiensi episcopatu dejectum nuper in Italiam confugisse diximus. Ratherius monachus, comes itineris, factus est episcopus Veronensis. Hugo deinde, *intercedente dilectissima conjuge Alda, et Samsone illustrissimo comite et dilecto fideli et consiliario suo* confirmat privilegia Sigefrido episcopo Parmensi *16. Kal. Octob. a. d. inc. 930, regni vero domini Hugonis invictissimi regis quinto, ind. 4. Actum Parmae.*

4. Cum vicinae Saxonibus Slavorum gentes Germanico imperio tributariae factae essent, Abotriti, Redarii, Wilzi, Hevelli, Dalmanci, Bohemi, et ubique pax esset, primi Redarii defecerunt, et in Wallislevam, urbem tunc populosam, impetum fecerunt. Cum improvisi parum custoditam aggressi essent, facile cepere, et interfectis omnibus habitatoribus, magna edita sunt crudelitatis odiique barbarici exempla. Henricus tunc domi nuptias filii Ottonis apparabat, et nurum ex Anglia expectans, velut in profunda pace, rem publicam procurabat. Itaque in hostes Bernhardum et Thietmarum mittit, qui Lunkinum urbem obsident, et victis magna strage Slavis, qui auxilio venerant, deditione capiunt.

5. Marchionis vel ducis aquilonaris locum jam tenuisse videtur Bernhardus iste, cui Witikindus ait Redariorum provinciam fuisse delegatam. Suspicor, ex ejus familia fuisse Herimannum, mox in eadem regione ducem et in officio successorem, et alioqui illic potentem. Nam Herimanni filius et nepos, duces, Bernardi nomen tulere frequens stirpi. Itaque Bernardus praesens facile Herimanni patruus fuerit, Bilungi frater, ad inferiorem Albim cum militari potestate praefectus. Caspar Dankwertus Holsatiae topographus minus recte Herimanni patrem facit. Sed ejus error nobis ad veritatem index fuit. Thiatmari apud Henricum et jam apud Ottonem patrem validi aliquoties mentio facta est. Verisimile est, hunc inter Salam et Albim limitem custodisse, et nunc, pacatis a sua parte gentibus, collegae auxilio venisse, itaque marchio orientalis haberi potest, qui deinde dictus est Misnensis.

6. Redarii tenebant, quod nunc Marchiam Ucranam appellamus, et

vicinae Pomeraniae partem a Viadro ad Panim, ut etiam Helmoldo autore Tolentios complecterentur ad Tolensam amnem, qui Panim influit, quos Adamus Bremensis Tholosantes vocat. Atque hos esse arbitror Ucranos, quos continuator Reginonis a. D. 934. ab Henrico victos scribit eo, quo Hungaros * anno, quanquam malus temporum contemporaneorumque notator. Rectius chronicon nostrum vetus Quedlinburgense, Hungaricam quidem victoriam in annum praecedentem refert. Sed a. D. 934 Ucranim sibi subjecisse scribit. Nomen ab Ucra amne, qui Prenslaviam praeterfluens apud Ukermindam magno aestuario immergitur. Quemadmodum Wilsos a Welsa amne dexteriore dictos suspicor, qui, Angermunda non longe ad dextrum latus relicta, Viadro mox ad sinistram ejus ripam miscetur. A. 930.

7. Primariam Redariorum urbem Rethram vocat Adamus Bremensis, Ditmarus Riedegastam; quorum etsi descriptiones parum conveniant, binas tamen urbes capitales exiguae provinciae pene ejusdem nominis non expectes, nisi quis suspicetur, prima a. D. 957, ab Ottone M., ut quidam putant, eversa (de quo ibi dicemus), incolas in vicino aliam loco, situ, forma diversam struxisse. Nec refert, quod idolum urbis Ditmaro Luarisci, aliis Radegasti nomine venit. Nam praeterquam quod in fano templi affabre facti plurium deorum dearumque imagines sculptae visebantur, quid prohibet, eundem Deum binominem fuisse, et remotioribus a nomine urbis dictum, cum alioqui Radegast Germanis potius pro nomine Dei habitum videatur, quam ipsis Slavis, quibus haec est loci, non hominis denominatio, ut in Wolgast. Et plura loca in Slavicis Radegast dicta reperiuntur. Neque adeo verisimile est, Radegisum, a Stilicone in Italia victum, Slavis pro Deo cultum, qui Gothus et Germanicae originis fuit. Cranzius Rethram pro Staregardia habet (quod veterem urbem sonat) et sane praeter ulterioris Pomeraniae metropolin, quae trans Viadrum jacet, neque adeo Redariis convenit, aliam Staregardiam citeriorem invenio; sed an Rethra sit, in medio relinquo. Non paucas urbes olim celebres deletas hodie et derelictas, constat.

8. De Wallesleva etiam quaestio est, ubi locanda sit. Meibomius, peritissimus talium judex, Vallerslebam interpretatur, ducatus Luneburgici oppidum non procul a sinistra Allerae ripa: sed nimium a Redariis ipsoque Albi abest. Duplex Wallisleva hodie in Vetere Marchia haud procul Osterburgo et Albi, ambae simplices vici occurrunt; alter tamen urbs esse potuit. Ego nihil definio. In praecepto Ottonis II. ecclesiae Magdeburgensi dato 2. Non. Jun. 973. nominatur Valresleba, sed alia fortasse a Fallersleba; nam juxta loca ex pago Hardango nominantur. Et in alio 11. Kal. Novemb. 973. et Non. Jun. 974. dato legitur Walehesleva.

9. Lunckinum quoque dubii est situs. Georgius Fabritius ait, in chronico Quedlinburgico nescio quo appellari Linichinum ad Albim. Sed tomo secundo Brunsvicensia illustrantium edidimus chronicon Quedlinburgense, quo Fabritius usus videtur, multa habens communia cum chronographo Saxone nostro, et ad hunc quidem annum chronographi

*) vicerat *Eckhardus addidit; supplendum*: victos scribit.

A. 930. verba pene eadem, sed contractiora sunt, et in chronico quale ad me pervenit, ut in Witikindo, est Lunkini. Sed nihil prohibet, Fabritium in suo codice paulo aliter legisse, et sane in chronographo est Lungini appellatio; et verum est, in chronico hanc urbem ad Albim locari, quod et chronographus consentiens facit, et fasti Corbejenses. Cum vero in Ditmaro habeatur Luncin, quod Lunzin Meibomius non immerito pronuntiavit; hinc ei Lentium ad dextram Albis ripam, utique Slavica olim urbs, in mentem venit. Nec bellum ad solos Redarios pertinet, etsi incentores videantur, et potuere hostes ac Walleslevam petentes Lenzii Albim transisse; neque enim a Vetere Marchia abest, et a Gartavia proxima tantum Albi sejungitur, quod ne porro facerent, capto loco provisum est. Opponi potest, nullam illic magnam paludem comparere, quam *Witikindus mare* appellavit, Saxones „more" vocant, in quam se praecipitaverint fugientes. Sed hac de re consulendi sunt, qui locum inspexerunt. Et *potest Albis* effusus autumnali tempore stagnare. Quodsi nihil tale locum habere deprehenderetur, invito chronographo et chronico audiri posset *vir doctus*, qui locum in ipsa Ucranorum regione quaerit, ubi Luchenam reperias ad non modicam paludem.

10. Sed missis criticis discussionibus ad antiquas res constituendas necessariis, ipsam narrationem ex Witikindo potissimum pertexamus. Ergo cum omnia tuta et quieta viderentur, Redariis incentoribus magna Slavorum manus, Albi prope Lenzium trajecto, sive Wallislevam in Vetere Marchia, sive alium ejus nominis locum, tunc oppidum, nunc incognitum, sive transmisso etiam Allera (quod minus verisimile) Fallerslebam repentina aggressione oppressit incolisque occisis incendio delevit. Quo successu cum reliqui vicini populi ad rebellandum erecti nuntiarentur, Bernhardus, quem jure marchionem appelles, cum Redariorum provinciam ei subdelegatam scribat Witikindus, jussus est ulcisci hostem; Thietmaro etiam mediam Albis ripam Sorabicique limitis partem inferiorem custodienti, quem rex ipse novissime pacaverat, mandatum est, ut collegae auxilio esset. Nam superiora, id est orientalem marchiam, ad *Sigefridi* curam pertinuisse, apparet, qui priori regis conjugi Hadwigi consobrinus erat. Junctis ergo copiis Thietmarus et Bernardus, transmisso Albi, Lenzium obsident, locum ad coercendos barbaros situ opportunum.

11. Quinta obsidionis die excubiae nuntiant, exercitum hostilem non longe esse, castra nocte proxima oppugnaturum, sed nox obscurior et pluviosa moram injecit. Vigilant nostri armati, et cum nemo compareret, curatis corporibus se mutuo cohortati, primo diluculo reddita serenitate, erectis signis in hostem ultro tendunt. Bernhardus ipse in prima fronte cum modico equitatu in adversos incurrens, invenit magnam esse multitudinem, sed pedites nocturna pluvia tardatos, aegre procedere, et ab equitibus per vim propelli. Itaque se ad suos referens, ordinat aciem, signumque pat pugnae, et clamore valido itur in hostes, qui densius conglobati cum non facile perrumpi possent, nostri carpunt latera, et quos sparsos inveniunt, occidunt, simul equitatum adversum perturbant. Sed hostili acie nihilo secius immota, Bernhardus a Thiatmaro petit, ut in

nudatum hostium latus equitum procellam immittat. Paret ille, et praefectum turmae cum quinquaginta equitibus hastatis gravis armaturae hostium ordines turbare jubet. Inde initium fugae, nec deinde tota die nisi caedes. Slavi ad vicinam urbem se recipere moliebantur, sed ab ea parte fugam intercluserat equitatus Thiatmari. Ita plerique in paludem propulsi aquis, caeteri gladio periere. Pedites omnes consumti sunt, equitum paucissimi effugere. Ingens ea strages fuit, et a scriptoribus nostris ultra fidem augetur, quorum jactationes immodicas transcribere nolo. Pugnatum est Nonis Septembris, ut Ditmarus habet. A. 930.

12. Postera die exercitus iterum urbi admovetur, obsessi re desperata salutem tantummodo pacti sese dedunt, inermesque cum uxoribus et liberis urbe egressi, in captivitatem abducuntur. Parta est praeda ingens, in qua et supellex regis barbarorum inventa est. Porro pauci pro tanta victoria ex Saxonibus cecidere, in quibus fuere aliquot nobiles viri, sed soli nominantur Liutharii duo, quos ambos Ditmarus episcopus et historicus proavos suos appellat, quod ex Meibomio, haec solerter indagante, declarare operae pretium erit. Tabellam ille in suis ad Witikindum notis exhibet, quae familias comitum Walbeccensium ac Stadensium egregie illustrat. Eam probationibus munivit Maderus, nos quoque nonnihil adjecimus. Ita talis prodit:

A. 939.

Duo abavi Ditmari episcopi Mersburgensis, Ditmar. hist. lib. I. pag. 396. edit. Leibnit. inter scriptores Brunsvicensia illustrantes.

- **Lotharius** dynasta Walbeccensis, comes Saxonicus, proavus Ditmari paternus.
  - **Lotharius,** fundator monasterii in Walbeck. Uxor Mechtildis pag. 386.
    - **Thiatmarus** abbas Corbejensis, vid. annal. Corbej. ad annum 997.
    - **Eila,** collocata Bertoldo comiti pag. 368.
      - **Bucco,** pag. 372. 373.
      - **Henricus** marchio, pag. 360. ex amico Henrici II. hostis. pag. 368. 372.
      - **Otto,** pag. 373.
    - **Lotharius** marchio, cui et Bernburgum commissum, pag. 365. Uxor Godila ex occidentali regione nobiliter nata pag. 356.
      - **Wirinharius seu Wernerus** marchio, pag. 396. primum ducit Luidgardam, Eckihardi Misniae marchionis f. pag. 356. eaque mortua pag. 396. Reinhildam Bichlingiam vi rapit, et occiditur pag. 401. et 402.
    - **Sigefridus** comes, patriae defensor, servit fideliter Ottoni III. pag. 351.
      - **Ditmarus** canonicus primum Magdeb. et praepositus Walbeccens. p. 386. post episc. Merspurg. pag. 385. Confer Meibomium in notis ad Witichindi librum I.
      - **Fridericus,** pag. 356 et 368.
      - **Henricus,** pag. 356. 368. 402.
      - **Sigefridus** abbas monasterii S. Johannis juxta Magdeb. pag. 390. et 409. episcop. Monasterii, v. annales Corbejens. 1020.
      - **Bruno** monachus in Nova Corbeja pag. 362. tandem ep. Verdensis, vid. annales Corb. 1020.
      - **Theodoricus,** pag. 327. lin. 7.
      - **Willigisus,** frater Ditmari ex patre, praepositus Walbeccensis pag. 387.

- **Lotharius** comes Stadensis, proavus Ditmari maternus.
  - **Henricus** comes, Ottoni Magno, cujus consanguineum vocat Ditmarus pag. 337. valde charus, et torque aureo ab eo donatus; Ottonis II. expeditioni Danicae interest, pag. 342. tempore Ottonis III. ex vulnere mortuus. pag. 352. Uxor Juditha pag. 340.
    - **Cunegunda** uxor Sigefridi pag. 351. 356.
    - **Henricus,** cui ex Eitela (pag. 353) natus
      - **Sigefridus,** piratis obses datus pag. 352. et ab iisdem naribus, auribus et manibus truncatus pag. 353. Vide Albert. Stad. pag. 112. et 164. et ad eum append. geneal. Reineccii pag. 15.
    - **Udo,** in acie contra piratas occumbens, pag. 352.
    - **Sigefridus,** qui ab iisdem piratis captus, custodibus vino gravatis aufugit, pag. 353.
    - **Hatvi** seu Hedwigis, anno duodecimo aetatis suae abbatissa Heslingensis, pag. 340.
    - **Eila** — **Dedo**
      - **Gero** archiepiscopus Magdeburgensis.

13. Ita rebellionem Slavicarum gentium compressam esse, credi par, etsi reliquiae superfuerint, quae regem ipsum, sed paulo serius, in Redarios excivere. Duces a rege multa cum gratulatione ac laude excepti sunt. Recentis victoriae laetitiam nuptiae auxere, quas rex filio primogenito Ottoni cum Edgita principe Anglorum regia apparabat. Ea erat filia Eduardi regis, soror Adalstani regnantis. Ex carmine Roswitae ad Mathildem intelligimus, Henricum legatos in Angliam misisse, ut sororem regis Ottoni filio peterent. Adelstanum, quo magis satisfaceret tanto regi, cum magnis muneribus binas misisse Eaditham et Adivam, ut eligere posset. Nec diu deliberatum: Eaditha, ut natu major, ita caeteris dotibus potior visa est. Eadem fere narrat Ethelwerdus autor Anglus, ipse regiae stirpis, ad Mechtildem, quam consobrinam vocat, Quedlinburgensem abbatissam Ottone M. natam, additque, alteram principem Eadgydae (sic ille) sororem, ipse Eadivam scilicet (sed quam ipse non nominat) *cuipiam regi, ad Jupitereos montes* (sic ille loquitur, vulgo montem Jovis vocant) in connubium datam; sed de cujus prole sibi nihil sit compertum. A. 930.

14. Quis ille princeps Alpinus, dubitatum est. Ethelwerdus ipse jam tum a Mathilde notitiam ejus petere videtur. Tanta hominum ejus temporis incuria, vel regionum dissociatio erat; cum nunc per statos cursores et diurna locorum pene quotidiana factum sit, ut tota Europa commercio notitiarum in unam gentem coaluisse videatur. Scriptores quidam Itali filias Ottonis M. suis principibus liberaliter distribuunt. Pigna Adeleidem vel Aldam (si placet) Alberto, quem commenti sunt, Azonis Canusini filio, assignat. Sansovinus et Monferratenses historici narrant nobis rem poemati aptam, Aleramum nescio quem, ducis Saxoniae filium, rapta Altheria Ottone nata in Alpes aufugisse, tandemque agnitum et reconciliatum ditionem vicinam accepisse. Quid? si fabula orta sit ex sorore reginae, cuidam Subalpino regulo ab Ottone vel ejus patre desponsata?

15. Sed maritum Adivae Alpinum, quem Ethelwerdus ejus propinquus et coaevus ignoravit, curiositas nostri seculi deprehendit. Guilielmus Malmesburiensis aliique inter caeteros Eduardi generos Adelstani sororios Ludovicum nominant Aquitanorum principem, de genere Caroli Magni. Sed nullus hoc tempore in Aquitania Ludovicus alicujus nominis princeps memoratur. Itaque Ebolum II. pro Ludovico substituit Belius. Sed in longinquis tanti sunt et tam crebri errores scriptoris Malmesburiensis, ut facile credi possit, Aquitaniam ab illo longius aequo protensam. Collectis testimoniis, habemus principem nomine Ludovicum, dignitate regem, situ Alpinum, originem ad Carolum Magnum referentem: et quem alium hoc tempore, quam Ludovicum Orbum Provinciae et Viennensis tractus regem, Ermengarda Ludovici II. imperatoris filia natum. Haec fuit conjectura Andreae Quercetani in opere de Burgundiae principibus; atque hanc etiam Coriarii Delphinatium historici sententiam fuisse, reperio; qui notavit, Aquitaniam a remotis scriptoribus aliquando usque ad Alpes extensam, et Hugonem Italiae regem a Leone Ostiensi Aquitaniae ducem appellari. Tolosanum certe principem Raimundum Luitprandus Aquitanum

A. 930. facit, qui Septimaniae marchio fuit, et ipse in tabulis Aymerici Narbonensis episcopi vocatur dux Aquitanorum a. D. 940. Sed circa tempus nuptiarum lapsus est vir doctus ob ignoratas Ethelwerdi et Roswitae narrationes, quibus inspectis facile judicasset, non a. D. 924. vel 925, sed multo serius Eadivam Ludovico nuptam, id est non ante hunc annum. Constat virgines aliquot ante Ottonis matrimonium annis ex Anglia venisse et Edgidam vel Editham in aula Henrici educatam, nunc demum in sponsi thorum venisse. Nam obiit Editha a. D. 947. Januario mense; in Saxonia cum marito versata est annis decem et novem, testibus Witikindo et Ditmaro. Ergo venit ex Anglia cum sorore a. D. 928. Et credibile est, sororem Ludovico Orbo mox transmissam, sed vix ante hunc annum in thalamum duci potuit, cum Edgida minor annis ut meritis a Roswita dicatur, itaque haud ante eam nubilis fuerit.

16. Itaque etiam emendandus est Coriarius, cum a. D. 933. vel 934, quo Ludovicum Orbum obiisse judicat, filium ejus ex hoc matrimonio Carolum Constantinum, ut ipse putat, decennem vel undecennem facit, cum pater moreretur: nam ex nostro computo vix trimulus fuerit. Sed sciendum est, Carolum Constantinum ex hoc matrimonio nasci non potuisse, quamvis id crediderit etiam Quercetanus; et vel legitimum non fuisse, vel aliam priorem conjugem quamvis ignotam, Ludovico Orbo esse concedendam, quorsum ego inclino; nam principem jam ante triginta annos imperii corona Romae redimitum tot annis conjugium expectasse, haud verisimile est. Porro si Frodoardo fidem adhibemus, uti certe oportet, a. D. 931, id est sequenti, Carolus Constantinus sese Rudolfo Galliae regi (suo, ut sic dicam, subpatruo, id est patris consobrino) submisit, quod infantis anniculi non est. Adde, quod Frodoardus Rudolfum sub anni 931. initium Viennam profectum obsequium exegisse indicat, quo tempore ex hoc matrimonio nec natus esse potuisset Carolus Constantinus.

17. His scriptis occurrit diploma a Mabilione in annalibus ad a. D. 930. excerptum. Quo Adelheidis comitissa soror Rodulfi I. regis Transjurani ex Guelfis, uxor Richardi ducis Burgundiae Cisjuranae, mater Rudolfi regis Francorum, monasterium Romanense in pago Lausanensi Transjurano committit Odoni abbati Cluniacensi, pro anima fratris sui Rudolfi regis, a quo monasterium habuerat, pro requie Richardi conjugis olim sui, pro Willa regina, dicti Rudolfi uxore; tum pro se ipsa et Rodulfo rege Francorum, filio suo, item pro Rodulfo II. rege Burgundiae Jurensis, nepote suo et pro filiis suis Hugone (Albo vulgo) et Bosone, et pro Ludovico nepote (quis ille? an filius Rudolfi regis, de quo ad a. D. 936. §. 39?), sed et pro parentibus et consanguineis suis et domno Hugone insigni abbate. Tandem apponuntur signa Adelheidis comitissae, regiae matris et abbatissae, Judithae filiae Rudolfi regis (Transjurani, ut opinor), Ugonis inclyti comitis (nempe Albi) atque fratris augusti Rodulfi regis, Rodulfi filii Ludovici imperatoris. *Dat. 18. Kal. Jul. anno quinto regnante Rodulfo gloriosissimo rege indict. 2. Actum publice in villa Bojaco.* Ludovicus imperator non alius quam Orbus esse potest, itaque filium habuit alium a Carolo Constantino, Rodulfum, verisimiliter ante matrimonium cum Angla.

18. Sed operae pretium est, paucis genealogiam regiam Anglicam circa hoc tempus exhibere, adjuvante Ethelwerdi opere ad Mathildem, Ottonis Magni filiam, quam consobrinam vocat latissima significatione, quod abavos fratres crederet, Ethelredum Ethelwerdi, Aelfridum Mathildis; nam Mathildem Ottoni M. ex priore matrimonio, id est ex Anglica principe natam, falso Ethelwerdus putavit. Porro Ethelwulfus rex Juditham filiam Caroli II. augusti vulgo Calvi in matrimonio habuit, quae deinde vidua Balduino comiti Flandriae nupsit. Quinque ei filii nati, qui omnes regnavere, primus Ethelstanus cum patre, sed quem morte praevenit; patri a. D. 957. successere simul fratres duo, Ethelbaldus apud West-Saxones, Ethelbertus apud Cantios, sed priore a. D. 860. extincto, posterior solus regnavit usque ad a. D. 866. vel 867, quo regnare coepit quartus frater Ethelredus, cujus filia Thyra Gormoni Danorum regi desponsata fertur, ipse obiit a. D. 871, regnumque pervenit ad novissimum fratrem Alfredum, quem res Anglicanas restituisse supra dictum est. A. 930.

19. Alfredus monarcha Anglorum duos filios habuit, Eduardum, qui post ipsum regnavit, et Ethelwardum, quem literatissimum fuisse perhibet Malmesburiensis. De filiabus nonnihil variatur. Ethelfledem, Eadredi Merciorum comitis uxorem praeterire se ait Asser Menevensis in vita Alfredi, quod tunc jam mortua fuerit. Ethelswitam habet Malmesburiensis, idem Elfguivam (aut ut Asser nominat, Aethelgeofam) et Elfredam virgines nominat. Sed Elftrudam vel Elefritam Balduino juniori comiti Flandriae pater desponsavit, unde nati sunt Arnulfus et Adolfus, de quibus nuper dictum est. Eduardus a. D. 901. rex factus complures liberos habuit, et filiarum non minus pulchritudo, quam virtus et doctrina a scriptoribus celebratur, unde tota Europa expetebantur. Ex Eguina, quam opilionis filiam apud nutricem suam forte visam amavit, Adelstanum genuit successorem, et filiam, Sithrico Dano Northanimbrorum regulo nuptam. Ex Elfleda comitis Ethelmi filia Ethelwardum, Edwinum, Edfledam sanctimonialem, Edgivam vulgo Ogivam, Caroli Simplicis uxorem, Ethelhildam laicam innuptam, Ethildam Hugoni Roberti regis filio nuptam, Edgitham et Elgivam (quae Roswitae Adiva), Henrico regi Germaniae transmissas, quarum prior Ottoni M. altera principi Alpino nupsit, qui Malmesburiensi dictus est Ludovicus princeps Aquitanus; de quo supra. Ex Edgiva denique Edmundum et Edredum, qui post Adelstanum regnarunt, et Eadburgem sanctimonialem. Conjux Ottonis M. Ethelwerdo Eadgida, Malmesburiensi Edgina, Roswitae Eaditha, Witikindo Edidis, Ditmaro Edit, diplomatibus Edgida.

20. Rotgerum archiepiscopum Trevirensem hoc anno obiisse, Browerus verisimile reddit. Neque enim quicquam ultro de eo repertum est, certe successor jam sedit a. D. 932, ut illic dicemus. Extat Treviris in basilica Pauliniana, oratorio S. Walburgis, lapis sepulcralis pene obrutus pavimento, ubi inscriptum legitur: *6. Kal. Feb. o. Ruotgerus Trevir. archiep.* Frodoardus canonicus Remensis ei misit et inscriptos dicavit libros poematum sacrorum a se compositorum, quorum tres sunt de triumphis Christi et sanctorum Palaestinae, quindecim alii * de triumphis

*) alios *Leibn.* alii *ex corr. Eckhardi.*

A. 920. sanctorum Italiae. Quos suo tempore extitisse et in metropolitana bibliotheca Trevirensi asservatos, docet Browerus. Frodoardus ibi Ruotgeri eminentem prudentiam ac benignitatem praedicat. Referri potest inter scriptores ecclesiasticos, nam de libro ejus ecclesiasticarum sanctionum diximus anno praecedente.

21. Successit Rupertus, de cujus genere controversia est. Browerus eum ad Welfos nostros refert, nam filium facit Burgundiae Transjuranae regis et Bertae, Burcardo duce Allemanniae natae (pro quo, lapsu memoriae, Arnolfum Bajoarium posuit), sed testem hujus generis nullum affert. An ex eo collegit, quod regalis prosapiae fuisse scribitur, et quod Adelheida, ejusdem Rudolfi filia, multa beneficia ad Trevirensem ecclesiam contulit; sed parum firmitatis inest in his argumentis. Rudolfum, non Rupertum archiepiscopum peperit Berta regina: rectius Rupertum Albericus Trifontanus facit fratrem reginae Mathildis, filium Theoderici ducis de genere Witikindi, ex quo ejusque fratribus omnis nobilitas Saxoniae, Normanniae, Bavariae, Sueviae, Hungariae, Tusciae et Poloniae processerit; quae autor magni chronici Belgici secutus est. Hanc Ruperti originem frustra Browerus erroris accusat. Nam tuentur eam Gesta Trevirorum, a me quoque primum in lucem producta, in quibus diserte legitur, Rupertum Trevirensem praesulem regnum, quod Lotharingium vocatur, imperio nostro adjecisse, quia soror ejus imperatori (Henricum Aucupem intelligit, qui primum has regiones sibi rursus subjecit) matrimonio juncta fuisset; cum usque ad ejus tempus Francorum regno, quod a Carolo nomen habet (Carolingium olim dicebant) cohaesisset. Accipimus, quod in rem facit, nam caetera errore non carent. Henricus non est dictus imperator, Treviri jam tum erant Lothariensis regni, sed una cum eo ad Germanicum opera Henrici accessere; Henricum dominum jam Rotgerus agnovit; denique Henricus non primus Germanorum habuit, etsi amissum a Conrado ipse recuperarit.

22. Hinc jam minus miror, quod ipse habet Browerus, cognationem Mathildis reginae ut beneficium in fastis principis ecclesiae Trevirensis celebrari his verbis:

Prid. Id. Mart. Mahtild regina mater Ottonis imperatoris.

5. Id. Maji Reinhild mater reg. Mahtildis.

4. Jan. Friderun soror Mahtild reginae.

8. Kal. Junii Bia soror reg. Mahtildis.

Broweri autem sententia vel ideo stare non potest, quod Rudolfus rex demum a. D. 922. uxorem duxit, nec credibile est, puerum septennem Treviris ad archiepiscopatum promotum, unico et improbatissimo nuper apud Remos exemplo; aut puerum autoritate polluisse, quae ad stabilienda Germanici imperii jura requirebatur.

23. Rudolfus Galliae rex, aemulo vel potius legitimo rege jam extincto, ad Aquitanos sibi firmiter adjungendos animum adjecit, nec potuit melius, quam si beneficio ingenti obligaret; quemadmodum fecit. Normannos enim ex Ligeri Aquitaniam infestantes uno ingenti praelio in pago Lemovicensi pene delevit, deinde Aquitanos sibi subditos fecit. Inter

Aquitanos tunc Ebolus vel filius ejus Guilielmus eminebant, Arvernis Pictavisque conjunctis. A. 930.

24. At in Neustria Heribertus iterum turbabat. Receperat Herluinum et Arnoldum comites, quos Hugo dux sibi addictos volebat. Crediderim, quaedam ejus beneficio vel, ut nunc loquuntur, in feudum tenuisse. Arnoldum certe Flandriae comitem in ipso comitatus sui jure Hugonis beneficium agnovisse, parum credibile est. Arnoldo Heribertus filiam Adelam pepigerat, credo, nondum nubilem, nam a. D. 934. secutae sunt nuptiae. Rex ab Aquitania reversus, conciliare irritatos conatus est frustra. Nam vix in Burgundiam redierat, Viennam deinde aggressurus, cum odia iterum erupere. Heribertus, ut pauciores inimicos haberet, Victoriacum Bosoni reddit, sed mox facti poenitens, ab Ansello Bosonis vasallo castri praefecto recipit, Codiciaco (hodie Couciaco) ei dato. Ergo cum etiam Henrico regi suspectus esset, jussus est Giselbertus Lotharienses auxilio adducere Hugoni ad Duacum Arnoldi munimentum obsidendum; quod tandem anno sequente cepere. Boso etiam Victoriacum proditione recepit, quod proditione perdiderat. Sed vicissim Heribertus Mosomum, transmissa vado Mosa, incolis quibusdam faventibus occupat. Ita inanibus armis alter alterum nequicquam fatigabat.

25. Rudolfus (ut hic anticipemus) jam sine aemulo rex, regnum Francorum redintegrare agitabat. Et cum Vienna et Arelatum olim Bosonis rebellione abstractae fuissent, hyeme proxima Viennam venit, nec Ludovicum Orbum superstitem moratus, Constantinum ejus filium cum urbe et principatu Viennensi in fidem recipit; simul Heriberto aegre facturus, cujus filio Odoni Hugo rex Italiae Viennam promiserat. Crediderim, etiam jus vel certe spem successionis sibi vindicasse; erant enim Ludovicus et Rudolfus consobrini, fratribus Bosone et Richardo nati.

26. A Carolo Constantino, qui Viennam ad posteros non transmisit, quidam Sabaudiae principes deducunt. Ex chartulario Cluniacensi compertum est, Thietbergam (ad Humbertum, opinor, Alpinum principem genus referentem, qui Thietbergae, Lothario nuptae, frater fuit) Carolo Constantino nupsisse. Hanc haereditatem illi Sabaudiae attulisse addunt, et Humbertum peperisse, eumque illum esse videri a candidis manibus vulgo cognominatum, Sabaudicae familiae autorem. Equidem Rupertus et Richardus, non Humbertus, Carolo Constantino filii tribuuntur. Est tamen haec origo verisimilior, quam quod Humbertum filium faciunt Beroldi nescio cujus Saxonis Witikindo orti, annalibus monumentisque ignoti; quam ego fabulam ab Amedaeorum crebro Sabaudis nomine fluxisse suspicor, atque inde nescio cui audaciam sumtam Immadum Witikindigenam, ex stirpe Immedingiorum, autorem gentis fingendi. Amedaeos jam dudum Italia habuerat, ut opus non sit a Saxonibus accersi. Ita vocabatur miles Berengarii junioris apud Luitprandum. Tenebrosis temporibus minima quaeque occasio figmentis sufficit.

ANNO CHRISTI 931.

Stephano VII. succedit Johannes XI. filius Alberici marchionis et Maroziae. — Hugo rex filium Lotharium collegam assumit. — Saraceni Januam capiunt. Boso fit Tusciae rector. — Henricus rex, in Westfalia agens, privilegium dat Werdinensibus. — Giselbertus dux collisus cum Heriberto et Bosone. — Rudolfus rex contra Giselbertum Burgundum, et contra Heribertum. — Heribertus se fidei Henrici regis committit. Rudolfus rex Henrico dat obsides. — Rudolfus Heriberto contrarius Artaldum Remorum archiepiscopum fieri curat. — Laudunum capit. — Normanni a Britonibus pelluntur. Vindicant sese. — Saraceni in Fraxineto cladem a Graecis patiuntur.

A. 931. 1. Stephanus VII. Romanus pontifex initio hujus anni vel sub exitum praecedentis finem vivendi facit. Labbeus mortem ejus in nonum Decembris nuperrimi refert; sed cum Johannes successor 6. Id. Januar. a. D. 933. tertio pontificatus anno privilegium dederit, de quo ad a. D. 933, aut corrupte descriptum cum Pagio dicendum est, aut fatendum, ante nonam mensis Januarii diem Johannem inauguratum. Johannes itaque filius Maroziae patriciae, tunc Romam in potestate habentis, Johannis Undecimi nomine successit. Alberici marchionis filium habitum puto, neque satis impudentem Maroziam fuisse, ut adulterium cum Sergio papa profiteretur. Luitprandus rumores populares historiae tanquam exploratos inscripsit, quem, quod pene unicus eorum temporum historicus in Italia esset, omnes deinde praeeuntem sunt secuti.

2. Hugo rex filium consensu procerum in regni societatem ascivit: id factum est verno tempore, paulo ante expeditionem, id est mense Aprili. Huc enim tabulae veteres concurrunt. Luitprandus, parum diligens temporum notator, hanc associationem ad alterum Romanum iter differt. Galvanus Flamma autor posterior multo, sed ineptus, in chronico Mediolanensi inedito, Hugonem ex Burgundia ab Hilduino in Italiam perductum et Mediolani coronatum nugatur. Et autor chronici similis, quod inscribitur Flos Florum, hunc primum Mediolanensium archiepiscoporum sese electioni imperatoris miscuisse. In quibus nihil sani est. Addit tamen recte, ut opinor, Lothario Hugonis filio coronam impositam ac rem solennem peractam in ecclesia S. Ambrosii extra civitatem. De Hilduini promotione dicemus ad a. D. 933.

3. Anno primo Johannis XI. Saraceni ex Africa classe appulsi, Januam ex improviso invadunt capiuntque, omnes praeter teneram aetatem imbellemque sexum trucidant, captivos cum ingenti praeda avehunt. Luitprandus rem narrat; sed annum ex Petro bibliothecario discimus, quem Papebrochius in conatu chronico excerpsit. Luitprandus addit, circa idem tempus alios Saracenos ex Fraxineto ad Aquas tantum quinquaginta millibus a Papia distantes praedatum venisse, sed omnes oppetiisse. Hoc tempore etiam rex Bosonem Tuscis rectorem imposuisse videtur, quem sequente anno Kal. Jul. sexto Hugonis et secundo Lotharii, ind. quinta in privilegio Lucensi marchionem appellari Florentinus observavit. Paulo post consilio Bosonis Lambertum luminibus orbatum, Luitprandus habet.

4. Henricum regem hoc tempore non procul Rheno egisse, ex Frodoardo apparet. Februario mense Witgero abbati monasterii Werdinensis praeceptum concessit, quo *monasterium a beatae memoriae sancto Liudgero episcopo in propria haereditate constructum* (verba ipsa exhibeo) *et Ludovici filii Magni regis Caroli ac successorum defensione munitum* in suae celsitudinis tutelam recipit, et concessiones priorum confirmat, et immunitates aliis monasteriis concessas indulget. Vetat servos, litos, liberos homines ad id pertinentes publicis exactionibus vel aliis modis a judiciaria potestate constringi. Si quid inqnirendum sit aut corrigendum, id coram advocato monasterii agitari jubet. A teloniis etiam et vectigalibus ejus homines eximit; tribuit etiam, ut decimas non episcopis solvant, sed ad portam monasterii deferant hospitalitati exercendae. Monachis electio abbatis relinquitur, nec abbas ad expeditionem ire cogitur, nisi regia liberalitate adjutus. *Signum domni Henrici invictissimi regis. Simon notarius ad vicem Hilliberti archicapellani recogn. Data 7. Kal. Mart. ann. inc. Dom. 931, ind. 4, anno regni primi Henrici regis 13. Actum Werlaha civitate regia.* Non meminit privilegii ab ipso Magno Carolo Werdinensibus dati, quod Bollando suspectum fuisse Schatenius fatetur. A. 931.

5. Trans Rhenum in Lothariensi regno res Giselbertus procurabat. Is tunc Hugoni auxilio erat contra Heribertum, ut tandem Duacum caperetur; quod Hugo Rotgario Rotgarii filio concessit. Heribertus damni pensandi causa Arnoldo Flandro vicissim Sanquintinum dedit. Arnoldus etiam non multo post Moritaniam filiorum Rotgarii munitionem expugnat. Boso in Hugonis et Giselberti partibus erat, et Heriberto adversabatur. Sed nunc Giselberto nata est cum Bosone simultas, qui fortasse id moliebatur, ut Rudolfus frater, jam sine controversia Francorum occidentalium rex, etiam a Lothariensibus reciperetur. Sed Giselbertus castrum ejus Durofostum capit, Boso ab Henrico jam aperte deficiens, sese ad Rudolfum applicat. Contra Heribertus a Rudolfo et Hugone sibi metuens, ad Henrici partes inclinat.

6. Rudolfus cum ipsa hyeme Viennam recepisset, inde Turones orationis gratia, ut ajebant, adisset, jamque in Burgundiam redisset, ut Giselbertum Manassis, Richardum Warnarii filium tumultuantes coerceret, nuntio ex Neustria accepto excitus accurrit, et junctis viribus cum Hugone et Bosone, in Heribertum fertur, castrumque ejus Donincum (si recte Frodoardum legimus) capit et diruit, inde Atrebatum obsidet. Heribertus cum Giselberto et aliis Lothariensibus ad suppetias venit. Cum res ad praelium spectaret, induciae fiunt usque ad Kalendas Octobris. Interim quidam Heriberto addicti, Brainam Hugonis castrum ad Vidulam, quod ille a Rotomagensi praesule tulerat, capiunt evertuntque. Rudolfus Heriberto indignatus id agit, ut ipsi aut filio Remos adimat, eamque ob rem literas ad clerum et populum Remensem scribit, ut pro puero legitimum episcopum eligant. Remenses tunc quidem Heribertum respicientes responderunt, praesulem sibi non deesse, sed postea tamen Rudolfi exhortatio valuit.

A. 931. 7. Heribertus cum Rudolfum nullum jam irae modum tenere videret, nec sibi amplius cunctandum ratus, ad Henricum regem proficiscitur, eique se committit, id est vasallum ficit. Henricum tunc cum copiis in Lothariense regnum venisse, apparet, ut occasionibus de vicino immineret. Rudolfus, cum hoc ei apud Attiniacum nuntiaretur, Hugonem mittit ad Henricum, qui pacem peteret et obsides offerret, quibus acceptis, Henricus pace confecta, Rheno transmisso, in Saxoniam redit. Credibile est, Rudolfum tunc ab omni jure in regnum Lotharii destitisse, Heribertus inter utrumque excidisse videtur.

8. Rudolfus, contractis viribus, cum Hugone et Besone Remos obsidet, et tertia septimana admittentibus civibus, ingreditur, congregatisque aliquot ex Neustria et Burgundia episcopis, synodum habet, in qua improbatur electio Hugonis pueri; et Remenses impulsu Rudolfi archiepiscopum eligunt Artaldum S. Remigii monachum, qui sese jam dudum ad Rudolfum applicuerat. Is post annum ordinationis suae demum pallium a Johanne papa accepit. Tunc etiam Rudolfus Bovonem Catalaunensem episcopum, quod a se descivisset, in custodiam dedit, episcopatum Miloni clerico administrandum commisit. Sequente tamen anno Bovo in gratiam receptus est, Milo ab Artaldo excommunicatus, quod episcopatum diripuisset.

9. Rudolfus deinde Laudunum obsidet, cui sese Heribertus incluserat, qui mox facultatem exeundi impetravit, sperante Rudolfo, faciliorem inde deditionem; sed uxor arcem recens constructam animose defendit. Capta est tandem, et Rudolfus in Burgundiam rediit, tum ut castella quaedam Giselberto et Richardo extorqueret, tum ut Aquitanis quibusdam principibus ad se venientibus colloqueretur, quorum discordiam sopire studebat.

10. Britones, qui in Cornu Galliae remanserant, subita conspiratione consurgentes, in ipso festo S. Michaelis, omnes per regionem Normannos, quibus tunc suberant, cum duce eorum Felecane ex condicto trucidant. Rebellionem mox sub exitum anni Incon Normannus, qui cum suis jam dudum ad Ligerim haerebat, ulciscitur, et regione potitur. Apparet, hoc ad Rollonis filium et Normannos Neustriae non pertinuisse.

11. Graeci Saracenos mari persequentes, Fraxinetum appellunt, et extra munitionem deprehensos in saltu proximo internecione delent; inde aliquandiu Alpes ab eorum incursione liberae fuere. Hoc notavit Frodoardus. Sed cum illi nova subinde supplementa ex Hispania et Mauritania acciperent, recruduit malum. Inde a. D. 933. apud eundem Frodoardum aditus Alpium iterum occupavere, imo a. D. 936. ex Allemannia ipsa seu Suevia Alpina praedas egere, et in reditu multos Romam petentes interemere; et a. D. 939. prohibiti sunt aditu Italiae, qui ex Gallia Romam petebant. Fecerat Frodoardi locus ad hunc annum, ut crederem, nunc conspirantibus Hugone rege et Graecis, Fraxinetum obsessum. Sed mox cum Russorum expeditionem contra Constantinopolin paulo ante hanc obsidionem contigisse ex Luitprando intelligerem, differendam obsidionem judicavi.

ANNO CHRISTI 932.

Hugo rex Romam venit. A Marozia sponsa recipitur. Ab ejus filio Alberico pellitur. — Marozia quo jure a Luitprando culpetur. — Tempus Danicae Henrici expeditionis. — De Danorum superstitione. Latris insula Plinii est Selandia. — De Guormone vel Wormo rege et ejus uxore. — Guormo ab Henrico in ordinem redigitur. Marchia Sleswicensis constituitur. — Cnuba Witikindi est Canutus Guormonis filius. — Haraldus Guormonis successor. — Obotriti victi. — Comitia Erfordiensia, ubi et synodus. — Quidam canones apud Burcardum ascripti synodo Altheimensi, sub Conrado habitae, huc sunt referendi. — Acta synodi Erfordiensis. — Ex Burcardo huc referenda. — Ex chartulario Farvensis abbatiae. — Alius canon ex Burcardo. — Subscriptiones apud Burcardum quasi synodi Althemensis sunt Erfordiensis. — Quaedam variationes. — Tempora quorundam episcoporum. — Causa erroris. — In comitiis Erfurtensibus bellum in Hungaros decretum. — Apparatus belli. — Septimania quoque et Vascones Rudolfum recipiunt. — Tolosani principes. — Nunc Ragemundus Pontius. — Vasconum gens et principes. — Heribertus cum Hugone et Giselberto conflictatur.

1. Hugo jam dudum Italico regno imperium in Romam adjicere meditabatur, auxit spem ejus Maroziae invitatio, quae maritum regem expetebat, nec papa ejus filius adversaturus videbatur. Itaque Romanam expeditionem parat, cum Lothario sceptris sociato res domi constituisset, et in Hilduino Insubres, in Bosone Tuscos obnoxios haberet. Ubi Romam venit, ad ingressum Leoninae urbis honorifice a Romanis receptus est. Castellum archangeli Marozia tenebat, quod Tiberino ponti imminet. In id rex admissus, praemature jam patricium Romanorum agebat. Forte filius Maroziae Albericus, marchionis Alberici filius, adolescens, vitrico ut manus ablueret, aquam fundere jussus, sive imprudens sive insolentia animi officium parum moderate peregit, atque ideo ab Hugone alapa caesus est; quam injuriam non ferens, procedit ad Romanos, animosque in Hugonem concitat, indignum esse dictitans, Burgundionem Romanis superbe imperare, Romam muliebris libidinis pretium esse: nam ex facto novi hospitis in privignum intelligi, quid caeteris sit expectandum, ubi potentia coaluisset. Nec mora, Hugonem omnes deserunt, Albericum sequuntur. Hugo praeventus, cum militis sui advocandi spatium non haberet, turpi fuga elabitur. Conjugium ipsum irritumne fuerit, an tantum brevis usus, haud satis constat. Eo inclino, ut consummatum fuerit, quoniam incestus Hugoni et Maroziae objicitur non tantum a Luitprando, sed etiam a Frodoardo. Itaque Maroziam jam defunctam puto, cum postea Hugo Bertam duxit. Albericus aliquandiu potestatem cum matre exercuit, tandem totam ad se traxit. A. 932.

2. Mihi Luitprandus ineptus videtur, qui Maroziae consilium, quod ambitioni debebatur, libidini tribuit. Et hinc subito in poetam versus, mulierem conviciis proscindit:

Quid Veneris facibus compulsa Marozia saevis? etc.

Scilicet mulier potens et effrenis sine rege marito cupiditates explere non potuisset. Marozia hoc matrimonio ad augustae honores grassabatur: nec incesti metus obstabat, si ejus temporibus nostrorum laxitas fuisset, cum dispensationum fontem ipsa in manu haberet. Nec minus Hugo rationes praeclare inierat, sed una alapa imperium perdidit; nam si con-

A. 932. silia processissent, primo patriciatus, deinde corona Romana novum maritum expectabat. Etiam avorum memoria efficacem alapam anecdota historia novit. Pestem hoc anno in Longobardia grassatam, habet Campius canonicus Placentinus, ex cathedralis ecclesiae monumentis.

3. In hoc tempus Danicam Henrici expeditionem refero, hactenus enim annum, qui caperet, non inveni, et ultra Hungaricam victoriam differre nolim, ne ab appendice Reginonis et hanc secutis nisi magna ratione nimis discedam. Cum ergo rex Slavos septentrionales a Danis vicinis subinde ad rebellandum stimulari comperisset, judicavit, aegre in officio contineri posse, nisi Danis in ordinem redactis. Junctis Slavis, Transalbinam Saxoniam vastasse, Adamus Bremensis et Helmoldus notant. Witikindus addit, navali latrocinio Frisios infestasse. De anno Danicae expeditionis liquido satis non constat. Witikindus et Ditmarus propemodum ut ultimum Henrici opus attingere videntur. Frodoardus certior omnibus hic silet. Continuator Reginonis Hungaricae victoriae diserte praeponit, quem non tamen sine haesitatione sequor, post Hermannum Contractum et annalistam nostrum, qui in annum Domini 931. conspirant. *Itaque*, Witikindus inquit, *cum omnes in circuitu nationes subjecisset, Danos vicit, tributarios fecit, regem eorum Cnubam ad baptismum perduxit*, vel ut Ditmarus ait, *Normannos et Danos sibi obtemperantes reddidit, et ab errore pristino revocatos cum rege Cnutone jugum Christi ferre docuit.*

4. Addit narratiunculam Ditmarus, Danos cum adhuc diis suis servirent, transacto quovis novennio, mense Januario (id est, cum festum solis revertentis, giulae seu rotae nomine celebrabant) conventu habito in pago Selun (Selandia scilicet insula) in urbe Lederuna, capite regni, nonaginta novem homines, totidemque equos, canes, gallos sacrificasse. Urbs antiquum insulae nomen exprimit. Latrin ergo Plinio memoratam insulam non Osiliam (ut Cluverio visum), sed ipsam Selandiam fuisse, dicendum est.

5. Si magistrum Adamum audimus, qui ab episcopo Danorum accepta in literas retulit, apud Danos tunc regnabat Guormo filius Hardevici (vel potius Hardecnuti), christianis infestus, quanquam uxorem haberet christianam nomine Thyram, filiam Ethelredi regis Anglorum, ejus scilicet, qui Alfredum fratrem praecesserat. Ita Saxo grammaticus; sed Angli scriptores in eam rem nonnisi quosdam annales Hiberniae citant. Et sane dissentit Tormodus Torfaeus Islandus diligens autor, et filiam vel neptem Haraldi cujusdam Klackii in Holsatia comitis facit. Certe non apparet, Canutum, Suenonis, qui Haraldi, qui Guormonis, filium, cum Angliae regnum Danico post multa certamina conjunxit, ad regiam ex Anglis originem provocasse. Ex Thyra ergo, quaecunque fuerit, Guormoni nati sunt Canutus, patri non superstes, et qui successit Haraldus. Ipse Guormo initio non alienus fuisse a christiana fide, sed deinde vacillasse videtur. Postremo in crudelitatem versus, sacerdotes a finibus suis expulit, multos etiam per tormenta necavit.

6. Henricus ergo (ut cum Adamo pergamus) Daniam ingressus,

Guormonem primo impetu ita perterruit, ut pacem peteret, imperata se facturum sponderet. Marchionem denique et cum praesidio coloniam Saxonum trans Eidoram in ipso Danorum solo collocat in loco, qui Danis Haidaba, nostris Sliaswicum (quasi in Sliae sinu) jam tum dicebatur, nobile dudum emporium, jamque Remberto in vita Anscharii laudatum. Haec Saxo grammaticus nimio Danici nominis studio dissimulavit. Danos ab Henrico subjugatos (id est victos et ad tributum adactos) etiam Luitprandus memorat, et ex eo magnam ejus etiam apud exteras gentes gloriam fuisse, triumphata gente, Francorum cladibus nobili, quae apud Aquasgrani Caroli Magni sedem combussisset, quae tot mala Galliae intulisset. Cypraeus annalium Sleswicensium scriptor prodit memoriae, arcem Sleswici ab Henrico extructam, cujus vestigia non longe ab aede Heidebyensi supersint; ut de re dubitare nemo possit; hodie Veterem Burgum (Oldeburg) appellari. A. 932.

7. Cnubam regem Dani scriptores ignorasse videbantur. Unus caeteris diligentior Tormodus Torfaeus Islandus: *Gormus rex* (inquit) *in illam partem Daniae, quae tunc Reitgotulandia, jam vero Jutia nuncupatur, adversus regem quendam Gnupam dictum cum exercitu profectus est, quem post aliquot praelia occidit, et regnum ipsius in suam potestatem redegit, tandem in interiora* (vel potius ulteriora) *Jutiae pergens, omnes reges ad Slesvicum usque devicit, et magnam partem Vindlandiae sibi subjecit.* Sed haec, ni fallor, in nostra non satis aptantur. Cnuba ille, si quis fuit regulus, non in confinio Saxonum, sed Jutia interiore egit. Henrico cum ipso Guormone res fuit, et ut arbitror (Torfaeo etiam huc inclinante) cum filio ejus non Cnuba sed Cnuto, id est Canuto (rectius enim apud Ditmarum, quam apud Witikindum nomen expressum arbitror), cui pater vivus regni extima crediderit, et qui jam tum a fide in Christum non alienus, hortante Henrico baptismum admiserit. Tributum etiam arbitror non ad omnes Danos, sed ad finitimos pertinuisse; illud vero Guormoni expressum, ut a Christi cultu neminem prohiberet.

8. Haraldum, quem pater post Canuti mortem in collegam regni asciverat, quidam scribunt, ab Unnone Hamburgensi archiepiscopo sacro lavacro tinctum; Adamus Bremensis rectius: favisse quidem christianis impulsu Unnonis, sed initiatum Christo non fuisse, et ad vitae exitum usque ambiguum haesisse. Illud constat, his temporibus Unnonem apostolicam expeditionem suscepisse, et ecclesias per septentrionem renovasse, sacrisque laboribus in Suecia tandem immortuum fuisse. Guormo cognomento Grandaevus dictus est, visum senex amisit, mox circa a. D. 936. obiisse traditur.

9. Continuator Reginonis scribit, Henricum eodem anno regem Abotritorum et regem Danorum christianos fecisse. Ut credibile sit, exercitum in Danos ducentem per Abotritos iter fecisse, qui inter Redarios Wagriosque circa Warnam fluvium, id est inter Panim et Travenam, habitabant: inde per Wagrios, Slavos et Nordalbingos Saxones, id est Stormarios Holsatosque, ad Eidoram et fines Danorum pervenisse. Nisi malimus victorem in reditu, flexo ad sinistram itinere, Abotritos adisse,

A. 932. et religionem christianam apud ipsos inde a Magno Carolo plantatam, sed turbata per Normannos Saxonia pene oppressam resuscitasse. Tametsi conversio reguli, quae tunc contigit, non magis quam Danica in haeredem transisse videatur.

10. Diu Henricus a superiore Germania abfuerat, sed erant, quae praesentiam ejus postulare videbantur, sive ut Hungaris iretur obviam, sive ut ecclesiis subveniretur, sive ut potentum dissidia tollerentur. Et Reginonis continuator ab Eberhardo et aliis Francorum comitibus et episcopis solicitatum tradit. Itaque in medio fere regni sui conventum ad Erpesfordiam indixit. Ibi cum placito principum habita simul est synodus episcoporum, cujus miror oblitum virum doctum, qui Erfordiensem historiam scripsit. Credo, quod Variloquus (scriptor barbarus) et chronica domestica ejus non meminissent. Ego ad synodum hanc pertinere judico nonnulla, quae Burcardus Wormatiensis episcopus in sua canonum collectione ad Althemensem retulit sub Conrado rege a. D. 916. celebratam; quod jam illic annotavi, hic tamen amplius dicendum est.

11. Pagius agnoscens, episcopos a Burcardo referri inter Althemensis synodi patres, qui Conrado vivo nondum sederant, colligit, aliam synodum Althemensem sub Henrico celebratam: sed talem Henrici gesta a nobis curatius discussa non admittunt. Neque Henricus nisi semel in Norico et Althemii vicinia egit, nimirum initio regni, quando Herimannum Suevum et Arnulfum Bajoarium sibi subjecit; sed tunc nondum episcopi omnes, qui a Burcardo nominantur, suis ecclesiis praeerant, velut Hildibertus Moguntinus et Robertus Trevirensis. Cur vero canones Altheimensi male ascriptos ad Erfordiensem synodum referam, causa est, quod iidem episcopi pene ad unum omnes et pene eodem ordine, tam in concilii Erfordiensis praefatione, quam in Burcardo memorantur. Potestque locus alter ex altero corrigi atque suppleri. Inscriptio haec est:

12. *Concilium Erfordiense, in causa disciplinae ecclesiasticae celebratum anno Domini 932. tempore Johannis papae XI.*

Praefatio.

Anno ab incarnatione domini nostri Jesu Christi nongentesimo trigesimo secundo, anno etiam domini Henrici regis christianissimi decimo quarto, indictione quinta, sub die Kalendarum Juniarum, congregata est apud Erpesfurt sancta et universalis synodus, ut rex sapientissimus cum concilio primatum suorum decrevit, inspirante omnium Salvatoris clementia, pro utilitate et statu sanctae matris ecclesiae; cujus regis solertiam prudentissimi viri Hildiberti archiepiscopi (consilium) *gubernabat; considentibus religiosissimis sacerdotibus, id est R. santae Treverensis ecclesiae archiepiscopo, Unni sanctae Hamburgensis ecclesiae episcopo, Adalguardo Fardunensis ecclesiae episcopo, Rino* (Ricwino) *Argentinae civitatis episcopo, Nodingo Constantinae ecclesiae episcopo, Unwano Padeburnensis ecclesiae episcopo, Bernardo Halberstadensis ecclesiae episcopo, Othilrico Agustodunensis* (Augustanae) *ecclesiae episcopo, Burchardo Wirtzeburgensis ecclesiae episcopo, Duodone Osnaburgensis ecclesiae episcopo, Rumaldo Memigernafurdensis* (hodie Monasteriensis) *ecclesiae episcopo,*

Eburgiso Mimidonensis (Mindensis) *ecclesiae episcopo: nec non et abbatibus, aliisque sacri ordinis viris. Porro cum eorum unanimitate, ac primum Deo favente, eorum capitula infra notata, quam pro populi christiani correctione collecta sunt.* A. 932.

Capitula.

I. Ut deinceps natalitia duodecim apostolorum summa veneratione solenniter celebrentur. Et in vigiliis antiquitus statutis, atque hactenus ab antecessoribus nostris servatis, jejuniorum vota omni diligentia persolvere decernimus: quia quos caelitus sublimioris meriti scimus, hos et amplioris dignitate honoris a nobis colendos esse, non dubitamus.

II. Placita saecularia dominicis vel aliis festis diebus, seu etiam in quibus legitima jejunia celebrantur, secundum canonicam institutionem, minime fieri volumus. Insuper quoque gloriosissimus rex augmentum christianae religionis concessit, ut nulla judiciaria potestas licentiam habeat christianos sua autoritate ad placitum bannire septem diebus ante natale Domini, et a quinquagesima usque ad octavas paschae, et septem diebus ante nativitatem Joannis baptistae, quatenus adeundi ecclesiam orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.

III. Praecipimus namque, ut nullus christianus ecclesiam pro reverentia petendo, ibique manendo, indeque revertendo, alicujus publicae potestatis banno ibidem constringatur: ne forte dum ad ecclesiam causa orationum properat, per bannum impediatur pro salute animae devote insistere.

IV. Si quis presbyter aut diaconus negligens vitae suae, mala de se suspicari permiserit, et ejus infamia coram episcopo semel, bis, ac tertio: ut vel prodendo reatum, culpabilem se esse cognoscat, et sic justae correptionis sententiam excipiat; aut adhibitis secum collegis, juramento se expurgando, innocentem se esse demonstret.

V. Ut nemo nisi consentiente proprio episcopo, aut ejus misso, sub obtentu religionis jejunium sibi imponat, unum diem prae aliis excipiendo, omnimodo interdicimus. Quod et factum displicet, et in futurum fieri prohibemus: quia plus causa ariolandi esse cognoscitur, quam supplementum legis catholicae.

13. Apud Burcardum lib. I. cap. 227. tanquam ex cap. 37. concilii Althemensis, praesente Conrado rege habiti, haec leguntur, sed huc referenda: *De haereditate episcoporum caeterorumque ecclesiasticorum. Sed et hoc ibidem inventum est de episcopis, presbyteris et clericis, si haereditatem* (proprietatem) *a domino rege, vel ab alio principe, vel amico suo, seu per haereditariam sortem acquisierant, donare eis liceat, cui voluerint, dum vivunt pro remedio animae, ad ecclesiam quamcunque elegerint, vel consanguineis suis, vel amicis. Sin autem antea obierint, quam firmiter perfecerint: altari, cui serviunt, omnia perpetuo sanctificentur, et in jus tradantur. Similiter de presbyteris statutum est.*

14. Eundem canonem, quem Erpesfordiensi concilio vindicavimus, exhibet sub Althemensis nomine ex chartario Farfensis (in Spoletinis) abbatiae Mabilio Annal. a. D. 935. in appendice subjecta, iisdem plane

A. 932. verbis, nam pro *in eis tradantur* legendum est *in jus*. Itaque suspicor, Farfensem locum simpliciter ex Burcardo descriptum, quod doctissimus Mabilio in ea rerum tractandarum multitudine haud observavit. In subscriptionibus Farfensibus pro Adalwaldo episcopo Sardiensi manifestum est, legendum Adalwardum Fardinensem. Subditur autem, et reliquos septem episcopos subscripsisse, quod cum numero eorum convenit, qui apud Burcardum sequuntur et mox exhibebuntur. Caeterum quod constitutum est in decretalibus Gregorii IX, cap. 1. tituli de successionibus ab intestato, ex hoc canone excerpitur. Inscriptio habet: *ex concilio in Altenein*, pro quo quidam posuerunt *Aliten*, sed recte novissima editio ex Pithoeanis notis *Altheim*. Nec Pithoeum vidisse dubito, locum esse ex Burcardo.

15. Sed et concilii Erpesfordiensis esse suspicor canonem, qui extat apud Burcardum lib. I. c. 231, et dicitur esse Althemensis concilii trigesimus sextus, nam materiae ratione ei, quem jam suo loco restituimus, connectitur; agit enim de successione episcopi ex monacho, ut ille de episcopi vel alterius successione simpliciter. Verba Burcardi ita habent lib. I, c. 231. *De eo, qui ex monacho factus fuerit episcopus: Statutum et ratiocinabiliter secundum sanctos patres a synodo est firmatum, ut monachus, quem canonica electio a jugo regulae monasticae professionis absolvit, et sacra ordinatio de monacho episcopum facit, velut legitimus haeres paternam sibi haereditatem postea jure vendicandi potestatem habeat. Sed quicquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat et abbatis sui, qui fuerat secundum regulam sancti Benedicti, arbitrio. Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur et titulatur, secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituat.*

16. Subjiciamus jam subscriptiones, quales apud Burcardum post supradictum capitulum 227. leguntur: *Hildibertus Moguntinensis archiepiscopus subscripsit. Robertus Treverensis archiepiscopus subscripsit. Unni Hameburgensis archiepiscopus subscripsit. Adalwardus Fardinensis episcopus subscripsit. Richwynus Argentinensis episcopus subscripsit. Notingus Constantiensis episcopus subscripsit. Unewanus Padarbrunnensis episcopus subscripsit. Udalricus Augustensis episcopus subscripsit. Bernhardus Halwartanensis episcopus subscripsit. Rumaldus Mimigardenowardensis episcopus subscripsit. Eberis Mindunensis episcopus subscripsit. Nec non et abbates cum caeteris sacri ordinis viris subscripserunt.*

17. Apud Burcardum in subscriptionibus omissi sunt (forte librariorum vitio, an quia episcopi impediti) Burcardus Wirzeburgensis et Duodo Osnabrugensis; Udalricus tamen Augustensis (sic legendum, non, ut in concilio Augustodunensis) Bernardo Halberstadensi apud Burcardum rectius praeponitur, cum illum a. D. 923, hunc a. D. 924. infulam accepisse, compertum sit, et pro Rino corrupte scripto legendus Richwinus. Porro Trevirensis praesul in concilio nonnisi litera canina nominis initiali designatur. Annotator ad marginem concilii Ruitgerum interpretatur, qui

(quod falsum est) a. D. 934. obierit. Browerus, quemadmodum a. D. 930. notavimus, dubitat, utrum Rupertus jam sederit; sed cum apud Burcardum et in Farfensi etiam codice diserte nominetur, dubitatio cessat. Fardunensis episcopatus non est cum annotatore trans Albim quaerendus, ubi Suardones Tacitus collocat, sed Pharodeni sunt Bardi, qui olim Longobardi, ubi Bardorum est vicus, Fardunum sive (ut hodie) Vehrda episcopi sedes. A. 932.

18. Circa tempora episcoporum annotari operae pretium est, Hildebertum a. D. 927. sedere coepisse, Rupertum 930, Unnonem 918, Udalricum 923. exeunte, Bernardum 924. Sed et quorundam mortes addemus. Unewanus obiit a. D. 935, Nothingus 934, Richwinus 933, Adalwardus eodem. Et hi quidem tres postremi ex nostris Fuldensium fastorum excerptis. Lambertus Schafnaburgensis, annalista noster, et chronographus Saxo Thiotonem Wirzeburgensem hoc anno (nempe ante synodum) e medio tollunt. Sed fastis Fuldensibus magis credo, anno praecedente 17. Kal. Dec. rebus humanis excessisse. Et statim successit Burcardus abbas Hersfeldensis: nam (ex chronico Wurzeburgensi a Baluzio edito) a. D. 931. ad episcopatum evectus est. Chronicon Mindense mortem Lutharii episcopi in a. D. 936. prorogat, sed ex hac synodo refutatur, in qua jam Evergisus sedit. Et vero illum a. D. 927. obiisse constat ex iisdem fastorum excerptis. Dudonem Osnabrugensem a. D. 934. vivis excessisse, Erdmannus in chronico scribit. Itaque pleraque liquent, solutusque est, qui Mabilioni etiam videbatur difficilis nodus.

19. Caeterum dicendum est, vel (ut fecimus) augendum esse Erfordiense concilium canone uno alterove novo, quem Burcardus trigesimum sextum et trigesimum septimum Althemensis facit; vel quod malim, errore aliquo subscriptiones non aptas a Burcardo vel eo quem secutus est, Althemensi synodo assignatas. Denique canon secundus, tertius, quintus Erfordiensis concilii, in Burcardi collectione inseruntur libro XIII. capitulis 21. 28. 27. additurque diserte esse ex *concilio apud Erphesfurt habito, cui interfuit Henricus rex.* Suspicor bina concilia in aliqua collectione sibi conjuncta fuisse, ut Germanica et temporum intervallo vicina; factumque deinde, ut librarius aliquis sive codicis descriptor negligentia quadam finem subscriptionesque Althemensis, et inscriptionem Erpesfordiensis transsilierit, aut etiam in codice mutilato non invenerit. Ita male factum est, ut subscriptiones Erfordienses sub inscriptione Althemensi legerentur. Hildesemense chronicon Quercetano debitum habet, eo quo Henricus obiit anno magnam synodum in Erpesfort celebratam; sed placitum generale fuit, ubi morti propinquus de successore constituit.

20. In Erfordiensi placito praesenti deliberationem institutam arbitror, quam memorat Witikindus, decurrentesne ad finem cum Hungaris inducias praestaret prorogari, et pacem auro redimi, an veram et decoram quietem ferro parari. Rex igitur cum universum populum, id est ex populo proceres, convocasset, sed Saxones maxime et Thuringos et vicinos Francos praesto habuisset, progressus in medium, ostendit imperium Germanicum non minus civilibus discordiis quam bellis externis laborasse, nunc divino munere, virtute militum, suo labore ac ductu barbaros domitos,

A. 932. regnum pacatum. Unum hostem crudelissimum Hungarum superesse. Huic pecuniam datam hactenus, sed nunc exhausto aerario donaria et sacram supellectilem templorum restare, qua sublata corpora dedenda, nisi virtus tandem in praecordia redeat. Praestare, ut instructi, quam nudi bellum parent, et opimis hostium spoliis potius augeant honorem divini cultus, quam Deo dicata impiis offerant. Sua equidem sententia pro religione, pro aris focisque fortiter pugnantibus propitium numen haud defore. Nunc quid censeant proceres, quid jubeat populus, in propatulo esse debere. Omnes exclamant, divina Deo, non Dei hostibus deberi. Deo se redemtori confidere; expediret arma rex, duceret in hostem, opibus viribusque Germaniae uteretur; ita sublatis manibus, teste coelo operam pollicentur. Hoc velut pacto inito, rex jam consiliorum certus, multitudinem dimittit.

21. Inde in Franciam Germanicam progressus, Laurishemi fuit; ita in chronico Hildesiensi legitur, cujus pars anterior in illo monasterio elaborata videtur. Itaque *Lonsicim* male legit exscriptor pro *Lorisheim*. Rex victor et triumphator ab Eberhardo duce aliisque comitibus et episcopis Francorum in ecclesiarum sedibus et propriis habitationibus honorifice exceptus muneribusque cultus est. Neque otiose egisse, sed ad apparandum bellum superiores quoque Germanos stimulasse, segnes increpasse, promtos laudasse et ornasse putandum est. Haesit aliquandiu non procul Rheno, citra tamen, nam paulo ante exitum anni Heribertus ad eum transmisso fluvio venit.

22. Iste pene solus adhuc Galliam turbabat. Rudolfus ad preces Hugonis ducis Bovonem episcopum in gratiam receperat. Giselbertus Burgundus cum sociis se Rudolfo submiserat, qui brevi in Neustriam excursione abbatiam S. Medardi apud Suessiones Heriberto extorquet. Inde in Burgundiam regressus Ragemundum et Ermingaudum principes Gothiae in fidem recipit, et Lupum Acinarium Vasconum ducem, qui equum plus quam centenarium, neque eo minus validissimum habere dicebatur. Gothia erat, quam veteres Septimaniam vocabant, hodie Linguadocia appellatur. Ragemundus inter Tolosanos comites habetur, quibus crebrum Raymundi nomen. Ermengaudum ex eadem stirpe fuisse, ex Catello discimus, qui circa haec tempora in Vabrensis abbatiae chartis invenit Ermengaudum, egregium principem, et filium ejus altum Ragemundum, *regnante Rudolfo rege et venerabili Ermengaudo principe sub die Mercoris mense Januario.* Adelais ejus uxor reperitur, et aliquando Pontio conjungitur, filio prioris illius Ragemundi.

23. Wisigothi olim praeter Hispanias omnia in Gallia inter Rhodanum Ligerimque tenebant, sed victi a Clodovaeo solam cis Pirenaeos Septimaniam retinuere, ac ne hanc quidem totam, cum Tolosam ipsam, regni caput, Franci cepissent. Sed Theoderici Ostrogothi auxilio Narbona cum caetera Septimania (hinc Gothia dicta) servata est, donec Saraceni Gothis in Hispania deletis, etiam Septimaniam subegere. Sed cum reliquam Galliam ingenti expeditione tentarent, a Carolo majore domus et Eudone Aquitaniae duce victi sunt, totaque Gallia pulsi. Eudonis denique familia

a Pipino et Magno Carolo oppressa est. Carolus comites per Aquitaniam Francos constituit; Corsonemque non Tolosae tantum comitem fecit, sed et custodiam illi regionis credidit. Successit ei Guilielmus, ille etiam fabulis celebratus, qui inter sanctos habetur, et quem legendarii vel poetae cum Carolo usque in orientem mittunt. Huic Berengarius Hunroci filius successor datus, cujus e fratre Eberhardo Berengarius I. rex Italiae natus videtur. Sed Berengario mature defuncto, dignitas ad Bernardum Guilielmi illius filium rediit, Judithae augustae favore et utraque fortuna notum, qui cum dolo Caroli Calvi cecidisset, Guilielmus ipso natus vindictae studio Saracenos excivit. Ducatus militiae seu limitis custodia cum Tolosano comitatu Ragemundo cessit filio Fulcualdi et Senegundis apud Catellum, quorum filius Bernardus marchio Gothiae crebro memoratur in Calvi rebus. Et hinc origo est Tolosanorum comitum Septimaniae marchionum, quorum familia in longa tempora tenuit locum. Nam hinc delatum est munus ad Odonem fratrem Bernardi, et filium ejus Ragemundum. Atque is esse Catello videtur, cujus nunc mentionem habemus, vereor tamen, ne is, qui sequitur, regioni jam praefuerit. A. 932.

24. Ragemundi filius Ragemundus, qui et Pontius, jam virtutis suae documenta dederat, cum Hungari ex Italia in Provinciam et in Septimaniam irrupissent a. D. 924. Nam Aimericus Narbonensis archiepiscopus cum aliquot suffraganeis ex synodo provinciae ad Johannem X. pontificem Romanum scripsit, excusans, quod Romam nec veniret, nec mitteret de more, Saracenis Alpium vias insidentibus, et ipsa regione per Hungaros propemodum desolata, quanquam tandem a juvene principe marchione Pontio pulsi fuissent, quae, ni fallor, jam patri successisse indicant. A. D. 936. successor patris a se ipso gratia Dei comes Tolosanus, primarchio et dux Aquitanorum scribitur in tabulis, quibus celebre monasterium in pago Narbonensi in honorem S. Pontii martyris fundat, ubi et uxorem Garsindem nominat: subjicitur *signum Raimundi excellentissimi ducis. Signum Garsindis conjugis ejus.* Subscribit Aimericus archipraesul cum aliis episcopis. Ex quo intelligitur, eundem esse Pontium et Raimundum. Confirmat Ludovicus Transmarinus rex. *Ginsiabertus comes* (malim cancellarius) *recognovit. Signum Ludovici gloriosissimi regis, Bonealus episcopus, Ruanus notarius. Dat. Nonas Augusti, anno quarto regnante Ludovico serenissimo rege. Actum apud Lugdunum.* Quae omnia Catellus eruit. Atque is est Ragemundus Gothorum princeps, qui cum caeteris Aquitanorum proceribus Ludovico regi Aquitaniam ingresso affuit a. D. 944. apud Frodoardum. De posteritate ejus erit alias dicendi locus. Soror ejus Willa Berengario Secundo nupsit, ipse Bertam, Bosone Hugonis regis fratre genitam, viduam Bosonis comitis Arelatensis, duxit.

25. Vascones circa a. D. 586. ex Pirenaeis descendentes, turbatis domi Francorum rebus, linguam et nomen vicinis Novempopulaniae vallibus dederant, ubi nunc inferior Navarra et Benearnenses habentur. A Dagoberto Francorum sceptris subjecti sunt circa a. D. 635. Sed sub Theoderico rege, filio Clodovei Secundi, Franci quidam, qui Ebroino majori domus parere nolebant, ad Vascones male domitos confugere, quibus jam

A. 932. tum aliquis praeerat dux Lupus. Petri Marcae sententia est, tunc Novempopulaniae pagos ad Garumnam usque se Vasconibus conjunxisse; atque ex eo omnis illa regio (quae Aquitania secunda Romanis) Gasconia appellata est, et ab Aquitania (quae olim prima) vulgo Guienna Garumnae flumine divisa censebatur, nisi quod Burdegala adhuc Aquitaniae accenseretur. Post illum primum Lupum ducem secundus Carolo se Magno submisit, et nunc tertius Rodulfo regi dat fidei sacramenta. An novissimus a prioribus descenderit, quod nomina suadere videntur, haud satis constat, neque interjecti Vasconum principes hactenus eruti sunt.

26. Rudolfo apud Burgundos haerente, Hugo et Heribertus inter se conflictabantur, huic satis jam presso novus hostis Giselbertus Lothariensis incubuit, haud dubie Henrici scitu, qui cum Rudolfo conciliatus, hoc novae amicitiae documentum dedisse videtur. Perrona ab Hugone et Giselberto obsidetur, sed soluta est obsidio, cum Giselbertus multos suorum amisisset, qui foratsse Heribertum omnino opprimi nolebat. Collocutus est tamen cum Rudolfo, jam in Neustriam reduce, qui cum Hugone Hamum Heriberti castellum obsides quietis dare coegit. Heribertus ad Henricum in Germaniam usque profectus obtinuit, ne sibi adversus esse vellet. Henricum anno sequente Hungari distinuere. Altero pro Heriberto intercessit, et cum nihil proficeret, Giselbertum auxilia ei ferre jussit.

ANNO CHRISTI 933.

Johannes pontifex a fratre Alberico capitur cum matre. — Tempus rei gestae. — Res ejus nomine ab Alberico expediebantur. — Versus Frodoardi. — Maroziae seu Mariae obitus, familia, acta. — Apologia ejus contra Luitprandum. — Luitprandi errores pudendi. — Hungari in Italiam. Hugo Romam frustra tentat. — Hilduinus archiepiscopus Mediolanensis. Ratherius Veronensis. Hujus fata. — Hungari in Germaniam. — Sorabi Hungaris auxilia negant. — De cane illis misso. — Hungari bipertiti. Caesa pars, quae Thuringiam petierat. — Prope Gleicham. — De veteris militiae forma. — Quae vires utrinque. — Praelii locus. — Henricus suos hortatur, vota facit. — Auxilia regis. — Stratagema. — Quanta clades hostium. — Victoriam consecuta. — De alia Hungarorum irruptione. — Nomina Hungarorum. — Hungarorum alia clades in Brunsvicensi regione. — Sed ea pertinet ad tempora Ottonis Magni. — Ludovici Orbi regis Arelatensis obitus. Filius Carolus Constantinus. — Wilhelmus dux Normannorum se Rudolfo submittit. — Heriberti motus. — Episcopi Verdenses.

A. 934. 1. Ex Frodoardo intelligimus, res Romanas iterum conversas. Rudolfus rex Galliae Romam miserat, qui Artaldo pallium peterent. Legati hoc anno nondum adulto reversi, attulere, sed simul Johannem Romanum pontificem a fratre Alberico in custodiam conjectum nuntiavere, quod pallio jam dato factum crediderim. Maria autem seu Marozia utriusque mater ab Alberico jam tum captiva servabatur, qui Romam, Hugone excluso, tenebat. Ergo quod in Johannem actum est, circa hujus anni initia contigisse apparet, cum fere per biennium sedisset.

2. Huc pertinere arbitror, quod Frodoardus de eo in carmine pontificali habet:

Papaque obit nomen geminum prope nactus in annum.

Non ait secundo fere post inaugurationem anno obiisse, nam ipse demum A. 933.
a. D. 936. mortem ejus in chronico annotat, sed binis propemodum annis nomen sive autoritatem habuisse. Nam in vinculis nullius nominis potestatisque fuit. Itaque non est, cur cum Pagio pro gemino scribamus quintum citra codicis antiqui fidem. Caeterum *prope geminum annum* „circiter" interpretor, ut non tantum de biennio nondum prorsus completo, sed etiam de vix absoluto intelligi possit: favet privilegium Johannis pontificis Almerico abbati Viziliacensis apud Aeduos monasterii missum, et scriptum per manum Andreae scriniarii, nam datum est *6. Id. Januar. indict. 6, anno pontificatus Johannis tertio, per manum Gregorii sacellarii S. Rom. ecclesiae,* unde judicat Mabilio, tunc papam adhuc in libertate fuisse, neque ego valde repugnem.

3. Quanquam, ut verum fatear, consecutio satis firma non sit, nec custodia pontificis expeditiones videantur cessasse, cum Albericus id egerit, non ut fratrem pontificem dejiceret, sed ut haberet dicto audientem, et autoritatem cum emolumentis in se derivaret, idque diserte Frodoardus edisserit, papam tantum sacra administrasse, juris moderamen a fratre patricio raptum. Denique Luitprandus Albericum nomine pontificis jus pallii perpetuum Graecis vendidisse accusat. Vizeliacense privilegium (quod Dacherius tomo Spicilegii tertio dedit) credibile est ipsos Rodulfi regis legatos attulisse. Pagius ad a. D. 931. pro anno pontificatus tertio secundum legi vellet, nulla, ut arbitror, necessitate.

4. Sed versus Frodoardi transscribere operae pretium est.

Nato patriciae hinc cedunt pia jura Johanni,
Undecimus Petri hoc qui nomine sede levatur;
Vi vacuus, splendore carens, modo sacra ministrans,
Fratre a patricio juris moderamine rapto:
Qui matrem incestam rerum fastigia moecho
Tradere conantem (decimum sub claustra Johannem
Quae dederat) claustro vigili et custode subegit.
Artoldus noster sub quo sacra pallia sumit,
Papaque obit, nomen geminum fere nactus in annum.

Observo Frodoardum magis Alberico, quam Hugoni et Maroziae favere.

5. Maroziae mors a nemine notata est, credo tamen, non diu supervixisse; nam a. D. 936, ubi finis Johannis papae a Frodoardo memoratur, nulla amplius ejus mentio fit; praeterea cum pax denique* inter Hugonem et Albericum coiit, reddenda erat sponso vel marito, si vixisset. Denique cum Hugo Bertam duxit a.D.939, extinctam dudum non dubitem, scelere filii an natura deficiente, non constat; prius** malim, quia nullibi filio imputata est. Mariam verum ejus nomen fuisse apparet***. Frodoardus in chronico ad hunc annum vocat Mariam, quae et Marocia dicitur. Et Marociae nomine censetur in tabulis, quas mox adducemus, ubi inter subscribentes etiam filiae ejusdem, an proximae cognatae Marocia, et Stephania memorantur. Matrem habuit Theodoram patriciam Romae potentissimam, cui ipsa successit, et autoritatem in maritos Albericum primo, deinde Widonem

*) *Eckhardus delevit.* **) posterius *corr. Eckhard.* ***) *restituit Eckhard.*

A. 933. transtulit; sed in Hugone rege res non successit. Liberos habuit ex Alberico marchione Albericum marchionem et patricium, Johannem XI. papam, Sergium episcopum Nepesinum et Constantinum. Ex Widone Adelbertum marchionem, stirpis Tuscae usque in Estenses propagatorem, quemadmodum supra observatum est; et Bertam ejus sororem, cujus mox mentio fiet; alterum avo, alterum aviae maternis cognomines. Marocia quondam senatrix appellatur in tabulis, quibus liberi ejus, qui aderant: *Albericus princeps humilis, omnium Romanorum senator* (sic verba habent), *Sergius episcopus, Canstantinus, et soror eorum uterina Berta puella* monasterio S. Andreae apostoli, sanctique Gregorii papae confessoris in urbe Roma ad clivum Scauri sito donationem insignem affirmant. Extat in Italia sacra Ughelli. Ex Alberico natus est Octavianus postea dictus Johannes XII. pontifex Romanus. A fratre hujus, qui dictus est Deusdedit, comite Tusculano, illustrem Romanorum familiam hodieque florentem, quae Comitum simpliciter dicta est (casa Contia) Onuphrius Panvinius derivat.

6. Cosmus Arena Florentinus, cujus insigne extat opus de antiquis Tusciae principibus, diligens et peritus monumentorum ruspator, mihi olim in historico itinere Florentiae utiliter cognitus, cui gratiam aliquam hac commemoratione post fata referre velim; apologiam Maroziae scripsit contra Luitprandi maledicentiam, quae Sigonium, Baronium caeterosque scriptores infecit. Nobilissimam foeminam, binis marchionibus Italiae potentissimis nuptam, regi Longobardorum, Lotharii regis Austrasiae nepoti exploratae prudentiae viro in matrimonium expetitam; filiae regis socrum, pontificum Romanorum aviam et matrem, foecundam matrimoniis, instar scorti impudentis vixisse, quantacunque seculi correptio fuerit, nemo rerum intelligens facile credat. Nostrorum temporum primariae aliquot foeminae, non melioribus coloribus traducerentur ad posteritatem, si unius alicujus Luitprando similis plebejarum calumniarum secretarii narrationes solae de nostro seculo aliquando extarent. Grata solet esse humanae malitiae anecdota historia, sed fidem facile invenire non debet.

7. Indiligentem fuisse Luitprandum non in temporibus tantum, sed et in rebus notandis, vel annales nostri cum eo collati docebunt. Et in ipsis Maroziae rebus pudendos errores committit, veluti cum illum Sergium, quem Johannis papae ex Marozia patrem facit, cum alio Sergio oscitanter confudit; et illum Johannem, quem Sergii filium credi jubet, Johanni priori subrogat, duobus aliis pontificibus saltu transmissis. Huncne aliquid certi de personis habuisse credamus, quas proscindit? Itaque neque ineptiis ejus credo de Berta Tusciae principe, Lotharii regis filia, et Hugonis regis matre, et Ermengarde ex hac nata Eporediae marchioni nupta, quas propudiose deformat, tanquam ambitiosa libidine cuivis profuturo patuissent. Credibile est, illustrissimarum foeminarum, ingenio, forma opibusque florentium, aulas concursu nobilissimi cujusque et elegantissimi Italiae frequentatas, neque ab ambitione illecebras, vel a luxu amorem abfuisse; uti nunc quoque vivitur. Itaque innocentes et castas non praestiterim, impudentes haud admitto. Luitprandum (etsi Cremonensem denique episcopum) delectatum sordibus narrationum, absurdissima ejus et impudentissima historiola

Willa ostendit, marchionis Tusciae Bosonis conjuge, Berengarii II. regis A. 933.
;ru, quam ob professum in filiam ejus reginam odium infamare cupivit.
partem libri sui Antidosin seu retributionem inscripsit, ut a Berengario
isque conjuge male habitus, ultionem quaesisse sciretur. Catellus quoque
Tolosanis crassam hominis maledicentiam culpat, quam in Raymundum
ncipem et Tolosates exercet. Itaque scriptori inepto et inurbano, negli-
atiae ignorantiaeque convicto, odii invidiaeque in potentes manifesto,
terrimorum rumorum captatori, et ideo tantum aestimabili, quod solus sui
nporis populique superest; tanto minus credas, quanto magis per deho-
stamenta grassatur. Ego, etsi comperta vitia, ubi opus est, non dissi-
ilaverim, in apologias me quam in convicia proniorem fateor, nec fere
ii in eos dicere paratum, qui in alios male dixere, quod innocentes aliter
fendi non possint. Itaque Luitprandum culpanti facilem veniam spero.

8. Hungarorum pars Germaniam, pars Italiam petiit primo vere.
s sese Hugo rex, contractis viribus Ligurum, Insubrum, Tuscorum, Ve-
torum, objecit. Angustiis arcere non difficile fuit, neque quicquam
emorabile illic actum refertur. Rex deinde instructum militem, quem
b signis retinere potuit, adulto jam anno Romam duxit, ut sponsam
ipamque liberaret, augustalis nominis certus, si successisset. Sed nihil
git, Alberico patricio fortiter resistente, et Romanis majorem dominum
olentibus. Crediderim, hunc suspicione tactum, aut indicia nactum
ommunicatorum matris fratrisque cum Hugone consiliorum, utrumque in
otestate habere voluisse, et salutem ante rumores habuisse. Hugonem
utem in exercitu Hungaros stipendiarios ex iis, quos repulerat, captos
el conductos habuisse, qui excursiones in regiones vicinas fecerint.
taque chronicon S. Vincentii ad Vulturnum lib. IV. *Ungari* (inquit) *in
Apuliam venerunt. Hugo rex Romam venit, sed turpiter rediit.* Hugonem
ui maligne juvabant, nobilibus ingeniis Italorum erga principem, et gli-
centibus jam tum consiliis, quae mox erupere; sed quo magis illi nudare
risi animos, eo acrius Hugo eniti, ut suis hominibus ecclesias et praefec-
uras daret. Hilduinum cognatum Mediolano imposuit, Manassem deinde
ilium propinquum Arelatensem praesulem ad se vocat, eique diversis
emporibus ecclesiam Mantuanam, Tridentinam, Veronensem administran-
am committit. Sed nec in fratre et propinquis aut popularibus fidem
avenit; cum ipse quoque propinquorum caritatibus parum moveretur.

9. Papebrochius v. cl. initio tomi VII. sanctorum Maji ex catalogo
quodam vetere Mediolanensi colligit, Lambertum archiepiscopum obiisse
A. D. 932. Quo admisso, Hilduini promotio in eandem sedem amplius
differri non potest. Ratherius Hilduini assecla deinde Romam mittitur, ut
pallium ei impetret. Redit, et cum pallio literas Johannis papae affert,
quibus ipse ad obtinendum Veronensem episcopatum, Hilduino hactenus
possessum, Hugoni commendabatur. Rex jam dudum ejus spem Ratherio
fecerat, sed nunc alteri destinabat. Cessit tamen tum Romanae com-
mendationis autoritati, tum maxime spei, quam Ratherii morbus faciebat,
ex quo consurrecturus non credebatur. Quae utcunque in longum trahere
velis, oportet tamen pallium ante Johannis XI. mortem impetratum fuisse,

A. 933. quae a. D. 936. contigit. Porro Hugo, ubi vivere Ratherium vidit, intus Pittacio misso jussit, ut certa pensione contentus, caeteros reditus in regis manu relinqueret. Quod cum ille negaret a se indulgeri posse, gravem sibi regem annis duobus cum dimidio sensit, quaerentemque occasiones capiendi pellendive hominem invisum, quam tandem invenit; captusque Ratherius jussu Hugonis, in turri quadam Papiae, quae dicebatur turris Walberti, custoditus est annis duobus cum dimidio, ut ipse scribit. Liberatus non ante, quam concidit autoritas Hugonis, quod ante a. D. 945. factum non est. Haec ex ipsa Ratherii narratione cuncta sumuntur, quam Johanni XII. misit, quaeque in Spicilegii Dacheriani tomo secundo extat, sed ipsum in calculo lapsum aut verba esse corrupta oportet, nam ab a. D. 936. ad a. D. 945. est novem annorum intervallum: computus vero Ratherii nonnisi bis duos cum dimidio, id est quinque aut ad summum sex facit. Sed ecce aliam perplexitatem: Luitprandus scribit, Ratherium in vincula conjectum, quod Arnulfo duci Bajoariorum in Italiam irrumpenti favisse diceretur. Quodsi ergo ex carcere dimissus est non ante annum Domini 945. et in carcere ultra toto triennio non fuit, Arnulfi expeditio ante a. D. 941. suscepta non fuit, quod absurdum est, nam a. D. 937. obiit Arnulfus. Itaque ad a. D. 934. eam referemus. Ego binas hic judicandi regulas valere putem, unam, ut de rebus, quae neque ad laudem neque ad vituperium pertinent, homini potius de se, quam aliis de ipso narrantibus credamus, quia quisque sibi notior est; alteram, ut censeamus memoriam facilius in numeris labi, quam in rebus. Itaque pro certo ponamus, labefactato Hugone dimissum Ratherium, id est circa a. D. 945, nec in carcere annis decem aut ultra fuisse: id enim spatium ab annis duobus cum dimidio nimis abhorret, quos ipse numerat. Sed Arnulfus ante a. D. 936. expeditionem suscipere debuit, quia hoc anno coronationi Ottonis affuit, sequente decessit. Ergo verum non est Ratherium ea occasione captum, ut scribit Luitprandus, toties falsi convictus. Crediderim ergo inter ordinationem Ratherii apud Veronam et liberationem ex carcere circiter decennium intercessisse, vexationem graviorem comprehenso carcere ultra quinquennium aut sexennium non durasse. Continuabitur Ratherii vita a. D. 946.

10. Nunc ad praecipuum Henrici nostri decus ventum est, Hungaricum bellum, quod a Ditmaro vix uno alterove verbo tactum miror; nec ipse Witikindus, etsi pene panegyristes Henrici, victoriam pro dignitate descripsit, cujus magnitudinem ex Frodoardo et Luitprando melius intelligere datur. Hungari, finitis novem annorum cum Saxonibus induciis, in quos pacta annua munera erant, nihilo secius legatos, qui postularent, misere. Denuntiatum illis est, iniqua peti et ultra non speranda; quodsi exigere auderent, ferrum pro auro recepturos; ita non sine contemtu dimissi sunt. Hungari hactenus sueti timeri, renuntiata legatione in vindictam exarsere. Meminerant, quantis cladibus non Germanos tantum, sed et Graecos, Italos, Gallos affecissent. Decretum est, tota mole gentis deprimendam novam victae hactenus nationis audaciam. Nec dubium est, accessisse Hungaris ex veterum incolarum reliquiis Avares Hunnosque,

et variarum inter mediterraneum mare et Carpathios montes gentium A. 933. colluviem, sive obsequii necessitate, sive spe praedae.

11. Iter illis in Thuringos et Saxones suetum expeditumque per Moravos et regiones Danubio Bohemiaeque interjectas, longo sed parum lato tractu, ubi olim Hermunduri, postea Rugii Herulique, hodie Nordgovia palatinatusve superior; deinde Narisci advocatorumque terra, quae demum Thuringos Misniosque attingit. Nulla hic insignia flumina, neque ardua juga superanda. Praeterea ex Moravis et Sorabis, credo etiam ex Bohemis affluentibus, exercitus augebatur. Quae nunc auxilia Henrici providentia intercepta sunt. Hungari cum in finibus Thuringiae essent, ad Sorabos Daleminicios misere, ut veluti olim in communem hostem adessent. Sed Dalemincii, novo moderatoque Henrici imperio contenti, et Saxonici apparatus conscii, canem obesum pro responso nuntiis projecere, symbolum hominis vilis et ex pastu ignavi, tanquam barbaros canibus aequarent, et ferociam otio amissam exprobrarent; discedentes etiam dicteriis prosecuti sunt. Hungari, dilata in reditum vindicta, contra Thuringos perrexere.

12. Posteriores quidam ipsum Henricum ipsis catellam scabiosam auribus caudaque truncatam misisse commenti sunt. Ita Repkovii historia Germanica nondum edita, compilatio chronologica tomo II. scriptorum nostrorum inserta, chronicon Mindense anonymi, Engelhusius in scriptoribus nostris integratus eodem tomo II. et ex talibus Aventinus; qui hinc fabulam natam putat, Canem aliquando Hungaris imperasse, quod septentrionales de Norwegis fingunt. De Hungaris nugamentum ex nomine Hunnorum nasci potuit, quod Germanico canis (qui „hund“) assonat, Hunnum scilicet Pannoniis imperasse. Engelhusius ait, Henricum in conventu procerum, cum quidam tributum negare intutum dixissent, respondisse, indignum esse a christianis tributum canibus solvi, et hinc canem legatis datum. Spangenbergius joco Witikindum caeteris conciliaturus, Sorabos, ait, Hungarorum legatis, canem strigosum ab Henrico pro munere datum querentibus, pinguem objecisse, quasi ut damnum sarcirent. Ego ex pingui Daleminciorum cane macilentum Henrici natum putem, autore aliquo eorum, quae legerat, male recordante.

13. Hungari cum praeteritis Egrae Moenique fontibus secundo dextroque Sala in Thuringiam devenissent, vastata regione proxima praedaque acta, omnia caedibus incendiisque miscere coeperunt. Viri omnes caesi in terrorem et vindictam, imbellis aetas sexusque praedae servantur. Tum bipertito agmine procedere statuunt. Pars in orientali regione mansere, pars in occidentem versi, Werram sive Visurgim et Hassiam versus mihi flexisse videntur. Luitprandus tripertitos facit, sed non contradicit Witikindo. Partem enim tertiam exercitus refert ex ipsa Hungaria contra Italos missam, binas in Henrici regnum contendisse. De Italica expeditione nihil ultra habetur. Occidentem petentibus Saxones cum Thuringis occurrunt: commisso praelio caesi sunt hostium duces, caeteri in fugam conjecti, et per ignotam regionem palantes plerique omnes periere.

14. Praelium in Thuringia commissum conjicio prope Lichen, ut

A. 933. appellat autor perantiquus de fundatione ecclesiarum Saxonicarum nostris et ipse scriptoribus insertus tomo I, qui ait, Hungaros exercitum contra Henricum usque ad Lichen Thuringiae misisse. Chronicon Mindense anonymi habet, populum Thuringorum se in oppidum (vel castrum) Lichen recepisse, ibique Hungaros ab obsidione depulsos. Lichen non dubito esse Gleicham; passim enim apud veteres sic enuntiatur. Celebris ille locus est in Thuringia, comitum sedes, quorum antiqua familia extincta ad Hatzfeldios pervenit. Ex burgo vel castro Lichen (Burg-Gleicha) corruptum Jecheburgum Gobelini, quem Botho autor chronici picturati est secutus, et tandem Ilburgum manuscripti cujusdam Engelhusiani emersit. Itaque res plana est, modo ne pugna Gleichensis cum Henrici praelio commisceatur. Certe situs convenit, nam laevus Hungarorum exercitus versus occidentem tendens et medio inter Erfordiam, praesidio haud dubie insessam, et juga Thuringica itinere incedens, non procul Gleicha transire debuit. Castrum utique munitum, in quod Thuringos vicinos pretiosissima quaeque contulisse consentaneum. Unde Hungaris, praedae cupidis, obsidendi consilium, et hinc clades, cum exercitus nostrorum suppetias tulisset. Jecheburgum villula est Thuringiae, non procul Sondershusa, cui scriptores recentes rerum Thuringicarum, Gobelinum et Bothonem secuti, locum praelii ascribunt. Sed parum verisimile est, totam pene Thuringiam, nemine resistente, hostes transisse, et iter tantopere ad dextram flexisse, ut propemodum in Harzicos montes impingerent. Jechaburgum etiam nullo indicio constat magni olim nominis munimentum fuisse, ubi Thuringi se suaque in tuto fore sperare possent. Vicina vallis Hunenthal nihil ad Hungaros, non magis quam alia multa hujusmodi per Germaniam loca. Nam Huno saepe viri nomen fuit, longurionem fortasse significans; nec statim ad gentes pertinere loca, quae nominibus assonant, plurimis exemplis constat, etsi vulgus ad illas recurrat.

15. Sed major in Henricum moles incubuit, qui etsi aeger, tamen ad exercitum ire decrevit. Dimissis per Saxoniam nuntiis, haribannum indixerat, die constituta locoque: additae minae negligentibus aut refractariis pro gradu delicti, amissio beneficiorum, quae a rege aut majoribus tenebantur, aut etiam propriorum praediorum ingenuitatisque denuntiata; sed graviora ipsi Hungari victores minabantur. Itaque quicunque arma ferre poterat, quasi una mente suis quisque locis convenere. Luitprandus omnes tredecim annis majores excitos scribit. Equites passim cataphracti, hastas gladiosque vibrabant; hos excellente sensu milites appellabant, crebris bellorum imitaminibus per otium exercitates. Cuique suus aderat armiger juvenis, seu qui scutum patrono ferret, tiro militiae et successurus in fortitudinis exempla; tertius ex plebe, leviter armatus ipse, qui necessaria administraret. Id trimarchiam veteres Celtae (apud Pausaniam) appellabant, quibus jam tum „marha" vel „marca", equus, ut nunc quoque Germanis. Peditum ex agrestibus aderat multitudo ingens, quibus tamen sui per ordines praefecti ex militaribus viris. Villae vel vici delectus a rectore haereditario pagi seu regiunculae dynasta vel comite ducebatur: et qui jus in pace dicebant, iidem arma in bello regebant; non inepta

rerum dispensatione, donec abavorum memoria mercenariae militiae introductione, civibus arma excussa sunt verumque nobilitatis officium pene amissum est, una cum ratione armorum, quorum usu viri fortes et exercitati quantum genere, tantum robore et arte plebem antecedebant: nunc pulvere pyrio invento et tormentis res eo devenit, ut vix jam amplius vires viri studio excolantur, sed omnis pene scientia militaris in ordinando movendoque milite consistat. Et tamen nunc quoque, ubi ad decretorio congressus ventum est, pari utrinque audacia et disciplina, necesse est robore et agilitate hominum equorumque decidi, quae exercitatione augeri constat. Ut credam, aliquando partem ex vetere militia revocatum iri, magno ejus emolumento, qui primus audebit. A. 933.

16. Hostium pars ad praedas agendas inferendaque damna per agros sparsa est, pars oppidum aggressa, in quo Wido ex proceribus Thuringiae habitabat, qui in conjugio habebat sororem regis extra matrimonium natam. Fama divitiarum viri, qui auro abundare dicebatur, hostem attraxerat. Itaque hic eadem, quae Gleichensis obsidionis causa, praedae cupiditas. Et primo impetu urbem cepissent, nisi nox intercessisset. Mersburgum nominat Luitprandus, sive ut obsessam, sive ut vicinam, quae urbs est ad Salam, Henrico dudum frequentata. Sed ea nocte nuntius de sociorum clade allatus est, aliusque de regis adventu ingenti exercitu succincti. Quadraginta millia ei Engelhusius in codice manuscripto tribuit; id credibilius, quam post tantos apparatus nonnisi duodecim millia sub signis habuisse, et ex iis ipsis nonnisi quatuor millia, caeteris deserentibus, servasse, quae Gobelinus fabulatur. Variant etiam scriptores in hostium numero: qui minimum dicunt, quinquaginta millia cum Henrico conflixisse produnt, ut Gobelinus et citatus paulo ante chronologicae compilationis autor; quod non asperner. Idem tamen Gobelinus totidem alios in Thuringiam processisse scribit. Veteres (praeter Frodoardum) de numero nihil.

17. Hungari igne fumoque dant signum palantibus suis, ut sese apud exercitum colligant; missaque obsidione regi obviam eunt. Rex apud Riedam castra metatus Witikindo scribitur, locum olim quam hodie notiorem. Gundlingius suspicatur, esse Retschen vicinam Mersburgo villam. Spangenbergius eumque secutus Paulinus Rietham assignat, inter Scopaviam castrum et Bunburgum; ubi nunc quatuor stagna Mersburgici juris. Posteriores quidam locum vocant Jecheburgum vel Gicheburgum, ut Gobelinus et Engelhusius, quorum hic prope Northusam quaerit. Inde fortasse Georgius Fabritius ex Jecheburgo, quod corruptum credidit, Keuschbergam fecit, qui locus haud multum abest. Paulinus prope Sondershusam statuit, ibique sinisteriores hostium copias in occidentem versas oppetiisse. Sed locum illius pugnae, et quid sibi Jecheburgum velit, paulo ante patefecimus; nunc Henrici castra quaeruntur.

18. Rex primo mane movit in hostes, exploratores nuntios adventus sui strenue secutus; nec segnius hostes procedebant. Pluvia nocte matutinaque nebula improvisum illis supervenisse, Gobelinus addit. Ubi in conspectum deventum est, processit in medium, suosque dignis rege vocibus militari eloquentia hortatus est, ut se viros ostenderent, et pri-

A. 933. stinae gentis gloriae meminissent, cui tot aliae subessent, nec sociis victoribus inferiores haberi vellent, hostemque jam perculsum debellantes, perpetuo beneficio patriam demererentur, simul incredibilem popularium captivorum multitudinem liberarent, qui in miserrimam servitutem traherentur. Fertur et voto se obligasse, si victoriam daret Deus, nullam sacrorum officiorum nundinationem in regno toleratum iri. In oculis erat angelus, primarium signum regii exercitus, id est Michael draconem pedibus subjectum terens, unde divini auxilii milites in spem vincendi admonerentur. Idem signum Ottoni M. in alio cum Hungaris praelio praelatum est.

19. Witikindus et Luitprandus vix alios quam Saxones et Thuringos in Henrici exercitu agnoscere videntur, recentiores quidam nobis multos ex Germaniae provinciis duces comitesque et dynastas etiam per nomina citant; ex ingenio et fere inepte, demerendae per nugas illustrium familiarum gratiae, quorum majores, quos post victoriam torneamento etiam (si credimus) Magdeburgico intervenisse volunt: unde materia adulatoribus genealogiarum poetisque, aucupio apud intelligentes non profuturo. Ego ex plerisque Germaniae populis auxilia affuisse, libenter Frodoardo crediderim, qui Bajoarios nominatim adducit; neque Henricum frustra superiorem Germaniam nuper adisse. Sed non est necesse, in unum auxilia coiisse; multis per stationes dispositis, qua hostis irrupturus credebatur; robur militis nuperis bellis spectati ex Saxonibus maxime et Thuringis regem secum habuisse, putandum est.

20. Luitprandus addit, Henricum praecepta pugnandi dedisse suis. Cumque hostes maxima agilitate et sagittandi arte valerent, vetuit exire ordinibus quenquam, et vel in latus vagari, vel praeire extra lineam; sed conserta acie clypeos jungi, primam sagittarum nubem excipi, tum subito, communi motu, tota mole proteri adversos, spatio ad novam ejaculationem non dato. Et ne hostes equitatu agili instructi sese pugnae subtraherent, viso gravis armaturae milite, quem maxime formidabant, legionem Thuringorum cum velitibus, queis paucos hastatis* miscuerat, hostem lacessere, et praelio illigare jussit. Clamore ergo sublato, cum barditum barbarorum, *hui*, *hui*, incondita vox, impleret, nostri Deum in vota vocarent, acerrime concursum est. Sed hostium sagittae fere irritae cecidere, at nostri celerrima impressione rem ad manus deduxere, ut cominus geri posset. Ita equis, corporibus, armis denique validiores, obvios hastis gladiisque metebant: neque illi diu tantam vim tulere.

21. Hic Witikindus et Luitprandus divortium faciunt: ille plerosque fuga evasisse, hic paucos elapsos scribit. Continuator Reginonis, Hermannus Contractus, chronographus Saxo magnam hostium stragem factam scribunt. Witikindi verba nec clara nec Latina sunt, in fuga *peracto miliario* caesos quosdam aut captos: emendationem annalista noster ineditus suppeditat, qui *per octo miliaria* legit. Hoc aliquando ad novam Witikindi editionem notari merebitur. Ego ingenti caede prostratos judico, Frodoardi testimonio, qui temporis ejusdem scriptor, et quem suo quaeque

*) *ita ex corr. Leibn.; fuerat* hastatos, *quod Eckhardus restituit.*

statim anno subnotasse apparet, prout gesta erant, neque adulator in Henricum, triginta sex millia caesa scribit, praeter eos, quos fluvius Sala absorpsit et qui vivi sunt capti. Etsi facile credam, computatos, qui in fuga et in altero quoque praelio periere, et cum tantum iter remetiendum esset, paucos incolumes domum reversos. Hungari veteres historicos non habent, recentiores pene omnes totam rem dissimularunt vel certe extenuarunt. A. 933.

22. Ita refusa praedandi libidine, Saxonia ab Hungaris paulum respiravit, Henricusque non suis tantum, sed et Gallis Italisque vicit, nam terror crudelissimi hostis diminui coepit, cum antea plerique etiam remotissimi, usque ad Tiberin et Pirenaeos Hungarorum metu exsternati trepidarent. Captivorum ingens vis liberata est, sed tenerioris maxime aetatis aut alterius sexus; praeda immensa non recepta tantum, sed etiam ex hostium phaleris apparatuque parta, qui omnia ad arcus usque projecerant, quo expeditius fugerent. Deo gratiae actae, et ex manubiis donaria templis illata, miseris etiam spoliatisque passim et praesertim ecclesiis subventum, quae damna ab Hungaris passae erant. Luitprandus refert, praelium in superiore Mersburgensis palatii coenaculo jussu regis zographia expressum; quod inepte quidam in topographiam vertere. Zographia est vivorum pictura, ubi motus et gestus hominum animantiumque spectandi sunt; quod non aeque fit in topographia, ubi campi potissimum, sylvae et muri exhibentur. Hanc picturam sedente in ea urbe Ditmaro episcopo jam intercidisse vel in oblivionem venisse, apparet, quia non meminit, ubi maxime occasio erat. Henricus Mersburgum muro cingi jussit, et ecclesiam ex saxo structam dedicari 14. Kal. Jun., ut ait Ditmarus lib. I, qui annum non addit; possit ad hunc referri. Sub filio cathedralis facta est. Regem Hungarorum captum spectaculo fuisse, Werlamque palatinam tunc urbem ductum ibique capite truncatum, Tidericus Lange in poemate rudi de Saxonia solus, quod constet, memoriae prodidit. Is mos non laudatissimus fuit veterum Romanorum, ut hostium duces in triumpho ductos in carcere necarent. Ego ab hoste, crudelitate sua gentium jura proculcante, poenas expeti, non improbem.

23. Magnam ea victoria gloriam Henrico peperit, liberator Germaniae habitus, et a populis pater patriae, a militibus ex veteri more, si Witikindo fides, imperator appellatus est. Visus est majores suos tantum gestis, quantum dignitate vicisse. Legati exterarum gentium regumque gratulabundi veniebant. Hungaricos triumphos nemo non ad se spectare judicabat. Appendix Reginonis aliam Hungarorum manum praecedente anno per Allemanniam et Franciam orientalem, transmisso prope Wormatiam Rheno, in Gallias irrupisse et usque ad oceanum penetrasse, inde reflexo itinere per Italiam domum redisse scribit. Sed hoc Frodoardus ignorat, qui tantum meminit, hoc anno partem Hungarorum Italiam petisse, magnos tamen progressus fecisse, nullo indicio constat.

24. Luitprandus Hungaros Turcos vocat, in versibus, quibus orationem Henrici describit, ubi haec leguntur:

Nunc mala Turcorum nescia Christi

A. 933. *Gens, inimica Deo, gaudet in omnem*
Ecclesiae populum ducere ferrum.

Secutus est in ea re morem Graecorum illius aevi sequentiumque; qui contra, quos nos Turcas appellamus, Persas vocant. Et certe Turcae, occupata prius Perside, inde in Syriam et Asiam minorem descenderunt. Turcas autem Graeci vocabant omnes Scythas ulteriores, qui Sarmatici sive Slavonici generis non erant: Hungarique ex Scythiae profundo ad Istrum progressi, tota lingua a Slavonicis gentibus distant. At Witikindus et Ditmarus Avarum appellationem Hungaris tribuunt, retento praecedentium habitatorum Pannoniae nomine; qui olim nostris formidabiles habebantur, donec a Carolo M. domiti fuere. Avares quidem ex Hunnis veteribus, Slavonici generis fuere. Nam Pannonia non tantum ab Hungaris, sed etiam ab Avarum posteris habitatur, quibus non alia hodieque quam Slavonica lingua propria est.

25. Antequam hinc abeam, dissimulare non oportet, quosdam Henrici victoriam in Brunsvicensi regione collocasse. Conradus Botho Brunsvicensis in chronico picturato Hungaros vult consedisse prope Schoningam, oppidum postea (ut addit ipse) in rei memoriam illic structum, et ex re appellatum. Sed ex Caroli M. gestis constat, Scaningam jam tunc notam fuisse. Poeta etiam, qui res Gandeshemenses carmine Saxonico ante trecentos et amplius annos complexus est, etsi Schoningae mentionem non faciat, Hungarorum tamen stativa ad Elmum sylvam locat, cui adjacent Helmestadium et Schoninga. Henricum autem ad Ovacrum flumen, id est circa Brunsvigam vel Welfebytum, consedisse, subdit, et nebulae beneficio hostibus inopinatum ingruisse.

26. Sed si quid judico, haec cum Frodoardo, Witikindo, Luitprando consistere non possunt. Frodoardus praelium prope fluvium commissum scribit, qui illic nullus comparet. Et secundum Witikindum illud oppidum, in quo habitabat Wido Thuringus, quod Hungari obsedere, erat in orientali regione, quam scilicet hodie Saxoniam superiorem vocamus. Denique Luitprandus diserte scribit, pugnatum esse prope Mersburgum, quod ad Salam Thuringiae situm est. Neque illum etsi longinquum locis, hic spernas, nam quae de Henrici rebus habet, haud dubie in Ottonis Magni ejus filii aula fando accepit, itaque in summa rerum fidem meretur, etsi ea non raro detorserit, quae minus manifesta aut obvia erant. Denique prudentiae, apparatibus, fortitudini denique regis haud convenit, hostem in viscera Saxoniae patriasque terras sine certamine admisisse. Sub Ottone I. rebus in Germania turbatis, Hungari ad Bodam usque et ultra in has regiones penetravere. Eo pertinere possent, quae de castris eorum ad Elmum memorantur. Qua de re dicetur ad a. D. 938. Addam, non esse spernendum chronographi Saxonis testimonium: *Henricus*, inquit, *Hungaros in Swirbia* [id est in Soraborum finibus] *multa caede prostravit, multosque ex illis comprehendit.* Etiam Hermannus Contractus hanc victoriam in Soraborum provincia collocat. Autor chronici veteris ducum Brunsvicensium, quod tomo II. scriptorum nostrorum insertum est, locum praelii Wagerslevam vocat, sed vel victoriam cum supera Slavica confu-

disse videtur, cum hostes Wallislevam cepissent, et deinde magno praelio victi, poenas luissent; vel (quod malim) referenda haec quoque ad proximam Hungarorum irruptionem. A. 933.

27. Ludovicum Orbum, Bosonis et Ingelbergae Ludovico II. augusto natae filium, tractus inter Rhodanum Alpesque patentis regem, Italiae etiam regno auctum et augustum Romae renuntiatum, sed uno infortunio eo redactum, ut nec paterni regni satis compos esset, circa haec tempora vitam finisse, Delphinatium historicus verisimile fecit. Accedit, quod anno nondum adulto Rudolfus rex Galliae Viennam venit et urbem deditione accepit, tradentibus, qui tenebant; quae verba innuunt, nec Ludovicum Orbum, nec filium ejus Carolum Constantinum tunc tenuisse. Carolus Constantinus regio nomine abstinuit; Viennam tamen sive bona Rudolfi gratia, sive eo extincto recuperasse videtur. Rudolfus id agebat, ut novum regnum corpori Galliae, a quo avulsum erat, restitueretur.

28. Rudolfus jam fere ab omnibus pro Francorum occidentalium rege habebatur, et qui solus hactenus in Neustria restiterat, Wilhelmus dux Normannorum nunc tandem sese ejus fidei potestatique commisit, vicissim illi maritima Britanniae minoris autoritate regia affirmata sunt, renovato patris jure. Ipse Rudolfus id egit, ut Heribertum ad obsequium tandem cogeret. Itaque castrum S. Theoderici, ad Maternam flumen situm, sex septimanarum obsidione ad deditionem adigit. Walo, qui pro Heriberto tenebat, temperamento quodam se cum castro tradit in reginae Emmae fidem. Durante obsidione, synodus in castris habita est, cui archiepiscopi Artaldus Remensis et Teudolus Turonensis praefuere. Quid actum sit, unde apparere possit, synodum tam alieno loco ac tempore necessariam fuisse, ignoratur.

29. Heribertus, etsi pressus, tamen interdum variante fortuna respirabat. Filius Odo ex castro Hammensi Suessionenses infestabat. Ipse Heribertus ex inopinato castrum S. Quintini adortus, non repugnantibus incolis, capit. Praesidiarii ab Hugone duce impositi, datis sacramentis (credo, ne Heribertum offenderent) dimittuntur. Hugo indignatus, castrum alia obsidione recipit, Teduinum clericum nobilem quasi proditorem suspendio necat. Interea Heribertus castrum S. Theodorici, absente Walone, tradentibus custodibus, in potestatem redigit, quod anno sequente demum longa obsidione ab Hugone receptum est. Ita vanis sese bellis homines inquieti fatigabant.

30. Adalwardus Verdensis episcopus Kalendis Novembris obiit, vir magnae in aula autoritatis, qui Adaldagum propinquum, ut chronicon Verdense scribit, mox archiepiscopum Hammaburgensem regi commendaverat. Successit ei Amalungus Bilungi filius, Wigmanni et Hermanni mox ducis frater, qui vicinam regionem haereditario jure tenebant. Itaque Hermanno in fundanda Luneburgica S. Michaelis abbatia auxilio fuit.

ANNO CHRISTI 934.

Albericus sub nomine fratris capti Romae etiam res ecclesiasticas regebat. — Arnulfus dux Bavariae Italiam tentat. Ratherius Veronae episcopus ei favisse accusatus et

pulsus. — Arnulfus repellitur. — Camerinorum et Spoletinorum principes. — Henricus rex id agit, ne Heribertus plane opprimatur. — Slavi Ucrani victi. Tabulae Herisienses. — Veromanduorum propinquitas cum regibus Roberto et Rudolfo et Arnulfo Flandro. — Balderici Trajectensis episcopi charta. — Plura de eo. — Ratherii mores et fata ex parte. — S. Conradus episcopus Constantiensis ex Guelforum gente. — De Guelfis per Judithae augustae fratres propagatis in Burgundia Transjurana, ubi regnum adepti, et in Germania. — Fabula Henrici cum aureo curru. — Ethico indignatur, quod filius Henricus se vasallum fecisset regis praediis acceptis. Henrici liberi. — De monasteriis Altonis seu Altenmünster et Altorfensi hodie Wingartensi. — Episcopi Argenteratenses.

A. 934. 1. Albericus papam fratrem captum tenens, expeditiones curiales pro arbitrio moderabatur et in utilitatem suam emolumentumque vertebat. Itaque Frodoardus in Remensi historia dubitat, papa, an Albericus Artaldo pallium miserit. Narrat Luitprandus, tunc corruptum muneribus et Constantinopolitano imperatori indulgentem effecisse, ut Romano diplomate Theophylacto patriarchae perpetuum pallii jus concederetur, atque inde passim episcopos per Graeciam pallio uti. Ego crediderim, Graecos a patriarcha occidentis pallium non petiisse; dedisse tamen operam, ut tabulas quasdam Roma nanciscerentur, quibus jus, quod sibi arrogabant, comprobaretur.

2. Cum Hugo rex irritus Roma redisset, plurimum diminuta videtur populorum existimatio. Itaque fuere Italici proceres, qui Arnulfum ducem Bajoariae ad capessendum Italiae regnum stimularent, inter quos Milo comes Veronensis et Ratherius episcopus inprimis a Luitprando memorantur. Rex Ratherio monacho promiserat Veronensem ecclesiam, si Hilduinus, cui commendata fuerat, altius ascenderet. Lamberto ergo Mediolanensium archiepiscopo extincto, Hilduinus surrogatus est, Ratheriusque Romam missus, ut ei pallium peteret. Ratherius simul rem patroni et suam curans, obtinuerat commendatitias a Johanne XI. papa literas, ut Veronensi ecclesiae praeficeretur. Rex in animo habebat dare sedem homini magis sibi addicto. Praevaluit tamen pontificis autoritas, et promissi memoria, et denique spes ex periculoso Ratherii morbo concepta, mox vacuum rursus locum fore. Sed Ratherio nullum magis salutare pharmacum propinari poterat. Rex facti poenitens id agebat, ut adimeret redituum partem, et cum resisteret, multis modis hominem exercebat, ut irritatus ageret aliquid, ob quod pelli posset. Itaque sive causa sive colore reperto, pulsus et in carcerem conjectus est. Duobus annis et dimidio tulit persecutionem in sua sede, totidem in carcere Papiensi. Haec, si Luitprando fidem habemus, nunc contigerint, quod Ratherius Arnulfo studuisse diceretur, sed calculis subductis, ad a. D. 933. ostendimus, carcerem Ratherii posteriorem esse debere non expeditione tantum, sed etiam morte Arnulfi.

3. Illud manifestum est, Arnulfi Bajoarii expeditionem in Italiam ultra hunc annum aut sequentem ad summum differri non posse, quia a. D. 936. coronationi Ottonis M. interfuit, a. D. 937. decessit. Nunc sane facilius audere aliquid potuit, Hungaris jam fractis. Tenebat ille non Bajoarios tantum, sed et Carentanos et Carnos, et quicquid vetere Norico et fere Vindelicis comprehendebatur. Itaque iter in Italiam ad Clusas

usque expeditum habebat; et marchiam Tridentinam ingressus, Veronam usque pervenit, ubi a Milone comite receptus est. Sed longius progresuro sese Hugo rex objecit, et Bajoarii equites cum, eruptione ex castro Gauseningo facta, in equitatum Hugonis incidissent, magna clade affecti sunt. Eo casu calor Arnulfi refrixit, cum praesertim alii proceres Italiae in Hugonem non consurgerent. Itaque iter domum relegit. Addit Luitprandus, capere Milonem et secum ducere constituisse, sed hunc maluisse ad Hugonis misericordiam confugere. Itaque Arnulfus munitione intra Veronam expugnata, fratrem Milonis et praesidiarios secum abduxit. Si Luitprando credimus, Ratherius cum Milone vocarat Arnulfum susceperatque, et ideo, recuperata Verona, ab Hugone in vincula conjectus est; sed haec facile stare non posse ostensum est ad a. D. 933. A. 934.

4. Sigonii sententia Theobaldus marchio Camertum et Spoletinorum, regis Hugonis nepos, nunc decessit. Is non multo ante Beneventanis contra Graecos auxilia tulerat, insignique erat victoria potitus, quam, si Luitprando credimus, crudelitate foedavit. Successorem ei rex Anscharium dedit, alium nepotem ex sorore Ermengarda et Adelberto Eporediae marchione. Sed cum in suspicionem adductus esset, rex in eum Sarlionem Burgundionem occulte subornavit, qui viduam Theobaldi duxerat. Is provinciales verbis et donis sibi conciliat. Anscharius, ut erat fortis et animosus, cum paucis magnae hostium multitudini se opponens, interficitur, Sarlio ingente regis gaudio marchia potitur. Sed chronicon monasterii Farfensis in regione Spoletina refert, occiso Anschario, regem indignatum in Sarilonem duxisse, hunc funem collo gerentem se regis misericordiae obtulisse et veniam impetrasse. An marchiam, quam chronici autor Firmanam vocat, retinuerit, idem autor in obscuro relinquit. Augent haec suspicionem Luitprandi, quasi conscius rex machinationis in Anscharium fuerit. Donationem Hugonis regis Aleramo Monferratensi factam, in anni finem differo.

5. At Henricus non procul Rheno egit, ut supplicem Heribertum tueretur, quem Rudolfus et Hugo ad incitas redigebant. Et quod superiore anno facere ab Hungaris prohibitus fuerat, nunc peregit. Cum ergo castellum S. Theoderici a Rudolfo et Hugone acrius premeretur, rex Giselbertum Lothariensium et Eberardum Francorum ducem ad Rudolfum misit, ita castrum obsessum Rudolfo deditur, Hammus et Perrona Heriberto conceduntur, et induciae fiunt usque ad Kal. Octob. Recrudescente dein bello, Gisilbertus Heriberto auxilio venit, et castrum S. Quintini obsidere molitur; sed legati ab Hugone venientes vim deprecantur, et induciae in Majum sequentem prorogantur.

6. Haec consideranti, haud verisimile est, hoc anno expeditionem longinquam in Danos susceptam. Itaque eorum sententiae stare malui, qui faciunt Hungarica victoria anteriorem. Facile tamen concesserim, Slavos, qui appendici Reginonis Ucrani appellantur, vel anno superiore, vel praesente victos et sub tributum missos; credo, quod Hungarico motu usi Saxoniam turbassent. Octobri mense regem in Alstedensi palatio ad confinia Saxonum Thuringorumque posito egisse, ex privilegio colligo, quo

A. 934. rogatu Mechtildis reginae sanctimonialibus foeminis in Herivurd positis eligendae abbatissae jus concedit, *data 4. Idus Octob. a. d. inc. 935.* (lego *934.*), *ind. 8, anno regni 16.* Schatenius hoc in annum sequentem retulit, sed indictio annusque regni in hunc conspirant, et binae notae meritis tertiae praeferuntur.

7. Arnulfus Flander hac aestate Adelam, filiam Heriberti dudum sibi pactam, duxit, ex qua Balduinum genuit. In diplomatibus se vocat Flandriae comitem et marchisium. Obierat anno superiore Adulfus ejus frater, unde Arnulfus in comitatum Bononiensem ac Tervanensem abbatiamque Sithiensem successit, sed tandem regularem abbatem Sithiensibus restituit, et disciplinam per monasteria suae ditionis reparavit. Emma, uxor Rudolfi regis, circa exitum anni humanis excessit. Erat nata ex Roberto rege et Beatrice Heriberti I. comitis Veromanduorum filia, secundi Heriberti horum temporum turbonis sorore, qui vicissim Hildebrandam Roberti regis filiam, Emmae reginae et Hugonis ducis sororem in matrimonio habebat: sed multiplicia propinquitatis vincula amicitiam non firmabant. Labbeus in minore chronologia habet, Ludovicum Rudolfi et Emmae filium mox matrem secutum, quod ex chronico Virdunensi Hugonis Flaviniacensis collegisse videtur.

8. Baldricus episcopus Trajectensis ecclesiam suam a Normannis vastatam reparavit. *Ego*, inquit, *Baldericus S. Trajectensis ecclesiae humilis praesul, cum locum, a quo episcopatus nomen habet, a Danis reperissem destructum et ecclesias S. Martini et S. Salvatoris exustas.... pontem trans fossatum urbemque cum portis et murum cum propugnaculis contra hostium insultum construxi, et ecclesias easdem a profanis dirutas aliquantulum reparavi, canonicos dispersos ad ecclesias revocavi.... Actum et datum in castro Trajectensi a. inc. D. 934. Kal. Jul. indict. 7. regnante d. Henrico invictissimo rege.* Haec charta habetur apud Hedam in Ultrajectinis. Buchelius editor a nonnullis in dubium revocari agnoscit. Sed tamen rebus et temporibus consentaneam arbitratur.


9. Heda Baldricum male praeceptorem liberorum Henrici regis facit. Henrici consilium fuisse, Brunonem Trajectino episcopatui a Normannis destructo applicare, cujus ope reparari posset, habet Luitprandus. Sed Baldrico episcopatum dedit, Brunonem ei erudiendum misit. Id discimus ex Rotgero, vitae Brunonis autore. Baldricus vivax ipsi Brunoni superfuit, et vivebat adhuc, cum hujus vita scriberetur. Rotgerus virum ex magnatum regionis prosapia derivat. Habetur Raginerii comitis filius, ex Brabantina, ut apparet, gente, Giselberti ducis frater. Itaque videtur partim propriis opibus, partim regis liberalitate res Ultrajectinas restituisse. Ante episcopatum maritus fuit, nam in charta suae ecclesiae data hactenus inedita filiis Baldrico et Rudolfo quaedam relinquit a. D. 943, anno septimo regni Ottonis, ind. 1.

10. De Ratherio subjicere placet scitu digna nonnulla, quae ex ipsius scriptis a Dacherio in Spicilegio editis colliguntur, unde statum temporum et mores cleri cognoscere datur. Cum in episcopatu esset, praeterquam quod regi invisus erat, a clericis ob morum dissimilitudinem odio habe-

›atur. Cum plerique nec symbolum nossent, quod apostolicum appellatur, praecepit illis episcopus, ut tria symbola edisceront, primum apostolicum, sicut in psalteriis correctis invenitur, Constantinopolitanum deinde, quod n missa canitur (vulgo Nicaenum), et Athanasianum. Obsecuti sunt itcunque titularii et plebani; sed cardinales, id est cathedrali ecclesiae ncardinati, praefracte resistebant: volebant nullam esse episcopo nisi chrismatis conficiendi et chrismandi potestatem, nec corrigi se ab eo, aut beneficiis sacris privari posse censebant. Dictitabant, pauperrimum esse hominem, qui nec ministrum vel capellanum habere vellet; fabri esse ilium, qui fabricas aut reparationes basilicarum semper agitaret; rigoristam esse (si nostri temporis vocabulum in illud aevum transferamus), qui mores, lectionem, cantum clericorum carperet, illegale conjugium adulterium vocaret, legem contra consuetudinem tenendam diceret, opus servile die dominica non permitteret, humi vel super scamno jaceret, vestibus et calceamentis inornatis uteretur, quoslibet ad mensam adhiberet, regem et magnates non adiret, nec quicquam ab illis peteret, munera etiam respueret; nollet, ut quisquam pedem ejus oscularetur, in libris totus esset, frequentiam odisset, ludos aversaretur, conviciatores non curaret, jejunaret usque ad nonam seu meridiem ad agendum etiam pro aliis poenitentiam; quae improperia totidem elogia erant. Dimissus ex carcere post binos cum dimidio annos, Azoni Cumano episcopo servandus datus est. Inde transiit in provinciam Galliae, ut Rostagnum filium insignis viri erudiret. Is videtur esse, qui postea fuit archiepiscopus Arelatensis. Tandem ad Laubienses suos rediit, donec sub Ottone M. novam scenam instruxit. A. 934.

11. Conradus ex antiqua Welforum gente*, Notingo episcopo defuncto, Constantiensibus praeficitur. Hermannus Contractus rem gestam ad hunc annum refert. Idem in vita ejus a nobis edita (nam inter sanctos habetur) diserte enunciatur. Vetus Welficae historiae scriptor filium facit Henrici ex Welfis et Beatae de Hohenwart. Henricum autem natum scribit Ethicone, Judithae augustae fratre. Ego malim patrem Conradi non ex augustae fratre, sed fratris filio natum. Opima praedia in Constantiensem ecclesiam contulit, allodii scilicet sui; id tunc juris morisque erat. Quae-

*) *In margine adjectum est stemma fere idem, quod supra t. I, p. 328. datum est:*



A. 934. dam in Rhaetia Curiensi sita erant, alia in Alsatia, et nominatur Colmaria ipsa. Ita decrescentibus nobilium familiarum opibus, ecclesiae ditabantur: sed Guelfos majora manebant.

12. Invitat hic locus, ut aliquid dicamus de propagatione veteris Guelforum gentis in Germania. Soror Juditha augusta, Welfi illustris comitis filia, plerosque fratres in Galliam attraxerat. Ex iis Conradus dux, pater Conradi comitis vel ducis, avus fuit paternus Rudolfi primi Burgundiae Transjuranae regis. Fratrem in Germania restitem Ethiconem appellat monachus Wingartensis. Ex hoc natus alius Ethico (neque enim per temporum rationem idem facile judicari potest) filium habuerit Henricum, qui cum ad militares annos pervenisset, sese ad imperatorem (vel Germaniae regem) contulit, eique tam gratus fuit, ut insignem terrarum tractum feudali beneficio impetraret, quo quatuor millia mansuum continebantur. Aventinus ad Lycum et Ambronem omnes collocat.

13. Fabula ornatur munus, stipulatum juvenem a rege, ut quantum una die aureo curru obire posset, haberet. Rex annuit, quod facile judicaret, aureum, quo veheretur, currum non inventurum. Ille ex auro vehiculum exiguum parari jubet, quod sinu circumferens, currum itineri aptum conscendit, et non exiguum territorium sibi vindicat, testes adhibet. Risit rex, et jocum in rem seriam verti passus est. Sunt qui hunc Ludovicum Germanicum vel hujus filium faciant, et sunt qui ad filium Arnulfi descendant. Aventinus arbitratur, Ludovicum Germanici filium Henrici Welfi sororem Lutgardem in matrimonio habuisse et in sororium liberalem fuisse. Sed eam Ludolfi Saxonum ducis filiam fuisse constat.

14. Utcunque se res habeat, ajunt Henrici patrem, severitatis priscae retinentem, quando antiquis nobilitas et libertas omnis exors census et ministerii aequabantur; munus datum velut pretium servitutis aspernatum, filium amplius in conspectum non admisisse, tanquam a majorum gloria degenerasset: sed posteri a priorum rigore ob utilitatem remisere, et inclyti duces secutis temporibus non dedignati sunt episcopis et abbatibus supponere manus, ut loquitur alio loco scriptor Wingartensis. Henricus Beatam vel, Aventini relatu, Hattam de Hohenwart duxit. Hohenwartios etiam Diessam et Andechsium tenuisse, addit idem. Ex hoc matrimonio orti sunt divus Conradus, Ethico, et familiae propagator Rudolfus, et (quem autor vitae S. Conradi addit, monacho historico ignoratum) Welfo. Rudolfus Idam, Conradi vel Cunonis ab Oeningen filiam, duxit. Eam Wingartensis monachus facit neptem Ottonis Magni ex Luitgarde, tanquam Conradus ab Oeningen esset celeberrimus Ottonis M. gener, sed tempora non favent. Rudolfum credibile est ante Conradum jam maritum fuisse. Neque quisquam Ottoni Magno nepotes aut neptes ex filia tribuit, quales a monacho nominantur liberi Cunonis. Hos recenset, Eggebertum, qui marchiam Stadensem acceperit Danis oppositam, una cum fratribus Luitbaldo, Luitoldo, Cunone; et quatuor filias, Rudolfo Guelfo nuptam, aliam Rinfeldensi dynastae, parentem Zeringiorum, tertiam regis Russorum uxorem, quartam comitis de Dichau, forte Dachau; sed haec tamen referre placet, quia aliquid veri inerit, etsi ad Ottonis M. generum non pertineat.

15. Ethico Henrici pater coenobium in montanis struxerat, in pago A. 934.
mbergavio, duodenis monachis habitaculum. Henricus in locum com-
iodiorem deduxit, qui dicebatur Altonis monasterium, quod ibi quiesceret
. Alto confessor. Idem in Altorfio abbatiam virginum extruxit, ubi cum
onjuge humatus est. Huic successere Welfones, filius et filii filius, quo-
ım posterior cum Conrado Salico collisus est, qui et monachos Altorfium,
oniales ad S. Altonem traduxit, permutatione locorum facta. Altorfense
ionachorum Benedictinorum coenobium etiam Vinearum seu Wingartense
ppellatur, et nunc quoque floret, Welfonumque principum memoriam ut-
nque servavit studio scriptoris, qui seculo XII. exeunte illic vixit. Ejus
bellum de Guelfis principibus et chronicon monasterii ex manuscriptis
odicibus recensita tomo I. scriptorum nostrorum inseruimus.

16. Obiit Richwinus Argentoratensis episcopus 3. Kal. Sept. depositus,
e quo Erkanbaldus successor scripsit (vid. a. D. 965.) defunctum 16.
piscopatus anno, nobilitate praecellentem, virtutibus et literis illustrem,
atione Lothariensem. Unde (quemadmodum jam a. D. 914. notatum est)
erisimile est, Ricwino potenti comiti cognatum fuisse, cujus filium Otto-
em postea Otto Magnus Lothariensi regno ducis honore concesso prae-
ecit. Successit Ruthardus, de cujus obitu ad a. D. 950.

ANNO CHRISTI 935.

enricus Romam cogitat, sed morbo impeditur. — Rudolfus Transjuranus regno Italiae renuntiat, Hugo ei vicissim quaedam in Burgundia cedit. Unde aditus ad regnum Arelatense Transjurano conjungendum. — Colloquium Henrici et duorum Rudolforum regum. Frodoardi modus scribendi. — Henricus Heribertum per Lotharingos juvat. Hungari in Burgundia et Italia. — Henricus non Ratisbonae, sed Duisburgi. — Unnonis Hamburgensis praesulis expeditio apostolica in Sueciam. — Quis tunc status Sueciae. — Privilegium Herisiensi puellarum monasterio datum. — Episcopi Padebornenses. — Nordmanni ad Ligerim victi. Britones se in libertatem vindicant. — Aleramus comes vel marchio Montisferrati. — Donatio ei facta ab Hugone rege.

1. De rebus Romanis regnoque Italico nihil magnopere in fastis A. 935.
ccurrit; nisi huc referas, quod Henricus rex, domitis aut repressis bar-
aris circa Germaniam gentibus, Lothariensi regno recuperato, Arnolfi
xemplo animum ad Romanum imperium rursus Francorum orientalium
egno conjungendum adjecisse scribitur Witikindo, sed infirmitate correp-
ıs iter omisisse. Atque huc pertinet, quod hoc anno appendix Reginonis
abet, paralysi tactum. Caeterum, qui Romae incubabat Albericus, patricii
ignitate, erat instar interregis, et potestate improbe utebatur ad ecclesiam
omanam opprimendam. Italiae reges incerti et lubrici pene precario
egnabant, et rebellium Berengarii Widonisque successores magis factio-
ibus quam certo jure nitebantur. Neque Franci Italis jus legendi regis
oncedebant, quod tamen ipsi in Germania Galliaque exercebant. Et
idebatur primario Francorum regi Italia cum Roma deberi; talem autem
enricum omnes agnoscebant. Neque aut pontifex a fratre male habitus,
ut alii Italiae proceres venienti defuissent; tanta sapientiae fortitudinis-

A. 935. que, denique et potentiae fama erat. Hugo ad petendam Romae coronam profecturo facile fasces regni summissurus erat, ut Berengarius prior Arnulpho. Ita quieti suae et filio successori optime consuluisset, sed morbus et mox etiam mors praeclari principis nostri intercessit.

2. Scribit Luitprandus, Italos Hugoni adversos Rudolfum regem Transjuranum revocare voluisse. Id Hugonem praesentientem, missis legatis cum eo foedus fecisse, Rudolfum jure regni Italici sacramento dato decessisse, Hugonem vicissim, quicquid in Gallia habuerat, in ipsum transtulisse. Sed Luitprandus non est bonus foederum interpres. Hugonem constat marchiam Provinciae Arelatensi comitatui adjunctam in finem vitae retinuisse. Idem quanquam dominus Viennae non esset, in ea tamen regione potens fuit. Historicus Delphinas notat a. D. 945, cum Papiae esset, una cum filio ecclesiae S. Mauritii Viennensi insignia praedia donasse. Ita crediderim, id inter eos actum, Ludovico Orbo jam extincto, ut Hugo rex Italiae, Rudolfus Provinciae esset, et Bosonis regnum Transjurano adderet. Ita nihilo minus suos quisque comitatus, sua praedia tenebat; quanquam ea res in Conrado demum Rudolfi filio exitum habuerit. ita Guelfigenae regnum Arelatense condiderunt.

3. Credibile est, ejus rei gratia Rudolfum Transjuranum ad colloquium inter Henricum Rudolfumque alterum accessisse. Rudolfus Galliae rex Viriliacum Gosfridi clientis sui castrum in Aquitania situm obsederat, et occupatum domino reddiderat. Eo facto, Gosfridum ad Henricum misit, ut exploraret ejus animum, utrum ad colloquium venire posset: nam hactenus, credo, nec Henricus Rudolfum Galliae, nec Rudolfus Henricum Lothariensium regem fatebatur. Rudolfus deinde Laudunum, et postremo ad Suessionense placitum venit, quo vicissim legati ab Henrico accessere. Ita complanatis difficultatibus, Rudolfus ad Henricum properat; quemadmodum scribit Frodoardus, qui tamen prae studio brevitatis locum congressus non adjecit. Nam apparet, indiculum rerum gestarum sibi quotannis memoriae sublevamento notasse, unde per otium historiam pleniorem conficeret. Sed ea intra consilium stetit, nobis indiculus ipse aevi *illius* thesaurum praebet, sine quo aegre tempora in ordinem redegissemus. Witikindus enim, Luitprandus et Ditmarus temporum notationem passim omittunt, appendix Reginonis circa haec tempora negligenter scripta est, passimque laborat. Colloquio etiam tertius rex Rudolfus Guelfigena accessit, pactaque inter eos amicitia, etiam Hugo et Heribertus pacantur. Boso Rudolfi Gallici frater sese Henrico summittit, et maximam beneficiorum partem recipit, quae in Lothariensi regno tenuerat.

4. Sed Hugo et Heribertus non diu pacem inter se coluere. Cum Hugo castrum S. Quintini restituere nollet, Heriberto auxilium ferunt Lotharienses cum quibusdam ex Saxonia comitibus, castrum obsessum capiunt subvertuntque. Aderat expeditioni et Boso frater regis, qui in obsidione decessit, nec liberorum ejus mentio fit. Alius fuit Boso comes, cui hoc anno rex Divionense castrum male occupatum extorsit. Laudunum mox aggressuros Rudolfi regis mandata abstenuere, qui castrum ibi ad jus regium pertinere dictitabat. Rudolfus ipse toto autumno gravi morbo

depressus jacet, sed alter Rudolfus in Transjuranum regnum reversus, A. 935.
Hungaros nova irruptione graves effugat. Illi in Italiam transcendunt. Atque huc pertinere arbitror, quod continuator Reginonis turbatis, ut solet, temporibus habet, Hungaros in Galliam irrupisse et per Italiam domum redisse. Credibile est, expeditas, sed non magnas barbarorum turmas equis ad nandum exercitatis flumina facile transmisisse nuntiosque sui adventus praevenisse et obvia quaeque velut turbine corripuisse.

5. Henricum regem comitia circa haec tempora Ratisbonae egisse, tradunt Bohemi scriptores, ad quae accesserit Wenceslaus dux, et a rege sit honorifice habitus. Sed ea res ad Ottonem Magnum pertinet, quemadmodum dicemus ad a. D. 938. Henricum post pacem cum Arnulfo in Bajoariam rediisse, non invenio. Hac certe aestate circa inferiores Rheni tractus egisse, ex diplomate apparet, Duisburgi ad Ruram datum, quo firmat rex commutationem, factam inter Unnonem archiepiscopum Hamburgensem et Willarium nobilem virum, qui cum manu Rasmadae conjugis suae et Theodulfi filii in manus Unnonis et advocati ejus Ulfridi tradiderat proprietatem suam, quam in locis Holtgibuole, Holtheim et qui alii nominantur habebat. *Data 9. Kal. Jun. a. d. inc. 935, ind. 8, anno autem Henrici regis 17. Actum Diusburg.* Ex hoc autem loco intelligitur, Unnonem post haec demum acta apostolatum apud Danos Suecosque obiisse; nam ex eo reversus non est. Et crediderim, jam nunc ad regem venisse, ejusque autoritate et opibus adjutum iter periculosum et longinquum iniisse.

6. Provincia Unnonis in ultimum usque septentrionem extendebatur, pontificum Romanorum privilegiis, quae tunc pene vim legis habebant; neque absurdum erat, esse, qui totius ecclesiae, certe Latinae, res curaret. Itaque Unno, Dania per Henrici victoriam aperta, provinciam suam invisere statuit, ecclesiasque temporis lapsu et paganorum odiis dissipatas recolligere; eamque in rem canonicos aliquot Bremenses, forti animo ad omnes casus fortunae paratos, secum duxit. Magister Adamus, cujus in his autoritati plurimum, ut par est, tribuo, refert, obduratum Guormonis grandaevi animum flectere frustra tentasse, Haroldum tamen ejus filium Christo lucratum, id effecisse, ut salutaria dogmata docere et recipere liceret; tametsi ipse Haroldus nondum se lustralibus undis tingendum praebuisset. Inde Unnonem Ansgarii Rembertique vestigia secutum, ad Bircam Gothorum oppidum in medio Sueoniae positum navigasse, quo inde a 70 annis nullus christianitatis doctor penetrarat. Locus erat Nordmannorum, Slavorum, Sambiorum commerciis frequens. Sambiae nomen hodieque pars Prussiae retinet; vox est, ut Zembla, quae nihil aliud indicat in lingua Sarmatica quam regionem, uti non raro populi iis nominibus appellantur, quae nihil aliud quam homines aut populum significant.

7. Adamus a Suenone Danorum rege seculo sequente didicit, Unnone adventante, Suedonibus imperasse Ringonem cum filiis Erico et Emundo; antea vero cum alios praefuisse, tum Amundum (sed pulsum), Olaum et Biornonem, quorum priores etiam in vita S. Ansgarii memorantur. Unno

A. 935. ergo cum ad Bircam Suedónum emporium venisset, morbo correptus, sarcinam corporis deposuit. A. D. 936, indict. 9, medio mense Septembri, truncus Bircae tumulatus, caput Bremam relatum est, et in ecclesia S. Petri coram altari terrae mandatum; quae si vera est temporum notatio, necesse est, Unnonem munus apostolicum vix ultra annum extendisse.

8. Aliud Henrici diploma paulo anterius, cujus locus annotatus non est, in Westfalia datum suspicor, quo ob intercessionem Machtildis conjugis et Unwani Padebornensis episcopi, sororibus monasterii Herisiensis libertatem eligendae abbatissae, immunitatem a secularibus judiciis et fisci jura transdita * confirmat, idque annuli sui impressione adsignari jubet. *Dat. 5. Id. Maji a. d. inc. 935, ind. 8, a. Henrici regis 16.* Legendum puto 17.

9. Henricus cum binis Rudolfis regibus trans Rhenum congressus, inde domum revertens, paralysi mox tactus fertur. Unwani episcopi Padebornensis mortem in hunc annum refert Schatenius, tum quia nullam amplius ejus mentionem invenit, tum quia numerus annorum sedis, quam ** autor vitae Meinwerci et Gobelinus, ambo ex dioecesi scriptores, huic sententiae favent. Successit Dudo, qui quis aut unde, ignoratur.

10. Hac aestate etiam Normanni, qui hactenus ad Ligerim stabulabantur, cum circa Turones et mox in Bituricensi tractu omnia vastassent ab Ebbone quodam principe victi scribuntur. Is provido consilio pontibus dejectis arboribusque caesis vias hostibus impeditas reddidit. Deinde auxiliis a rege acceptis, munimento clausos totis viribus oppugnavit. Capta sunt tandem castra, hostes internecione caesi, Ebbo tamen ex vulnere decessit. Ea victoria effecisse videtur, ut Britones etiam respirarent. Memoravimus, non ita pridem Normannos ingenti victoria potitos omnem Britanniam minorem sibi subjecisse. Ceciderant ferociores, aut dedignati servitutem in Angliam confugerant. Nunc a. D. 936. Adelstani auxilio (audita, ut arbitror, hostium clade) ad suos rediere Alano duce, quem quidam Dolensium et Nannetensium ducem faciunt. Normanni iterum victi, tandem Britannia Ligerique cessere. Porro satis intelligitur, hoc ad Rollonis filium Neustriaeque Normannos non pertinere; et ex eo factum videtur, ut nec hi amplius a Britonibus colerentur, qui sese ab aliis in libertatem vindicassent.

11. Dabimus hic donationem, quam Hugo rex Italiae Aleramo comiti fecit, quia is habetur autor Monferratensium marchionum qui et Saluziarum et Clavesani Ponzanique. Comes hoc loco dicitur, ab Ottone Magno in praecepto a. D. 967. dato marchio appellatur, si modo idem est. Vulgo Saxonicum faciunt, et cum Ottone in Italiam venisse arbitrantur; sunt et qui ejus generum esse volunt. Sed in Italia ditionem suam jam ante adventum Ottonis tenuisse, vel hinc intelligi potest. Hanc chartam Samueli Guichenonio debemus, qui in bibliotheca Sebusiana produxit, annotatque ex historia Monferratensi Benevenuti a S. Gregorio, quam manuscriptam vidit, eundem abbatiam de Grassano in dioecesi Casalensi fundasse, ibique se Guilielmi comitis filium appellare. Addo, Monferratenses lege Salica usos, quae omnia Saxonicam originem evertunt. Uxorem

*) data corr. Eckhardus. **) legendum quem.

ei Gerbergam Berengarii Italiae regis filiam tribuit Guichenonius; de secundo Berengario accepit Blondellus, quod vereor, ut stare possit. Si idem est, qui jam nunc floruit, ipso, ut apparet, senior Berengario II. Sed posset hic comes diversus a marchione, et quod proximum est, patruus fuisse; sed posset etiam comitis uxor Berengarii I. filia fuisse: itaque amplius inquirendum censeo. Nunc tabulas donationis subjiciemus; in quibus a. D. 938. corrupte legitur: secundum indictionem erit hujus anni. Tanar est fluvius, quem alias Tanagrum scribunt. Burmica amnis hodie Bormia est. Aldii non erant servilis conditionis, sed tamen ministeria debebant, ut ex lege Longobardorum intelligi potest. A. 935.

12. *In nomine Domini* (Dei) *aeterni Hugo et Lotharius divina favente clementia reges. Si petitionibus fidelium nostrorum libenter annuimus, ardentiores eos fore in nostri obsequio, nequaquam ambigimus. Quocirca omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet et futurorum devotio noverit, Ambrosium episcopum et Heldricum comitem, dilectos fideles nostros, suppliciter serenitatis nostrae postulasse clementiam, quatenus fideli nostro Aledramo comiti quandam cortem, quae Forum nuncupatur, sitam supra fluvium Tanar in comitatu Aquensi, jure proprietario per hoc nostrae inscriptionis praeceptum usque in perpetuum concedere dignaremur; cujus petitioni inflexi, eandem cortem cum omnibus rebus a fluvio Tanari usque ad flumen Burmicae, nec non a loco, qui vocatur Barcile, usque Carpanum perjuratum, ac cum omnibus, quae dici vel nominari possunt, per hoc nostrum praeceptum in integrum concedimus et elargimur; ac de nostro jure ac dominio in ejus jus et dominium omnino transfundimus, et delegamus una cum castris et capellis, casis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, sylvis, cultis et incultis, divisis et indivisis, masariciis, salicetis, sationibus, ripis, rapinis, molendinis, piscationibus, portubus, aquis, aquarum reductibus, venationibus, reddibitionibus, districtionibus, cum servis etiam et ancillis, aldionibus et aldianibus, omnibusque rebus ad praedictam cortem a jam dicto flumine in flumen atque a jam nominato Barcile usque ad Carpanum praedictum, pertinentibus vel aspicientibus in integrum, ut habeat, teneat firmiterque possideat ipse suique haeredes, habeantque potestatem tenendi, vendendi, donandi, commutandi, alienandi, pro anima judicandi vel quicquid eorum decreverit animus faciendi, omnium hominum contradictione remota. Insuper concedimus eidem fideli nostro Aledramo suisque haeredibus, ut de villa, quae vocatur Roncho, et de omnibus arimannis in ea morantibus omnem distinctionem omnemque publicam functionem et querimoniam, quam antea publicus nosterque missus facere consueverat, aut ante nostrorum qualemcunque missum; ita ante praefati Aledramo nostri fidelis praesentiam custodiant et observent. Si quis igitur hoc nostrae concessionis praeceptum infringere vel violare conaverit, sciat se compositurum auri optimi libras 200, medietatem praefato Aledramo comiti. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes, annulo nostro subter jussimus insignire. Signa serenissimorum Hugonis et Lotharii regum; Giseprandus cancellarius ad vicem Bosonis episcopi archi-*

A. 935. *cancellarii recognovi et subscripsi. Data 8. Id. Februarii anno dominicae incarnationis 938, regni vero domini Hugonis piissimi regis 9, Lotharii autem filii ejus 4, indict. 8. Actum Papiae in C. n. f. A.* [Indictio 8. et annus regni Hugonis 9. annum inc. 935. decribunt.]

ANNO CHRISTI 936.

Papae et trium regum mortes intra breve tempus. — Johannes XI. obit. Leo VII. succedit. — Abbas Fuldensis Roma privilegium affert. — Continuatio belli inter Hugonem et Albericum. — Odo Cluniacensis pacem inter eos tractat. — Albericus Hugonis filiam ducit. Pax tamen haud fida. — Hugo fratrem Bosonem capit, Tusciae filium Hubertum praeficit. — Henricus apud Botfeldam aeger. Ubi is locus. — Procerum conventus. Ubi Otto primogenitus successor designatur. — Henrico, qui patre jam rege natus erat, mater magis favebat. — Rex Quedlinburgensis congregationis institutionem urget. — Canonicae quaedam nullo se voto obstringentes. — Henrici beneficentia in ecclesias. — Sigefridi inter Saxones primarii fundatio Groningensis, ob orbitatem ex casu singulari. — Henricus obit Mimilebae. Adaldagi favor ob dictam primam pro anima ejus missam. — Is Unnoni Hamburgensi archiepiscopo succedit, et Bremam liberat. — Mechtildis cura circa defunctum maritum. — Cujus elogium. — Otto praevalet ad successionem. — Dies consecrationi dicitur ad Aquas Grani. — Id factum non ante Julium. — Receptio novi regis. — Consecratio per Moguntinum. — Actus descriptio. — Procerum ministeria. — Rex novus dat privilegium Corbejae. — Werthinensibus. — Sedi Trajectensi. — Quedlinburgensem congregationem perficit. — Nondum ibi abbatissa. — Abbatissae vicaria. — Regina abbatias gubernat. — Quedlinburgensium praedia. — Vogtlandia sub advocatis Quedlinburgensibus. — Aliae congregationes Quedlinburgi fundatae. — Canonici S. Wicberti, monasteria Winethusanum et Walbeccense. — Sed primaria S. Servatii, de quo nonnulla. — De hodierno Quedlinburgi statu quaedam. — Rudolfi regis Galliae mors. — Hugo Albus vel Magnus de filio Caroli ad regnum vocando cogitat. — Is ex Anglia arcessitus dictus est Ludovicus Transmarinus. Consecratur. — Non ubivis statim agnitus est Ludovicus. Tolosates eum statim recepere. — Hugo eum initio in potestate habet, et partem Burgundiae obtinet.

A. 936. 1. In idem fere tempus congruunt non pontificis tantum Romani, sed et trium regum mortes, Henrici Germaniae, Rudolfi Galliae, et alterius Rudolfi Burgundiae Transjuranae; etsi postremi obitus ad annum sequentem referri debeat. Inde ingens mutatio publicae scenae; nam Germania parum a civili bello abfuit inter fratres de regno certantes; Galli discordiarum pertaesi, legitimum successorem ex Anglia revocant, Transjuranae Provincia accessit, unde novi regni Arelatensis nomen.

2. Johannes papa, ut hinc ordiamur, in vinculis fratris obiit, mense Septembre, vel ad summum Octobre, ut ex serie narrationis apud Frodoardum patet, a quo gesta cujusque anni non rerum nexu, sed temporum ordine disponuntur; annotante ipso tunc vivo et eventibus intento, ut quaeque nuntius afferebat, fere uti diurna seu novellae scribuntur. Itaque cum eclipsin lunae insignem prid. Non. Septemb. memorasset, statim subjicit: *Johanne papa fratre Alberici defuncto, Leo quidem Dei servus Romae papa constituitur.* Johannem putes sua morte, sed per animi aegritudinem accelerata, defunctum, neque enim quisquam hic fratris scelus accusat, cui nec profuturum erat. Pro pontifice, etsi fortasse non pessimo, homine tamen profano, ut creditur, locatum in sede virum spectatae vir-

tatis colligo ex Frodoardi verbis jam productis; sic enim nuper Bennonem Metensem episcopum, ob pietatis opinionem ex eremo sumtum, Dei servum, ut ferebatur, appellat. A. 936.

3. Hademarus abbas Fuldensis videtur hoc anno Romam adisse, nam in chartulario loci reperitur talis pontificis Romani epistola: *Leo episcopus servus servorum Dei Hademaro religioso abbati monasterii Fuldensis.* Ait, se id in tutelam recipere secundum privilegii seriem, *quod* *), inquit, *ab antecessore nostro bonae memoriae Marino factum, mihi ostendere sategisti. Scriptum per manus Leonis scriniarii S. Rom. eccl. in mense Majo, indict. 9. Dat. 3. Idus Maji per manum Nicolai primicerii summae ap. sedis. Anno Deo prop. domini Leonis summi pontificis et universalis papae sexti* (septimi) *in sacratissima sede B. Petri ap. primo, ind. 9.* Aliquoties in Leonis hujus chartis legitur *sexto* pro *septimo.*

4. Hugoni regi Albericus belli materiam ingentem, et si successisset, gloriae dederat, pontifice et matre captis, quae Hugonem simul in thorum et thronum imperii vocarat. Ita simul privatam injuriam et ecclesiae exequebatur, et ad publica imperii fastigia nitebatur. Sed ingentibus ausis fortuna defuit. Defuncto pontifice, haud scio, an superfuerit Marozia; sed superfuit Hugoni simul vindictae et imperii cupiditas, ingentes causae armorum. Itaque tertio jam pedatu Romam aggreditur. Docet nos Frodoardus solita brevitate, obsidionem irritam fuisse, exercitu fame afflicto, equis plerisque morbo populante amissis. Credideris, Albericum fruges ex agris in urbem convectasse, anno sterili et intemperie singulari. Hugoni autem vires mediocres fuisse, ut trahere circumsessionem urbis cogeretur, nec vi vel corona oppugnare posset.

5. Commodum aderat Odo abbas ex Gallia, novus monachorum dux, ut a Leone papa nominabitur, qui religionis simul et autoritatis instituto suo circumponendae causa ad limina apostolorum venerat. Is Leonis mandato inter Hugonem et Albericum ultro citroque commeans, pacis conditiones ferebat, non sine vitae periculo. Nam prope monasterium S. Andreae ad clivum Scauri a rustico propter aquae lagenulam ferro appetitus est, qui tamen clamoribus spectantium deterritus, coeptum omisit. Rex captum nebulonem manu multari praecepit, sed Odo ipse intercessit. Soluta obsidione, cum re infecta Hugo discessisset, Odo novis mandatis a Leone instructus, sub alterius anni initium mense Januario ad Hugonem in Longobardiam venit, et pacem confecit. In itinere Senas fame laborare invenit. Haec discimus ex vita Odonis a Johanne ejus discipulo scripta.

6. Luitprandus refert, bellum inter Hugonem et Albericum diu tractum magno Romanae provinciae incommodo, cum quotannis agri vastarentur; omnia oppida in Hugonis potestatem venisse, sed urbem occupare non potuisse; regem per astum capere Albericum tentasse, matrimonio filiae promisso inescatum, sed hunc suorum monitu insidias vitasse, qui Hugonem potentiorem dominum habere nolebant. Quibus legibus pax coierit, non constat, nisi quod Aldam, Hugonis et Aldae filiam, Albericus

*) quam *Leibn.*; quod *corr. Eckhardus.*

A. 936. uxorem accepit: vicissim aliquam obsequii speciem socero exhibuisse crediderim, ut is bello honeste exire posset; rei certe Romanae summam ipse sibi retinuit Albericus.

7. Hugo cum a Romana expeditione revertisset, fratrem Bosonem detectis, ut ferebatur, insidiis dolo capit, et in custodiam conjicit; ita Frodoardus. Novissima ejus commemoratio est in scriptura apud Florentinium data sexto Julii hujus anni. Uxorem ejus Willam incentricem mariti in Burgundiam remittit. Ita Liutprandus, qui indignis modis expoliatam, pudenda, sed genii sui, historiola prodidit, quod in sororem Transjurani regis adhuc superstitis et sibi timendi admisisse Hugonem, nec facile credo, nec, si credam, narrare velim. Sororem Rudolfi dixi, ex sententia Andreae Quercetani, de qua tamen nonnihil dubitare me professus sum ad a. D. 912. Filii nulli ex eo matrimonio, quatuor filiae Bosoni natae erant Gisla, Willa, Berta, Richilda; ex his Willa Berengario marchioni Eporediae, postea Italiae regi; Berta primum Bosoni comiti Arelatensi, deinde Raymundo Gothiae principi nupsit. Rex ducatum Tusciae filio Huberto, ex Wandelmoda nobili puella nato, destinavit. Hugo et Lotharius reges, exorante eorum celsitudinem Ariberto venerabili abbate Tollae, carissimo eorum fideli ac medico, abbatiam cum rebus, personis, servis, ancillis, cum aldiis et aldialibus (libertinis seu ortis ex servis, qui adhuc operas debent), cum liberis hominibus in terris abbatiae residentibus vel confugium facientibus, sub tuitionis mundiburdium receperunt. *Dat. 8. Kal. Januar. a. d. inc. 936. dominorum autem piissimorum regum Hugonis 10, Lotharii 5, ind. 8.* (9. puto). *Actum Papiae.*

8. Sed a rebus Romanis et Italicis ad Germanicas veniamus. Henricus rex, ut languorem discuteret, Botfeldam vel Batfeldam adierat, locum sui privatim juris, venationibus frequentatum. Ejus non satis certus est situs. Supra Budinfeldam habuimus, Magni Witikindi sede ac ducatu celebrem, non procul dextra Visurgis ripa. Fuit aliud Budveldum in ipsis Herciniis montibus haud procul Elbingeroda, in quo decimam ex omni venatione Quidelingaburgensi congregationi Otto M. a. D. 937. concessit, quod antiquissimum extat datum ei congregationi diploma; sed ipsum deinde locum seu villam Botfeldam cum foresto et venatione Henricus II. Sophiae abbatissae Gandeshemensi concessit. Utraque Botfelda nunc Hanoveranae est ditionis. Posteriori magis faveo, cum Thuringiae propius accedat. Locus ille fuerit, in quo Henricus Leo casu equi afflictus est, cum ad Henricum VI. augustum Salafeldae agentem evocatus tenderet. Caeterum Henricus rex aegritudine ingravescente et in febrem versa, cum etiam aetas fere sexagenaria curam injiceret, ubi nonnihil remisit dolor, Erpesfordiam se deferri jussit, eoque conventum procerum indixit. Eum aliis ignoratum discimus ex biographo reginae Mathildis, et qui hunc excerpsisse videtur annalista Saxone nostro.

9. Advenisse illuc arbitror principes, qui distantia locorum aut aliis causis non prohibebantur: Hildebertum Moguntinum archiepiscopum, Eberhardum Francorum ducem, Sigefridum inter Saxones primum, Thietmaro illo, cujus summa apud regem gratia et autoritas fuerat, ante

quadriennium defuncto, quemadmodum ex nostris Fuldensium fastorum A. 936. excerptis conjicio. Affuere haud dubie et praesules complures Franciae Saxoniaeque, quorum maxima erat in consiliis autoritas. Itaque senatu convocato, rex disseruit: Morbo periculoso et ipsa aetate sese supremarum curarum admoneri; esse consulendum rei publicae, esse etiam privatae ac suis prospiciendum. Hactenus nullis se pro patria laboribus pepercisse, nec divinam opem defuisse. Datam operam, ne se defuncto, rectore bono facile careret regnum Francorum; in eam solicitudinem filium natu majorem Ottonem a se educatum, cujus perspectam omnibus indolem laudare nolit. Itaque hunc commendare principibus ac populo, et optare, ut communi sententia constituatur, quod exitum deinde habere possit, ut dissidia et civilium malorum occasiones praevertantur. Omnes sententiam regis collandarunt, et Ottonem successorem communi suffragio designarunt. Henricus ergo Ottonem testamento regem constituit, caeteris filiis praedia cum thesauris distribuit, ut habet Witikindus.

10. Ditmarus episcopus memoriae prodidit, nec dissimulavit biographus Mathildis, reginam, ut sunt mulieres etiam sapientissimae interdum obnoxiae teneris affectibus, optasse, ut regnum natu minori Henrico deferretur, quem sive ob speciem, qua super juvenes sui temporis excelluit, sive ob pronius obsequium magis diligebat; colore sumto, quod in purpura natus esset. Hinc prima mali labes et fratrum etiam vivo patre aemulatio et deinde in regno contentio, cujus meminit Frodeardus, et Otto a matre nonnihil alienatus est. Nam ea disputatio post regis mortem renovata fuit, et apud alios etiam populos materiam discidiis saepe praebuerat, quemadmodum apud Hugonem Grotium legi potest, qui de jure gentium patrum memoria praeclarissime scripsit. Sed apud Germanos regis judicium et ratio recta praevaluit. Sive enim eligatur rex, nulla est praerogativa purpurae in cunis; sive succedat, etiam patrimonialia praedia constat nuspiam liberis illis propria haberi, qui post acquisitionem sunt nati. Non defuere, quibus Henrici jus potius videretur, sed maligno animo et ad turbandum verso. Itaque optima maximaque pars procerum et communis populi sententia pro Ottone stetit.

11. Henricus rex, constituta re publica, ad mortis cogitationem et sacras curas versus, voluit, ut Quidelingaburgensis congregationis initia procederent, cujus structuram a fundamentis excitaverat in praedio suo, eam in rem reginae donato. Itaque cum Diemote Winethusana abbatissa tunc egit, quia brevitas temporis novam congregationem colligi non patiebatur, ut sanctimoniales inde Quidelingaburgum transirent, praesertim cum constaret, in priore loco ob inopiam sine regis auxilio regularem disciplinam servari non posse, ut ex biographo Mathildis discimus, unde annalista noster transcripsit. Nempe quando monasteria non satis dotata erant, virgines aut monachi de suo aut suorum opibus sustentabantur: ita incidebatur in vitium proprietatis, et rigor ordinis laxabatur. Ex his intelligimus, congregationem Quidelingaburgensem hactenus magis affectatam, quam in rem deductam fuisse, etsi aedem rex a fundamentis excitarit, ut Ditmarus testatur. Sed eo usque jam processum est, ut paulo

A. 936. post excessum ejus congregatio sanctimonialium cura regiae viduae introduceretur.

12. Si Engelhusio credimus (quem tamen exaggerare apparet), Henricus inter alia bene acta fundavit in Germania ultra viginti ecclesias abundanterque dotavit pro dominabus secularibus, quae canonicae nominantur, utentes habitu canonicorum regularium ordinis S. Augustini, nullam tamen profitentes religionem (id est nullo se voto obstringentes), quae nubunt in Domino, quando volunt. Inventae sunt autem hujusmodi institutiones (ut addit idem) pro sustentatione nobilium puellarum, quarum parentes pro fide Christi cum infidelibus pugnantes ceciderant, quas inter Quedlinburgense prudentum Virginum dictum rex voluit eminere. Haec ille. Sane in antiquo Saxonico carmine Everhardi de Gandeshemensibus rebus, quod tomo scriptorum nostrorum tertio extat, ejusdem appellationis vestigium apparet, ubi Quedlinburgenses vocat *witte en gude Vrouen*, candidas a veste, bonas a virtute. Caeterum voto illic abstinuisse, et libertatem exeundi retinuisse, haud facile reperietur.

13. Caeteris Henrici in ecclesias beneficiis, quorum magna pars ignoratur, addi velim, quod non multum ante exitum a. D. 934. ecclesiam S. Maximini clarissimae apud Treviros abbatiae Benedictinorum, quae ventorum turbine et antiquitate corruerat, liberalitate sua reparavit, ecclesiamque Theodonis villae cum Mosellae portorio aliisque vectigalibus ex regio fisco monasterio attribuit, simulque curavit, ut Ogonis abbatis opera (qui postea Leodiensis episcopus factus est) collapsa disciplina restitueretur. Quae ex continuatore Reginonis Broweroque Trevirensis archiepiscopatus et Zyllesio abbatiae scriptore discimus. Neque praeterierim, quod Ditmarus prodidit, in nova Corbeja aram Viti martyris Henrici magnificentia, Mechtildis hortatu auro et gemmis mirifice ornatam fuisse. Haec nos non ex nostris judiciis, sed animo facientium aestimare oportet, quando receptae erant hae pii affectus demonstrationes, et ne nunc quidem a prudentibus contemnuntur.

14. Circa hoc tempus, mense uno circiter ante obitum regis, pro salute ejus Deo munus obtulit Sigefridus, inter Saxones primarius et Henrico inprimis carus. Donationis formulam contrahere operae pretium erit. *Folchimarus, novae Corbejae abbas, notum fieri vult, comitem Sigefridum monasterio dedisse haereditatem suam in pago Hartago, in loco Westergroningen, juxta fluvium Bodam, hoc est ecclesiam cum clericis, quos ibi proprios habuit, et metallis et quicquid ab australi parte ecclesiae intra urbem aut extra possidet, pro rege gloriosissimo videlicet Henrico cum serenissima Machtilde et regia prole, Ottone, Henrico, Brun, Gerberg, Hadwin, nec non et pro se ipso cum conjuge Jutta. Haec traditio facta est praesenti Deo, coram majore altari. Actum novae Corbejae anno 936, 7. Kal. Jun. postridie Urbani, indictione 9. anno *** gloriosissimi regis.* Edidit Meibomius in adjectis ad Witikindi historiam. Scribitur, Sigefridum filium et filiam ex Jutta sustulisse patri matrique cognomines. Filius in venatione ex equo lapsus cervicem fregit. Rei nuntio turbata soror, dum praecipiti gradu ex superiore tabulato in aream domus pro-

perat, lapsa, forficem, quam forte manu tenebat, pectori infixit, et ex eo vulnere decessit. Inde orbati parentes, sua divino cultui addixerunt ea lege, ut illic monasterium virorum strueretur; quod Corbejenses bona fide praestiterunt. A. 936.

15. Conventu procerum soluto, rex paucis comitantibus Mimelebam perrexit, ad sinistram Unstrutae ripam sitam (ubi deinde ab Ottone II, quod pater avusque hic obissent, coenobium Benedictinum structum est), credo Quedlinburgum tendens. Sed malo recrudescente, hic decubuit, et cum extrema appropinquarent, regina vocata, post secretos sermones ei gratias amoris et fidei praestitae egit, quibus nulla unquam uxor maritum magis demeruisset. *Tu*, inquit, *saepe utile dedisti consilium, saepe nutantem ad aequitatem clementiamque flexisti; superstitem gaudeo; Deo cum liberis te commendo.* Illa, gratiis valedicenti actis, perfusa lacrymis ad ecclesiam oratum ivit: et mox carnis ergastulo conjugis animam excessisse accepit 6. Non. Jul., ut habent continuator et Ditmarus. Tum prostrata in preces, hanc Domino commendat, et mox erecta quaerit, quis inter proximos presbyter jejunus adesset; Adeldago se talem professo, subito illa binas armillas brachiis abrupit, et: *Hoc*, inquit, *aurum accipe pignus futurae gratitudinis meae, ac statim canta missam animarum;* scilicet ne qua defuncto refrigerii dilatio esset. Ex eo semper hominem dilexit, ac non multo post, cum mors Unnonis archiepiscopi Hammaburgensis nuntiata esset, hujus ei dignitatem a rege impetravit.

16. Unnonem a. D. 936, id est hoc ipso, in Birca Suedonum emporio obiisse, jam dictum est. Adaldagus erat juvenis genere illustris, moribus formaque decorus, ex choro Hildeneshemensi, consanguineus et discipulus Adalwardi Ferdensis episcopi, viri magnae in aula autoritatis, et ab eo regi commendatus. Idem etiam cancellarii officium initiis Ottonis praestitit, ut mox dicemus. Pallium obtinuit a Leone VII, manus impositionem, sicut antecessores, a praesule Moguntino. Hic primus effecit, ut Hammaburgensis metropolitana ecclesia suffraganeos episcopos haberet, quos in Sliaswico et Danicis regionibus ordinavit. Bremae etiam a judiciaria potestate, id est ducibus comitibusve, liberatae ad instar aliarum nonnullarum urbium immunitatem libertatemque obtinuit. Erat enim tam familiaris Ottoni regi, ut raro a latere ejus divelleretur, neque tamen aut parochiae suae aut apostolatui defuit. Datum est ipsi cum gaudio metere, quae alii in lacrymis seminarunt. Haec magister Adamus memoriae prodidit.

17. Regina, cum finita esset missa animarum, in cubiculum venit, ubi jacebat corpus exanime, ibique filios flentes invenit, et circum militum principes seu primarios viros. Tum provoluta ad pedes regios lacrimis suis rigandos, medium tenuit inter meritissimos luctus et depressi animi abjectionem. Dein filiis ad se vocatis: *Discite*, inquit, *Deum timere, prae quo reges nihili sunt, nec contendite de transitoria dignitate; videtis enim, quem finem humana gloria capiat.* Denique omnibus ad funus ducendum paratis, corpus, ut ipse jusserat, Quedlinburgum defertur, ibique in crypta ante altare S. Petri despositum, honorifice tumulatur. Mechtildis, pio affectu

A. 936. nec inconsulto, non alia re melius quam eleemosynis parentavit marito, egenos liberaliter pascens. Ubi illud tamen non ridere, sed mirari libet, quod a Ditmaro scribitur, etiam avibus victum subministrasse; quod hyemali tempore pietatis causa (pietatem hic misericordiam Italico sensu interpretor) fecisse etiam Ansfridum, ex comite Trajectensem episcopum, idem Ditmarus, ut a nobis restitutus est, narrat.

18. Hunc finem anno regni septimo decimo (sed absoluto ut arbitror) et, ut Ditmarus scribit, aetatis sexagesimo habuit Henricus, suo tempore maximus regum Europae (ut non male Witikindus), animi corporisque bonis nulli secundus. Primus suae stirpis ad regnum pervenit, primus Saxonum gentem ad rerum fastigia evexit, et sane passim populares suos honoribus extollebat, quae res invidiae fuit, et filii initiis nocuit. Servator haud dubie Germaniae dicendus, quae poterat dissilire in partes, et in servitutem imminentium barbarorum redigi, nisi virtus regis compagem regni continuisset. Neque rem publicam stitisse satis fuit; auxit Lothariensi regno recuperato, barbarisque passim tributo summissis. Severitatem jucunditate temperabat, et cum animum remitteret, nihil dignitati detrahebat: nam et conviviis exhilarabat amicos, quibus nihil aequum facile negabat, et in ludis equestribus eminebat, ut terrori amorique esset. Accedebat apta moles corporis, quae regiae dignitati decus addebat. Virtutem in eos diffudit, quos regebat. Sub ipso, sub Ottonibus Germani sapientissimi beatissimique Europearum gentium habebantur. Obiit 9. Kal. Jul. omnium consensu, et mendum erit librarii in fastis Fuldensibus, ubi Kal. Jul. habetur. Sexto decimo regni obiisse, scribit Ditmarus, 17. Otto Frisingensis; sed decimum octavum jam inisse, calculus noster ad exitum a. D. 919. verisimilius reddit. Corpus Quidilingaburgum devectum (quo vivus tetenderat), ibique tumulatum, discimus ex tabulis filii ad a. D. 944. referendis.

19. Justis persolutis, ductores primi conveniunt, et de regno constituendo consilium habent. Erant, qui Henrico faverent, quod in aula regia natus esset, sed Otto praevaluit; inde aucta est inter fratres discordia, qua ita inde ab infantia committebantur, ut vix sine rixa colloquerentur. Haec biographus reginae. Frodoardus ait, Henrico fatis functo, contentionem de regno inter filios agitatam, rerum tandem summam natu majori Ottoni obvenisse. In his species quaedam electionis apparet mista successioni, quod tunc gentium jus erat.

20. Si Witikindum audimus, omnis populus Francorum et Saxonum jam designatum a patre Ottonem elegit. Sed dictus est communi electioni dies locusque ad Aquas Grani. Credo, ut etiam Lotharienses adessent, quorum in regno is locus erat. Sapienter enim data est opera, ut in unum cum Germania corpus coalescerent, et Magni Caroli sedes vinculo gentium inserviret. Ditmarus hoc amplius addit, jam proclamatum regem in hoc primo congressu. Ita enim ille: *Omnes rei publicae proceres Ottonem ex patris decreto et petitione uno ore regem sibi et dominum elegerunt, elevatisque dextris conclamaverunt: „Vivat et valeat rex victor in aeternum.“* Inde cum eo ad Aquas Grani proficiscuntur.

21. Rem maturatam fuisse oportet, cum pater Junio mense declinante A. 936.
ierit, filius ante 5. Id. Aug. jam regnum inierit, sed 2. Kal. Jul. nondum: od ex privilegiorum tabulis patet, quas signavit. Nam Otto rex, expe- ite Adaldago archiepiscopo, libertatem ecclesiae Hammaburgensis con- nat *2. Kal. Jul. a. d. inc. 937, indict. 10, anno regni Ottonis piissimi ris primo; actum in Werlaha.* Et idem intercessione carae suae con- gis Edgidae et Thietarii, quem sibi fidelem ait, Hammaburgensi ecclesiae dit, quicquid proprietatis habebat in Bremum, Birsina, Ramaslo, Buckin *Id. Aug. ind. 10, a. d. inc. 937, anno autem Ottone regnante rege undo.* Ambo diplomata inter ea leguntur, quae Meibomius suis ad itikindum Roswitamque notis subjunxit. Ibi etiam in novissima editione posterius pro 937. mendose legitur 907. Ex his colligo, Ottonem vel clinante Julio, vel adolescente Augusto a. D. 936. regno Francorum ientalium inauguratum fuisse. Sed an notarii se huic epochae semper igarint, amplius inquirendum putem; historicos regnum ejus a morte tris computasse, crediderim.

22. Cum ergo ex edicto conventum esset ad Aquas Grani, ubi pala- um erat regium, cui imposita aquila, jam rursus ab Henrico ad orientem, est Germaniam, conversa erat, adventanti regi cum proceribus inde a xonia vel Thuringia comitantibus senatus principum jam collectorum viam processit, fidemque et subjectionem promisit, inde ad sedem im- rialem ducitur. Haec Ditmarus. Jam Witikindus ita pergit: *Duces et raefectorum principes cum caetera procerum militumque manu in sistorio* (ita scriptor, id est xysto) *basilicae Magni Caroli cohaerente congregati nt. Ibi in solio collocant novum ducem, manusque ei dant, et fidem eramque contra inimicos pollicentur; atque ita faciunt regem.*

23. Quae dum geruntur a ducibus et caetero magistratu, interea ontifex maximus (id est Hildebertus Moguntinus) cum universo sacer- otum ordine et collecto fidelium populo in basilica S. Mariae semper irginis a Magno Carolo structa praestolabatur processionem novi regis. umque quaestio esset inter pontifices de consecrando rege, et Rupertus revirensis ad antiquitatem provocaret sedis, tanquam a Petro apostolo ndatae; Wigfridus vero Coloniensis ad jus metropoleos, cujus in pro- incia erant Aquae; cessere tamen autoritati Hildeberti, qui Francus enere, monachus professione, sanctitate vitae et prudentiae documentis t literarum studiis clarus habebatur. Ditmarus rem simplicius enuntiat, ildebertum concessione Wigfridi, cujus in dioecesi erat locus, et auxilio uperti benedixisse. Sed Witikindus Wigfridum velut adjutorem comme- orat. Crediderim, ut tunc erant tempora, inaugurationem regni Germa- iae ad Moguntinum pertinere visam, Lothariensis ad Trevirensem, sed oloniensem tamen loco valuisse; itaque cum Lotharienses partem ajorem regni haud facerent, Hildebertum jure Germaniae praevaluisse. enovata est saepius controversia inter Moguntinum et Coloniensem, et ovissime cum Leopoldus inaugurandus esset, inter Johannem Philippum t Maximilianum Henricum, quorum uterque successoris, qui nunc sedet, atruus fuit, etiam scriptis agitata; tandemque ita transactum est, ut

A. 936. Moguntinus ubique, praeterquam in Coloniensis juris loco, coronationis solennia exequeretur.

24. Veniente rege, Hildebertus obvius laeva sua dexteram ejus tangit. Ipse dextera lituum gestans, linea indutus stola et infulatus cum eo procedit. Inde in medio fani subsistens, versusque ad populum, ambulacra circum supra infraque implentem, rege jam dextro, *En, inquit, adduco vobis a Deo electum, et domino rerum Henrico designatum, nunc vero a cunctis principibus regem factum Oddonem: si vobis ista electio placet, dextris in coelum levatis hoc significate.* Ad haec omnis populus dextras attollens, clamore valido imprecati sunt prospera novo duci. Proinde procedit pontifex cum rege, tunica stricta more Francorum induto, pone altare, cui insignia regalia imposita erant: gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum sceptro et diademate. Ipse antea accedens, et sumto inde gladio, cum baltheo conversus ad regem: *Accipe,* inquit, *hunc gladium, quo domes omnes Christi adversarios, barbaros et malos christianos. Tibi enim divina autoritate traditur omnis potestas totius imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium christianorum.* Deinde sumtis armillis et chlamyde induit eum, et *His* (inquit) *vestimenti cornibus humi tenus demissis admoneris, fervorem fidei ad extremum perseverare debere.* Exinde sumto sceptro baculoque (quae distinguit) *His signis monitus, paterna castigatione subjectos corripias, Deique ministris, viduis, pupillis manum misericordem porrigas, qua sustententur. Tandem vero, ne miserationis oleum deficiat, et ut sempiterno praemio coroneris, symbola accipe, quae nunc peragemus.* Ita oleo sancto perfunditur, et aureo diademate a pontificibus Hildiberto et Wigfrido coronatur. Lanceae illius sacrae, vel a Burgundia allatae, vel alterius cujuscunque, et aliorum insignium nonnullorum hodie ostentatorum mentio hic nulla est.

25. Ita consecratione completa, ducitur ad solium, quo per cochleam ascendebatur, unde in omnium conspectu esset, et in omnes despiceret. Et erat inter marmoreas mirae pulchritudinis columnas constructum, quales Carolum inde ab Italia arcessisse, alibi notatum est. Divinis deinde laudibus dictis, sacrificioque solenniter celebrato, descendit rex ad palatium, et ad marmoream mensem regio apparatu ornatam cum pontificibus aliisque primariis viris resedit; multitudine procerum per mensas fusa, duces vero ministrabant. Giselbertus, ad cujus potestatem iste locus pertinebat, omnia procurabat, Eberhardus mensae praeerat, Herimannus et ipse Franco (etsi Suevis praeesset) pincernis, Arnulfus Bajoarius equestri ordini et eligendis locandisque castris. Sigefridus Saxonum optimus et a rege secundus, gener quondam regis, nunc vero affinitate conjunctus, aberat, administrabatque res Saxonicas, ne qua hostium irruptio timeri posset, et fratrem regis Henricum secum habebat custodiam, ut apparet, honoris specie velans. Hic quatuor habemus ministeria, sed non plane ad receptum mox quaternionem accommodata, nam camerarii officium hic nemo exercet, nisi Giselberto liberaliter largiamur. De Sigefrido erit alias dicendi locus. Addit Ditmarus, etiam Edgitam reginam tunc consecratam.

Rem omnem Baronius in annum sequentem refert, persuasurus nobis, A. 936.
Ottonem regnum jam anno integro possessum ab unctione demum sacra in diplomatibus computasse: sed inter possessionem et inaugurationem nonnisi necessarium intervallum fuit.

26. Rex, peractis solennibus, soluto conventu, eminentiores, ut cuique congruum, magnifice donatos dimisit. Inde transmisso Rheno in Germaniam citeriorem regressus, Octobri Werlae in Westfalia egit, ibique ad intercessionem reginae Eaditae et filii Ludolfi Folkmaro abbati novae Corbejae privilegia libertatesque confirmat, ab antecessoribus suis Francorum regibus datas. Ingressus praecepti est: *In n. s. et i. T. Otto divina largiente clementia rex;* finis: *ut haec nostrae largitionis autoritas firmior habeatur, atque per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, manu propria nostra subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. Signum domini Ottonis serenissimi regis. Adaldat notarius ad vicem Hildeberti archicapellani recognovi et subscripsi. Data 16. Kal. Novemb. a. inc. d. 936, ind. 9, anno autem serenissimi regis Ottonis 1. Actum apud Werla.*

27. Aliud mox praeceptum datum est Werthinensibus mense Decembri: *Otto divina favente clementia rex: fidelis noster Wigger abba indicavit, monasterium suum quod vocatur Werthina, a beatae memoriae sancto Ludgero episcopo in propria ejus haereditate constructum, gloriosissimorum regum Ludovici videlicet filii Magni regis Caroli et successorum defensione hactenus fuisse conservatum.* Rex idem praecepto firmat, et aliorum monasteriorum immunitates concedit. Ubi dominicales mansus habuerint, inde decimas ad portam monasterii in usum hospitalitatis habebunt, abbatem eligent, abbas in castra ire non cogatur, nisi regia liberalitate adjutus. Et quia nihil ad illum locum pertinet, nisi haereditas S. Ludgeri et propinquorum, omnia sua libere pleneque possidebunt. *Signum Ottonis invictissimi regis. Poppo cancellarius ad vicem Hilliberti recognovi. Data 3. Kal. Jan., ind. 9* (lego *10.*), *a. inc. D. 936, anno autem primi Ottonis regis 1.* Hic observo pro *Adaldat* in priori praecepto legendum videri *Adaldag*, ut cancellarii vices sustinuerit Adeldagus ille, qui primam missam pro anima regis Henrici dixit; et ei mox ad majora promoto successit Poppo.

28. Itaque suspicor ad hunc annum pertinere, quod Heda Ultrajectinarum rerum scriptor in sequentem refert, praeceptum Ottonis I, cum interventu dilectae conjugis suae Edgidae et fidelis sui Giselberti ducis Lothariorum monetae in oppido Trajectensi cudendae jus concedit Balderico episcopo, in eleemosynam sui simul et divae memoriae patris Henrici serenissimi regis. *Adaldagus notarius ad vicem Rodberti archicapellani recogn. anno regni quinto* (lego *primo*), *anno inc. Dom. 937* (lego *36*), *ind. 10. Actum Bruggheim curte regia.* Cum Giselbertus affuerit, apparet regem non longo ab ejus ducatu abiisse. Archicancellarius hic nominatur non Moguntinus, sed Trevirensis, quod res ad regnum Lothariense pertineret. Adaldagus anno sequente notarius esse non potuit; cum sub hujus exitum archiepiscopatum jam adeptus, Popponem succes-

A. 968. sorem in aula accepisse videatur. Itaque ex indictione corrigendus est annus Christi.

29. Antequam a rebus Germanicis abeamus, Quedlinburgensia exsequemur. Diemutis, extincto Henrico, vocanti Mechtildi obsequium detrectaverat, sed jussu Ottonis cessit, secutaque est sanctimonialium introductio intra mensem. Regina vidua dotem necessariam constituit ex suis bonis, idque, laudantibus filiis, scripto confirmavit. Ita Ditmarus; haec si extarent, fundationis loco haberi possent. Haud scio, an scripto constituerit Henricus, quod Innocentius II. a. D. 1139. refert, S. Petro eum sub censu annuo librae argenti Quedlinburgensem congregationem oblatam lisse. Vereor, ne id serius placuerit sub Henrico II. et abbatissa Sophia. Quedlinburgense chronicon antiquum, quod Georgius Fabricius habuit, et nos primum edidimus tomo scriptorum secundo, ait, Agapetum papam a. D. 945. congregationi S. Servatii Quedlinburgensi privilegium misisse. Id hodie non extat, et Agapetus anno demum 946. sedere coepit. Dedicationem ecclesiae et primarii altaris S. Petri et S. Stephani a. D. 937. ipsis Kal. Januar. a Bernardo episcopo Halberstadensi factam, scribit Winningstadius. Basilica ipsa honori SS. Dionysii et Servatii praesulum dicata est; de Servatio, a quo passim denominari solita est ipsa congregatio, mox dicemus. Dionysius est, quem Simeon Metaphrastes aliique narrant abscissum caput aliquandiu manibus circumtulisse, viditque sigillum in loco Ketnerus, in quo sancti figura caput manu gestantis, idemque notat, postea et S. Arnulfum patronis accessisse.

30. De prima abbatissa variant scriptores. Albertus Cranzius eumque secutus Georgius Fabricius Adelheidem nominat, sororem Henrici regis, sed nulla hujus abbatissae mentio uspiam alias occurrit. Recepta pene sententia est, Henricum et Mathildem regiae fundationi filiam itidem Mathildem praefecisse. Ita scribunt autor antiquus catalogi fundationum Saxonicarum (sed vereor, ne hic, ut alibi, interpolatus) autor chronici ducum Brunsvicensium Latine scripti (in scriptoribus nostris tom. II.), Henricus de Hervordia, Engelhusius (in eodem tomo), Conradus Bothe autor chronici picturati (tomo III.), Trithemius in chronico Hirsaugiensi, Cranzius in Saxonia. Sed nuspiam veteres autores aut tabulae aliarum Henrici Aucupis filiarum meminere, quam Gerbergae et Hedwigis, quarum illa Giselberto duci Lotharingiorum et postea Ludovico Transmarino regi Galliae, haec Hugoni duci, Capeti regis patri nupta fuit. Praeterea hanc abbatissam series omnis nostrae narrationis ex antiquis contexta haud admittit, et tabulae Ottonis Magni aliaeve non abbatissae, sed virginum tantum vel sororum mentionem faciunt. Credas ex Mechtilde filia Ottonis M. factam Mechtildem filiam Henrici I. Legebant, Mechtildem primam abbatissam fuisse, Aucupem fundatorem, tantumque conventum diu sine abbatissa durare potuisse, non suspicabantur.

31. Ex his verisimillimum crediderim, Diemutem virgines quidem traductas rexisse, sed Quedlinburgensis abbatissae nomen non sumsisse, reverentia reginae, et quod regali congregationi ex regia familia caput destinaretur, etsi Winethusani conventus non plane deserti rectrix ro

nomineque manserit, qui etiam Quedlinburgensi congregationi mox ab Ottone addictus est in tabulis, quas referemus anno sequente. Regina, etsi abbatissae nomen ei non conveniret, matrem tamen egit non hujus tantum, sed et aliorum coenobiorum puellarium, ut Northusani a se maritoque structi, quod regebat Richburgis, fundatorumque vel auctorum a cognatis, quale erat Ringelhemense, quod fratri ejus vel patruo ascribunt, cui praeerat Immehildis, ut de Herivordiensi et Gandeshemensi nihil nunc dicam. A. 936.

32. Sed Quedlinburgensis tutelam peculiarem affectasse et sibi servasse judicari potest, quod ibi tumulatus esset maritus, et ipsa sibi sepulturam destinasset, et crebro adesset, nec desineret vivam Deo hostiam, celebrato exequiarum officio (anniversario, ut opinor) ad expiationem (pro anima mariti scilicet) offerre, ut Luitprandi verba habent. Vivam ille hostiam, in ipsius reginae divino se servitio (quanquam sine velo) addicentis, constante pietatis exercitio collocare videtur. Velum sumere noluit, etsi filii (et potissimum Otto iratus) hoc pene extorquere aliquando conarentur, ut ex biographo apparet. Scilicet volebat sibi voluntariae virtutis laudem manere. Nata deinde Ottoni Mechtilde a. D. 955, ut habet chronicon Quedlinburgense nostrum, tanto magis abbatissae alterius denominatio intermissa est, et praepositae interim vicaria potestate congregationi praefuere, donec tandem puella a. D. 966, viva adhuc avià (biennio post extincta), magna cum solennitate inaugurata est, ut ex chronico vetere Saxonico Mabilio in annalibus annotavit.

33. Extat quaedam narratio de fundationibus monasteriorum Germaniae ab autore incerto Benedictini ordinis confecta, in qua habetur Henricum I. a. D. 919. fundasse regalem abbatiam in Quettelenburg in omni Saxonia praecipuam, et ibi sanctimoniales posuisse, et loco contulisse decem et octo millia mansuum, et thesaurum praegrandem, advocatiam, monetam, telonium et militiam, id est milites vasallos, quos hodie vasallos nobiles appellant. Ibi etiam se sepeliri mandasse, ibique ad latus ejus sepultam esse Machtildem reginam sanctissimam, et in crypta ejusdem monasterii positam. Construxisse et in Quettelenburg monasterium nigrarum monialium ordinis S. Benedicti, dedicata ecclesia in honore B. Virginis. Haec ille. Annum fundationis esse non coeptae, sed agitatae, dicendum est, qui pene coincidit cum primo anno regni. De numero mansuum sit fides penes autorem. Alii (ut Henricus de Hervordia apud Centuriatores) 11 millia habent. Sed initia mediocria putem, majora deinde accessisse, dum regiae virgines summae autoritatis praesunt.

34. Scribitur totam regionem in Nariscis, quae nunc Vogtlandia appellatur seu terra advocatorum, huic coenobio fuisse concessam, et per quatuor advocatos administratam. Et huc pertinere arbitror, quod Otto III. provinciam, quae Gera dicta est (sitam utique in Vogtlandia), Adelheidi abbatissae Quedlinburgensi sorori suae propriam dedit a. D. 999, de quo ibi. Idem jus mercatus concedens a. D. 993. ab oriente in occidentem inter Salam et Ovacrum, et ab austro ad aquilonem inter Unstru-

A. 936. tam et Helmum, Bodamque et paludem ab Oschersleba tunc ad Homburgum tendentem; videtur intra illos limites alii mercatui interdixisse.

35. Benedictinas a collegio illustrissimarum virginum recte distinguit autor narrationis de fundationibus. Addi adhuc possunt canonici in suburbio castelli Quedlinburgensis, quorum meminit Otto II. in praecepto a. D. 964. 6. Kal. Aug. dato, conceditque illis aviae Mechtildis rogatu, ut liberam inter se abbatem seu primicerium eligendi potestatem habeant, ut in caeteris abbatiis regiae dominationi subjectis. *Signum domini Ottonis serenissimi regis. Ludolfus cancellarius ad vicem Wilhelmi archicapellani recognovi. Actum Torneburg.*

36. A Sylvestro papa canonici S. Wicberti appellantur in privilegio, ubi monasteria regali coenobio subjecta recenset. Nempe duo monasteria intra urbem, itemque Winethusanum, ex quo virgines in nobiliorem locum venerant; ac denique Walbeccense virginum regulae S. Benedicti addictarum in tractu Mansfeldico et, ut loquebantur, in pago Suabegau situm, quod Adelheida imperatrix et Mechtildis Quedlinburgensis abbatissa fundarunt circa a. D. 993. Ad clericos autem pertinet, quod Otto M. habet in diplomate extante, Quedlinburgensi congregationi dato, in *quo concedit* sanctimonialibus, quae prius clericis dederat, in eodem loco Domino servientibus, nempe quo clerici sanctimonialium conventui subesse *debebant*. Hoc diploma, ut alia multa, in hoc genere egregia primus protulit Fridericus Ketnerus, vir de rebus Quedlinburgensibus, ubi ecclesias regit, etiam scribendo bene meritus, observavitque ad Sylvestri privilegium, clericos S. Wicberti ab Haymone Halberstadensi episcopo fuisse constitutos. Horum collegium velut consistorium fuisse abbatissae, et seminarium eorum, qui ecclesiis ei subjectis praeficerentur.

37. Servatius fuit Tongrensis (qui hodie Leodiensis) episcopus, et (licet circa tempus non desint difficultates) a. D. 334. die 13. Maji ad Mosae Trajectum obiisse scribitur; ubi deinde celebris abbatia S. Servatii exurrexit. Hinc suspicor, sancti, ut creditur, viri reliquias ab Henrico rege ecclesiae Quedlinburgensi impetratas sive per Rupertum archiepiscopum Trevirensem, reginae fratrem, sive per Giselbertum generum, cui commendata erat abbatia, de quo a. D. 928. dictum est. Dissertationem de vita S. Servatii Godefridus Henschenius tertio Sanctorum Maji tomo inseruit; quomodo reliquias ejus Henricus nondum rex acquisierit, ex biographo Servatii fabulas admiscente dictum est ad a. D. 915. Exemplo primi etiam tertius Henricus ecclesiam, quam Goslariae struxit, sanctis non tantum Simoni et Judae, sed et Servatio inscripsit, et reliquias Trajecto attulit.

38. Postremo adjici operae pretium est, Quedlinburgensem congregationem nunc quoque insigniter florere. Abbatissa dignitatem principis imperii habet, magni electores et principes ditiones integras et opima praedia ab ea feudi lege seu, ut veteres loquebantur, beneficio tenent. Sedem habet in comitiis imperii inter praelatos Rhenenses, *sed ipsa* abbatia inter superioris Saxonum circuli membra habetur. In insigniis duo cultri decussati aureis capulis rubea in area vetus abbatissae *officium*

ferre feruntur, cui culinae praefectura et jus praelibandi concessum A. 936.
set, quoties imperatores (ut saepe factum est) solennes Quedlinburgi
nventus agitabant. Romani pontificis obsequium prima exuit Anna ex
mitum Stolbergicorum familia, quae paulo post mortem Georgii ducis
xoniae Romanarum partium hyperaspistae, quod mente conceperat,
secuta est, applaudentibus populis et principibus vicinis. Praefuit ab-
tiae ab a. D. 1515. ad a. D. 1574.

39. Nunc reliqua anni pertexamus. Rudolfus rex Galliae toto autumno hyemem usque ex morbo decubuisset, tandem sub anni praesentis initia 3. Kal. Feb. decessit, rex non aspernandus, si causa perinde ac fortitu- ne valuisset. Diu cum fortuna et adversis hominum animis colluctatus, ndem vicit, Galliamque in obsequio habuit, sed fructus laborum non gustavit. Filium quem unum habebat praecessisse mortem patris (po- it esse Ludovicus, quem Adelheidis mater Rudolfi nepotem vocat in iplomate, de quo ad a. D. 930. §. 17.) scribit Hugo Flaviniacensis. Ita egni successio in incertum revoluta est.

40. Hugo dux (quem quidam Album aut Magnum vocant) viribus et utoritate proximus throno videbatur, regum duorum, Roberti filius, Odonis x fratre nepos; sed videtur secum reputasse, quanto periculo ea tempe- tate in rerum apice consisteretur. Qui sororio jam cesserat, videtur aluisse facere quam agere regem. Accedebant promissa olim facta delstano de Carolo restituendo, quae nunc in filio ejus Ludovico magis alebant, obstaculo semoto et rege puero in vindicis potestate futuro. delstanus etiam Wilhelmum ducem Normannorum solicitavit, regiae stirpi, ua licuit, fidum. Neque dubitem, Germanicae aulae consilia et autorita- em accessisse, quando Edgiva, pueri regis mater, et Editha, Ottonis I. xor, sorores erant. Quin et vivebat adhuc tertia soror Ethildis ipsi Hugoni upta, nam demum a. D. 938, ea defuncta, Gerbergam, Ottonis regis Ger- naniae sororem, duxit. Nec dubitem, Heribertum, qui sceptrum ipsum on sperabat, aemulo invidisse. Tot vinculis, tot invitamentis, ipsa deni- ue rerum necessitate tractum Hugonem, principem moderati animi, equitati cessisse, credendum est.

41. Itaque proceres Neustriae Senonensem archiepiscopum cum aliis uibusdam insignibus viris in Angliam ad puerum repetendum mittunt. Archiepiscopus timidae matri per obsides et sacramenta de filii salute avet; creditumque sibi depositum prope Bononiam in Gallico litore exponit. Ibi Hugo, Heribertus et Wilhelmus aliique proceres obvii veni- entem cupide exceperunt, statimque fide data regem agnoverunt. Inde ad Laudunum montem ductus, ibique praesentibus viginti et amplius epi- scopis ab Artaldo Remensi 13. Kal. Jul. unctus est. Labbeus regnum ejus a die 19. vel 20. Junii computat.

42. Initio summum ejus cancellarium egit Hericus Lingonensium episcopus, postea Artaldo data est autoritas archicapellani, ut ex tabulis constat. Historici Ludovicum Transmarinum appellavere. Ex eo regnum ejus computatur, quidam tamen trans Ligerim post Rudolfum agnitum non statim in Ludovicum consensere, et reperta est scriptura in chartulario

A. 936. monasterii Arulensis, quae ita desinit: *Facta ista scriptura 4. Id. Decem. anno secundo, quo obiit Radulfus rex Christo regnante*, (Francia) *regem expectante*. Apud Tolosates tamen nulla fuit recipiendi mora. Catelius enim donationem illic factam refert *a. D. 936. primo anno Ludovico regis sedem regni ejus gubernante*. Ita fundatio monasterii Themeriensis a Pontio marchione (qui et Ragemundus) et uxore ejus Garsinde in honorem S. Pontii facta.

43. Aimoinus, autor librorum de miraculis S. Benedicti, Ludovicum nonnisi speciem regnantis habuisse scribit, nec mirum, cum puer esset. Hugo eum commodius circumducebat, quam olim Carolum Heribertus. Partem Burgundiae, defuncto Rudolfo, ad se pertinere dictitabat, an ut feudum ex novi regis concessione? Et cum alius Hugo, *defuncti regis* frater, quem quidam Nigrum appellant, Lingonum urbem occupasset, in regni hoc injuriam interpretatus cum rege adest, praesid*iarios expellit*, Giselbertum Manassis filium, Hugonis Nigri amicum et, ut Quercetanus suspicatur, sororium, persequitur. Manassem et fratrem ejus *Giselbertum* memoravimus ad a. D. 919. Res eo deducta est, ut duo Hugones Burgundiam inter se partirentur. Niger post a. D. 947. decessit, liberis nullis relictis, Giselberto se successorem ferente; cui se Hugo, regis autoritatem circumferens, opponebat. Tandem res composita est, cum Giselbertus mascula prole careret, filia ejus filio Hugonis Odoni nupta, qui tandem totam hanc Burgundiam obtinuit, quam ducalem nunc appellamus. Haec Quercetanum secuti paucis comprehendere voluimus, ne ambiguus eventuum lector suspenderetur.

ANNO CHRISTI 937.

Hungari in Germaniam et Galliam. Monasteria cremata. — Hungari in Italiam. Status militiae hujus temporis. — Otto confirmat libertatem ecclesiae Hamburgensi. — Eidem quaedam in proprium concedit. — Invidia in Saxones. — Everhardus Francus turbat. Canis portandi poena. — Everhardus et Henricus regum fratres collisi ob vasallos. Ministeriales. Subfeuda. — Magdeburgensis abbatiae fundatio. — Idem, et census inde regi. — Reliquiae ibi ex Burgundia. Primus abbas. — Bona, quae postea Goslariae collata. — Hildebertus archiepiscopus Moguntinus obit. Successor Fridericus quis? — Arnulfus dux Bavariae obit. Cur dictus Malus. Fabula a daemone raptum. — Uxoris Gerbergae familia quae? Liberi. Everhardus primogenitus ducatum usurpat. — Leo papa scribit ad Everhardum hunc et ad Gerardum Passaviensem. — Respondet ad quaestiones Gerardi, ubi de gradibus prohibitis, de conjugio clericorum. Princeps secularis papae vicarius. — Ludovicus Transmarinus cum Hugone et Heriberto collisus. Duces Aquitaniae. — Rudolfus rex Burgundiae Guelfigena obit. Ejus familia et liberi. — Successor Conradus sub tutela regis Germaniae. — Ottonis diploma Quedlinburgense. Advocatus loci. — Difficultas chronologica. Adaldagus cancellarius. *Saltowa ubi?* — Lodo, genus impositionis.

1. Hoc anno (qui primus Ottonis) Hungari a Saxonia *absterriti*, impetum alio vertunt. Ingens expeditio fuit, quae Germaniam, Galliam Italiamque turbavit. Ejus in fine operis meminit Witikindus *historicus*, et huic anno ascribit. Cum Bajoariam, Allemanniam et Franciam orientalem irrupissent, monasteriaque S. Galli et S. Bonifacii cremassent, per

Hassiam in occidentalem regionem (quae vulgo Westfalia) penetrare conati sunt, sed objiciente se cum copiis Ottone recesserunt. Venisse ait Witikindus, ut virtutem probarent novi regis. Inde ad Rhenum reversi, transmisso Wormatiae fluvio, Alsatiam, regnum Lotharii et adjacentes usque ad maritima Gallias vastant. Nono Kal. April. monasterium Senonensis civitatis, quod S. Petri vivi dicitur, incendisse, habet chronicon loci. Idem accidit monasterio Besuensi prope Lingones. Tunc et Trenorchium cum monasterio conflagravit. Eadem passum est monasterium S. Basoli prope Remos, et Saviniacense agri Lugdunensis. Itaque passim in fastis monasteriorum hic annus nigro lapillo signatur. In Bituricas usque barbari penetrarunt, nam Aquitaniae quoque vastatae scriptores meminere. Witikindus ait, usque ad oceanum pervenisse, inde per Italiam domum redisse. Unde intelligimus, Henrici victoria magis fuisse irritatos, quam fractos, Ottonique domiti hostis tam formidabilis laudem servatam. Caeterum Mabilioni hoc anno monasteria Fuldense et S. Galli non ab Hungaris, sed casu aut negligentia cremata videntur. Citat in eam rem Ekkihardum juniorem. A. 937.

2. De Italia Sigonius, *indictione decima*, inquit, *Hungari cum magnis popularium copiis in Campaniam procurrerunt, inde Capuanum et Beneventanum agrum populati, Sarnum usque et Nolam et Liburiam penetrarunt, direptisque ac vastatis late locis obviis omnibus, iterum se Capuam retulerunt; diebusque duodecim in campo Galliano* [Baronius legit *Garilianum*] *morati, multos ex hominibus Casinatibus abduxerunt captivos, qui post, magna sacri thesauri parte erogata, redemti sunt.* Leo Ostiensis impensa lytro sacra ornamenta recenset et byzantiis aestimat. Ibi quaedam rerum nomina non intelliguntur. Ea inde victoria elati, in Marsorum agrum se effuderunt, atque omnia direptionibus et incendiis miscuerunt. Demum Marsi et Peligni in unum convenientes, eos adorti sunt et in dispositas insidias attractos omnes fere trucidarunt. Praeda ingens relata. Sed hoc de parte hostium capiendum est, nam reliqui ex citeriore Italia per Noricos montes in patriam redierunt, magno opprobrio christianae Europae, quae tantum a militari virtute descivisset. Sed tunc mercenarius miles non erat, coloni erant servi et inermes, arma soli ingenui agrorum domini tractabant, plerique (exceptis ex Henrici instituto Saxonibus) parum exercitati in armis. Itaque, nisi magno numero conglobati, hostis aspectum aegre ferebant. Inde tantae a Normannis et Hungaris acceptae clades.

3. Otto Hungaros arcens, in Westfalia agebat. Ibi usque in aestatem haesit, nam in Werla Adaldago archiepiscopo Hamburgensis ecclesiae libertates et privilegia confirmavit: *In nomine s. et ind. Trin. Otto d. f. cl. rex ... ad honorem S. Dei genetricis Mariae, cui locus iste Hammaburg est consecratus, eidem loco concedimus omnes concessiones, quas concesserunt anteriores Francorum reges caeterisque monasteriis ad hanc dioecesin pertinentibus, id est Ramaslahun, Bremun, Bircsinum, Bukinum; videlicet, ut nullus judex publicus vel quaelibet judiciaria potestas aliquam sibi vindicet potestatem, in supradictorum hominibus monasteriorum, litis

A. 937. *videlicet et colonis, vel eos aliquis capitis banno ob capitis furtum, vel quocunque banno constringat, vel aliquam justitiam facere cogat, nisi advocatus archiepiscopi, quamdiu eos corrigere valuerit. Quodsi quispiam illorum incorrigibilis extiterit, ut ab eo corrigi non valuerit, tunc ab advocato isdem praesentetur judiciariae potestati. Caeteri vero sub ditione episcopi permaneant. Si vero aliquis ex libertis* [l. *liberis*]. *voluerit japundling vel litus fieri aut etiam colonus, de consensu haeredum suorum non prohibeatur a qualibet potestate, sed habeat licentiam nostra autoritate. Habeat quoque potestatem praedictus Adalday* [S. Hammaburgensis ecclesiae venerabilis episcopus].... *Super libertos* [liberos] *et jamundlingos monasteriorum praedictorum, in expeditione sive ad palatium regis. Signum domni Ottonis invictissimi regis. Poppo cancellarius ad vicem Fridori archicapellani recognovi. Data 2. Kal. Jul. a. D. 937, ind. 10, anno regni Ottonis piissimi regis primo. Actum Werlaha in Dei nomine. Amen.*

4. Inde rex rediens ad Ostfalos, in Walahusa Thuringiae oppido, *interventu carae conjugis suae Edgidae et Thietarii fidelis sui* [Thietmari credo, in cujus comitatu mox Magdeburgum situm dicetur] *in proprium dat ecclesiae Hammaburgensi, quicquid ipse in Bremun, Birsina, Ramasla, Buckin habuit proprietatis. 7. Id. Aug. indict. 10, a. d. inc. 937, anno autem Ottone regnante rege secundo.* Bremensis episcopatus nunc Hamburgensi episcopatui coaluerat, caetera quoque loca hic nominata non ignorantur. Rex deinde Quedlinburgum venit, ibique Idibus Septembris novae congregationis res ordinavit, uti commemorabimus sub exitum anni, ne narrationis series interrumpatur. Inde Magdeburgum perrexit, ubi ipse novam fundationem moliebatur.

5. Ottonem hoc anno bellum Boleslao Bohemorum duci intulisse, plerique scribunt, quod fratrem Wenceslaum occidisset et fideles regi Bohemos vexaret: et Witikindus rem ita narrat, quasi statim post Ottonis inaugurationem gesta fuisset; sed Christanno, Boleslai ipsius filio, magis confido, cujus ex libello Wenceslai caedem in a. D. 939. differendam apparet. Et diplomata talem expeditionem haud patiuntur. Illud ex continuatore Reginonis probo, jacta hoc anno semina civilis belli, cum externa cessassent. Saxones regno ad se translato et jam confirmato insolescebant. Henricus iis plurimum indulserat, sed prudentia tamen sua et opinione virtutis omnes in officio continebat. Novi regis nondum ea autoritas erat.

6. Itaque Bruningus quidam in Saxonia Angarica Hassis vicinus, ut nunc loquimur, Everhardum Francorum ducem offenderat. Videtur aliquid ejus beneficio vel vasallagio tenuisse et mox dominum non satis agnovisse. Everhardus indignatus, oppidum ejus, cui Elmeri nomen, vi capit et incolis interfectis incendit. Id rex, ut par erat, graviter tulit. Everhardum in centum talenta condemnat, adjutores primarios ad Magadaburgum canem singulos ferre cogit. Eo olim dedecore nobiles viri castigabantur, ministeriales sellam, rustici aratri rotam de comitatu in proximum comitatum ferre jubebantur, quod docet nos Otto episcopus Frisingensis exemplo

lato, de quo et Dodechinus ad a. D. 1155. Extat de cynophoria Johannis A. 937.
enrici Meibomii dissertatio peculiaris. Rex eo pudore admonitos ac cae-
ra benigne habitos atque etiam donatos dimisit: at illis dolor altius
esit, et Everhardi popularitate in nova facinora stimulabantur, qui etiam
on paucos Saxones liberalitate sua alliciebat. Ubi Elmeri oppidum situm
t, haud constat. Ita legit Ursbergensis, et sic quoque habet editio
Vitikindi Reinecciana, et conspirant codices antiqui, Dresdensis et Casi-
ensis; Meibomius edidit Elveri, et suspicatur intelligi Hilvershusam, quo
omine vel cognato monasterium in ripa Visurgis, sed ibidem et Elmers-
usam agnoscit; nec situs abhorret, nam Hassia vicina est, in qua pluri-
um poterat Everhardus.

7. Bruningum Henricus frater regis in clientela habuisse et pro-
xisse videtur. Nam continuator Reginonis prodidit, ob ortas inimicitias
iter wasallos (hac voce utitur) cum Everhardo nunc collisum. Roswita
ac ipsa de re loquens, nexum hunc jus vernulitatis appellat, id est ser-
itutis, nam servi domi nascentes vernae veteribus dicebantur. Itaque
ic designantur, quos posteri ministeriales appellavere et liberis oppo-
nere, quae distinctio postremis temporibus ita turbata est, ut nunc utrique
obiles appellentur, quod olim apud Germanos non erat, nisi liberorum
t procerum nomen, qui nullis servitiis obnoxii habebantur. Sed post-
uam proceres vasallagia non dedignari coepere, paulatim et ministeriales
d liberorum dignitatem aspiravere. Ottonianis autem temporibus et magis
dhuc postea plerique minores se majoribus subdidere, et paulatim jus fieri
oepit, ut qui praedia a rege obtinebant in provinciis, intermedio duce aut
rincipe ad eum referrentur, tanquam subvasalli regis, vasalli principis.

8. Rex Magdeburgi haerens, locum amare et excolere coepit, con-
ugis praesertim instinctu, cui dotalis erat; pars autem culturae maxima
rat fundatio ecclesiarum. Itaque ipse fere sic loquitur in tabulis: *Deme-
endis patrocinüs S. Petri principis apostolorum sanctorumque martyrum
Mauritii et Innocentii, ecclesiam struere studuimus et ad usum congrega-
ionis, illic iis servientis, ob memoriam patris nostri et pro remedio animae
psius venerandaeque matris nostrae nostrique et conjugis nostrae, cujus
et praedictus locus dos fuit, et prolis nostrae omniumque debitorum no-
strorum* [id est omnium, quibus hoc debemus], *nec non et Rudolfi regis*
[Burgundiae Transjuranae], *qui nobis sanctum transmisit Innocentium* [ex
egione Thebaea, quae in ejus regno passa fertur], *suadentibus nobis epi-
scopis, qui tunc in praesentia erant, Friderico* [Moguntino, nam Hildebertus
nuper decesserat] *et Adaldago* [Hammaburgensi] *archiepiscopis; Balderico*
[Trajectensi], *Thiethardo* [Hildeshemensi], *Ebergiso* [Mindensi], *Amalrico*
[Spirensi], *Odalrico* [Augustano], *Burcardo* [Wirziburgensi], *Bernardo*
[Halberstadensi], *Amalungo* [Verdensi] *episcopis; res nostrae proprieta-
tis, quae subnotantur, in proprium damus: in pago Northuringia in comi-
tatu Thietmari in Magdeburg curtem nostram cum aedificio et territorium
illuc pertinens cum omnibus locis ex occidentali parte Albiae fluminis, ad
eandem civitatem pertinentibus vel servientibus, cujuscunque sint beneficia,
et* [post nominatas villas complures] *quatuor hubas in Valedorp, et quic-*

A. 937. *quid ad praefatum locum pertinens habuimus ex aquilonari parte Hera fluminis* [loca nominantur], *et in comitatu Geronis in Bigera tres familias litonum, et in comitatu Christiani in Grimhecesleba 15 familias Slavorum et omnis census ac venationis acquisitionisque decimam in Mortsani et Ligrize et Heveldum* [non haec villarum nomina, sed tractuum] *in usu lignorum et herbae et saginationis porcorum. Neque illa congregatio nisi Deo et sanctis serviat, tantumque singulis annis unum caballum, scutum et lanceam vel duas crusinas dent, ut sciant in mundiburdio regis se esse. Data 11. Kal. Octob. a. d. inc. 937, ind. 11, anno vero Ottonis piissimi regis 2. Actum in civitate Magdeburg.*

9. Alias tabulas paulo post dedit, eodem initio tenore* usque ad S. Innocentii mentionem; deinde subjicitur: *Telonium omne, quod in Magdeburg constitutum est vel constituetur, in proprium damus eidem congregationi, concedimusque, ut familia illorum coram nullo, nisi advocato eorum, justiciam secularem cogantur agere. Data 5. Kal. Octob. a. d. inc. 937, anno regni Ottonis piissimi 2.* Et mox dedit adhuc alias literas, ibi: *Damus in pago Norturingia in comitatu Christiani in Gemersleve 12 familias colonorum et in Wolmersleve 63 familias inter servos et litos. Damus in eodem pago in comitatu Ditmari duodecim familias Slavorum, in villa Buchow, et* [post alia loca nominata] *in pago Unimoti in comitatu Wigmari* [an Wigmanni] *Urtaka et Ottingha; et decimam in eisdem locis ab Adaldago nobis archiepiscopo datam* [unde verisimile est, ex his locis ortum], *et omnis census et venundationis* [supra venationis, quod malim] *et acquisitionis decimam, quae nobis in Murtsani et Ligziz et Heveldun debent* [malim *debentur*: Heveldun est regio ad Havelam, reliqua bina loca supra paulo aliter efferuntur]. Caetera ut supra: *tantum regi unum caballum et scutum et lanceam, vel duas crusinas dent, ut sciant in mundiburdio regis se esse. Dat. 5. Id. Octob.* anno ut supra. *Actum in Toremburg: signum dom. Ottonis invictissimi regis. Poppo cancellarius ad vicem Friderici recogn.* Crusina, Germanis „Crause", colli erat tegumentum, plerumque apud magnates pretiosis pellibus suffertum. In chartulario nostro Magdeburgensi sequentem majoris momenti donationem reperio ad haec tempora referendam, etsi notae chronicae desint. *In n. s. et i. T. Otto d. f. cl. rex .... pro amore Dei, ad monasterium, quod in honore S. Petri apostolorum principis et SS. Christi martyrum Mauricii et Innocentii in loco, qui dicitur Magdeburg, construximus, has proprietatis nostrae res, videlicet quicquid in his quatuor locis ad praefatum castellum ibidem ad Magdeburg pertinens habemus, Hardestorp, Otteresleve, Suldorp, Immunadurga* [Magna Weddinge], *in reliquis vero villis infra scriptis Lioboldesdorp* [Leverstorp], *Widrichesdorp, Trumsici, Mendeslewe, Michamdorp, Winithesscondorp* [Wtnischiesconburg], *Frosa, Pridelisti* [Predeliz], *Rodaldesdorp* [Rottersdorf], *Lumidesdorp* [Lemesdorp], *Wedingi, Glinde, Lustatesdorp, Plochanisti, Thieteresdorp. Signum domni Ottonis serenissimi regis. Poppo cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recogn.*

*) initio et tenore *corr. Eckhardus.*

10. Audire hic e re erit chronographum Saxonem, quem in lucem A. 937.
edidimus, Magdeburgensis, ut arbitror, ecclesiae alumnum, etsi in eo
errantem, quod rem in annum sequentem distulit. Sic ergo fere ille:
ex instinctu piae conjugis, cum restitante Bernardo Halberstadensi praesule, tunc episcopatum non posset, abbatiam regalem intra urbem Magdeburgensem fundavit in honore B. Petri apostolorum principis ac Mauritii egregii Thebaeorum ducis, dignique ejus contubernalis Innocentii militis, cujus corpus ex Burgundia Rudolfus regium munus, cum maxima parte corporis S. Mauritii et quorundam sociorum ejus plurimisque apostolorum, martyrum, confessorum reliquiis transmiserat; illata urbi 11. Kal. Octob. Abbatiae rex Annonem virum insignem ex coenobio S. Maximini Treviris evocatum praefecit, traductis cum eo et aliis fratribus, qui ceteros monasticae disciplinae exemplis imbuerent. Anno cum locum annis non paucis rexisset, tandem Wormatiensem infulam accepit, successitque Othwinus, de quo ad a. D. 950.

11. Rex Magdeburgo digressus, cum 5. Id. Octob. in Torenburg egisset, mox 12. Kal. Nov. ind. 11. in palatio Alstetensi apud Thuringos, rogatu Friderici cujusdam fidelis sui, matri ejus Biae dedit, quae propria habebat *in villa Geresleva in pago Suavia* [Halberstadensis districtus] *in comitatu Christiani* [de quo et paulo ante]. *Poppo cancellarius ad vicem Friderici recogn.* Credibile est, Biam haec alicui ecclesiae destinasse. Villam ipsam Jerslebam deinde Henricus III. a. D. 1049. monasterio S. Simonis et Judae Goslariae a se fundato contulit. Mox Friderici ejusdem fidelis sui filiis, Folcmaro et Ricberto, Otto rex villas quatuor in comitatu Christiani in pago Serimundland dedit a. D. 945, unde quaedam deinde ad idem Goslariense monasterium devenisse, annotatum est.

12. Hildeberti Moguntini praesulis obitum Reginonis continuator et Marianus in annum praecedentem retulere. Sed Lambertus in sequentem, quem nollem Mabilio secutus fuisset in annalibus; nos in praesentem, auctoritate fastorum nostrorum, in quo ita legimus: *Hildebraht archiepiscopus 2. Kal. Junii;* nec ultra mors ejus differri potest, nam successor in diplomatibus hujus anni memoratur. Ditmarus exitum ejus in annum Ottonis secundum refert, quasi uno alterove mense serius obisset. Suffectus est Fridericus, ex Fuldensi et ipse monasterio. Hunc quidam fratrem faciunt Giselberti ducis apud Mabilionem, qui saltem propinquum; Moguntinus codex apud Serrarium filium Giselberti ex Gerberga sorore Ottonis. Idem scribit Engelhusius in chronico; sed hoc merito rejicit Serrarius. Ego nec propinquitatis vestigium reperio, partibus innexum agnosco, sed eaedem et Everhardi fuere, quem cognatione aliqua attigisse malim. Crusius fratrem conjicit. Latuit aliquando in Brisiaco castro, ut credibile sit, ex illa regione ortum.

13. Post archiepiscopum obiit dux Bajoariorum Arnolfus, ex serie eorundem fastorum pridie Idus Julii, secundum Aventinum die S. Margaretae. Cosmas Pragensis regem vocat Bavariae, credo, ut Bohemiae duces a suis reges appellabantur. Ditmarus episcopus praeclarum ait mentis et corporis dotibus. Contra a suae regionis scriptoribus, praesertim

A. 937. sacris, Mali cognomen tulit, quod ecclesiarum res pro arbitrio agert, ferret et in proceres partiretur. In quo modum excessisse creditur Ottonis Frisingensis episcopi judicio, quod non temere spernas. Tegernseensi monasterio pleraque detraxit. Itaque a Metello loci poeta tyrannus appellatur. Berno, vitae S. Udalrici scriptor, fabulae tragicae viam aperuit. Fingunt, denuntiatam ei mortem ab Udalrico Augustano episcopo, nisi resipisceret, spernenti a cacodaemone palam spectabili fractam cervicem, corpus raptatum projectumque in arundinetum Schirensi monasterio proximum, animam stygiis paludibus mersam, quae ridet Aventinus conficta, ut ait, ab hominibus, qui pietatem in quaestum vertant, se coeli aedituos ferant. Ipse Brunnerus explodit nugas, in ipsa olim Monachiensi arce pictura auteratas, quam Bruschius vidit. Ratisbonae apud S. Emmeranum sepultus est. Epitaphium tale (sed posterius haud dubie) Metellus memorat:

Vivus pollebam, faciens quaecunque volebam;
Annihilor sub humo, sic perit omnis homo.

14. Uxoris Gerbergae non satis explorata gens est. Male Crusius Henrici regis filiam dixit, quam Giselberto Lotharingo, deinde regi Ludovico Transmarino nuptam constat. Aventinus ex Rudolfo Guelfo fratre S. Conradi natam facit, quod non convenit cum monacho Wingartensi, quem tamen falsum puto. Blondellus nescio quibus argumentis Rudolfo patruo Conradi regis natam putat, quem episcopum Wirzeburgensem fuisse constat. Antea maritum fuisse, nemo veterum, quod sciam, dixit. Adlzreiterus vult binas Gerbergas Arnulfo nuptas fuisse. Ego hic Aventini autoritatem non sperno. Filios invenio apud veteres Eberhardum, Arnolfum, Hermannum, filiam Juditham vel Juttam, quam constat Henrico Ottonis regis fratri deinde nupsisse. In vita S. Udalrici habetur, Burcardum II. Allemanniae ducem habuisse uxorem filiam materterae Henrici episcopi Augustani, qui Udalrico successit. Uxor autem Burcardi fuit Jutta, filia Henrici ducis. Itaque Arnulfi ducis uxor et mater Henrici episcopi, conjux Burcardi comitis, sorores fuerint. Nam de priore uxore Burcardi, quae Udalrici episcopi soror fuit, biographum non loqui, manifestum est. Fratres juvenes a rege evocati, in comitatum venire contempserunt. Quod ipsis deinde male vertit. Everhardus se, non expectata principis summi autoritate, Bajoariorum ducem statim tulit, et videtur provinciales pronos habuisse: quorum secutus est sententiam Leo pontifex Romanus in epistola ad episcopos his verbis: *Eberhardo duci Bavariorum nostra autoritate injungimus, ut Gerardo archiepiscopo* [nempe Laureacensi] *in omnibus auxilium praestet.* Sed judicium ejus rex moratus non est.

15. Leonem scilicet adierat Gerardus Patavinus praesul, ut archiepiscopatus Laureacensis autoritatem suae sedi assereret, nec successu caruit, non tamen dignitas Juvaviensi detracta est, ut quidam interpretati sunt. Sed cuique metropolitae jus mansit. Provinciam inter eos partitus est mox Agapetus II, de quo infra. Nunc Leo ad Gerardum epistolam misit cum pallio, quo in solennitatibus festisque uteretur, quemadmodum

Gregorio II. opinor constitutum fusius explicat, simul hortatur, ut mobus vestem ornet. Eidem epistolam dedit, cujus inscriptio est: *Leo episcopus, servus servorum Dei, regibus, ducibus, episcopis, abbatibus, gilolpho Juvaviensi, Isingrimo Ratisbonensi, Lantberto Frisingensi, Visundo Sebonensi et caeteris per Galliam, Germaniam, Bawariam, Allemanniam commorantibus.* Sed ad Bawariam potissimum scriptio pertinebat. Ait Gerardum Laureacensem archiepiscopum, cum orationis causa ad limina apostolorum venisset, multa in provincia contra decreta majorum agi questum, consilium a se opemque petisse. A. 937.

16. Quaestiones fuere non magni momenti, veluti quid agendum in maleficos, auguratores, incantatores? Hos respondet legibus exterminari, sed ab episcopis ad poenitentiam vocandos, ut vivant. Circa ritus praescribit ad exemplum Romanae ecclesiae solennia verba „gloria in excelsis Deo" et „pax vobis" pronuntiari in praecipuis festivitatibus et sanctorum natalitiis. At „pax vobiscum" in diebus quadragesimis et in quatuor temporibus et vigiliis sanctorum et reliquis jejuniorum diebus. Dominicam orationem in benedictione ciborum usurpari haud probat; vetat matrimonium cum filia aut matre spirituali, chorepiscopis facultatem negat presbyteros ordinandi, chrisma consignandi, manus imponendi. Si vir et mulier tertio vel quarto consanguinitatis gradu conjuncti, sed nescii, conjugio copulentur, haud contentus est poenitentia et expiatione, sed conjugium nefarium censet ac dirimendum. *Consobrinam*, inquit, *novercam, neptem, fratris uxorem, nurum vel mulierem de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nemo sibi copulare audeat; si secus faxit, anathemate se perculsum sciat; communione careat, et post separationem haud eo minus poenitentiae disciplinam subeat.* Quaesitum erat, si sacerdos publice uxorem ducat, an filii ad sacros ordines promoveri possent. Tale conjugium pontifex lamentabile et lugendum scelus appellat. Omnem sacram scripturam (si credimus) contradicere, sanctum Nicaenum concilium nec cohabitationem sacerdotum cum mulieribus ferre; quanto minus conjugium. Mirum est, paratragoedianti orientalis ecclesiae in mentem non venisse, et quod suspecta cum soluta commoratio vetita est, id ad legitimum thorum haud pertinere. Filium tamen iniquitatem patris portare non debere, respondit. Aventinus, sive aliunde comperta proferens, sive, quod malo, laxius accipiens verba Leonis, vult, hunc duci Bavariae vices suas commisisse. Forte ut postea monarchiam Siciliae sacram introductam ferunt, rege facto pontificis vicario, quae res nunc quoque dat turbas. Simile aliquid Clivenses principes quasi concessione pontificum Romanorum sibi vindicarunt, de quo jurisconsultus egregius in dissertatione de jure non episcopali tantum, sed etiam papali principum protestantium scripsit. Aventinus vapulat Brunnero caeterisque, et fateor esse aliquando in comminiscendis, quae non invenit, aut interpretatione producendis audaciorem. Denique jam retulimus, quae de Eberhardo duce subjungit pontifex, ut Gerardum adjuvet.

17. Germanis procerum contumacia jam dudum rarior erat, nec diuturna, apud Gallos in morem ierat. Ludovicus rex instinctu principum,

A. 937. quibus autoritas Hugonis nimia videbatur, tutela ejus exit, matrem ex Anglia ad se vocat. Ebolo Pictavorum et post Acfridi obitum etiam Arvernorum principi Lemovicenses addit, ut Aquitaniam fidam haberet. Ita Ebolus demum dux Aquitaniae factus censetur, nec diu supervixit, et potestatem omnem in filium Guilielmum transmisit, qui vulgo Caput stupae cognominatur. Rex in Burgundia nondum satis agnoscebatur. Habet Perardus in Burgundicis documentis donationem Lampagiae matronae in usus ecclesiae S. Benigni Divionensis, factam *in monasterio S. Benigni, anno qui scribitur secundus post obitum Rudolfi regis, Hugone principatum tenente*, nempe Rudolfi fratre; ita omittuntur anni regis, quasi nullus esset. Sed et prior Hugo, Roberti regis filius, cum Heriberto Veromanduo tunc reconciliatus est, ut in regem opes factionemque compararet. Heribertus castellum Theoderici sibi subjicit, connivente jam Hugone, Walonem, qui aperuerat, mox ut suspectum in vincula conjicit. Hugo tamen nondum erupit in regem, quin potius medium se tenens, id egit, ut Heribertus in ejus fidem veniret, quod factum utcunque est anno sequente.

18. Vergente anno (quemadmodum ex Frodoardo et fastis nostris intelligitur) Rudolfus Guelfigena, secundus rex Burgundiae Transjuranae sive, ut Frodoardus habet, Galliae Cisalpinae (ego Subalpinam dicere mallem), de vitae statione decessit, postquam cum Hugone rege Italiae pacem fecerat. Is Arelatensis regni spem in ipsum transtulit, cum anno superiore post regis sui mortem Galli rursus Vienna excidissent. Tumulatus est Agauni in ecclesia S. Mauritio Thebaeorum duci dicata. Pater ei Rudolfus regni fundator fuit, mater Willa, soror Waldrada, Bonifacio marchioni Camerinorum et Spoletinorum nupta, quae plurimum momenti attulit ad acquirendum fratri Italicum regnum, si tenere potuisset. Coriarius aliam addit sororem Annam, Bertoldo Brisgaviae comiti nuptam, an Zeringensium progenitori? Uxorem duxit Bertam, Burcardi Allemanniae ducis filiam, priore conjuge nescio quo pretextu repudiata. Liberi (praeter Conradum successorem et Adelaidem filiam, primum Lothario Italiae regi, deinde Ottoni Magno nupturam) nominantur Rudolfus dux posthumus, Nicolao Vignierio commemorante, atque etiam in Habspurgicis Guillimanno, Burcardus archiepiscopus (inter Viennensem, Lugdunensem an Vesontinum ambigit, qui habet, Guillimannus; ego Lugdunensem praefero ex dicendis). Liberos ex se natos Conradum regem, Rudolfum ducem, Burcardum episcopum, Adelaidem ipsa memorat Berta in literis post conjugis obitum monasterio Paterniaci datis, quae in bibliotheca Sebusiana a Guichenonio producuntur. Quidam rerum Provinciae scriptores Bosonem addunt comitem Arelatensem, cujus apud Luitprandum mentio, qui Bertam ex fratre Hugonis regis Bosone natam in matrimonio habuit, sed cum Berta haec, Hugone decedente, vidua fuerit, maritum habere non potuit Conradi pueri fratrem natu minorem: nisi Bosonem ex priore Rudolfi regis conjuge repudiata natum eoque exclusum regno dicamus. Quercetanus in Burgundicis aliquid de Bosone Rudolfi filio sibi ex bonis autoribus compertum negat, Rupertum archiepiscopum Trevirensem liberis Rudolfi accenset, quod suo loco refutavimus.

19. Filium impuberem Conradum a patre tutelae Ottonis regis com- A. 937.
mendatum putem, nam et cum Henrico et cum ipso amicitiam coluisse
scimus. Accessitque beneficiarii juris nexus, quo Transjuranus rex Germanico obligabatur, de quo dictum est ad a. D. 929; unde sibi Otto attribuisse videtur tutoris autoritatem. Coriarius putat, ab Ottone allectum puerum per annos quatuordecim in ejus aula velut honesta in custodia fuisse felici captivitate, nam cura tanti principis paternum regnum salvum habuisse et belli pacisque artes dedicisse. Ego voluntate suorum Ottoni traditum malim, praesertim ex quo mater in Hugonis regis aemuli, soror in filii ejus Lotharii manus convenit. Frodoardus Ottonis curam in pejus accipiens ad a. D. 940. ait, Conradum filium Rudolfi regis Jurensis, quem jam dudum sibi adductum doloque captum retinebat, secum habuisse. Sed adductus utique fuerit voluntate amicorum, credo, ne Hugo Italiae rex puerum in potestatem redigeret; custoditum deinde, ne pravorum suasionibus pateret, quid doli aut mali habet?

20. Supra notavimus, Ottonem regem res novae congregationis Quedlingeburgensis adhuc a patris morte fluctuantes constituisse. Flagitante id matre factum. Bina in eam rem diplomata profert Ketnerus: prius in hunc sensum: *Otto divina fav. clem. rex: congregationem sanctimonialium in Quidilingoburg statuere curavimus, ut ibi laus omnipotentis Dei ejusque electorum in perpetuum colatur. Obtineat conventus urbem Quidilingoburg supra montem constructam, cum curtilibus et cunctis aedificiis et quicquid clericis in eodem loco Domino servientibus prius concessum habuimus, et nonam ex omni conlaboratu ejusdem curtis.* Nominantur deinde varia loca, in quibus res regis congregationi dantur, ex quibus afferemus, quae agnosci facile fuit. *Merselevo* [villam prope Quedlinburgum desertam], *Mulingam* [in Anhaltino], *Waldislevam*, *Westerhusam* [in dioecesi Halderstadensi], *Rederi* [Reider in Anhaltino], *Orehun* [Oringen prope Quedlinburgum ipsum, unde hodie Oringica porta], *Quernbetsi* [lege *Quernbecci*, ante portam Steinbruccensem], *decimam in Boteldа* [cujus situm dedimus, cum de Henrici regis morte ageremus], *et in Ingelheim* [paulum infra Moguntiam] *de vineis carradas decem, ex melle vero situlas majores quadraginta, quae alioqui nostrae majestati debebantur. Similiter monasterium Winethahusen* [Wendehausen, unde Diemuth abbatissa traducta] *in pago Hartagoa in comitatu Thiadmari* [hodie locus est in comitatu Regensteinio, in tractu, qui vallis seu „im thal" appellatur] *curtem Salta in pago Leinga in comitatu Liudgeri* [an ubi hodie Salz-ter-Helden, qui locus prope Leinam] *cum universis ad eandem curtem pertinentibus familiis, curtibus, curtilibus, terris, aquis, et quicquid haereditatis Adred mater Bardonis domino et genitori nostro Henrico regi dedit.* Bardo is videtur esse, cui Conradus rex contra Henricum adhuc ducem Thuringiam regendam destinabat; de quo illic. Subjiciuntur haec notatu digna: *Si aliquis generationis nostrae in Francia et Saxonia regalem possideat sedem, in ejus defensione sit monasterium cum sanctimonialibus. Sin autem alter e populo eligatur rex, ipse quidem in eis suam regalem teneat potestatem; sed nostrae cognationis qui potentissimus*

A. 937. *erit, advocatus loci habeatur. Sanctimoniales habeant abbatissae eligendae liberam ulterius potestatem; nec cuiquam hominum, nisi nobis aut nostri successoribus obtemperabunt, aut cuiquam aliquod servitium impendant. Volumus etiam, ut aliarum sanctimonialium potestate privilegiisque fruantur* etc. *Hanc nostrae concessionis autoritatem manu propria nostri firmavimus annulique nostri impressione sigillari jussimus. Signum domini Ottonis serenissimi regis. Adeltag cancellarius ad vicem Hiltiberti archicapellani recognovi. Data Id. Sept. anno dominicae incarnationis 937 indict. 9, anno vero domini Ottonis invictissimi regis 1. Actum in Quidilingoburg. In D. n. f. A.*

21. Hae notae temporis locique multiplici difficultate laborant, itaque originales literas inspici operae pretium foret. Annus sane primus Ottonis in indictionem vel nonam vel decimam cadit, sed Idus Septembris a. D. 937. non consentiunt, tunc enim jam coeperat secundus Ottonis indictioque undecima; praeterea Hildebertus Moguntinus vita functus erat, Adaldagus jam archiepiscopus cancellarium amplius non agebat. Porro si tempora corrigas, et anno superiore rem actam putes, locum tueri non licet, neque enim rex post coronationem ante praesentem autumnum in Ostfaliam venit. Quid? si dicamus tabulas ab Adaldago in Westfalia anno vel superiore vergente, vel hoc ineunte coeptas, nunc demum Quidilingaburgi absolutas? Saltowam curtem in pago Loinge (seu Leinga) sitam, Quedlinburgenses a. D. 1069. duci Saxoniae Magno, ditiones in propinquo habenti, certis legibus concessere. Allendorpii vicinia ostendit, locum in Magdeburgico tractu quaeri non debere.

22. Alterum diploma ita habet: *Otto Dei gratia rex, rogatu dilectae ac venerandae dominae matris nostrae Mathildae in Quitilingeburg ad S. Mariae ecclesiam et ad S. Servatiani, et ad nutum sanctimonialium inibi Deo famulantium damus decimum vestimentum, quod lodo dicitur et de Kirchberg et Dornburg solvitur et de locis ad easdem civitates pertinentibus et de proprietate eidem matri nostrae concessa in loco, qui Schmeon dicitur. A. d. inc. 937, ind. 11, Ottonis regis anno 11* [lege 2.] *Actum in Quitilingeburg.* Laudabile est tributi genus, ut fila, telae, vestimenta loco pecuniae intra mensuram tolerabilem imperentur; ita excitatur subditorum industria, neque quisquam nisi de se queri potest. Huslatum, de qua ad a. D. 949, a domo et lodone dictam putem, quod quaeque domus hoc pensum praestaret.

ANNO CHRISTI 938.

Diploma Trajectensi episcopo concessum. — Bavariae dux datus Bertoldus. — Sigefridus primarius inter Saxones regi propinquus. Gero ejus frater. Tancmarus regis frater irritatus. — Comitia ad Stelam. Quaestio, an fratrum filii cum fratribus succedant, duello decisa. — Everhardi Franci, Wigmanni Saxonis motus, an ob invidiam Hermanni fratris. — Henricus ab Eberhardo capitur. — Ob Gebhardi caedem Franci divisi, bono Ottonis. Wigmannus reconciliatur. — Tancmarus capit Eresburgum, ibi occiditur. — Rex Laram recipit. Eberhardus Henricum corrumpit. — Everhardo poenitentiam simulanti ignoscitur. Giselbertus

Lotharingiae ducis ambiguitas. — Eberhardus Bavarus captus. Fratres ejus Schirenses an palatini comites. Episcopus Ratisbonensis. — Hungari in Saxonia apud Stederburgum et in Drömlinga. Hoc bellum superiori sub Henrico Aucupe confusum. — Boleslaus dux Bohemiae obtruncat fratrem S. Wenceslaum. Christannus scriptor. — Horum genealogia. — Dragomira eorum mater improba. — S. Wenceslai gesta. — Bohemia sub Bavaria. Wenceslaus apud Ottonem Ratisbonae. — Insignia Bohemiae. An tam antiqua. De Lecho et Czecho. De Christanno. — Tributum remissum Bohemis. — Insidiae in S. Wenceslaum. — Caedes. — Saevitum in amicos. Arborum miraculum. — Hugo Magnus sororius Ottonis colliditur cum suo rege, ut et Heribertus Veromanduus. — Leonis epistola ad Odonem Cluniacensem de reformatione monasteriorum, de electione partis sanioris. — Ejus epistola ad episcopos, ad Hugonem Magnum. Annus regni regis Galliae in papae epistola. — Albericus patricius reformat monasteria. Plures in hoc nunc occupati. — Lotharius rex Italiae petit Burgundiam. — Trevirenses fundi.


1. Aula initio anni egit in loco Thulehem, ibique a Balderico Tra- **A. 938.**
jectensis ecclesiae Veteris episcopo (id est Outtrecht) oblatas autoritates constitutionum regum antiquorum, Pipini videlicet et Caroli b. m. augusti, nec non Luthowici piissimi caesaris ejusque aequivoci, Zuentibulchi quoque et Conradi, confirmatae sunt, quibus continebatur, quod ad ecclesiam S. Martini et aliorum sanctorum concessissent omnem decimam de mancipiis, terris et teloniis, vel de omni negotio et de omni re, undecunque ad partem regiam pertinente, unde jus fisci censum accipere aut exigere videbatur. Et ut ab hominibus ejusdem ecclesiae, qui sub mundiburdio et tuitione ejusdem ecclesiae consisterent, nec non in ripis Dorestati, Daventriae, Tielae universisque locis aliis in episcopatu consistentibus, nullus bannum vel fredum, nec conjectum, quod ab ipsis „gescot" vocatur, contingeret vel exigeret; et nullus judex publicus vel aliquis ex judiciaria potestate aut procuratores in ecclesias aut loca vel agros seu aliquas possessiones, quas intra ditionem regni tenet memorata ecclesia, vel ea, quibus deinceps jura sancti loci divina pietas voluerit augeri; aut ad causas audiendas aut freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollendos aut homines ipsius ecclesiae tam ingenuos quam et servos injuste distringendos ullasque redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas ingredi audeat. *Signum domini Ottonis invictissimi regis. Poppo cancellarius ad vicem Rodberti archicapellani recognovi. Data quarta Januarii a. D. 938. ind. 11, anno regni Ottonis 2.* [ita enim legendum, non 7.]. *Actum Thulehem.*

2. Otto, intellecta filiorum Arnulphi contumacia, primo vere in Bavariam movit, speraveratque, rebelles mature opprimi posse, antequam potentia eorum coaluisset; itaque, ut erat acer, modicis viribus comparatis expeditionem suscepit. Sed irrito tunc quidem conatu retrocedere coactus est, majore tamen apparatu provecto jam anno rediit, et destinata peregit. Interea ducatum in Bertoldum fratrem Arnulfi contulit. Ita Bajoarios invicem committebat. Revocabatur autem in Franciam, ingravescentibus inter Henricum fratrem et Everhardum turbis; praesertim cum se Tancmarus, alius regis frater ex priore Henrici regis matrimonio, quod irritum legibus sacris habitum fuerat, Everhardo conjunxisset. Rebellioni suae ille hanc causam praetexuit.

A. 938. 3. Defunctus erat Sigefridus comes, primus optimatum Saxoniae et rege secundus, et agens ducis potestate. Hunc Ditmarus comitem Merseburgensem vocat. Successerat enim materterae marito, comiti Erwini sine filiis defuncto, qui maximam partem tenuerat antiquae partis urbis Merseburgensis ad Salam, patri Hatheburgis, ex qua Henrico regi natus erat Tancmarus, cujus adeo matrem filiam materterae Sigefridi Witikindus appellat. Et proinde quod eidem supra Sigefridus gener dictus est Henrici regis, affinem intelligo, uxoris consobrinum *. Nam „gener" interdum his scriptoribus tam perturbatae Latinitatis pro eo sumitur, quem conjugium aliquod propinquum fecit. Sigefridus, absente Ottone, cum hic ad coronam sumendam Aquas processisset, Saxoniam administrarat, et fratrem regis Henricum honoris specie observaverat, ne quid affectatione regni turbaret. Sed anno superiore, ut arbitror, vel hoc certe parum adulto e vivis excesserat. Itaque Tancmarus consobrinae filius ditionem ejus id est praefecturam, sperabat. Sed rex non satis ingenio ejus confisus provinciae curam Geroni dedit, qui ex eo marchionem orientalium egit, et ut hodie loquimur, Misniae ac Lusatiae praefuit. Fratrem Sigefridi fuisse discimus ex chronico Montis Sereni, cujus non est spernenda auctoritas. Inde Tancmaro irae, qui sibi injuriam a rege factam questus, sese Everhardo conjunxit; jam cum Henrico inimicitias exercente et manifeste satis in ipsum regem contumace.

4. Is reversus ex Bajoaria, ut majoribus malis occurreret, generalem populi conventum indixit, compositurus ibi has lites et lege in Arnulfi filios acturus. Accedebat magna juris controversia, tunc forte agitata et certa constitutione dirimenda, de jure repraesentationis in haereditatibus, utrum filii patris vice cum fratribus ejus succederent avo. Conventum est ad villam Stelam. Meibomio esse videtur, quae hodie Steila, e regione Werdenae, imperialis monasterii ad Ruram amnem. Ibi miro genere consultationis pro rationibus arma, pro juris peritis militares viri adhibentur, credo, tanquam re judicio Dei commissa. Albericus gladiatorium judicium vocat. Rex tamen noluit pugnare nobiles viros, credo, quorum intererat, jussitque gladiatoribus rem committi. Vicit pars, quae pro filiis stabat, placuitque aeterna lege, ut aequaliter cum patruis haereditatem cernerent. Cum neque filii Arnolphi, neque Everhardus dux aut Tancmarus comparuissent, crediderim, tunc etiam in refractarios auxilia communi consensu decreta, hostesque judicatos, qui regi et populo obsequia detrectarent.

*) *Margini stemma inscriptum est hoc:*



5. Sed Everhardus haud verbis movebatur: irrita in Noricos expe- A. 938.
litio, occultaque cum Giselberto ipsoque Galliae rege consilia, et parti-
eps moliminum Moguntinus animos dederant. Nec ignorabat, multos esse
er Franciam, qui Saxones dominos dedignarentur, et jam excutiendi jugi
empus venisse putarent. Accedebat ex ipsa Saxonia non Tancmari tan-
um, sed et Wigmanni comitis indignatio, viri potentis et clarissimo genere
ati, et magnanimi bellique gnari, et tantae scientiae, ut a subjectis supra
ominem sapere crederetur. Si Witikindo credimus, apud regem prae-
alere minoris fratris gratiam, aegre ferebat. Is erat Herimannus (qui
ulgo Billingius), cui rex partem copiarum crediderat; Witikindus, prin-
ipem militiae factum ait, quod Wigmannus, qui se omnibus rebus po-
iorem credebat, ad injuriam suam pertinere rebatur. Ego vereor, ne
liam ob causam, et fortasse, ut Tancmarus, ob Geronem praelatum, of-
ensus nunc regi fuerit Wigmannus, quem insurrexisse his temporibus
tiam continuator Reginonis habet. Certe si, ipso referente Witikindo,
Ierimannus in expeditione regis Bohemica demum copias ducere coepit,
uae ante a. D. 950. nulla fuit, non potuit inde causa praeberi Wigmanno
raesentis motus. Sed nec potuit hic simulata infirmitate se subtrahere
egi, Bohemos petenti, si jam obiit a. D. 944. testibus Fuldensibus fastis.
Vitikindus igitur tempora, causas, eventus confudit.

6. Hac rerum facie Eberhardi audacia mox erupit. Itaque soluto
onventu populi, quo magis sprevisse videretur, in iisdem locis consurgit,
ollectaque valida manu de improviso munitionem aggreditur, in qua
Ienricus, quem sibi hostem destinarat, forte morabatur. Continuatori
Reginonis et Witikindo appellatur Badelika, Roswitae Badulinum. Mei-
omius, Westfalus ipse ortu et locorum gnarus, putat Bellickam esse,
uae hodie noscitur infra Rudenam, ad amnem Ruram in comitatu Mar-
ano Westfaliae. Quomodo ad Gandeshemenses pervenerit, dicemus ad
. D. 979. Et hic fuisse apparet curtim Badelicam, quam Henricus II.
ex a Gandeshemensibus permutatione accepit, Daleheimio in pago Am-
rahe ipsis vicissim dato. Oppidum facile captum est, praeda militi data.
Everhardus Henricum captivum sibi sumit, et quasi vile mancipium ab-
ducit. Atque huc pertinere Roswitae narrationem, arbitror. Ait illa, con-
lixisse inter se Henrici Everhardique vasallos, *qui*, inquit, *vel huic vel
lli jus vernulitatis, id est servitia, voverant:* inde dominos in partes
ractos; Everhardum autem collecto milite castellum Badulinum ex im-
roviso nocte aggressum, fratrem regis captivum duxisse, palmas ejus
andidulas, ornamentis aptiores, vinculis cruentis constrinxisse. Denique
um prole herili velut servo egisse; sic enim legendum, non *socio*. Ex
is intelligimus, oppidum simul oppugnatum et captum, obsidionem nul-
am fuisse.

7. Contigisse tunc, Witekindus ait, ut Gebehardus juvenis, Udone
atus Herimanni Allemanniae ducis fratre, a milite Everhardi interficere-
ur. Ita Deo omnia ordinante factum, ut Francorum principes inter se
ollidere ntur. Herimannus et Udo patrueles erant Everhardo; qui si
onjunxissent sese res novas molienti, Francis, Allemannis, Bajoariis,

A. 938. denique Lotharingis consurgentibus, Saxonibus ipsis divisis, quibus opibus Otto, quo consilio restitisset? Itaque res ejus in arcto sitae erant. Nec tamen se deseruit, et milite Saxone a patre in armis exercitato maxime subnixus videtur. Tuebatur sese sententia populi, nuper in comitiis congregati, quam sequebantur, qui participes novorum consiliorum non erant. Itaque vires confluebant. Wigmannus etiam, cum pro prudentia sua Everhardum altiora agitare animadverteret, noluit injuriam, quam sibi factam credebat, in rei publicae perniciem verti. Itaque deprecatione facta, regi facile reconciliatus est, fidusque ei et utilis usque ad exitum vitae permansit. Haec in annum sequentem differre videtur continuator Reginonis, sed, meo judicio, trajectione quadam librarii, verbis loco suo dimotis. Nam rem statim post Tancmari caedem memorat, quae hujus est anni. Verba ita habent: *Hac tempestate in omnibus Saxoniae et Franciae provinciis huc et illuc versabatur Wigman Saxo rebellans; sed reconciliatur.*

8. Tancmarus interea, inescato spoliis milite, longius progressus, Eresburgum, castrum celebre in confinio Angariorum Hassorumque, capit, inde praedas agit, quicquid ubique aegrum ciet, pessimos quosque et turbarum cupidos ad se vocat. Rex, crescente periculo, viribus contractis, malo obviam ire statuit. Tancmarus in Eresburgo obsidetur, cives appropinquanti regi portas aperiunt. Tancmarum in ecclesiam confugientem amici Henrici captivi, injuria domini efferati, persequuntur. Thietboldus nothus Cobbonis ei vulnus infligit recipitque, unde mox in furorem actus obit. Tancmarum ad aram consistentem Maincia quidam (Ditmarus Meginzonem appellat) ex fenestra lancea a tergo confossum prosternit. Ipse postea in praelio Biertanico cecidit. Rex morti fratris lacrymas dedit, punire autores non potuit, quorum auxilio in ea rerum difficultate indigebat. Theodericum nescio quem et tres amitae illius filios, tunc captos et lege Francorum perduellionis damnatos, strangulari jussit.

9. Eberhardum deinde ducatu privatum pronuntiat, si Ditmarum sequimur, et successu usus, ne impetus militum languesceret, ad Laras ducit: oppidum esse arbitror situm ad Rhenum et Sigam confluentes, pene ex Bonnae adverso. Aliquandiu obsessum deditur, Everhardus sese imparem cernens et praeoccupatum, consiliis haud dum maturis, simulato obsequio, regi se submittere statuit. Henricum, antequam dimitteret, aggreditur, credulo adolescenti et regnandi avido ostendit paratam volenti coronam; sibi Fridericum summum pontificem, sibi Giselbertum Lothariensem ducem assentiri. Bajoarios apertos Ottoni hostes *esse*, nec patruelem Allemanniae ducem sibi defuturum; quin ipsum Galliae regem auxilio fore, omnes superbiam Ottonis perosos esse. Multa ex vero *dicebantur.* Ita cum Henrico conjurat, qui cupiditate caecus non videbat, Everhardum, fratrem prioris regis, si res procederet, sibi ipsi ante omnia consulturum. Henricus liber ad fratrem revertens, sincerius receptus, quam ingressus est.

10. Everhardus mox Moguntino conciliatore usus, qui nondum animum nudarat, ad regem deprecatum venit, et brevi exilio apud Hildeshemenses damnatur: mox quasi amicus ad suos remittitur, dignitate restituta

debatur magis levitate quadam animi et impetu ex collisione cum Henrico, quam altiore consilio, ad arma in regem sumenda venisse; sed et regis plurimum intererat dissipare quamprimum hanc tempestatem. Nam Bojoarii in ordinem redigendi erant, et Giselbertus curam injiciebat, versatilis animi olim compertus et aegre domini patiens. Adierat eum jussu regis Bernardus Halberstadensis episcopus, ut animum hominis exploraret, sed incertus et spretus redierat. Deinde, dum Eberhardus turbabat, rex Adaldum praefectum cubiculi ad eum misit; is cum responsionem de die in diem extrahi videret, tandem denuntiat, ni intra diem condictum ad regem veniret, hostem judicatum iri. Giselbertus mollius locutus, legatum cum honore dimittit. A. 938.

11. Pacato in speciem Eberhardo Franco, rex belli molem in Bavariam transfert, ab episcopis proceribusque recipitur; Eberhardus, major natu filiorum Arnulfi, exilio damnatur. Aventinus scribit, Ratisbonam post diuturnam obsidionem deditam, Eberhardum captum in Sueviam missum, fratres regi conciliatos advocatos ecclesiae Frisingensis, palatinos comites Bavariae factos; quae in dubium revocat Adlzreiterus; sed Aventinum auctoritate veterum fuisse sublatum, ex iis patebit, quae dicemus ad annos Domini 954. et 955. Et viam sibi paravit ad res Schirensium tradendas, qui multo post ducatum Bavariae in Ottone Witelsbachio recuperavere. Itaque filium hujus Arnulfum Schirensem arcem struxisse addit. Dum rex Ratisbonae ageret, obierat Conradus episcopus, Isengrimum antecessorem post semestrem infulam secutus. Fabulantur, regem somnio monitum, ut dignitatem sacram ei daret, qui templum ingressuro primus obviam factus fuisset. Itaque primo diluculo aedem S. Emmerani petenti Guntherum aedituum fores aperuisse et episcopatus honorem abstulisse. Sed nec ipse ultra semestre spatium sedit, et Michaeli locum reliquit.

12. Absente Ottone, credo, cum in Tangmarum duxisset, antiqui hostes Hungari ex improviso Saxoniae ingruunt: mirum est, nemine resistente, usque ad Bodam fluvium pervenire potuisse. Celeritate equorum nuntios praevenisse oportet. Pars inde Stederoburgum tunc oppidum aggrediuntur, nunc monasterium est cum villa prope Welfebytum. Congregationem puellarum illic Henrici Secundi temporibus instituit Altmannus comes, de quo ad a. D. 1007. Urbani, inexpectata audacia erumpentes, hostilem manum in fugam conjiciunt, alii alibi caeduntur. Incolas per Saxoniam providentia Henrici regis in armis exercitatos invenere. Pars Slavi cujusdam fraude in Thrimminingae paludes (Drömlingam hodie vocant) inter Oram Alarimque deducta, periit. Dux ipse captus est et ad regem adductus. Inde Hungari per triginta annos Saxonia abstinuisse scribuntur Witikindo. Sed illi, quod constet, in Saxoniam nunquam rediere, et ultima eorum in Germaniam impressio facta est a. D. 955, vix tredecim aut quatuordecim abhinc annis. Itaque Witikindus parum fidus temporum computator haberi potest. Neque pro certo affirmaverim, quae de praesenti Hungarorum eruptione ejus ductum secuti dicimus, in hunc annum referri debere. Interim ad hoc bellum pertinere conjicio, quae in chronico Verdensi sub Walthero episcopo alieno loco leguntur, Hungaros velut

A. 938. locustas Saxoniam invasisse, et propo Weyherslebam caesos. Hei Wegeleva arx est Halberstadensis districtus, ad Bodam et Goldbeka amnes, inter Quedlinburgum et Groningam. Quae de Jecheburgo obses ab hostibus chronicon idem habet, non sunt hujus, sed superioris bel sub Henrico rege, quae etiam chronicon Brunsvicense picturatum confir quemadmodum illic notatum est ad a. D. 933.

13. Non sufficiebat fortunae Ottonem exercenti turbasse Germania civilibus bellis, Hungaros immisisse, Lotharienses et Galles concitas novus ex Bohemia hostis cietur. Boleslaus fratrem Wenceslaum trucid curat 4. Kal. Octob., et sceleris ultionem metuens, Otteni rebellat. Su regulum quendam Germanico imperio fidum armis vexat. Is auxilia Saxonibus petit. Bellum anno sequenti geri coeptum est, quod i quatuordecimum regis annum duravit. Caeterum quia Wenceslai caed celebratur a scriptoribus, ipse inter sanctos et martyres habetur, et reli gio christiana tunc in Bohemia stabiliri coepit, et sanguine ejus irrigat crevit; rem altius repetere operae pretium erit, ex Christanno imprimi monacho, qui ipso fratricida patre genitus, aviae Ludimillae, patruo Wen ceslao, ut sanctis, opusculum impendit, quo utriusque pietatem et marty rium exposuit, et Adelberto secundo Pragensium episcope propinqu (ipse nepotem laxius vocat) dicavit. Hanc sanctorum, ut creditur, pri cipum vitam ab autore tam propinquo scriptam Bogislaus Balbinus, e pervetusto membranaceo codice monasterii Trebonensis canonicoru regularium sancti Augustini descriptam, in rerum Bohemicarum epitom publicavit notisque utilibus illustravit. Unde tabulam genealogicam sub jicere operae pretium videtur.

A. 938.

Borzivoius — **S. Ludmilla**

Borzivoius: Bohemiae dux, Hostiviti ducis filius, primus christianus.

S. Ludmilla: ex comitibus de Mielnik, Slaviboris et Lidoslavae filia.

Boleslaus mort. infans.

Spitihnaeus I. Boh. dux mort. caelebs.

Wratislaus I. dux Boh. — **Drahomira de Luticz.**

N. N. N. filiae tres S. Ludmillae, de quibus vetus breviarium eccles. Prag.

S. Wenceslaus I. rex Bohemiae, mort. caelebs.

Boleslaus I. Saevus, dux Bohem. — **Brzena** vel potius Bozena de Stochow.

S. Pribislava vidua.

Daubrawka seu Dambrowka, uxor Micislai ducis Poloniae, quae maritum cum tota gente convertit ad Christum.

Beata Milada seu Maria, antistita ad S. Georgium.

Boleslaus II. Pius, dux Bohem. fundator episcopatus Pragensis. — **Hemma** ducissa Saxoniae.

Strachiquas, in cujus lustrico convivio occisus divus Wenceslaus.

Christannus de Skala, monachus ordinis S. Benedicti, autor historiae.

Strzezyslava, uxor Slaunici comitis Libicensis, patris sancti Adalberti.

Boleslaus III. cogn. Mitis, dux Boh. — **Cremislawa vel Czemina.**

Mesico, Mistovius, Wladiboius, Jaromirus, et caeteri fratres Boleslai III. ducis Bohemiae.

S. Adalbertus secundus episcopus Pragensis, et ejus septem fratres. Sed hanc Adalberti propinquitatem erroneam esse, infra ostendemus; ubi etiam apparebit, Strachiquam et Christannum eundem fuisse.

A. 938. 15. Wratislaus dux Bohemorum Dragomiram duxerat ex provincia Slavorum paganorum, qui Ztodor dicuntur. Ego Stoderanos interpretor, quos Helmoldus inter Albim et Oderam collocarat, nec longe ab Havela amne removere videtur. Cum trigesimo tertio aetatis anno obiisset, successit filius natu major Wenceslaus, literis imbutus, religionis christianae cultui deditus; inde matri ethnicae et plurimis Bohemorum antiquas superstitiones respicientibus exesus. Cum nondum pueritiae annos excessisset, aviae Ludimillae piae foeminae educatio ejus cum gubernatione populi creditur. Inde Dragomira in furias acta, homines improbos colligit, socrum secedere cogit, et mox immissis percussoribus strangulari curat. Sed filio adulto et gubernacula capiente, administratione regioneque pellitur; revocatur tamen pietate filii, ubi res suas firmarat, quod ipsi in perniciem vertit. Nam mater Boleslaum minorem filium in fratrem concitat, qui ducta uxore liberisque natis spem familiae faciebat, Wenceslao coelibe, et de principatu in fratrem transferendo vitaque in secessu inter homines divinis rebus devotos agenda deliberante: nec nisi fratris ingenio deterrebatur, cujus mores parum probabat, praesertim cum religionem christianam, quam utcunque colebat, haud admodum curare videretur. Ille morae impatiens, de fratre occidendo consilia cum matre agitat.

16. Interea Wenceslaus rem publicam egregie administrabat, colebat justitiam, ita tamen, ut clementiam severitati praeferret. Ipso conspectu patibulorum caeterique mortis aut cruciatuum apparatus offendebatur, quae passim tollebat. Itaque post mortem patronus ex coelo miserorum et maxime in vinculis agentium habitus est: et tamen armis egregius, victoriis etiam celebratur; an de Moravis retulerit, quos ei Henricus rex subjecisse fertur, sive de Hungaris Moraviam carpentibus, haud constat. Itaque non libenter Vorburgii judicio accedo, viri praeclari et Romanis quidem sacris addicti, sed liberi oris *), qui Wenceslaum ignavum, clero deditum, inde viris militaribus exosum, fratri spretum putavit; scilicet quod Christanni libellum non vidisset, qui in tota narratione nutantem, et maxime temporis incertum expedire potuisset. Amicitia regis floruit Wenceslaus, cui semel subditus armorum experimento, fidus mansit. Ajunt, ab eo in Ratisbonensibus comitiis magno in honore habitum ob sanctitatem, atque etiam regem appellatum, titulo tamen ob modestiam abstinuisse. Sed Henricus Ratisbonam nisi in regni initio haud adiit, neque talia memorat Christannus, qui semper et ipsum et fratrem duces appellat, etsi Bohemiam iisdem in locis saepe regnum vocet. Nimirum ut Saxoniam, ut Allemanniam, passim a scriptoribus et in chartis regna nominari observamus, etsi reges non habuissent.

17. Erat tunc Bohemia in dioecesi Ratisbonensis episcopi, nondum proprium nacta, regioque ipsa haud dum bene Germanico imperio coalita, inspectioni suberat Bavariam regentis. Itaque Otto M. postea fratri cum Bavaria etiam Bohemiae curam commendasse scribitur. Wenceslaus igitur Tutonem praesulem suum coluit et plus semel evocavit, praesertim ad dedicandas aedes sacras, qualem Pragae a fundamentis excitavit. Sed si

*) liberioris *corr. Eckhardus.*

Cosmae decano Pragensi credimus, non absolvit. A S. Vito cognominata A. 938.
est, qui tunc per Germaniam mire celebrabatur, ut Saxones ei honorem regni debere crederentur, cujus de corpore particulam, favente Henrico, a nostra Corbeja huic basilicae impetrasse scribitur Wenceslaus, quae postea cathedralis facta est. Credibile est, ad Ottonem, Ratisbonae Bavaris receptis in conventu procerum res ordinantem, hoc anno, paulo ante vitae exitum, adisse, ut par erat, Bohemiae ducem, atque inde honore auctum et potestate domum redisse. Atque ita nodum chronologicum solvimus, qui Balbinum exercuit, comitia illa non invenientem, credo, quod generalia Germaniae quaereret. Ac tum quidem caeteros gentis regulos, et fratrem in illis, addictius parere jussos arbitror, nonnisi laudabilia et christianae rei profutura agitanti. Sed inde invidiam crevisse et parricidium acceleratum.

18. Ferunt, tunc Ottonem Magnum Bohemis insigne dedisse, quod nunc quoque in scuto gestant, aquilam nigram in argento spectabilem. At Balbinus putat, antiquissimam hanc esse Bohemicae gentis tesseram, et Czecho jam autori placuisse, dum Lechus frater, Polonorum conditor, permutatis coloribus candidam avem maluisset ex tenebris fulgentem, quae suavia somnia esse sciunt, quibus severior historia curae est. Lechus in veteribus monumentis non Polonorum, sed Bohemorum dux habetur. Bohemi Czechi dicti videntur non ab homine, sed ab antiqua Jasygum gente, Sarmatici generis, quam credibile est a Carpathiis montibus in has oras progressam. Ab Ottonianis temporibus nulla talium insignium vestigia habentur. Balbinus vero aliud clypei ornamentum vetustie Bohemiae principibus etiam ante divum Wenceslaum placuisse tradit, tres lineas, quae tria flumina Bohemiae significaverint, Albim, Muldavam et Sazavam. Ego haud video, cur non quartum adjecerint Egram, nisi hunc olim Germaniae accensitum dicamus. Ille tamen extare inquit Braunoviae literas Boleslai Pii tunc datas, cum coenobium loci adjutante episcopo Adelberto fundavit. *Sigillum*, inquit, *grandiusculum est; in quo spectatur princeps solio insidens, juvenis forma insignis, promissis capillis, toga longa, altera manu vexillum, altera clypeum manu tenens. In clypeo tres lineae sive fluvii visuntur, circa sigillum literae: „Boleslaus Dei gratia dux Bohemorum."* Ipsae autem literae clauduntur hunc in modum. *Datum per manus domini Christanni fratris illustrissimi ducis Boleslai anno gratiae 993. in ipsa die dedicationis monasterii supra scripti.* Christannus is ipse est, cujus opusculo hic usi sumus, qui notarium egit. Ego suspicor, lineas casu in ceram venisse. Alioqui haberemus hic, quod iis temporibus Europa ignorabat, tesseram gentilitiam. Itaque dignum est monumentum inspici accurateque repraesentari. Nam quod antiquissimam in Bohemia haberi ait Balbinus statuam divi Wenceslai, in celebri quondam sacrarum virginum coenobio Swietsensi prope Bilinam urbem, tria ibidem flumina ostentantem, id ad posteriora tempora referri possit.

19. Aliud memorabile tunc gestum addunt recentiores, Ottonem in Wenceslai gratiam Bohemis tributum remisisse. Id Carolus Magnus imposuisse fertur; Cosmas definit bobus centum et viginti, argenti pondo 50.

A. 938. Vetus apud Boleslaviae canonicos traditio est, argentum, quod prius regibus Germaniae Bohemia pendebat, consequentes principes ad divi Wenceslai sepulcrum deponere solitos, boves vero illos Boleslaviensibus scholasticis aliisque ministris cessisse; quae Balbinus in medio relinquit.

20. At Boleslaus in urbe cognomine Boleslavia agens, occasionem captabat, reversum fratrem ad se alliciendi. Posteriores scriptores narrant, tunc forte alterum ex Bozena uxore filium natum, Strachiquam; primus enim fuit Boleslaus, qui successit, cognomento Pius, cum pater titulum Saevi meruerit. Ita Wenceslaum ad lustricum convivium fuisse invitatum. Sed Christannus scribit, vocatum a fratre biduo ante festivitatem S. Michaelis archangeli ad festum sanctorum Cosmae et Damiani celebrandum, quibus aedes Boleslaviae dicata erat. Ita specie religionis alliciebatur, cujus colendae nullam pius princeps occasionem praetermittebat. Admonitus erat insidiarum fraternarum, praesciusque instantis fati suis valedixisse scribitur, et martyrii decus etiam affectasse. Lauto convivio exceptus est, in quo materia jurgii quaerebatur, et ex oculis conceptum nefas tralucebat. Conspiratores occultos pugiones gerebant, ter consurrexere, ter resedere, dilataque est caedes. Surgentem amicus, equo admoto fugae admonuit; non paruit princeps, redditusque convivio, verbis amicis tranquillitatem animi ostendit. Tum cubitum petit, summo mane de more aedem sacram aditurus. Id ipsum praevidens frater, credidit, tunc extra frequentiam honestius (si quid in scelere honestum esse potest) quam in convivio confici posse.

21. Presbyteri quidam ex ipsa ecclesia sanctorum anargyrorum in criminis societatem allecti sunt, ut venienti januam clauderent; scilicet qui manus fraterno sanguine imbuere cogitabat, aedem profanare verebatur. Ea religio impium incesserat. Sed dissimulando sceleri cuncta comparabantur, ut videretur jurgio fortuito, non destinata morte interiisse. Venienti ergo ad matutinas Dei laudes Wenceslao, improbus sacerdos januam occludit, simul frater cum armatis ex insidiis adest. Hunc conspectum Wenceslaus salutat amice, et pro hesterno honore gratias reddit. Ille torvum intuens: *Heri, ut me decebat, nunc, ut te dignum est, ago;* simul caput gladio ferit. Nihil potuit ictus tremente manu ex horrore criminis, qui raro etiam improbissimis exuitur. Dux ut instantem novo ictui videt, correptum pedibus substernit, gladio etiam extorto: nec tamen ferire sustinuit; *Vides*, inquit, *quid in te possim, sed pietas detinet manum.* Omittit ergo, atque etiam gladium reddit, et ad ecclesiam gressus vertit. At Boleslaus, quasi violatus a fratre, suos inclamat, auxilia flagitat. Consurgunt illi, et in ipso aedis limine consistentem Wenceslaum obtruncant.

22. Peracto scelere, Boleslaus Pragam contendit, thesauros rapit, in amicos fratris ita saevit, ut eorum etiam infantes in Muldavam praeterfluentem projecti dicantur. Podivinus aulae praefectus praecipuus Wenceslao in Germaniam fugit, et postea reversus, unum ex percussoribus obtruncat, itaque captus, et in ipsa sylva, ubi se abdiderat, laqueo suspenditur. At arbores omnes sylvae (id joculare in tragoedia serio Balbinus addit) ad facinus commotae intremuere, et divae Virginis signo, quod

suspensus forte gestabat, vertices curvatae submisere. In eo statu perseverare ait tam pertinaciter, ut novae arbores veterum exemplum sequantur, et pro miraculo esse, si quae tota sylva recto ad coelum tramite surgat. A. 938.

23. In Gallia Hugo princeps, Roberti filius, sibi prospiciens, cum regis favor nutaret, Ottonis sororem duxit. Hadwigem appellat genealogia S. Arnulfi. Nondum tamen aperta erat simultas. Itaque species residua gratiae etiam ad Heribertum regi reconciliandum valuit, qui tum primum fidem sacramento dedit. Rex Guisam, vulgo Wissant, castrum ad maris litus instaurat, arcem novam ab Heriberto Lauduni structam et nunc aliis insessam capit, Odonem Heriberti filium in praesidio relinquit, ipse Burgundiam petit. Ibi Hugo, Rudolfi nuper regis frater, in fidei sacramenta venit. Cum ecce Hugo prior et Heribertus juncti rebellant, Gislebertum ex Lotharingia in auxilium cient, ejusque ope castrum Petraepontem vi capiunt. Arnoldus Flander regi fidus, sed Heriberti gener, inducias in anni reliquum pangit.

24. Leo pontifex de sanandis ecclesiae malis solicitus, censebat, correctis monasteriis, quod facilius videbatur, emendationem paulatim in reliquum clerum porrigi posse, nam saepe episcopi ex monasteriis sumebantur. Itaque literis ad Odonem datis abbati Cluniacensi simulque Floriacensi gratulatur, quod monasticum ordinem restituat, quem ait ubique imminutum esse, a planta pedis usque ad verticem non esse in eo sanitatem. Quodsi in eo monasterio (Floriacense intelligit), quod est velut caput et principium (ubi S. Benedicti, qui autor instituti, corpus requiescat), religio sacra reflorescat, spem superesse, caetera circumquaque posita velut membra convalescere posse. Itaque cum certa relatione comperisset, Odonem abbatem et Hugonem ducem Francorum illic meliorem conversandi rationem constituisse, id se magnopere probare; et cavere primum, ne locus ulli nisi regi subsit aut tradatur, deinde prohibere sub anathemate, ne abbas eligatur per munera aut ambitus crimen. Itaque habituros inposterum, quem omnis congregatio vel minima pars saniori consilio elegerit. Permittit deinde, ut qui omissa proprietate et hujusmodi aliis exorbitationibus, melioris vitae studio ad hunc ducem monachorum confluere velint, a suis abbatibus impediri non possint. Hoc jam Johannes X. favori Cluniacensis monasterii dederat, scilicet si quis restitisset emendationi (suo quidem detrimento) saltem alios impedire non debere. *Scriptum per manus Theodori notarii et scriniarii sacrae Romanae ecclesiae in mense Januario, indict. 11. Bene valete. Dictum 5. Id. Januar. per manum Nicolai primicerii summae apostolicae sedis. Anno Deo propitio pontificatus domini Leonis pontificis et universalis papae 6.* (potius *7.*) *in sacratissima sede B. Petri apostoli 3.*

25. Alias dedit circulares in Galliam literas, inscriptas archiepiscopis atque eorum suffraganeis, Guidoni ecclesiae Lugdunensis, Tutoloni Turonensis, Gerunco Biturigensis, Gerlanno Senonensis, Artaldo Remensis atque successoribus eorum in perpetuum. His Floriacense institutum commendat, et eodem tenore pro Rivipullensi monasterio scribit ad Aime-

A. 938. ricum Narbonensem, Riculfum Elenensem, Godmarum Gerundensem, Wilaranum Barchinonensem, Wadamirum Ausonensem, et Wisadum Urgelensem. Denique epistola ejus extat ad Hugonem principem Francorum abbatem (ut tunc ferebant tempora) monasterii S. Martini Turonensis, qua mulieres aditu monasterii arceri jubet ex vetere disciplina, quam laxatam queritur, cum olim nulli unquam foeminae intra monasterii ambitum etiam tempore paganorum nisi orandi causa patuerit accessus: *Scriptum per manum Theodori notarii et scriniarii sanctae Romanae ecclesiae in mense Januario, et indictione 11. Ludovico Francorum rege.* Observat hic Mabilio rem insolitam, tempus scriptae a Romano pontifice epistolae a Francorum rege designari. An Hugonem caeterosque Francos admonere voluit, ut legitimo regi ex Magni Caroli stirpe fidem servarent? Ejus enim rei curam sibi esse, Romani pontifices his temporibus non semel ostenderunt.

26. Ipse Albericus patricius, qui Romam tenebat, Odoni Cluniacensi abbati, postea in Italiam reverso, Suppentoniense et Adventinum monasteria regenda commisit. Eidem Salernitanum commendatum est. Quae ex Johanne vitae scriptore, quem tunc Odo Romae juvenem ad se allicuit, Mabilio annotavit. Ex quibus intelligimus, Odonem ducem tunc habitum monachorum et monasticae disciplinae restauratorem generalem. Albericus patricius etiam Farfense monasterium ad regularem disciplinam revocavit. Multi ab aliis exigunt probitatem, quam ipsi non praestant, idque inter eminentiae ostentandae privilegia habent. Odonis studia aequabat in regno Lothariensi Gerardus abbas Broniensis non procul Namurco, qui, Giselberto duce favente, collapsam disciplinam restaurabat, et canonicis amotis monachos revocabat. Ita octodecim et amplius monasteria cura sua restituisse et gubernasse, a vitae scriptore traditur, quem Surius primum 3. Oct. at sincerius Mabilio seculo Benedictino quinto edidit.

27. Hugo rex Italiae cum filio Lothario Aretinensi monasterio SS. Florae et Lucillae pro anima matris Bertae confirmat donationem fratris Bosonis, tum jam extincti, ut apparet. *Data prid. Kal. Jun. a. d. inc. 939.* (lego *938.*) *regni domni Hugonis 12, filii Lotharii 7, ind. 11. Actum Perusii.* Hugo et Lotharius reges Bruningo Astensi episcopo castellum urbi imminens confirmant, *10. Kal. Aug. a. inc. D. 938, d. Hugonis piissimi regis 13, Lotharii 8, ind. 12. Actum Papiae.* Indictioni et regnis annus detrahi, aut potius numero aerae christianae addi debet. Itaque tunc Lotharius adhuc in Italia erat. Sed ante anni exitum in Burgundiam profectus est, uxoris quaerendae causa, ibique tabulas dotales scripsit, pridie Idus Decembris, qua de re plura dicemus ad annum sequentem.

28. Browerus notat, Rupertum archiepiscopum Trevirensem hoc tempore ecclesiae suae fundos et praedia acquisisse, quae Ada filia Folradi, qui nepos Rotgeri antecessoris fuerat, in Bruchia villa habebat; inde Bruchiense dominium ortum. Ipsi vicissim in vitae dies concessa est ecclesia Theotkircae in pago Rizogoa, in Ardenna sito, nunc Luxeburgensis ditionis supra Theodonis villam. Res acta *a. D. 938, ind. 11, anno Ottonis gloriosissimi regis in Lotharingia rerum potientis secundo.*

ANNO CHRISTI 939.

Leo VII. papa obit. Laudatus Frodoardo. — An monachus? Successor Stephanus VIII. an Germanus? — Hugo rex ducit Bertam, viduam Rudolfi regis. Lotharius filius hujus filiam. De Maroziae morte. De Conradi regis tutela. — Henrici, Eberhardi, Giselberti motus. Salfeldae conspiratur. — Otto Tremoniae agit. Henricum persequitur. — Victoria ejus Biertanica. Henrici vulnus. — Dedo Thuringus Henricum offendit. Hic obsidetur Mersburgi. Urbs capta. — Galliae rex suis collisus. Lotharingiam invadit, ab Ottone repulsus. — Invadit Alsatiam. Recedit. Otto Brisacum obsidet. — Archiepiscopus Moguntinus et episcopus Argentoratensis ab Ottone recedunt. — Obsidio difficilis. Ottonis constantia. — Hermannus dux Sueviae, Udo et Conradus Curciboldus contra Eberhardum consobrinum et Giselbertum. — Eberhardus et Giselbertus intereunt. — Everhardus an palatinus, an dux, an missus, an Udo successor, an Francis dux. — Narratiuncula de Ebersteiniis an ex Eberhardo. — Giselberti familia an ex ea Baldericus et Ansfridus episcopi Ultrajectenses. Huc comites Montenses. — Brisacum deditur. Lotharingi se submittunt. Giselberti nepotes. Filius ei succedit. — Rex Galliae ducit Gerbergam viduam Giselberti. Filia hujus desponsa. Episcopus Metensis Ottonem agnoscit. — Henricus reconciliatur. — Archiepiscopus Moguntinus et episcopus Argentoratensis capti. — Fabula de Argentorato diruto et cur dicatur Strasburgum. — Regum Castellae conflictationes cum Mauris. — Regnum Navarrae. Bella cum Mauris. De praelio et magna eclipsi.

1. Leo VII. pontifex Romanus, qui ad antiquorum decus anniti visus est, cum annos tres, menses sex sedisset, mortales curas cum vita reliquit, sexta Junii die, quam nescio quo autore habet Labbeus. Leonem servum Dei Frodoardus appellat in chronico, quemadmodum supra annotatum est. Eoque validior est ejus commendatio, quod ipse hunc papam vidit et allocutus est: nam quod honorifice ab eo est habitus, non puto debere extenuare testimonii fidem, cum indicet potius modestiam pontificis et humanitatem: neque ego alibi Frodoardum adulatorem deprehendo, aut amicis circa illaudata faventem. Acta scriptaque Leonis vix habent, quod non laudes, pro temporis scilicet captu. Sed verba Frodoardi afferre operae pretium est, quibus carmen suum pontificale claudit: A. 939.

Septimus exurgit Leo, nec tamen ista volutans,
Nec curans apices mundi, nec celsa requirens,
Sola Dei quae sunt alacri sub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata subire renutans.
Raptus at erigitur, dignusque nitore probatur
Culminis eximii, Petrique in sede locatur.
Sed minime assuetam liquit decoramine curam,
Deditus assiduis precibus, speculamine celsus,
Affatu laetus, sapiens atque ore serenus.
Qui me visentem aetherei pia limina Petri
Jocunde excipiens animo quaesita benigno
Admisit, favitque pie studuitque modeste,
Famina grata serens, epulis recreavit utrisque
Corporis atque animae, benedixit et oscula libans,
Ac geminans dono cumulatum muneris almi
Pergere laetantem amplexu dimisit honoro.
Quem Pater omnipotens alacrem cultuque venustum

A. 939. *Attollat servetque diu, digno excolat actu,*
Et cum praesulibus sanctis, consortia quorum
Promeruit sedis (lego *seclis*), *praestet super aethera sedem.*

2. Haec Frodoardus; ex quibus intelligitur, Leonem renitentem a Romanis ad culmen raptum, suetam pietatis culturam ob tantum decus non intermisisse, sed meditationes sanctas rectis actibus conjunxisse. Reliquias sanctorum Frodoardo concessisse crediderim, quae tunc pretiosissima Romae munera habebantur, neque erat occidentis ecclesia, quam portitor tanti doni non demereretur. Leonem ex Benedictinorum ordine sumtum, non improbabiliter Mabilio conjicit; nempe monachum fuisse, quia Dei servum Frodoardus vocat; Benedictinum, quia ipse in literis ad episcopos Gallicanos pro Floriacensi monasterio egregium patrem, domnum nostrum beatissimum, Benedictum appellat. Successit Stephanus Octavus (recte Platinae et Sigonio, etsi Baronius Nonum vocet), quem natione Germanum nulla veterum autoritate faciunt Martinus Polonus et Augerius de Biterris. Scribit Baronius (ad annum sequentem) ex quodam libro de Romanis pontificibus, quem veterem vocat, ego medium judico, hunc, etsi Germanum, a Romanis, posthabitis cardinalibus, fuisse electum opera Ottonis regis; quod mihi verisimile non videtur, neque apparet, Ottonem jam tum rebus Italicis intervenisse. De cardinalibus etiam Romanae ecclesiae locutus est autor ille ad posteriorum formam, neque enim tunc collegio eorum proprium erat eligere eligique.

3. Hugo rex Longobardorum sibi Bertam, Rudolfi Guelfigenae Transjurani regis viduam, filio Lothario filiam ejus Adelheidem destinabat. Talem matrimonii geminationem apud Graecos haud permissam, Luitprandus observat, quod parentes et liberi pro una persona haberentur. Filius jam vergente anno superiori in Burgundiam venerat, et tunc dotem sponsae constituit ex variis Italiae possessionibus, quas inter abbatiam de Sexto, sitam in comitatu Luccensi, abbatiam S. Antonii in Senensi, S. Salvatoris in monte Ainiato comitatus Dunensis ei assignat. *Actum pridie Idus Decembris in Burgundiae curte, quae Columbanis dicitur, a. D. 938, Hugonis regis 12, et filii ejus Lotharii 7, indictione 11.* quae computata est, quasi in finem anni porrigeretur, nisi rectius emendatur. Tabulas jam Sigonio memoratas bullarium Casinense expressit ex monasterio Salvatoris Papiensi, in quod deinde pleraque Adelheidis regina fundatrix contulit. Hoc anno Hugo ipse in Burgundiam venit provecta jam aestate vel in autumno, quod ex Frodoardo colligo, qui scribit, regem Galliae Ludovicum, cum in Alsatiam venisset, locutum cum Hugone Cisalpino, qui non alius esse potest; etsi enim trans Alpes in Italia regnaret, erat tamen ortus ex Cisalpinis, ibique potens. Tunc ergo Bertam abduxisse putem, et Transjuranos artes ejus veritos Conradum puerum, regem suum, ad Ottonem in Germaniam quasi in tutum deduxisse. Ex his Maroziam jam fuisse defunctam concludo, nam conjugio ejus potitum Hugonem, etsi brevi usu, ex superioribus verisimile censeo. Hugonem, mortuo Rudolfo, in Burgundiam venisse, et filio filiam, sed viduam defuncti sibi junxisse, scribit

tiam consocer Hugonis, Constantinus augustus, cognomento Porphyro- A. 939.
enneta. Adelheidem nunc nonnisi puellam sexennem fuisse, scribit
)dilo in ejus vita.

4. In Germania flamma ex cinere doloso erumpit. Henricus frater egis, ardens cupiditate regnandi, cum Eberhardo et Giselberto conjurat. ;berhardum ipsum a Giselberto stimulatum habet Ekkehardus, casuum . Galli scriptor, increpitumque, quod honorem suum alteri concederet, t frater magni regis ac Francus Saxonum regnum durare pateretur. taque Henricum fallebant, Eberhardus sceptra Francorum orientalium, ;iselbertus Lothariensium sibi destinantes. Id denique egisse videntur, t res publica in partes iret, ipsi mox futuri hostes invicem, et in mutuam erniciem ituri, si consilia processissent. Ait continuator Reginonis, ex cclesiastico ordine homines nequam cum iis conspirasse; quo elogio idetur Fridericum archiepiscopum Moguntinum et Rudhardum episcopum trasburgensem et plures alios factioni innexos designasse. Henricus ad alafeldam Thuringiae oppidum in praedio suo celebre convivium parat, ultosque donis ac promissis sibi obstringit. Et licet erga quosdam nimum nudarit, res tamen occultata est: fratrem enim fratri denuntiare, acile conciliabiles, majore unius odio quam alterius gratia, haud tutum idebatur. Henricus praesidiis munit primaria loca, quae in Saxonia te- ebat, quibus Otto a tergo vexaretur: ipse autem statuit ad Lotharienses roficisci, credo, ut succedentibus consiliis in solio collocaretur. Itaque um, sumtis secum interioribus amicis, de improviso evasisset, omnes rei untio perculsi, tam subitam secessionem mirabantur.

5. Otto primum famae non credidit, deinde, ubi compertum, quo evenisset frater, ducere in eum haud distulit. Itaque magna celeritate raesidiis ex urbibus deductis, veteranis ad signa convocatis, suppletisque egionibus, validum exercitum contraxit. Ad Rhenum tendenti prima btulit se praesidio fratris insessa Trutmanni urbs, quam hodie Latinismi ffectatores Tremoniam vocant. Sita est in comitatu Marcano. Sed prae- idiarii, casus Tancmari memores, resistere ausi non sunt. Praefectum ginam vel Egenonem rex adjurat, ut ad Henricum proficiscatur, eique aniora ingerat; si frustra sit, ad se revertatur. Rex deinde ad Rhenum rofectus, parte exercitus transmissa, ecce cum minime expectabat, Aginam d se venientem videt. Quaerit: *Satin salvae? Quid frater?* Ille praefatus e Henrico optime regi cupiente, cum plura exquirerentur, armatos in ltera ripa appropinquantes ostendit: negat Henrico persuaderi potuisse, t aliter veniret; se tamen redeuntem satisfacere fidei datae. Otto tur- atus, et suos in periculo videns, quibus tam subito succurrere non posset, d preces vertitur, causamque justissimam Deo commendat. Ita Witikin- us rem narrat. Luitprandus addit, regem equo defluxisse, et coram ictrice lancea clavos Domini gerente in orationem effusum, suos in eos- em pietatis sensus traxisse.

6. Porro qui trans Rhenum erant viri fortissimi, animo supplent, uod numero deerat, nam praeter promiscuum militem, ultra centum equites ravis armaturae haud fuere; in quibus tunc robur exercitus collocabatur,

A. 939. sumebanturque ex primoribus; sed apud Saxones Henrici studio in militiae usque in vulgus descenderat, ut dici possit, per praepa-menta rerum magnarum Henricum Ottoni fuisse, quod Pipinus Carolo, Philippus Alexandro. Saxones ergo sarcinas in Xantis collocant, oppido nunc Cliviae, ipsi expediti statuunt ultro inferre terrorem. Piscina quadam ab hoste dividebantur, hanc bipertito divisi circumeunt, et Henricianos utrinque invadunt. Illis trepidatio ex re improvisa hostem aut putares pauciores a pluribus urgeri. Forte quidam regiorum linguae Gallicae guarus adversos ad fugam cum clamore hortatur. Illi rati vocem ab amico emissam resque desperatas, inclinata acie terga vertunt. Multi caesi captique, sarcinae omnes in victorum potestatem venere. Albertus Candidus cognomento telo ducis Henrici cecidit. Et de caeteris pene unus ex Lothariensibus Godefridus Niger bene pugnasse laudatus est. Atque hoc est praelium, quod Biertanicum a loco appellatur, non procul a Santis, ubi villa Birtha; Biertanam vocat continuator Reginonis, Luitprandus Bierzunum; qui scribit Henricum ibi vehementem ictum brachio excepisse, et quamvis triplex lorica ensem ad carnem non admiserit, gravi tamen contusione diu afflictum multos dolores pertulisse; nec desunt qui dicant, hinc tandem mortem acceleratam.

7. His actis Dadi vel Dedo Thuringus (an Misnensium principum sator?) scribit ad praefectos Henrici in Saxonia orientali relictos, magnam regi victoriam partam, Henricum ipsum cecidisse. Illi territi se regi tradunt. Henricus dolum inultum non reliquit, cum Dedo postea fide Ludolfo contra regem adhaesisset. Duae tantum urbes in ejus fide mansere, Mersburgum et Schidinga. Quo Henricus intellecto, sperans res ruentes praesentia sua sisti posse, assumtis tantum novem armatis, in Saxoniam properat, et Mersburgum ingreditur; sed ibi mox regis supervenientis exercitu cingitur. Tandem post bimestrem obsidionem tradita urbe exit, danturque ei induciae triginta dierum cum suis, spatiumque deliberandi, cedere Saxonia, an se submittere mallent. Credo Ottonem Gallicos motus praevidentem, maluisse dimittere Henricum, quam obsidione longa tempus terere. At Henricus haud moratus, iterum ad Giselbertum proficiscitur, qui interea Gallicam opem imploraverat, et nova ab Eberhardo auxilia expectabat.

8. Ludovicus rex Galliae aperte jam cum Hugone Parisino collidebatur, cui Wilhelmus Normannorum princeps accesserat. Regi alter ex Burgundia Hugo, Rudolfi nuper regis frater, aderat, induciae tamen usque in Kalendas Junii coiere, quibus solutis Adelstanus, missa ex Anglia classe in auxilium nepotis, plus terroris injecit Normanno, quam damni dedit. Interea Lotharienses, Giselberto impulsore, offerunt Galliae regi obsequia, quae patri praestitissent, petunt recipi in fidem. Ludovicus haerebat, quod nuper per Arnulfum Flandrum pacta cum legatis Ottonis renovasset. Sed praevaluit tandem utilitatis species jurisque mista. Expugnata ejus constantia, veniunt proceres Lothariensium, Giselbertus ipse dux, comitesque Otto, Isaac, Theodoricus; committunt sese fidei Ludovici, dant manus. Episcopi praetexentes, esse in manu Ottonis obsides suos, dil-

ionem quaerunt, exitum expectaturi. Commotus Otto, in Lotharingiam A. 939. edit contra fratrem sociosque, et Gallos praevenire malebat. Eo temere cum Hugone Parisino, Heriberto Veromanduo, Wilhelmo Normanno, ,udovico adversis, colloquium habet, et pactum facit. Affuit et Flander ırnulfus Ludovico offensus, quod fidem ipso interprete datam non serasset. Otto deinde rebelles Lotharingos vastat, Capraemontem, Giselerti castrum natura et arte munitum, obsidione arctat. Henricus, qui llic erat, fuga elabitur.

9. Cum ecce nuntiatur, Ludovicum regem in pagum Elisatium irruisse et sese cum Eberhardo conjunxisse. Ludovicum continuator Regionis Galliae (rectius Franciae) Romanae regem vocat. Nempe ille in iurgundia collocutus cum Hugone rege Italiae, deinde appetente autumno d Brisiacum castrum accessit, quod in Everhardi potestate erat. Ibi Riviullensi monasterio praeceptum dedisse invenio, a Baluzio in Marcae lispanicae opere editum, quo possessiones ejus confirmantur. Incipit: *n nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ludovicus superna disponente ratia rex.* Finit: *Et ut haec nostrae autoritatis largitio per succedentia bservetur tempora, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri npressione insigniri jussimus. Odilo cancellarius ad vicem Herivei epicopi atque cancellarii recogn. Actum secus castrum, quod dicitur Briacha super Rheni flumen, 9. Kal. Sept. indict. 11, anno tertio Ludovico ege regnante.* Itaque Mabilio ad annum praecedentem retulit, sed Luiovicus nunc demum anno regni quarto, indictione duodecima, indubitabili 'rodoardi testimonio, in Alsatiam venit; itaque corrigendae sunt anni ıotae. Mensis prodest nobis ad tempus expeditionis statuminandum. Otto igitur, soluta Capraemontis obsidione, in Ludovicum tendit, sed ille, ui in Lotharingia sese objicere noluerat, eum nec in Alsatia expectavit. ledit in Lotharingos, cum Otto exisset, fidos ei trans Rhenum fugat. Inde ,audunum se recipit. Otto, ne huc illuc frustra discurreret, Brisiacum ıbsidione cingit, in quo ingens praesidium collocarat discedens sub Ottonis ıdventum Eberhardus, unde vicini Allemanni cum Herimanno duce regi ideles infestabantur. Eos rex liberare hoc incommodo statuit. Id laetum ıostibus fuit, nam ad munitissimum locum diu haesurum judicabant.

10. Fridericus Moguntinus, qui hactenus nihil aperte contra regem gerat, missus ab eo fuerat, ut Eberhardo saniora suaderet. Praesul ıandata excedens, regis nomine pactum cum Eberhardo facit, juramentoque confirmat. Rex confectum injussu suo nec satisfaciens ratum habere olnit. Inde irae archiepiscopi, et mox aperta defectio: cum enim Otto n Brisaci obsidione laboraret, jamque Eberhardus et Giselbertus, Lothaiensi regione auxilio Gallorum recepta, Rhenum transituri dicerentur. 'ridericus regem ab aequis conditionibus abhorrere, fidem a se interpoitam spernere questus, relictis tentoriis, ex castris abscessit, Ruthardus ırgentinensis aliique exemplum sunt secuti. Reginonis continuator ait, 'ridericum, relictis sarcinis, noctu abiisse, et sese Metas in Giselberti litionem recepisse. Sed plenius Luitprandus Fridericum scribit primum loguntiam venisse, inde Metas contendisse, ubi Henricus exercitum con-

A. 939. gregabat, ut cum Eberhardo et Giselberto totis viribus in fratrem ducere imminutis plurimum copiis ad Brisacum haerentem.

11. Res Ottonis in arcto erant, cum fortuna haerentem momento absolvit. Neque ipsum fiducia animi deseruerat. Comes insignis, qui multo milite cinctus regi aderat, tot aliis discedentibus, cum se necessarium judicaret, tempus venisse ratus est extorquendi, quae vellet. Itaque nobilem Laurishamensium abbatiam petit, unde sumtus sufficerent bello tolerando. Rex magna animi constantia: *Quis non videt, in his difficultatibus, hoc te magis imperare quam petere? Ego sanctum canibus non dabo, tu si vis cum caeteris infidelibus abscedere, quam primum pete.* Ille tactus atque confusus procidit ad pedes regis, veniam delicti petit. Interea amici plerique hortabantur, ut ad reparandas vires in Saxoniam rediret; rex sive arcana praesensione melioris fati, sive quod res sua fama stare judicaret, coepta non deserenda putavit.

12. Interea dum rex in Alsatia haeret, Herimannus dux Allemanniae ab Eberhardi quanquam patruelis consiliis abhorrens, et in fide persistens, sese cum copiis regis conjunxerat, ad tuendum inferioris Rheni ripam, quo Eberhardus et Giselbertus incubituri videbantur; quemadmodum ex Witikindo intelligitur. Aderat et frater Herimanni Udo, Eberhardo infestus ob filium Gebhardum anno superiore amissum, cum ille Badelicam expugnasset. Tum et Conradus affuit, qui Curciboldus continuatori Reginonis et Ekkihardo Sangallensi, Sapiens Luitprando cognominatus, iisdem et ipse consobrinus. Nam tribus fratribus, Conrado rex Conradus et dux Eberhardus, Everhardo Curciboldus, Gebhardo Herimannus et Udo nati erant.

13. Cum ergo Eberhardus et Giselbertus, Rheno circa Andernacum transmisso, vicinas regiones depopularentur, minarenturque Saxoniae, credo, ut regem injecto domi metu ab obsidione abstraherent; copiae regis contractae Herimanno duce in eos contendunt. Illi in Lotharii regnum se recipere statuunt: nam ab Henrico expectabantur, omnibus ad expeditionem paratis, ut Otto Brisiaci obsidione depelleretur. Jamque exercitum trans Rhenum cum praeda remiserant, ipsi nescio quo fato cum paucis in dextra ripa morabantur. Forte Udo et Conradus cum expedita manu praemissi, hostem vestigabant. Cum ecce fit obvius sacerdos quidam ejulans, qui rogatus, quo iret? quid fieret? a praedonibus se venire respondit, qui jumentum, quod unum habuerat, abstulissent. Quaerunt, an Eberhardum et Giselbertum vidisset? Ille, *quod male vertat*, inquit, *in vicinia cibum capiunt;* simul indicat locum. Advolant Udo et Conradus cum suis, et nihil tale metuentes deprehendunt. Eberhardus, circumfusis hostibus, fortiter pugnans, multis vulneribus acceptis redditisque, occiditur, Giselbertus se in navem conjicit; sed illa nimio insilientium numero gravata submergitur, nec corpus comparuit, creditumque est, piscatores ob ornamenta pretiosa suppressum occulte humasse. Variant narrationes nonnihil apud Frodoardum, Luitprandum, Witikindum, continuatorem Reginonis, sed quod credibilius visum est, huc in summa redit.

14. Eberhardum Sigebertus comitem palatinum vocat, veteres rec- A. 939.
us ducem, nempe Francorum, scilicet orientalium. Giselbertum Ditmarus ppellat ducem Lutheringorum. Udonem Eberhardo suffectum suspicor, uia Roswitae praeses dicitur, ut prius ipse Eberhardus eidem dictus st haud semel. Et degradatum ob rebellionem Eberhardum prodit Ditiarus, qui scriptor, ut a me restitutus est, etiam ducem Francorum diserte ppellat, quod et facit continuator Reginonis ad a. D. 937. An ergo Udo uffectus est testimonio Roswitae? Et dubitari potest, an magis ob genus, otentiam, autoritatem, quam ob potestatem jure regio datam, nomen lucis Francorum tulerit Eberhardus, et aliquot alii postea secuti. Nam Ekkehardus Sangallensis negat, usque ad sua tempora Franciam a duci›us administratam, nec magis quam olim Allemanniam ante Burcardum. ta videri possint Franci orientales ducem non agnovisse tanquam serrati in peculium regis. Unde se prae aliis fortasse liberos credidere. Certe qui fuere apud Wormatiam duces, sedem illic, ducatum alibi fere habuere. Credibile est, Eberhardo et Udoni missaticam quandam potestatem ex veteri more superfuisse, non ut alibi versam in legale jus ducis, qualem Adelberto Babebergensi (supra capite truncato) et Wernero Conradi regis avo tribuit Sangallensis. Atque ea jam olim suffecerat, ut habentibus ducis nomen vulgo daretur. Sed rem amplius hic prosequi non licet. Udoni in honorem ducis filius Udo successit, ut ostendemus ad a. D. 949.

15. Habetur narratiuncula de Ebersteiniis comitibus cum Ottone M. hoc ipso tempore conflictatis; quae ex Eberhardi rebellione nata videtur, qui vel esse vel credi potuit familiae autor. Arx Ebersteinia, comitum sedes, fortasse ab Eberhardo aliquo condita (quasi Eberhard-Stein) in vicinia Badensis regionis et Sylvae Nigrae, non procul Murga amne sita est. Hanc recepto Brisaco et Argentorato, fertur Otto diuturna obsidione pressisse, cum frustra per stratagema tentasset. Fabellam non illepidam ex manuscripto quodam comitum libello exhibet Crusius. Rex comitibus diffidens, et arci eorum inhians, decursionem ludicram sive tornamentum (figmentorum seminarium) apud Spiram indicit; invitati tres comites equestri laude clari adsunt, arcem suam strenuo viro commendant. Post certamen et praemia lauto convivio et mox chorea exhilarantur certatores. Ebersteinii comites multo imprimis honore colebantur, ut in aliquot dies detineri possent. Sed in ipsa chorea a primaria virgine insidiarum occulte admonentur. Illi simulato in alteram diem ludicro praemia centum aureorum deponunt, quo minus observarentur; sed se proripiunt noctu, et domum redeunt citatis equis. Inveniunt arcem suam oppugnari, eamque ingressi strenue defendunt. Rex elusus, eam obsidione diuturna frustra cinxit, tandem comites, virtute eorum probata, in gratiam recepit, et sororem uni eorum in matrimonium dedit. Quae, etsi magnitudine et gravitate Ottonis indigna, aliquid ex vero trahere possunt. Eberhardi simultas cum rege memoriae posterorum haesit, et mox familia ejus in Conrado regia affinitate honorata est. Ebersteiniorum comitum gens non ita pridem a. D. 1660. extincta est.

A. 939. 16. Constat ex Ragenario, qui Caroli Simplicis temporibus marchionis et ducis potestate in litore Belgico contra Normannos excubabat, Giselbertum ducem natum fuisse: filium ex Gerberga Ottonis M. sorore Henricum reliquit, qui puer patris mortem non multo post secutus est. De filia Gerberga mox dicemus. Fratres Giselbertus habuit Ragenarium, qui stirpem propagavit, et Lambertum comitem Levaniensem, patrem (ut quidam volunt) Ansfridi tandem episcopi Ultrajectensis. Ragenarius comes Montensis vel Hannoniensis is est, quem multa moventem turbantemque res Lothariensium Bruno Ottonis M. frater captum in exilium misit, filios pepulit, qui sub Ottone II. demum sua recepere. Unde tandem orti posteriores Lotharingiae inferioris, vulgo Brabantiae, duces.

17. Otto interim ad Brisacum animi perplexus sedebat, cum manu forte obequitans, hominem accelerare animadvertit: visus est laeta afferre, accedentem verba in compendium conferre jubet. Ille Eberhardum et Giselbertum vixisse respondit. Rex plura dicere non passus, equo descendit, et in lacrymas fusus, Deo gratias agit, statimque ad ecclesiam tendit. Dolorem tamen non dissimulavit, quod tanti viri, unusque ex his sororius, tam misere perissent. Ita ut, Roswita teste, admoneret proximi amicorum deponere moestos vultus, nec publicae laetitiae intercedere. Nec mora, praesidiarii, intellecto domini casu, sese dedunt. Rex in Lotharingiam contendit, et Lotharienses in fidem recipit, ubi Gerberga vidua Henricum Capraemonte excluserat, id agens, ne ille regem fratrem amplius resistendo irritaret. Ille in regnum Caroli (id est Carlingiam, sic enim Galliam tunc Lotharingiae exemplo appellabant) ad Ludovicum regem extorris abit. Otto Odoni Ricuini filio Henricum puerum, Giselberti et Gerbergae natum, in spem futuri ducatus educandum committit, cui postea etiam vicariam ducatus administrationem concessit; sed neuter diu vixit. Giselberti quoque nepotes (an ex fratre Ragenario, Ragenarius et Rudolfus?) in fidem recipiuntur et sua conservant. Ansfridus quidam et Arnoldus, qui Capraemontem tenebant, Immonis comitis dolo capti, ad regem mittuntur. Ita ejus fortunae cuncta cedebant. In Lothariensi regno versantem Hugo et Heribertus adiere.

18. Quantum ex serie Frodoardi apparet, Ludovicus rex, intellecto Giselberti casu, subito ad Lotharienses accurrit, Ottonem praevenit, Gerbergam viduam sibi adjungit: nam reges anno demum sequente inducias fecere; et inscio Ottone matrimonium contractum, vel ex eo intelliges, quod, antequam Allemannia excederet, Bertoldo duci Bavarorum electionem obtulerat, Gerbergam viduam, an filiam ejus nondum plenis nubilem annis mallet, quae apud Ottonem educabatur. Ille virginem elegit. Hanc sunt qui matri cognominem faciunt. Regina nova ab Artaldo archiepiscopo Remis coronatur. Ludovici fiducia et amore Galliae solus Lothariensium Adelbero Metensium episcopus restitit, et ad defensionem sese comparans, apud Theodonis villam capellam, quam ad Aquensis instar struxerat Ludovicus Pius imperator (ita cognominatur scribenti haec continuatori Reginonis), ne in munimentum verteretur, destruxit. Sed mox vidit parum in Ludovico opis esse, caeterisque accessit. Ex eo (in-

iit pro suis temporibus Otto Frisingensis episcopus) *Belgica* (sic ille A. 939. otharii regnum hoc loco appellat) *a regibus Germaniae sine contradictione possidetur.*

19. Interea Henricus quoque, damnata spe Gallici auxilii, abjectis rmis, gratiam regis implorat. Is graves fratris labores miseratus, urbibus liquot concessis, passus est, ut in Lothariensi regione ageret, credo, quod Saxoniam remittere non satis tutum videretur: et exulceratum juvenis nimum aliquandiu mansisse apparet. Anno sequente honorem ei magis uam potestatem Lothariensis ducatus dedit. At Fridericus archiepiscous, quem nuper, cum vix Metas ad Henricum venisset, gravis nuntius xtinctorum ducum perculerat, Moguntiam repetens, sed a civibus exclusus regiis capitur, et custodiae Hadumari abbatis Fuldensis commendatur.

20. Locum exilii Hommaburgensem urbem Witikindus vocat. Haselburgum est, locus juris Fuldensis. Ab abbate primum honorifice abitus est, sed satis severe postea, cum literas quasdam suspectas derehendisset. Inde dimissus vindictam spiravit, et Hadumarum loco pellere onatus est frustra. Ruthardus Argentoratensis missus est in novam Corbejam. Ambo anno sequente, venia data et fide accepta, suis sedibus restituuntur.

21. Hermannus quidam aedituus Heroldo, Crusio aliisque lectus, fabulatur, Argentinam urbem episcopi partes secutam, quod restitisset regi pertinacius, dirutis moenibus, ut ubique pervia esset punitam, et ex eo Strasburgum dictam, nam „straasse" Germanis via est strata. Sed longe antiquior est Strasburgi appellatio; ut mirum sit Crusium Suevicarum, Herzogium Alsaticarum rerum scriptores has nugas relatu dignas judicasse. Eandem fabulam de Attila narrant, a quo dirutis moenibus, postea Polyodopolin appellatam, Bonfinius scribit. Amicus, cum in Sigismundi Gelenii Symphonia linguarum observasset, vicinis vulgo Trazburgum pro Strasburgo dici, ingeniose conjecit, a trajecto dictum, idque ipsam expressisse terminationem vocabuli Argentorati, ut Carpentorati, qui Carpenis trajectus, aut similium. Est autem illic Argena amnis, qui in Ellam paulo supra urbem influit, et olim nomen inferius extendisse videtur usque ad Rhenum; ad quem altius Argentuaria collocabatur. Hinc ergo Argentina urbs et trajectus Argenae fluminis, quod Latini in argenteum verterint. Thiethardus Hildesemensis episcopus aedem sacram Gandeshemensem a fundamentis instauratam dedicavit, ut habet Ekkehardus Uragiensis.

22. Hoc tempore in Hispania res christiana superior fieri coepit, victoria Ranimiri vel Ramiri, regis Legionensis sive Castellae. Et operae pretium erit paucis altius repetitas perstringere res Hispanicas, extra orbitam nostram positas, sed tamen interdum ingruentes. Mauregatus, rex Legionis et Asturiarum, qui a. D. 783. obiit, pudendum adhuc tributum Saracenis pendebat, quinquaginta puellas domi nobiles, totidemque ex plebe. Patruo successere fratres Veremundus et Alfonsus, qui demum solus regnavit. Hi sub initiis comiter observasse videntur Saracenici imperii majestatem. Alfonsus deinde cum solus regnaret, paulatim caput erexit, dum Saraceni inter se dissidebant, et ab altera parte a Francis

A. 939. etiam ex Septimania circa Barcinonem et Iberum fluvium urgebantur. Seni admodum circa a. D. 824. successit Ramirus Veremundi filius, qui magnam victoriam ab Abderamene Saracenorum rege, quorum tunc caput Corduba, reportavit. Secutus hunc est Ordonius filius a. D. 850. et huic a. D. 866. filius Alphonsus, qui Magni cognomen meruit, et post multas victorias (de quibus Sampirus episcopus Asturicensis in historia a Sandovallio edita) a. D. 882. Ovetense concilium celebravit, cujus acta edidit cardinalis Aguirra, in quo tractatum est de restituendis sedibus episcopalibus, quas everterant Saraceni. Itaque sub ipso christiani in spem meliorum temporum erecti sunt. Regnum admodum senex Garsiae filio tradidit a. D. 908, sed qui non diu superfuit, extinctusque a. D. 914. sceptra Ordonio fratri reliquit. Eo tempore Gennadius Asturicensis episcopus passim monasteria restauravit, itaque inter sanctos habetur. Ordonius cladem magnam ad Juncarias ab Abderramene passus est, qui se califam ferebat. Obiit a. D. 924, successit Froila frater, et huic post breve regnum Alphonsus Ordonii filius vulgo Monachus, cui *Ranimirus* II. Et hic ad Septimanias prope Durium fluvium Saracenos ingenti praelio vicit, quod magnae eclipsis solaris indicio Calvisius huic *anno vindicavit*. Hepidannus victoriam reginae Tutae tribuit ex fama.

23. Erat et aliud in Hispania christianorum regnum in *Navarra*. De initiis ejus diximus, cum expeditionem Magni Caroli et Roncivallensem cladem memoraremus. Eneconi primo regi, circa a. D. 783. extincto, successit filius Eximinus, vel Ximeno, huic rursum filius Eneco II. a. D. 822. Inde regnarunt Garsias Eneconis a. D. 851. Et Fortunius Garsiae, qui cum a. D. 905. regnum abdicasset, Sanctius frater successit, cui Tuta fuit uxor. Sanctius cum Ordonio ad Juncarias ab Abderramene victus et in montes compulsus, mox reparatis viribus cum Mauri mercenarii hostibus auxiliares in Africam redissent, sua recuperavit, plurimumque fines prolatavit. Successit Garsias filius a. D. 926, qui et ipse *passim* pepulit Saracenos; quorum res ex eo per Hispaniam retro sublapsae. Eclipsis illa magna facta est tertia diei hora, feria tertia, die 19. *Julii*, eamque praelium secutum est; Arabibus, quibus ex vetustissimo ritu luna olim culta insigne manserat gentis, victoriam sibi spondentibus, ob *solem* vi hujus sideris obscuratum, ut ex Tudensi Calvisius interpretatur. Hanc victoriam quidam per errorem geminant, nam Labbeus (secutus Calvisium, similiter liberalem) in compendio pariter atque in majore opere chronologico ex Tudensi, Hepidanno, chronico Belgico memorat, a Ranimiro Legionis rege octoginta millia Saracenorum paulo post eclipsin solarem hoc anno, qua diximus die, caesa; sed idem ad a. D. 916. scripserat ex Roderico Toletano, die quinta Aprilis feria sexta post exortum solis eclipsin visam, paulo ante victoriam Ranimiri ducis de Almansore Saracenorum rege, qui, septuaginta millibus suorum amissis, vix cum viginti equitibus effugit. Nempe

— opere in magno fas est obrepere somnum.
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim.

ANNO CHRISTI 940.

Slavi turbant. Brandeburgum subditum. De Gerone fabula. Haica ab Obotritis caesus. — Esico caesus a Bohemis. — Otto non nunc, sed serius contra Boleslaum. — Ludovicus rex Galliae in Burgundiam. Hugo Niger ei amicus et Wilhelmus Aquitanus. — Heribertus et Hugo Remos capiunt, Artaldum deponunt, Hugonem Heriberti filium intrudunt. — Otto in Galliam; in Burgundiam cum Conrado rege puero. Gallici vasalli. — Henricus frater regis Lotharingis praeficitur, mox Odo. — An Otto rex Galliam occupare sperarit. — Otto cum Ludovico collisus. Frodoardus captus. — Adelstanus rex Angliae obit, succedit Edmundus frater. — Stephanus papa male habitus. Hugonis regis Italiae quaedam. Berengarius eum metuens fugit ad Ottonem. — Saraceni ex Fraxineto Agaunum, Novaliciense monasterium, Astensem urbem vastant. — Hugo solicitat Graecos contra Saracenos Fraxineti. — Dat quaedam abbati Bobiensi. An is simul comes. — Pontii marchionis Tolosae charta. — Saraceni Agaunum vastant. Ibi S. Udalricus. Quot missae ejusdem eadem die. — Hugo Magnus dicitur demarchus. — Ottonis diploma Limburgense. — Ejusdem datum Sigefrido filio Geronis. Ibi de Bardone olim Henrici Aucupis hoste. — Episcopi Wurzburgenses. Monasterium Schildesense Padebornensis dioecesis.

1. Slavos civilibus Germanorum discordiis usos anno jam superiore **A. 940.** turbasse, sed nunc demum bellum in eos decretum, arbitror; Ottone Aprili mense in Saxonia apud Quidilingaburgum versante, si recte se habent diplomatis notae, quod infra afferemus. Nec verisimile est, anno aut biennio ante in summo discrimine rerum suarum exercitum Bohemis immisisse, ut parricidam et rebellem Boleslaum coerceret; neque enim Witikindi narratio semper ordini temporum astricta est. Cum ergo Saxonia a civilibus bellis respiraret, et Henrici urbes asseclaeque se regi summisissent, tempus adesse visum est castigandi Slavos, qui rebus nostrorum arctis elati, a depopulationibus, incendiis, caedibus non abstinebant, Geronem etiam, orientali Saxoniae limiti praefectum, per fraudem occidere conati sunt. Ille dolum dolo praeoccupans, triginta eorum proceres in convivium allectos ac vino sepultos una nocte extinxit. Ab altera parte Obotriti rebelles Haicam ducem Saxonum cum copiis delent, et in rebellione diu perstiterunt, etsi postea, exercitu plus semel in eos ab ipso rege ducto, ad ultimas calamitates pervenissent. Tantum poterat opinio libertatis. Erat enim durum hominum genus, laboris patiens et victu levissimo contentum, ut quae nostris oneri, illis voluptati essent. Cum etiam in medio harum gentium Heveldi obsequium detrectarent, Tugumirus ex principibus eorum, quem Henricus rex obsidem retinuerat, pecunia et promissis Saxonum allectus, ad suos velut elapsus rediit, et in Brennaburgo urbe ab incolis agnitus ac jure paternae successionis receptus, vocat ad se nepotem, a nostris aversum, doloque captum interficit, tum sese cum urbe et ditione regi tradit. Albericus de Gerone nostro miram habet fabulam nescio an alioqui extantem. *Barbaros*, inquit, *Gero comes fortiter et frequenter debellat. Iste Gero est comes Gerinus, qui vixit, ut postea compertum est, annis 300.* Albericus interdum poetas seu cantarellos, ut ipse vocat, in scribendo consuluit, neque credidit, opinor, quae transcripsit. Hactenus unum Johannem de Temporibus dictum, celebratum scriptoribus, tantae longaevitatis novimus; ei haud multum

A. 940. Gerinus concesserit. Videntur Warinum in animo habuisse negatorem, qui inimicitiis sanctorum inclaruit. Voluere, credo, servatum a superis, ut expiaret facinora et sera pietatis laude pensaret.

2. Sed expeditio Bohemica haud aeque successit. Erat regi velut haereditarium relictum a patre bellum in Boleslaum, qui paulo ante ejus mortem Tancmari legatos violasset. Praeterea, ut jam dictum est, cum fratre non contentus, etiam amicum nostris subregulum vexabat. Huic Aesico subsidio mittitur cum legione Mersaburiorum et valida manu Hassigavorum; quod videtur accipi posse de delectu habito in pago Hassigava et vicino tractu. Is autem pagus erat in Halberstadensi dioecesi, memoratus antiquis tabulis, et nunc fere ditionis est Brunsvicensis, veterisque pagi nomen praefecturae cujusdam Guelfebytanae caput Hessem servat. Aderant etiam ex Thuringis evocati. Legionem hic cohortem interpretor, hodie regimentum vocamus. Merseburgensem Henricus, velut asylo aperto, ex improbis hominibus et inquietis passimque per praedas et tumultus pacem publicam turbantibus, sed strenuis et manu ingenioque promtis collegerat: non pessimo consilio. Simul enim patriam purgabat a pravis hominibus malique exempli, et vigorem, qui plerumque in malis major est, in hostes vertebat. Ita datis armis agrisque, eos in Merseburgensi suburbio collocavit, opportuno ad Slavos coercendos loco. Esico igitur cum his copiis in Bohemiam venit. Sed cum Thuringi, credo, haud satis ducis observantes, seorsim irent, ad hostium occursum retrocessere. Aesico sibi obvios fundit fugatque, sed ignarus fortunae sociorum haud satis caute utitur victoria. Ita Boleslaus a Thuringis reversus, palantes Saxones et recenti successu securos ac vel corpora curantes vel spoliis intentos opprimit, ducemque cum omnibus copiis internecione occidit. Inde in subregulum versus auxilio nostrorum destitutum, urbem ejus capit evertitque. Balbinus ex domesticis scriptoribus, Hagecio imprimis, Lucensem seu Zatecensem principem fuisse conjicit nomine Dobremirum; ejus enim oppidum Wlatislavia jussu Boleslai dirutum memoratur. Aesicum vel Esiconem quidam non male ad Ascarios referunt vel Ballenstedios, ex quibus superat hodie inclyta gens principum Anhaltinorum, et occurrit hoc nomen apud antiquos in illa stirpe. Si quis tamen per Hassigavos ipsos, quos hodie Hassos dicimus, quorum pagus etiam Hassi appellabatur, intelligere malit, etsi paulo remotiores a Merseburgensibus, eo minus repugnem, quod in chartulario Fuldensi inedito Esico reperitur, qui in provincia Hassiae monasterio Fuldensi bona donavit, in locis Rosbach, Corbeche, Helisunga, Heitershusa.

3. Bellum deinde Bohemicum ob difficultatem locorum saepe intermissum ac resumtum, et tamdiu tractum est, donec Otto ipse ingentibus copiis succinctus a. D. 950 Boleslaum dedere sese et sacram poenitentiae disciplinam subire coegit. Witikindus, perturbata narratione, expeditionem Bohemicam ipsius regis statim cladi Esiconis subjicit; sed Tancmari et Everhardi turbis anteponit, et ea occasione vult Wigmannum, Herimanni fratris gratiae et ductui invidentem, simulata infirmitate, a regis exercitu secessisse. Equidem Wigmanni rebellionem jam tum contigisse, dicendum

se ex continuatore Reginonis. Sed ut rex ipse duxerit in Bohemos, hac- A. 940.
mus locum non habet. Nam pene omnes ejus passus certis autoribus
innumeravimus. Itaque apparet, quicquid hoc est de rege, quem vicisse
Boleslaum, Bohemos tributarios fecisse constat, in annum Domini 950.
differri debere.

4. Otto interim a Ludovico rege Galliae indigne lacessitus, vindictam meditatur, ut castigaret audaciam juvenis, qui haud suarum compos, alienas regiones appetebat. Solicitabatur ab Hugone et Heriberto, primariis principibus regi suo infestis. Ludovicus sibi metuens id agit, ut Wilhelmum Normannum ab illis disjungat, qui in pagum Ambianensem veniens, regi dat fidem, vicissim a rege concessio provinciae, a patre regis patri ejus datae, renovatur, quae ab illis temporibus Normannia dici coepit. Sed Wilhelmus, spreta regis facilitate, non eo secius Hugoni adhaesit. Rex deinde Artaldo archiepiscopo Remensis urbis monetam et totum Remensem comitatum praecepto tradit. Novis eum beneficiis, etsi satis addictum sibi, obligabat, ne ad Hugonem transiret, qui solicitasse fertur. Sed ego haud crediderim, Hugonem Artaldi amicitiae plus quam Heriberti tribuisse, nam ambos habere haud licebat; et Heribertus haud dubie se regi adjunxisset contra Hugonem et Artaldum. Ludovicus cum in Remensi aede precibus fusis S. Remigium premissa annua libra argenti sibi vadasse videretur, in Burgundiam proficiscitur, ubi Guilielmum ducem Aquitanorum expectabat. Haec media hyeme acta, nam Ludovicus jam 16. Kal. Martii in Burgundia rogatu Hugonis comitis (Nigri scilicet) in villa Gaziaca (hodie Chezy) ad Matronam fluvium Adalardo cuidam abbatiolas in pago Portensi Faverniacum et Ottonis villam concedit. *Odilo notarius ad vicem Henrici episcopi et summi cancellarii recogn. regnante gloriosissimo rege Ludovico anno 3.* [an 5?], *indict. 13.*

5. Sed vix discesserat, cum Heribertus, Hugo et Normannus, ascitis quibusdam Burgundiae et Neustriae episcopis, Remos obsidione cingunt. Tum vero Artaldum inclusum deserunt milites sui. Sexta obsidionis die portae urbis aperiuntur. Artaldus in aedem S. Remigii a principibus et episcopis vocatus, terrore injecto, abdicat se episcopatu. Abbatiam S. Basoli et Antennacum monasterium suae sustentationi paciscitur. Videtur species synodi affectata fuisse. Hugo Heriberti filius in sede collocatur, et mox a Widone Suessionensi presbyter consecratur, expletis, postquam electus archiepiscopus fuerat, annis 15, quos Autissiodori in studiis literarum apud Widonem episcopum egit, a quo ordinatus fuerat diaconus, cum inferiores gradus ab Abbone Suessionensi Remis accepisset. Post sex aut septem hebdomadas Ludovicus cum copiis ex Burgundia redit, adjunxerant se ei Hugo Niger et Guilielmus Aquitanus; Artaldus quoque jam liber sese ad eum recipit; quo intellecto, principes impares, soluta obsidione, sese ad Petraepontem recipiunt. Inde Ottoni regi cum magnis copiis adventanti obviam proficiscuntur.

6. Ottonem Junio mense adhuc in Germania egisse, ex tabulis comperio, quae infra adducentur, datae 8. Idus Jun. ad ostium Rurae Westfalicae in Rhenum. Igitur Julio mense aut initiis Augusti principes Galli sese

A. 940. Ottoni conjunxere, eumque Attiniacum perduxere; ibi se iterum illi committunt. Idem facit Rotgarius filius Rotgarii comitis Laudunensis et successor, simul et comes Duacensis. Vasallos se professos hac formula indicat Frodoardus. Ludovicus jam vicissim inferior cum Laudune necessaria ad obsidionem tolerandam intulisset, sese in Burgundiam recipit. Persequitur Otto fugientem, habens secum Conradum puerum Transjuranae Burgundiae regem: castrisque ad Sequanam positis Hugonem Nigrum datis obsidibus jurare cogit, Hugoni Albo et Heriberto a se nocitum non iri. Res etiam Transjuranas de vicino constituit; regionem ipsam ingressum non puto. Conradum regem jam in potestate habebat. Itaque huc pertinet, quod, non satis exacte tamen, dicit Witikindus, Ottonem abisse in Burgundiam, regem (Conradum scilicet) cum regno in suam redegisse potestatem, Hugonem alterum (Richardi filium, an Roberti, non satis significat, ambo juravere) armis domuisse, et ab eo fibulam auream dono accepisse, gemmarum varietate mirabilem, *quam*, inquit, *videmus in altari protomartyris Stephani rutilantem.* Halberstadii, opinor, ipso Ottone postea episcopum ob partem dioecesis novae sedi Magdeburgensi concessam muneribus percolente. Witikindus diversos miscere videtur. Richardi filium armis domuit, Roberti jam addictum habebat, et ab hoc munus habuisse crediderim. His actis Otto, qui Ludovicum non eversum, sed in ordinem redactum volebat, Galliae regno excessit.

7. Ait Frodoardus, antequam in Burgundiam profectus est, regnum Lotharii administrandum fratri commisisse. Etiam Reginonis continuator, quem in regno Lotharii apud S. Maximinum Trevirensem scripsisse arbitror, hoc anno ait Lothariensem ducatum Henrico commissum. Itaque etsi hoc Witikindus sileat, negare nolim. Sed apparet, illic exiguam Henrici autoritatem fuisse. Et temporalis tantum administratio erat, dum adolesceret Giselberti filius puer, quem jussu regis Odo comes educabat, cui proxima ab Henrico autoritas et major apud regem popularesque fides. Itaque mox Henricum nescio quid moventem eodem anno a Lothariensibus exturbatum, idem continuator addit, connivente rege, ut apparet; mox enim Odoni administrationem ducatus concessit. Inde recens animi vulnus in Henrico recruduit.

8. Caeterum hinc apparet, virum doctum, qui ante annos haud ita multos non inelegantem historiam Galliae patrio sermone usque ad Carolingiae familiae extinctionem produxit, sed plus aequo nec feliciter satis veterum hiatus ingenio explevit, non satis Frodoardum suum inspexisse, cum scribit, Ottonem in Galliam venisse, ut occidentalis Franciae regnum orientali adjungeret; sed irritum discessisse, reditumque praecipitare coactum, intellecta nova fratris in Saxonia conspiratione. Sed fratrem tunc secum habuisse et in Lotharingia reliquisse, constat, neque ullo indicio discas, Ottonem se vana Galliae occupandae spe lactasse; quem pari fortitudine et moderatione animi nihil inepte molitum constat. In fidem recipere alienos proceres nihil tunc novi erat, et Ludovico vicem reddebat.

9. Vix discesserat Otto, cum more suo Ludovicus prodit, nec Petraepontem obsidere contentus, obsidibus exactis a praesidiariis, ne longius

ınti a tergo nocerent, ipse etsi domi plus satis haberet, quod ageret, in othariense regnum iterum irrumpit. Excivit Ottonem ea temeritas, jamne vergente licet anno Rhenum transierat, cum utriusque proceres inıcias procuravere; quas ipsa etiam anni tempestas faciebat. Frodoardus anonicus Remensis ad S. Martinum Turonensem orationis causa (ut ipse it) profecturus, ab Heriberto comite detentus est, cui suggesserant quiam, praetextu itineris sumto in filium ejus Hugonem, archiepiscopali jam ede potitum, aliquid coqui. Ita exutus ecclesiasticis reditibus, quinque ıenses in custodia egit. Fatetur in chronico * Remensi, noluisse se Hugoni ovo praesuli fidem dare, quod omnia adhuc in incerto essent. Liberatus einde cum eo Suessionem profectus est ad synodum anni sequentis. A. 940.

10. Ludovicus Laudunum reversus, ingrato nuntio ictus est. Sexto Kal. Nov. obiit Adelstanus rex Anglorum, quem Malmesburiensis historicus ıit parum aetati, multum gloriae vixisse. Scripturam sacram adhibitis 'ontibus in linguam Anglo-Saxonum verti curasse, idem memoriae prodidit. Successit frater Edmundus, qui statim Altgivam duxit, ex qua Edwinum et Edgarum sustulit, quorum posterior ex intervallo successit. Cum vix lecimum octavum aetatis annum Edmundus attigisset, Dani Northumbriam enentes jugum Anglorum excutiunt, tributum detrectant, Anlafum, multarum insularum regem paganum, Constantini tamen Scotorum regis generum, quem ante triennium maxima caede edita Adelstanus repulerat, in auxilium vocant et in Eboraco urbe recipiunt. Et tunc quidem Edmundus in angustias redactus, per archiepisoopes utriusque provinciae in pacem consensit, insulae meridionalia obtinuit, septentrionalia tueri haud potuit. Sed Anlafus non multo post obiit. Eum Huntindoniensis scriptor Hibernum facit, rectius puto Simon Dunelmensis Noreganum seu Norwagum. Et puto Orcades tenuisse, quarum habitatores coloniae sunt Norwagorum. Edmundus postea Northumbriam recuperavit, et Merciae partem, quam pagani diu tenuerant, ad Humbrum fluvium regno rursus adjecit, totiusque Angliae monarchiam tandem obtinuit, ut ait Malmesburiensis.

11. Romae Stephanus pontifex, instigante vel certe connivente Alberico, manibus impiorum lancinatus est, turpatusque in vultu, ut exinde publico abstineret. Albericus adhuc cum Hugone rege confiictabatur. Itaque haud addictum sibi pontificem suspectum habebat. Hugo interim interventu dilecti sui comitis Luitfredi et abbatis Bobiensis praeceptiones regum Longobardorum Bobiensi monasterio confirmavit; *dat. 13. Kal. April. a. d. inc. 940, regni Hugonis 14, Lotharii 9. Actum in coenobio Bobiensi.* Idem cum episcopatus in homines sibi addictos conferret, Placentinum circa haec tempora Bosoni filio credidit, quem et archicancellarium habuit. Itaque diplomata extant, quae Giseprandus cancellarius ad vicem Bosonis archicancellarii recognovit. Haec Campius in historia ecclesiae Placentinae annotavit.

12. Sigebertus et annalista Saxo, et Albericus Sigoniusque (Sigebertum secuti) in hunc annum referunt Berengarii marchionis Eporegiae fugam. Is natus erat ex Adelberto et Gisela, Berengarii regis filia; fratrem Anscha-

*) historia *corr. Eckhardus.*

A. 940. rium, aetate minorem, natum matre Ermengarde Hugonis regis sorore uterina, fortem virum, Hugo suborнato hoste sustulerat. Berengarii uxor erat ex Bosone fratre Hugonis neptis, qui exitium suorum jurasse videtur; nam et Lambertum Ermengardis fratrem caecaverat. Itaque suspecti alter alteri agebant; rex sese ad benevolentiae speciem cogere; eo magis Berengarius sibi cavere. Insinuaverat se in amicitiam Lotharii, juvenis aetate et natura aperti. Is, intellecto patris consilio capiendi Berengarium et excaecandi, alter Jonathan, miseratus amici, fertur admonuisse, quid ageretur. Berengarius, nihil moratus, per montem Jovis sese in Sueviam proripit ad Herimannum Allemanniae ducem. Comitata est uxor Willa, Bosone fratre Hugonis nata, partui vicina, asperrimos montes nec jumentis faciles pedibus emensa. Credo, quod mollius iter et tritum vitare tutius putassent. A duce regi sistuntur, qui Berengarium honorifice habuit et magnifice donatum sustentavit. Hugo, legatis missis, petit, ut hominem facessere jubeat, pecuniam non mediocrem offert; quo generosum Ottonis animum magis offendit, qui amicitias sibi venales esse negabat, honestiusque habebat dare quam accipere: id nuntiis responsum datum. Ottoni jam tum aliqua cum Hugone simultas intercessisse videtur ob Conradi Transjurani tutelam, quam Hugo quaesierat, Otto habebat.

13. Hoc tempore Saraceni in Fraxineto stabulantes eo audaciae venere, ut in Alpium interiora penetrantes, Agauni vicum ad monasterium S. Mauritii vastarent, Frodoardo memorante. Fortasse etiam tunc Novaliciensi monasterio cladem intulerunt, et Astensem urbem ceperunt, quod ex Raymundi Turci notis ita narrat Ughellus. Astenses, intellecta Novalicensium calamitate, Saracenos praeda onustos adoriuntur et in fugam conjiciunt; sed dum abjecta ab illis spolia palantes colligunt, a recollectis Saracenis vicissim caeduntur, tribus millibus suorum amissis. Saraceni fugientibus insistentes, ipsam urbem capiunt diripiuntque, coenobia incendunt, omnia immanitatis exempla edunt, quae brevitas temporis patiebatur: nam ne a vicinis circumvenirentur, mature se in tutum recepere.

14. Cum etiam collecta multitudo transmarinorum (id est Anglorum) Gallorumque, quae Romam petebat, iter relegere coacta esset, nonnullis occisis rei indignitas Hugonem regem excitavit. Itaque legato Constantinopolin misso rogat Romanum augustum, ut sibi chelandria aliquot mittat seu naves, ut mari etiam oppugnari et includi possint. Simul et Graecum ignem petit. Haec etiam biennio abhinc obtinuit. Legatum vitricum suum Luitprandus fuisse scribit, habitumque perhumane a Romano, cujus et laudes praedicabat.

15. Hugo etiam cum filio Lothario coenobio Bobiensi, constructo in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, ubi merita B. Columbani florent corpusque ejus humatum quiescit, confirmat praeceptiones regum Longobardorum Rotarii, Ariperti et Luitprandi, serenissimorum regum, et autoritates divae memoriae Caroli augusti, Hludovici, Lotharii et filii ejus Ludovici, Carolomanni et (fratris hujus) Caroli imperatoris augusti (tertii), per quas ipsi coenobio comitatum Bobiensem cum toto honore suo per fines et loca apertissime designata tradiderant. Gisulprandus

cancellarius ad vicem Atonis episcopi et archicancellarii recogn. Dat. A. 940.
13. Kal. April. a. d. inc. 940, regni nostri d. Ugonis piissimi regis 14, Lotharii autem filii ejus item regis 9. Actum in Bobiensi coenobio. Ego comitatus honorem abbati, si religiosus fuit, illis jam temporibus datum fateor me mirari, et magis adhuc, quod in eodem praecepto Luitfredus comes et abbas Bobiensis coenobii nominatur, quod ex posterioris aevi formulis suspectum videri posset, nisi ponamus, Luitfredum comitem virum fuisse militarem, cui commendata fuerit abbatia, ut passim tunc fiebat. Sed inde factum, ut posteriores abbates sibi comitum titulum vindicarent. Sane multum mirati sunt homines paulo post, Brunonem Ottonis M. fratrem archiepiscopi simul et ducis officium obiisse, quem tamen titulum nomenque ducis unquam sumsisse non puto, et personae praerogativa, non ecclesiae fuit; monachos cum rebus et personis suae ditionis a comitum potestate exemtos, comitis munia per suos advocatos obire frequentissimum erat. Sed ut ipse abbas comes haberetur, puto, tunc sine exemplo fuisse. Luitfredus postea Papiensis episcopus factus videtur Campio Placentinorum historico, ex quo notitia haec desumta est, in quo vereor, ne deceptus sit, si Luitfredus ex sacro ordine non fuit. De quo amplius inquirendum putem.

16. In Septimania Ragemondus, qui et Pontius, marchio monasterium S. Pontii martyris Temeriense absolverat. Huic Aymericus Narbonensis archiepiscopus consensu canonicorum insignia dona confert. Abbas erat Otgerius. Aymericus in tabulis se vocat Dei gratia Narbonensem archiepiscopum, Pontium ducem Aquitanorum et comitem Tolosanum. Factum est hoc donum *a. d. inc. 940. mense Augusto, anno 3.* [an 5?] *regnante Ludovico rege Francorum.* Signant episcopi Rodaldus Biterrensis, Guilandus Carcassonensis, Theodericus Lutevensis, tum innominatarum sedium (an quia nonnulli extorres nupera irruptione Saracenorum?) Pontius, Reynardus, Datbertus, Hugo, Guadaldus, Wilandus. Deinde post abbates: *Signum domni Pontii ducis Aquitanorum et comitis Tolosani. Sign. Guarsindis uxoris ejus* etc. Tabulas in appendice annalium Mabilio edidit et huic anno assignavit.

17. Paulo post Agaunensis monasterii cladem Udalricus, qui inter sanctos relatus est, Agaunum venit, ut sacras reliquias de corpore S. Mauritii et Thebaeorum martyrum obtineret, quas ei, cum in Ottonis comitatu esset, Conradus rex juvenis promiserat. Monasterium nuper a Saracenis exustum invenit, nec quisquam praeter aedituum aderat: Udalricus prima luce in templo missam de sancta Trinitate celebrat, qua expleta, cum alteram statim diei dominicae congruentem inchoasset, duodecim clerici cum multitudine adfuerunt, quos ille peractis sacris salutavit causaque itineris aperta obsequentes habuit. Ex reliquiis impetratis nonnihil in reditu Alewico abbati Augiae concessit. Hic Velserus, qui vitam Udalrici (unde haec sumta) edidit, observat binas missas continuas ab eodem dictas, et locum ejusdem biographi affert, quo Udalricus scribitur quotidie missas tres vel duas vel unam pro spatio temporis decantasse, si valetudo pateretur, et notat ex Walafrido colligi cap. 21. et fortasse ex Leonis I.

A. 940. papae epistola 79. ad Dioscorum, fuisse in arbitrio sacerdotis, quot missas dicere vellet, concilium Salingstadense a. D. 1073. ad trium numerum revocasse, Alexandrum II. intra unum coercuisse.

18. Extant quaedam tabulae, quibus Hugo dux Francorum, quem Album item Magnum dicunt, tramarcus appellatur. Tales sunt, quibus Hugo rogatu cujusdam fidelis sui ex rebus beneficii, quod ab Hugone acceperat, monasterio S. Juliani apud Turones, archiepiscopo Theotolone petente, concessit. *Data mense Majo in pago Aurelianensi, in villa quam dicunt Fontanas, ubi residebat dominus Hugo venerabilis comes et tramarcus, anno tertio regnante Hludovico rege.* Sed in ingressu chartae vocatur *Hugo dux Francorum, nec non et demarcus.* Demarchum interpretor seu populi rectorem. Itaque *tramarcus* corruptum ex eo et male lectum puto.

19. Otto rex rogatu Dietheri episcopi (an Thiethardi Hildesemensis?) et comitis dilecti Chuanrati (Curciboldum interpretor) ecclesiae Lintburgensi (vulgo Limburgensi in Westerwaldia) praedium dedit, in pago Loganegau (a Lona fluvio nomen habente) in loco Ubtushem (an Ubbesheim?). *10. Kal. Maji indict. 13, anno regni quarto. Poppo cancellarius ad vicem Friderici archicapellani.*

20. Aliud ejus praeceptum ita habet: *Otto d. f. cl. rex Sigifrido dilectissimi marchionis nostri Geronis filio, nostro spirituali filiolo in comitatu patris in pago Suevon* [Suavia vel Suabegau] *concessimus in proprium, quicquid Gero in villis Ostregela et Westregela nostri tenuit beneficii, excepto eo, quod de praedio S. Wicberti ad abbatiam Herolvesfeld pertinente praestitum ei habuimus, et has villas cum omni proprietate, quam intra villarum illarum marcam hactenus habuimus, Sigefrido in proprium tribuimus, cum novo castello in Osteregala, curtilibus, locis, aedificiis. Sylvam etiam in saltu Hakul, quam Bardo prius in beneficium tenuit* [an ille Henrico ante regnum duci a Conrado rege oppositus?] *juxta Cockstedi villam. Bruno cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovi. Data 8. Id. Jan. ann. inc. D. 940.* [sic legendum, non *941.*], *indict. 13, anno ser. regis Ottonis 5. Actum in Rore* [Ror-orta, opinor]. Quodsi recte se habent notae temporum, poterit tunc Bruno regis frater Popponi suffectus vel adjunctus videri.

21. Burcardum episcopum Wirziburgensem obiise, habent annalista Saxo et abbas Ursbergensis. Successit Poppo, ille ipse, opinor, notarius regis. Hoc anno et Schildesense Angariae monasterium in Ravensbergensi comitatu dioecesi Padebornensi fundatum, haud procul Bilefelda oppido, ex Gobelino Schatenius notat. Id postea Meinwerco episcopo datum ab Henrico II, hodie virginibus Romanae et Augustanae professionis aeque incolitur.

ANNO CHRISTI 941.

spiratio in Ottonem. — Punita. Ditmari historici avus in ea. Comes etiam Verlensis. — Henricus in custodiam datur. Archiepiscopi purgatio per eucharistiam. — Otto Herisiensi et Magdeburgensi ecclesiae dat praecepta. — Sed nprimis est in Magdeburgensem liberalis. — Fundatio episcopatus Brandeburensis. — Expeditio in Obotritos et Danos. — Monachi canonicis substituti regia otestate. — Monasteria reformata. — Hugo archiepiscopus ordinatur Remis. — udovicus cum Rotgario comite Laudunensi conciliatur, cum eo fugatur, ab Aquianis colitur et Carolo Constantino. — Ad Wilhelmum Normannum venit Haralus Daniae rex pulsus. — Russi cognati Hunnis. — Constantinopolin classe entant. — Principes eorum circa hoc tempus ex Normannis orti. — Novogardia edes principum Russorum ex Normannis ortorum. — Ignis Graecus contra Saacenos Hugoni promissus. — Cognatus pulveri pyrio: quibus usurpatus. — Iubertus filius Hugonis regis marchio Tusciae fit. — Fit dux Spoleti; occasio b uxore. — Monasterium Medii Lacus reformatum. Versus Leonini. Origo eorum Francis. — Reginae Mathildis vexatio a filiis. Temporum connexio.

1. Gravis in Ottonem conspiratio hac hyeme in Saxonia facta est. A. 941. ites, quos Gero regebat, fatigati expeditionibus in barbaros, cum pendia, deficientibus tributis Slavorum rebellium, haud satis accurate merarentur, iras a duce in regem transferunt, qui turbis implicitus llam iis quietem concedebat. Stimulabant occulte, qui partibus Henrici rebant, cujus humanitas liberalitasque laudabatur. Henricus ipse non pers consiliorum fuisse fertur: nondum cesserat regnandi cupiditas, dorque etiam acceptorum dedecorum in vindictam agebat. Itaque cata factionis muneribus et promissis sustentabat. Et res ad tantum nefas ocessit, ut Quedlinburgi in paschali festivitate, quae instabat, occidere gem, Henrico praesenti diadema imponere constitutum esset: sed indicio oditionis ad se delato, rex, dissimulata notitia, nihil quicquam publicorum aniorum intermittens, sed milite fideli vallatus absterruit conjuratos. sto deinde peracto, consilio Francorum principum, quibus tunc maxime ebatur, Herimanni ducis Udonisque et Conradi, quem Witikindus Rufum ocat, alii Curciboldum, comprehendi conscios jubet, aut, si aliter in testatem redigi non possent, occidi.

2. Horum primus Ericus, vir fortissimus et multis laudibus egregius charus populo, cum armatos adesse nuntiatum esset, equum paratum cendit, et circumfusis hostibus, memor pristinae virtutis et nobilitatis, aluit cadere inimicorum, quam carnificis manu. Ita lancea perfossus cubuit. Vorburgius, Schatenius aliique recentiores, nescio unde, comim Werlensem faciunt. Caeteri capti altera septimana more majorum mnati capitis supplicium subierunt. Ditmarus praeter Ericum nominat acconem, Herimannum, Reinwardum, Wirinum, Esericum. Addit, Luitrium avum suum paternum participem criminis et morti destinatum, incipum intercessione evasisse, bonisque ademtis anno integro apud ertoldum Bavariae comitem (id est ducem) in custodia egisse. Deinde stitutum et in gratiam receptum, etiam praedia in Sundersleva et in Vodeneswega regis munere acquisivisse. Ipse tamen, ut se judice nemo ocens absolvitur, expiando delicto monasterium in honorem sanctae Dei enitricis construxit, decimamque haereditatis suae partem usibus fratrum

A. 941. tribuit, ut hoc loco annotat annalista Saxo. Erici filius Hilliwardus longe post tempore a. D. 968 Bernardo in episcopatu Halberstadensi successit, cui cum rex virgam pastoralem traderet: *Accipe*, inquit, *pretium patris tui*. Saxonice dicere potuit *werigeldam*, id est pecuniam, quam caesi propinquis interfector solvebat.

3. Roswita Gandeshemensis, ad Gerbergam abbatissam suam, Henrici ipsius filiam, panegyricum Ottonis M. scribens, culpam Henrici et conscientiam criminis nec fatetur nec negat, blanditiis tamen improborum corruptum scribit, quod ad caetera ejus acta referri potest. Witikindus ait, Henricum fugientem regno cessisse; sed rectius continuator Reginonis, in custodiam datum, et Ingelhemium missum, quod Luitprandus per errorem ad prioris rebellionis exitum refert. Fridericus Moguntinus conscientiae suspectus, in ipsa perceptione corporis et sanguinis Domini Deum superinvocans innocentiae testem aut criminis ultorem, sese coram populo purgavit. Id examinis tunc genus habebatur, frequentatum praesulibus post Leonis III. exemplum: et valere potest in mente non perdite mala.

4. Ottonem hoc anno rebus Gallicis mistum non reperio, longius a Saxonia hoc animorum habitu recedere non ausum. Qui Saxonibus olim maxime nitebatur, nunc fiduciam in Francos produxerat, utili temperamento, ut utriusque populi non rex magis quam amicus haberetur. Itaque audivimus Francorum maxime opera, per quos Eberhardum et Giselbertum vicerat, in compescenda Saxonum rebellione usum. Lothariensibus ac Transjuranis non timebat, dum Galli inter se conflictabantur: initio anni egit in castello regio, quod vocatur Dalaheim. Ibi congregationi Herisensi in Dudonis Paderbrunnensis episcopio mundiburdum et immunitatem a progenitore et aliis antecessoribus concessam renovat. *Bruno cancellarius ad vicem Friderici archicapellani. Data 4. Idus Januar. a. D. 941. anno regni sexto* [lego *quinto*] *ind. 13.* [lego *14.*]. Inde Magdeburgum venit, ibique fratribus ad servitium Dei sanctorumque Mauritii et Innocentii a se congregatis, quicquid a vectigali, telonio, moneta loci provenire potest, tribuit: *Data 5. Kal. April. a. d. inc. 941, indict. 14, anno regni 6.* Pascha Quedlinburgi peregit, ubi a periculo gravissimo non abfuisse audivimus. Oportet peccasse, aut laxius locutos notarios, aut menda inesse regni annis. Nam annus 6. Ottonis demum Julio mense coepit, priores dies ad quintum pertinent. Et vero passim in exemplis diplomatum circa initia Ottonis Magni corruptae sunt temporum notae, et originalia consulenda essent.

5. Quedlinburgo rex Magdeburgum rediit, ibique 5. Kal. April. congregationi Magdeburgensi, quicquid a vectigali, id est theloneo vel moneta ejusdem loci utilitatis venire potest, ibidem 9. Kal. Maji eidem monasterio decimam in multis locis attribuit, commutatione cum Halberstadensi episcopo instituta. Totam scripturam ex cartulario nostro Magdeburgensi huc transferre operae pretium erit:

In n. s. et i. T. Otto div. fav. cl. rex. Noverint omnes fideles ejus nostrique tam praesentes, quam et futuri, qualiter nos ob amorem Dei nostraeque animae omniumque debitorum nostrorum remedium ad S. Pe-

*) largitus est. Ibidem *corr. Eckhardus.*

-sum apostolorum principem et ad S. Mauritium atque ad S. Innocentium, A. 941.
d nutrimen monachorum in loco Magdeburg dicto Deo illique servientium,
uem et ipsum locum Romano subjecimus mundiburdio, in proprium damus,
uod a Berenhardo Halberestatense episcopo pro praedio, quod nos ejus
cclesiae in Winedehusuno marco dantes, cum advocati ejus traditione
ccepimus; hoc est in pago Nordturingia in comitatu Dietmari, quicquid
a Magdeburguro marco ad S. Stephanum in Halverestatensi ecclesia in
erritoriis et mancipiis omnique re, et decimam de hominibus ejusdem
*Magdeburgensis ecclesiae, Elerpes * cujusdam nobilis viri in locis sic*
ominatis Magedeburg, Vrosa, Inantesleba, Hartaratesdorf, Dudulon, item
Dudulon, Iscatesdorf, Nienwatunge, Osterwatunge, Suldorf, Otteresleba,
Apendorf, item Apendorf, Kuodhartesdorf, Buchuvi, Predalitze, Fridumа-
esleba, Trumpsice, Witrichesdorf, Lioboltesdorf; insuper et plebejam
cclesiam in Magedeburg, quae omnia hoc scripto ad praefatam Maged.
ccleaiam in proprium firmamus, et ad certificationem manu propria cor-
oboramus et annulo sigillari jussimus. Signum domini Ottonis invictis-
imi regis. Poppo ad vicem Friderici recognovi. Data Non. Kal. Maji
. d. inc. 941, ind. 13, anno Ottonis regis 5. Actum in Magedeburg. Amen.

6. In hanc hyemem Brandeburgici episcopatus fundationem refero, agente in Saxonia rege; triginta annis ante Magdeburgensem, ut diserte scribit Ditmarus; nimirum cum nuper Tagimirus princeps Brandeburgensem urbem nostris subjecisset, ut anno praecedente memoravimus. Annalista Saxo (qui male rem gestam in a. D. 949. confert) primum episcopum Ditmarum vocat. Secundus fuit Dodilo, tertius Volcmarus, ut nos episcopus Merseburgensis docet. Quartum Ditmarum fuisse arbitror, qui initiis fundationis Magdeburgici archiepiscopatus vixit caeterisque ejus suffraganeis accessit.

7. Hoc anno expeditionem in Obotritos et proximos illis Danos a rege susceptam, verisimile est, statim post expetitas a conspiratoribus poenas. Nam Haiconis cladem superiore anno illatam Obotritos impune diu non tulisse, putandum est. Et Ottonem, vivente adhuc Editha conjuge, foedere cum fratre ejus Adelstano Angliae rege percusso, contra Cnutonem regem fines inquietantem ad Sleswicum usque processisse, discimus ex Ekkihardo Sangallensi. Itaque distinguenda erit haec expeditio ab altera, quae post Edgitae et Adalstani mortem contra Haraldum Cnutonis successorem suscepta est. A. D. 948 Ottonem, victo Cnutone, Sleswico Moguntiam redisse, habet Sangallensis scriptor, nec plura de hac expeditione scimus. Non tamen sine formidine erroris hunc monachum sequor. Nam vult, Burcardum, Cralonis abbatis Sangallensis successorem, ad Ottonem tunc Moguntiam venisse, ut confirmationem electionis suae impetraret. Sed Cralonem multo post reginam Editham obiisse constat. An ergo prius aliquod iter Burcardi adhuc monachi cum eo confusum dicemus, quod electus abbas suscepit? Burcardi etiam cognatio cum rege male repraesentatur. Si vera est haec expeditio, mature peractam dicemus, quando rex jam Idibus Julii Francofurtum redierat, ut jam intelligemus.

*) et Erpes corr. Eckhardus.

A. 941. 8. Francofurti scilicet agentem adiit Adelbero Metensis episcopus, docuitque, canonicos in S. Arnulfi monasterio extra muros, spreta regula laico more agere, imo inhonestam ducere vitam, nec admonitionibus obtemperare, itaque consilio totius cleri sui pellere eos loco, meliores inducere decrevisse, si regi ita videretur. Canonici contra ad regem proclamaverunt. Rex tabulis in eam rem datis: *Regia*, inquit, *potestate sancimus, ut imposterum illic ab honesta congregatione monastica vita ducatur*. *Data 4. Id. Januar.* [leg. *Julii*] *a. d. inc. 941*, *ind. 14*, *anno regni 6*. Adelbero monachos Benedictinos introduxit, et reditus loci insigniter auxit. Idem postea monasterium Gorziense pristino vigori restituit. Ex talibus actis Adelberoni sanctitatis fama adhaesit. Circa hoc tempus fratribus in Aquisgrani palatio Deo digne famulantibus ecclesiam in villa Diura (credo, quae hodie Düren, olim Marcodurum) cum omnibus ad eam pertinentibus attribuit.

9. Itaque cum passim ferveret monasteriorum reformatio, Fridericus Moguntinus occasionem sibi datam ratus Hadumarum Fuldensem abbatem ulciscendi, eandem in Germania per suam provinciam aggressus est; coepitque a minoribus monasteriis, ut paulatim ad primaria progrederetur. Ajebant aliqui praestare paucos vita claros, quam multos solutius agentes in monasteriis degere. Witikindus hoc non admodum probat, gravem in monachos persecutionem vocat; prohibuisse summum patrem familias, ne zizania intempestive evellerentur; addit, multos tunc deposito habitu monasteriis exire maluisse. Hadumarus sua autoritate stetit, et in gratia regis permansit.

10. In Gallia Heribertus id agebat, ut filius Hugo canonica autoritate in sede Remensi collocaretur. Itaque synodum congregari volebat. Hugoni suspecta ejus inconstantia erat, verebaturque, ne synodi autoritate ad placandum sibi regem et ab Artaldo avellendum uteretur. Tandem congressi episcopos Remensis provinciae convocant in aedem Suessionensem, Crispino et Crispiniano dicatam. Subornant Remenses clericos et nobiles laicos, ut in synodo petant, tandem aliquando prospici sedi jam diu vacanti. Episcopi decernunt, quia Artaldus archiepiscopatum ejurasset (quod is a se factum pernegabat), Hugonem ordinandum. *Me Hugo*, inquit Frodoardus, *ab exilio revocavit*. His actis, Remos adeunt, et praesulem electum in aede S. Remigii consecrant.

11. Interea Ludovicus rex Burgundiam petens in itinere Rotgarium comitem forte obvium capit et, obsidibus datis, ea lege dimittit, ut Ducum Arnulfo Flandro restituat, quod et factum est. Efficit etiam, ut Rotgarius Hugoni Nigro et Giselberto Burgundo reconciliaretur, deinde Laudunensem ei comitatum (paternum beneficium) concedit. Hugo et Heribertus Laudunum obsident, auditoque regis adventu, relicta obsidione in eum feruntur, qui in pago Porcensi, ubi hodie castrum Porcianum, castra habebat; nonnullos prosternunt, caeteros in fugam vertunt. Rex cum Artaldo et Rotgario aegre evasit. Artaldus, amissa cum sarcinis spe, ab Hugone et Heriberto abbatias in victum concessas sibi reddi impetrat. Illi cum Wilhelmo Normanno breviter locuti, ad exercitum redeunt, qui in Lauduni

bsidione haerebat, et loci proditione capiendi spes facta erat, quae tamen A. 941.
rrita fuit. Itaque tandem soluta obsidio est. Rex interea in Burgundiam ulteriorem profectus, a Carolo Constantino Viennae recipitur; illuc Aquitani venientes, sese fidei ejus committunt. Arverni, puto, et Tolosani et Septimaniae reliquae principes. Regi filius nascitur Lotharius. Hugo, Heribertus et Wilhelmus cum Arnulfo colloquuntur, qui regi favebat. Inde Heribertus trans Rhenum ad Ottonem proficiscitur, quem non procul a flumine abfuisse apparet.

12. Wilhelmus pertaesus turbarum et tactus sensu pietatis, id agebat, ut regi principes reconciliaret. Nec illi abalienare a se audebant ducem potentem, et tunc apud se habentem strenuos ex Dania viros et sibi promtos, quos secum adduxerat Haraldus rex, a filio Suenone (si Normannis scriptoribus Dudoni et Gemmeticensi credimus) pulsus, qui tunc apud Wilhelmum hospes morabatur. Haraldus is fuerit, quem Otto M. mox ad baptismum adduxit. Saxo Grammaticus exilii ejus tenuem notitiam habuit, quasi apud Scotos exegisset, filium Suenonem rebellem ignoravit. Nam Sueno in honorem Ottonis in baptismo dictus est Suenotto, quem Saxo vult in exilio natum.

13. Hoc anno Russi, ampla gens, celebrari coepere, quanquam jam Photii patriarchae tempore eruperint et aliquam Christi notitiam nacti fuerint, de quo supra ad a. D. 861. Roxalanos veterum fuisse putem, genus Alanorum, seu Alanos Rossos, a colore, opinor, ut in ulteriore Scythia Calmuki et Mugales, nigri vel albi, cognominantur. Borysthenes, qui nunc Russorum est, olim Alanorum fluvius habebatur, itaque equus Hadriani, qui epitaphium meruit, dictus est Borysthenes Alanus. Sub Sarmatarum et postea sub Antarum appellatione diu latuere. Trans Gothos, inter Danubium et Tanaim habitantes, multas Antarum gentes Jornandes collocat. Slabini etiam, qui partem Germaniae, Pannoniam, Illyricum, Thraciam inundavere, ex Russis pro parte exisse videntur. Trans Russos, versus orientem, Hunnorum cognatus populus habitavit, antequam prodiret; ejusdem cum Russis linguae ipsamque Russiam Hunigardiam veteres Sueci Danique appellavere.

14. Sed exhausta migrationibus gens diu quievit. Nunc Russi Ingere rege ac duce, indictione decima quarta, ingenti examine hominum erupere, et classe maxima ex Danastro et Danapro, id est Tyra et Borysthene, in Pontum Euxinum delati, ipsam regiam Constantinopolin aggressi sunt. Mille illis navium classem tribuit Luitprandus, decies mille Theophanis continuator, quod vereor, ne nimium sit. Erant tamen exiguae et leves, ut per brevia etiam libere commearent; fortasse ex eo genere navigiorum, quae veteres monoxyla appellabant, una arbore excavata. Ubi excensionem fecere in Thracia Asiaque opposita, vastata regione, cum nondum praesto esset miles, qui coerceret, magna crudelitate grassati sunt. Captos in crucem agebant, aut jaculis velut in metam directis petebant; praecipue in sacerdotes saevi, quibus ferreos clavos in medium caput adigebant. Romanus augustus, duce Theophane patricio, chelandria sua festinanter refecta iis opponit et Graeco igne instruit, quo in Russorum undique

A. 941. assultantium naviculas sparso, plurimae ignem concepere; qui cum aquis extingui non posset, vectores in mare desilientes plerique periere. Qui Asiam invaserant, a Johanne Curcua scholarum domestico, Asiatici exercitus duce, repulsi sunt. Inger magna suorum parte amissa irritus recessit. Et chelandrio corruptum galerae vocabulum, non absurdum est. Ditmarus, qui salandriás vocat, addit, esse naves mirae longitudinis et celeritatis, ex utroque latere duos habentes remorum ordines et centum quinquaginta nautas.

15. Russos a colore dictos etiam Luitprandus opinatur. Et Graeci hodie vaticinium jactant, liberationem suam ab auricoma gente expectandam. Inger originem ex Balthici maris accolis habuit; nam antiqui Russorum annales memorant, Roriconem quendam ex Waregis venisse; et in Novogardia primum regnasse. Waregos quidam Wagrios putant, circa Lubecam. Alii malunt fuisse ex regulis Normannorum, qui classe vecti fortunas sedesque quaerebant. Nam vetusto sermone Germanico Wareges constat significare extorres, vagos, piratas, latrocinia agentes. Certe Rorico externus a Russis agnoscitur, et vocabulum indicat Germanum septentrionalem, nominatusque est alius Rorico inter Normannos, Francis infestos. Etiam fratris filium Olaphum, id est Olaum, Russorum principem quidam commemorant, et a. D.... dicitur Olaus ex Russia in Moraviam venisse. Roriconi successisse fertur filius Igor sive, ut Graecis rectius effertur, Inger; nam hoc quoque nomen septentrionalibus Germanis frequentatur, et a. D. 931 Inger Normannus memoratur Ligeri incumbens. Inger dominatum Kioviam usque promovisse fertur. Itaque verisimile est, hunc esse, qui successibus laetus ex Borysthene Euxinum Pontum classe ingressus est, et urbem Graecorum regiam tentavit, quae Russis Czarogrod dicebatur.

16. An Ingermannia regio ad mare Balthicum sita, sed Russis habitata, cuidam Ingeri sedem praebuerit, haud dixerim. Nostrum Novogardiam vicinam tenuisse, eamque illi regiam fuisse, colligo ex verbis Constantini Porphyrogennetae. *Lintres*, inquit, *ex ulteriore Russia venientes sunt a Nemogarda, ubi Sphendosthlabus Ingoris filius habitabat*. Verisimile est, Neogardam intellexisse, etsi perinde loquatur, ac si ad superiorem Borysthenem sita sit, in quo erravit. Novogardiam castri novi appellatione jam Jornandes intellexisse videtur, vetustam, ut apparet, principum sedem, quam deinde Rorico Normannus vel vi vel matrimonio obtinuit. Et huc pertinere potest, quod Luitprandus Russos Normannos appellat, ad gentem notam transferens, quod de principe rectius dixisset: Rorico ergo et Inger, diversas Russorum nationes late sparsas et rudes in unius regni corpus collegisse et disciplina aliqua imbuisse videntur, ut Mahumet Arabes, Chingis-Chan Tartaros armavere. Olga Ingoris uxor christianam fidem suscepit, de quo dicemus ad a. D. 946.

17. Paulo post Russicum bellum Luitprandi historici vitricus ab Hugone rege Constantinopolin legatus advenerat. Nam eo praesente captivi quidam Russi de clade superstites supplicio suo spectaculum parum humanum dedere. Hugo petiit impetravitque, ut auxilia cum navibus sibi mitterentur ad Saracenos Fraxineti delendos. Fraxinetum sequenti anno obsessum est, Frodoardo teste, unde intelligimus, expeditionem Ingeris

circa hoc tempus susceptam. Si Luitprandum audiremus, haec Ottone jam apud Germanos imperante contigissent, sed parum ille fidus est chronologiae index. A. 941.

18. Mira res est, cum Graeci jam tot annis igne suo liquido uterentur, incendium ferente, ubicunque rei combustili adhaesisset; quem Callinicus architectus Constantino Pogonato ante bina secula cum dimidio suppeditasse fertur; rem tantam tam diu occultam manere potuisse; ut hactenus neque Latinis neque Saracenis innotesceret. Tandem tamen ad Saracenos prius, quam ad christianos occidentales pervenit, tanta horum negligentia erat. Nam eo Aegyptios in Ludovicum Galliae regem inter sanctos relatum usos constat. Quantum judicare licet de remotis, hic ignis pulveris pyrii praeludium fuit: nam ex nitro novo (veteribus nullibi memorato), id est sale petrae, ut appellant, cum sulphure parabatur, quibus materiae liquescentes et tenaces imbuebantur. Tales incendii fomites etiam nunc artifices parant. Germani vocant glutinosos ignes, „kleb-feuer". Nitrum veterum res erat plane diversa a novo, cum fuerit alcalini generis, quod ad absorbenda acida et ad lixivia valet. Sed sal, quem hodie nitrum dicunt, et male salem petrae vertunt, ad acida referri debet. Ignotum Graecis ac Romanis (etsi nunc ubique fere ex terra, sua matre, coquatur) orientaliores populi Europam docuisse videntur. Cum diu tantum ad incendia valuisset, tandem impetus additus est, postquam materia pyria in granula redigi coepit, ut tota subito ignem concipere posset. Ita Bertoldi cujusdam Schwarzii monachi Germani munere, si vera referuntur, datum est humano generi incredibilis potentiae instrumentum, quo utinam magis ad superanda naturae obstacula quam in mutua damna uteretur.

19. Boso marchio Tusciae, frater Hugonis regis germanus, jam ante aliquot annos extinctus erat, idque apparere videtur ex tabulis Hugonis, quibus ejus donationem monasterio Aretinensi factam confirmat a. D. 938, quemadmodum illic notavimus. Hugo Hubertum filium ex Wandelmoda nobili puella Burgunda (non Carentana, ut scribit Arena) marchionem Tusciae creat, quemadmodum Luitprandus testatur, qui suo eum tempore superfuisse scribit et Tusciae provinciae potentem principem appellat. Promittit ejus gesta, continuata ad sua tempora historia, sed nihil tale extat. Prima ejus mentio est in sententia, quam apud Pisas pronuntiavit pro Conrado episcopo Lucensi. Data est *anno 15. Hugonis, 10. Lotharii, die 14. Martii indict. 14.* [id est hoc anno], *quando cum marchione et comite palatii Uberto in judicio residebant Adalardus episcopus Volaterranus et Adalbertus Lunensis:* et notat Florentinius, in refractarios poenam constituisse Hubertum mille mancosorum auri, quorum media pars camerae ipsius (non regiae), altera episcopo Conrado solvenda esset. Alia pro eodem episcopo ab Uberto sententia pronuntiata est, eodem anno, *Lucae, cum in judicio resideret Hubertus marchio et comes palatii.* Extat haec quoque excerpta apud Franciscum Mariam Florentinium Lucensem. Utramque jam attulerat Placidus Puccinellus in libro de abbatia Florentina. Florentinius refert, hunc principem in venditionis cujusdam notitia a. D. 952. scripta de se sic barbare loqui: *Ego Uberto marchio lege vivente Salica*

A. 941. *filio bonae memoriae domni Ugoni regi:* unde etiam Hugonem regem tunc jam defunctum fuisse patet.

22. Petrus Damiani, qui Obertum vocat, conjugem ipsi tribuit Willam, majoris Bonifacii marchionis (Camerinorum scilicet et Spoletinorum) filiam, quam Florentinius notat in Lucensi comitatu duas abbatias insignes, unam S. Pontiani prope urbem, alteram S. Salvatoris apud Sestum (id est sexto ab urbe Luca lapide) restaurasse. Mox a. D. 942. vel 943. (credo, Sarlio supra memorato extincto vel pulso) etiam Spoleti ducatum et Camerinorum marchiam regendam Ubertus a patre accepit; praesertim cum Bonifacii antecessoris filiam duxisset: atque ex eo marchio et dux appellatus est. Id discimus ex scriptura, quam in episcopis Camerinis retulit Ughellus, ubi *a. d. inc. 944, anno Hugonis 19. et Lotharii 15, tempore Huberti filius ejus inclyti marchionis atque piissimi ducis, anno ejus secundo indict. secunda,* Eudo episcopus Camerinus ecclesiae S. Mariae quaedam donat a se structae in castello S. Severinae ad Potentiam flumen, ubi picturas regum principumque hujus temporis extare notavit Camerinarum rerum scriptor apud Cosmum Arenam. Huberto paulo ante a. D. 961. defuncto successit filius Hugo, celebratus historiarum monumentis; et nobis suo tempore haud perfunctorie memorandus.

21. Dissipatum erat celebre monasterium Medii Lacus. Wicelinus enim, vicedominus Trevirorum frequenti locum direptione, adductis praedonibus, exhauserat et ne resurgeret aliquando, veteres chartas minutatim consciderat. Rupertus ergo antistes ab Indensi apud Aquas monasterio, quod Cornelio sacrum tunc religionis fama florebat, monachos petiit, et ex iis Ruotwicum, virum probatae virtutis, abbatem creat: eum et Ottoni commendavit et luculentas a rege possessiones impetravit, qui etiam cavit privilegio, ne cuiquam res monasterii alienare fas esset. Ruotwicus postea, ut literarum studia restauraret, binos ex suis ad Gerbertum, doctrinae fama florentem, erudiendos misit. Aram d. Petri in ecclesia hujus monasterii a Ruperto positam hi versus inscripti monstrant:

Claviger alme poli, Ruotbertus mente fideli
Hanc tibi praeclaram praesul devoverat aram,
Abbas quam Ruothvic devotus rite peregit,
Praemia communis sibi quo sint aequa laboris.

Vides versus Semileoninos his temporibus frequentari coepisse, qui progressu temporis pleniores evasere, qualis est hic secundus, cum initio sufficerent, quales primus et quartus. Imitatio est Germanicae versus pangendi rationis, quam mox etiam Semilatinae gentes receperunt, Graecis, Latinis, orientalibus ignoratam; nec, quod observarim, veteribus Germanis septentrionalibus in Scandinavia et Anglosaxonibus in Britannia cognitam: ut proinde Francorum inventum putem, quod tandem omnis Europa amplexa est, incertum, an aliquid in eo genere vetustius extet Otfrido.

22. Non satis liquidum est, cui tempori conveniat persecutio, quam regina mater a filiis passa est, de qua biographus habet, *insimulatam apud regem, quod regios census in mendicabula profunderet, missosque exploratores, qui ministros ejus injuriis afficiebant et eleemosynis spoliabant*

addit, ipsum dilectissimum filiorum Henricum in vexanda matre regis adjutorio usum. Id quaerebatur, ut adigeretur ad velamen sumendum et dotalia praedia relinquenda, quibus fortasse Henricus inhiabat. Reginae Ottonis simultates minus inexpectatae acciderant, Henrici ingratitudine tangebatur. Itaque relictis bonis a marito datis, ad haereditaria sua praedia in Angariam secessit, quibus liberrimo jure utebatur. Sed rex mox flagella Dei sensit, rebus hactenus prosperis retro sublapsis. Id doctissimi hagiographi Antverpienses ad filii et generi rebellionem referunt, sed tunc Editha regina haud supererat, quam propria pietate et sacerdotum procerumque hortatu maritum ad poenitentiam perduxisse biographus scribit. Rex ergo optimae matri ex Angaria redeunti apud Gronam (id est Gottingam) occurrit, fususque in lacrymas veniam oravit. Mox et Henricus morbo gravi admonitus affuit, et matrem indulgentissimam facile placavit. Morbo decubuisse constat, ex vulnere prope Wesaliam accepto. Reconciliationem ergo filiorum in a. D. 941. refero; et gesta ita connecto. Otto a. D. 937. adhuc studiis matris in Quedlinburgenses favit, a. D. 938. ab ea alienatus est, fratre etiam vexationis adjutore: regina ergo vidua relicto Quedlinburgo in Angariam se recepit. Inde Ottonis res in deterius versae, Tancmarus, Eberhardus, Henricus ipse rebellant. Vincuntur illi, et priores occiduntur, Henricus in gratiam recipitur, sed rex etsi victor, tactus tamen publicis calamitatibus, conjugis piorumque admonitu, peccasse se in matrem agnovit, eamque revocavit hyeme a. D. 941, quando in Saxonia egit. Tunc et Henricus a morbo recreatus, et ex Lothariensi regione redux ad eam deprecatum venit. Secuta deinde est conspiratio Quedlimburgensis in paschali festo, ob quam Henricus in custodiam datus, demum Christi natalitiis appetente anno Domini 942. veniam impetravit, matremque patronam sensit, cujus etiam ope tandem a. D. 945. Bavariae ducatum impetravit. Bodo Gandeshemensis scriptor etiam Ottonis acerbitatem memoraverat, qui matri praedia dotalia abstulisset; Meibomio dubitare viso, quod alius, ejusdem rei autor, tunc ei lectus non esset. A. 941.

ANNO CHRISTI 942.

Henricus bona fide reconciliatur. — Otto liberalis in Corbejam. — Synodus Bonnae. — Papa excommunicationem minatur Ludovico inobedientibus. — Wilhelmi Normannus et Pictaviensis pro Ludovico. Tractatur de pace. — Colloquium Ottonis et Ludovici et pax. — Saraceni in Fraxineto oppugnati. — Odo Cluniacensis Hugonem regem et Albericum Romae principem conciliare tentat. — Obit apud Turones. — Scripta et vitae scriptores. Successores. — Monastica quaedam. Origo Gemblacensis monasterii. — Stephani VIII. obitus. Marinus II. succedit. Cometa magnus. — Privilegium a Graecis monasterio ad Vulturni fontes datum. Romanus imperator generum filiis praeposuit. — Tempora rerum Ottonis Magni hucusque perplexa habita, nunc ordinata. — Frodoardus et Reginonis continuator defenduntur. — Contra Vorburgium. — Monachi in monasterium S. Arnulfi Metense restituuntur. — Conradi regis Burgundiae epocha.

1. Ottone rege, appetentibus hujus anni initiis, natalem Domini diem Francofurti celebrante, Henricus frater opera Roberti Moguntiacensis ecclesiae diaconi custodia Ingelhemensi elabitur, et captato tempore, cum A. 942.

A. 942. rex antelucanus ecclesiam de more adiret, supplicis habitu, nudis pedibus ad pedes ejus improvisus procubuit, fratremque ad miserationem permovit. Ex eo gratiae redditus, omissis molitionibus, fidus permansit. Ajunt, matrem animum regis ad veniam praeparasse. Roswita rem fusius narrat; Henricus usus nocturnis tenebris in regalem urbem venit, depositisque ornamentis, saeva hyeme, tenui veste, nudatis plantis, sacram ante aram prostratus veniam petiit, quam rex memor festi, in quo coelicolae pacem mundo cecinere, commissa deploranti dedit.

2. Aestate secuta rex in Thuringia agens, ad preces Brunonis diaconi fratris germani in usus fratrum monasterii Corbejensis dedit proprietatis suae 20 jugera cum 43 curtibus in pago Hesse, in villa Rotmareshusa in Osterheim marca (Schatenius corrupte habet Osterbeun) in comitatu Allonis. *Signum domni Ottonis serenissimi regis. Bruno cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovi et subscripsi. Data 10. Kal. Jul. anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi* 942, *indict. 13.* (lege *15.*)*anno regis 6.* Recte; nec bene in septimum transmutare vellet Schatenius, quem passim video haud observasse annos regni a Julio demum computandos. *Actum Imileibae;* lego *Mimileibae.*

3. Deinde ad Rhenum accessit, et in Bonna oppido praeclaram synodum, convenientibus viginti duobus episcopis, habuit. Ejus meminere continuator Reginonis, Lambertus Schafnaburgensis et annales Hildeshemenses: sed quid actum sit, nec verbulo attigere. Suspicor ego, affuisse Damasum, suffraganeum metropolis Romanae episcopum, pontificis maximi legatum, quem sub initium anni Stephanus sive rogatu Ludovici regis sive propria animi propensione in Gallias miserat, ut turbae regno perniciosae componerentur: rogatumque ab eo Ottonem jam domi victorem, ut autoritatem suam interponeret, quae sola ad rem tantam conficiendam valitura videbatur: nam principes regni, jam assueti licentiae contumaciaeque in dominum, salutaribus monitis boni pontificis haud satis movebantur. Neque Otto, etsi captare utilitates suas ex alieno incommodo posset, precibus pontificis officioque christiani principis defuit.

4. Ludovico igitur rege ex Aquitanis et Subalpinis in Burgundiam reverso, Damasus in Galliam venit, literas afferens apostolicae sedis ad principes regni cunctosque Franciae (inter Mosam et Sequanam) et Burgundiae habitatores, quibus admonebantur, ut regem suum reciperent, eique, ut par est, obedirent. Quodsi qui turbare pergerent, nec ante dictum diem proximae nativitatis Domini arma ponerent, eis excommunicationem interminabatur. Non erat inanis autoritas apud sacerdotes, qui Romam ut tutricem ecclesiarum respiciebant, caeteri quoque nondum venerationem primae sedis exuerant. Et eodem tempore missi ab Hugone Remis sedente Roma reversi pallium afferebant, non sine denuntiatione pontificis ad Hugonem et patrem ejus Heribertum, ut regem suum colerent, turbis abstinerent. Itaque episcopi Remensis dioecesis Heriberto colloquuti rogant, ut Hugonem perpellat ad colendam obsequio majestatem legitimi regis.

5. Accedebat Guilielmi Normanni, principis pii et haud libenter

rbis impliciti, propensio ad pacem; ad quem missus a rege Rotgarius A. 942.
audunensis comes in legatione defunctus erat. Perpulerat tamen animum
um sponte sua ad regem inclinantis. Itaque Ludovicus Rodomi honorifice
ecipitur: eo etiam Britones cum suis principibus venere, qui tunc Nor-
nannorum ducem colebant. Affuit etiam Guilielmus Pictaviensis. His
omitatus rex ad Iseram contendit. In opposita ripa consederant Hugo
t Heribertus, auxilioque illis aderat Otto Lothariensium dux, regis Ger-
naniae jussu; nondum enim Ludovicus nuper aggressor et hostis cum
o in gratiam redierat. Sed tunc Damasi interventu et episcoporum
itriusque regni hortatibus de pace agi coepit. Movebant et publicae
alamitates, fames grassabatur per Franciam et Burgundiam, boumque
mortalitas ingens et toti pene generi internecíva etiam hominibus pestem
minabatur. Videmus Franciam hic Burgundiae opponi. Etiam Aquitani
a Francis distinguebantur. Mabilio in Cluniacensi archivo tabulas hujus
anni reperit, ubi in Roliaco villa Matisconensis comitatus aliquot mansi
dantur ecclesiae Cluniacensi S. Petri et S. Pauli et caeterorum sanctorum,
quorum corpora et reliquias continet, ubi Eymardus abbas est temporibus
Ludovici, Franciam et Aquitaniam regentis. Eymardum sibi paulo ante
Odo suffecit.

6. Annitente igitur Damaso, primum induciae coeunt, hinc Ludovico et Wilhelmo Normanno, illinc Hugone Albo obsides Ottoni regi mittentibus. Heribertus jam filium minorem Ludovico dederat. Tum vero Ludovicus Ottoni obviam proficiscitur. Visetum Leodiensis dioeceseos locum congressus Normanni scriptores habent, et colloquii formam describunt. Reges in campo sibi occurrentes, osculo invicem dato, ad locum consessus veniunt. Ibi agitatis ultro citroque conditionibus pax firmatur. Otto deinde multum in Hugone regi conciliando laborans, tandem propositum consequitur; simul Heribertus cum filio Heriberto regi se submittit, Rudolfus etiam Laudunensis episcopus a rege restituitur. Si Normannis scriptoribus credimus, Wilhelmi fides et autoritas plurimum apud Ottonem potuit, effeceratque dux, misso in Germaniam Tetgero magistro palatii, ut locus congressui diceretur, et in ipso conventu conciliatorem partibusque medium egit. Inde baptismo Lotharii nuper regi nati affuit, puerumque ex sacro fonte suscepit. Et ea erat potentia Wilhelmi, ut etiam pro arbitrio Rotomagensem archiepiscopatum, extincto Gunthardo, conferret Hugoni cuidam S. Dionysii monacho prosapia claro, sed operibus ignobili et propudiose viventi, regis tamen autoritatem et assensum accessisse puto.

7. Hac aestate Graecorum naves ad Tyrrhenum vel Ligusticum litus cum igne Graeco appulere, quibus Hugo suas adjunxit; classeque ad Fraxinetum mari obsidendum profecta, ipse terrestri itinere cum exercitu accessit, et obsidioni praefuit. Saracenorum naves igne immisso comburuntur.. Tandem urbem captam rex ingreditur, qui supererant Saraceni mari exclusi se in montem Maurum oppido vicinum, id est in arcem, conjiciunt. Ibi poterant internecione deleri. Sed Hugo cum iis paciscitur, et conductos non paucos in Italiae finibus, qua Alpibus a Suevia dividitur, tanquam in praesidio collocat, ut Berengarius aditu excluderetur. Ibi

A. 942. multum christianorum sanguinem fuderunt, qui sacrae peregrinationis causa Romam petebant, magno Hugonis probro, nullo fructu. Haec Luitprandus ita narrat, ut videri possit, nunc tandem Saracenos Fraxineto expulsos. Sed Frodoardus affectum, non absolutum negotium innuit. Scribit enim, Hugonem regem Saracenos Fraxinidi munitionem habentes disperdere conatum. Et ipse Luitprandus postea refert, Adelbertum Berengarii filium, ab Ottone pulsum, Fraxinetum adisse, et Saracenorum opem implorasse. Itaque dicendum est, urbem captam, non arcem, eamque montis Mauri nomine intelligi, et digressis obsessoribus Saracenos etiam oppidum recepisse: porro quosdam ex suis Hugoni stipendiarios concessisse. Peregrinus hostis tandem Conradi regis Burgundiae auspiciis, qui Ottonis M. autoritate etiam apud Arelatenses postea regnavit, a Wilhelmo Provinciae principe exterminatus est a. D. 972.

8. Pacem cum Alberico patricio Hugo ante aliquot annos fecerat, Alda filia in matrimonium data, sed cum per affinitatem decipere aemulum frustra tentasset, bellum recruduerat, et Hugo pene quotannis agrum Romanum vastabat, cum urbem capere non posset. Utilem antea in reconciliandis principibus operam Odo Cluniacensis abbas navaverat. Hunc ergo Stephanus pontifex iterum evocat in eandem curam. Primum regem Papiae convenit, deinde Romam adiit, acturus cum Alberico, apud quem non minus autoritate valebat. Ibi in febrem acutam incidit, jamque mortem expectanti visus est quidam per quietem spectabilis formae ad S. Martini preces inducias dare, dum in patriam rediret. Ea spes ad valetudinem valuit, fecitque, ut reditum maturaret, negotio haud confecto; nam pax demum a. D. 946. facta est.

9. Reversus ad Gallos Odo in S. Juliani Turonense monasterium, in quo disciplinam restituerat, se recepit; 4. Idus Novembris festivitati S. Martini interfuit, sed quarta intra octavam die recidiva febri correptus, praesensit, adesse extrema, carmenque in S. Martini laudes vario metro composuit, in quo haec leguntur:

Tu pacem reparas, hinc et ad astra migras,
Nunc nos te medio concilies Domino.
Odonis famuli hoc opus, qui condidit
Emigrans de seculo.

Et sane paulo post spiritum Deo reddidit, et in eadem ecclesia sepulturam accepit. Erat apud urbem Turonensem natus, Martino colendo se ex patris voto addixerat, et primum canonicus factus erat. Berno abbas sacerdotem fieri voluit, et sibi successorem destinavit, cum a. D. 927. vita exiret. Ex eo ad tantam autoritatem pervenit, ut reges et pontifices ejus opera passim ad res monasticas restituendas uterentur.

10. Quae scripsit, in bibliotheca Cluniacensi continentur, praeter breviarium moralium Gregorii in Iob, et librum de adventu corporis S. Benedicti ad Floriacum, ab Aimoino laudatum, qui desideratur. Chronica quaedam sub ejus nomine Thomas Luochensis composuit, ut ex ore Thomae refert, qui de gestis consulum (id est comitum) Andegavensium scripsit. Vitam ejus tribus libris composuit Johannes, cujus meminimus, quem

Roma secum abduxerat, et priorem Cluniacensem fecerat; Nalgoldus vero, Cluniacensis et ipse monachus, sequente seculo in meliorem ordinem formamque redegit. Cluniaci vivus sibi suffecit Aymardum, defuncto apud Floriacenses Archembaldus successor electus est. In monasterio S. Juliani Georgius loci monachus substitutus. Etiam aliis monasteriis rectores vice sua dederat; Adacium fecerat Tutelensem et Sarlatensem abbatem, Arnulfum Auriliacensem. Odo habitus est alter Benedictus, certe maximus Benedictinae disciplinae per Galliam Italiamque restaurator. Aymardus apud Cluniacenses sibi deinde Majolum non minus clarum suffecit. A. 942.

11. Apud Treviros absoluta S. Maximini basilica 3. Id. Octob. a Ruotberto loci antistite et Adalberone Metensi magno apparatu dedicata est. Astabant abbates S. Maximini, Gorziensis, Tullensis S. Apri, Metensis S. Arnulfi, Andaginensis S. Huberti, alius denique S. Martini. Mitratos fuisse ait Browerus, sed nondum tunc episcopalia insignia abbatibus concessa erant, ut Mabilio annotat. Hoc tempore Guibertus floruit Gorziensis monachus, aut certe inter monachos agens, qui Gemblacense monasterium condidit et ex propriis bonis dotavit. Vitam ejus scripsit Sigebertus ejus coenobii monachus, narratque, praefecto novae congregationi Erluino ipsum se rursus in Gorziense monasterium abdidisse, ut liber meditationibus piis vacaret. Ita militares viri monachos agebant, contra episcopi comitum officia obibant.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Hagano episcopus Carnutensis in necrologio loci appellatur *episcopus et comes, Leobino beatissimo consimilis*, obiisse dicitur 9. Kal. Januar. indict. 14. a. D. 941. Dicendum 942, si indictioni stamus.

12. Stephanus VIII. sub hujus anni exitum aut sequentis initia res humanas reliquit. Huic anno obitum ejus ascribunt Hermannus Contractus et Sigebertus. Codex Vaticanus apud Baronium tribuit ei annos tres, menses quatuor, dies quinque. Successit Marinus II, quem Hermannus Contractus ait sedisse annos tres, menses sex; Amalricus de Biterris et Ricobaldus, qui male Martinum appellant, ex Mariano Scoto addunt dies quatuordecim. Sigebertus hunc narrat Udalrico Romam venienti episcopatum Augustanum praedixisse; scilicet deerant, quae de eo referrentur certiora et digniora. Cometam per quatuordecim noctes fulsisse, scribit continuator Reginonis. Luitprandus octo tantum noctes habet, aitque, fuisse mirae magnitudinis et longissime radios ejaculatum.

13. Chronicon monasterii S. Vincentii ad Vulturni fontes, sub Beneventano tunc et Capuae principe positi, privilegium imperatorum Romaeorum exhibet, jam olim ex Graeco utcunque versum in hunc sensum: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: Romanus et Constantinus, Christophorus et Stephanus et Constantinus Christi amicissimi et fidelissimi in Domino benigni imperatores disposuimus istud praesens nostrum benignum sigillum, vel chrysobulum..... Ergo ipsi venerabili mansioni B. Vincentii in Longobardia Christo amicae nostri thematis* (id est provinciae) *et his quae sub ea sunt, monasteriis concedimus, ut cum rebus suis immunia sint ab omni tentatione et angaria publica, quae exigi posset a patriciis*

A. 942. *nostris et strategis, et ab imperialibus, qui in Tassidiis diriguntur, et a trinarchis, drungariis et comitibus thematum, judicibus aliisque Graecis aut Longobardis, quibus negotia nostra credita sunt. Abbas etiam auctoritate hujus chrysobuli nostri amissa recuperet. Facta 2. April. ind. 15, in quo et illud a Deo coronatum imperium nostrum per cinnaberinam consuetam imperialis magnificentiae subscriptionem propria manu composuit, et aurea bulla signari praecepit.* Romanus est senior, seu qui vulgo Lecapenus, Constantinus est Porphyrogenneta ejus gener, Christophorus nepos Romani ex primogenito, Stephanus et Constantinus filii Romani. Miror (pro illis temporibus, nam hodie non mirarer) nepotem filiis praepositum; sed generum non miror, cui ipse Romanus imperium debebat. Sed hinc apparet, falsum esse, quod Zonaras et alii scribunt, Romanum a Constantino socium imperii ascitum, mox non se tantum, sed et filios suos Constantino praeposuisse.

14. Caeterum ita tandem magnas chronologiae difficultates eximimus, quibus primi anni Ottonis Magni involvebantur, quae Vorburgium de tribus Ottonibus commentantem ita male habuerunt, ut aliquoties de abjiciendo calamo cogitaret. Et sane quamvis omnes nervos intendisset, tamen gesta Ottonis inde ab initio regni hucusque prorsus perturbavit, quod Frodoardum, non contemporaneum tantum, sed et participem rerum, reformandum sibi sumsisset, eumque magis, quam res est, a Reginonis continuatore dissentire putasset; apud quem Tancmari et Wigmanni rebellio justo serius trajectione quadam librarii posita est. Miratur Vorburgius, quod Ditmarus scripsit, Eberhardum secundo regis anno rebellem et honore dejectum, tertio Henricum regis fratrem cepisse, et eodem anno Eberhardum caesum. Si computemus annos regni Ottonis a morte patris, more historicorum, id est a Julio a. D. 936, secundus usque ad Julium a. D. 938. duravit. In eo igitur ante Julium cum Tancmaro rebellare Eberhardus coeperit, et in Stelensibus comitiis in rebelles pronuntiata fuerit sententia, qua, nisi resipiscerent, honoribus privarentur. Idem Eberhardus post Julium coeptum, eodem Christi anno, tertio Ottonis, fratrem ejus captivum abduxerit, et anno regis eodem, Christi sequente, seu a. D. 939. ante Julium mensem Henricus, Giselbertus et Eberhardus Germaniam etiam cis Rhenum turbarint. Sed eodem regis anno Eberhardum et Giselbertum interiisse, Ditmarus non addit (ut accepit Vorburgius), etsi rem mox factam subjiciat, contigit tamen eodem anno Christi. Nec Ditmarus his rebus archiepiscopatus Magdeburgensis fundationem, ut reprehendens putavit vir ille doctus, sed ecclesiae conjunxit.

15. Verissime etiam Frodoardus Ottonem a. D. 939. bis in Lotharingiam duxit; Giselbertum eodem anno mersum scripsit: quae quomodo cohaereant, clarissime exposuimus. Nullus ergo hic error est Frodoardi, neque plurium annorum gesta in unum contraxit. Nec Reginonis continuator erravit, cum victoriam Ottonis ab Henrico relatam prope Vesaliam, et obsidionem Brisaci et Capraemontis in a. D. 939. contulit, cui, inquit Vorburgius, *idem, quod Frodoardo respondeo, quasi his duobus consentientibus opponi facile quicquam possit.* Sed quid est, quod obsit? *Nempe*

egat, annum tot rerum capacem. Sed cur non potuerit Henricus appe- A. 942.
ente vere ad Rhenum vinci, cum novem comitibus furtive redire in Saxo-
iam, parte Martii, Aprilis, et parte Maji a rege obsideri; tradita urbe
nense Junio redire in Lotharingiam, Otto illuc sequi? Facile enim judicari
otest, Merseburgum Ottonem Saxonicis copiis, non Rhenanis obsedisse,
eque exercitus, sed principes huc illuc volitasse. Et quidni Otto mense
ulio Augustoque potuerit cum Hugone Gallo colloqui et Capraemontem
entare? Dum interea Ludovicus rex Alsatiam invadit et 9. Kal. Sept.
ut ostendimus) Brisaci moratur, quem Otto inde pellit, et Brisacum
bsidet mense Septembri, et mox Eberhardus et Giselbertus inferiorem
Rhenum irruptione turbantes occiduntur. In Octobri Brisacum deditur.
Otto Novembri ad Lotharienses redit, plerosque recipit, Henrico veniam
oncedit, Lothariensiumque gubernationem utcunque credit.

16. Alium errorem Frodoardo Vorburgius tribuit, negatque a. D. 940
Henrico regis fratri Lothariensis regni gubernationem committi potuisse,
qui tunc fuerit aut hostis aut captivus. Sed hostis esse desierat, sub-
miseratque sese post Giselberti exitium; totoque hoc anno amicus visus
est; captivus sequente 941, cum redux ex Lotharingia (ubi provinciales
adversos habuerat) conspirationis particeps fuisset; dimissus demum eodem
anno, sed exeunte, in festo natalis Domini, et bona fide reconciliatus.
Itaque non mirum, quod Frodoardus Odonem a. D. 942. Lothariensium
ducem facit, quia Henricus anno ante et amplius esse desierat. Et licet
Witikindus de ducatu Lothariensi Henrici nihil habeat (qui tam brevis
fuit), tantumque oppida quaedam illic attributa ei scribat, non ideo Fro-
doardi laborat autoritas, qui praesens res de propinquo optime norat.

17. Collectores conciliorum, Labbeus et Cossartius, retulere chartam
Adelberonis Metensis episcopi a Sirmondo ex tabulario S. Arnulfi, erutam
Idibus Martii, ind. 15, tertio decimo episcopatus anno datam, ubi memorat,
clericos sub specie regulae canonicorum acephalos neque correctionem
admittentes, monasterio S. Arnulfi ejectos, apud Ottonem regem questos,
tanquam haereditario jure depulsi fuissent. Regem autem justum et sa-
pientem, causa cognita, quod actum erat, tastamento regiae autoritatis
confirmasse. Itaque a se quoque consensu Ottonis ducis totiusque eccle-
siae suae, et coepiscoporum etiam approbatione roborari.

18. Magis adhuc memorari digna est charta Conradi Burgundiae
regis, anno regni sexto, id est hoc praesente, quoniam patri anno Dom.
937. defuncto successit, unde intelligimus, jam ante nuptias sororis cum
Ottone Magno ab eo in regni possessionem missum fuisse: *In nomine
Dei aeterni: Conradus nutu omnipotentis Dei serenissimus rex ... Dei
famuli ex Cluniaco monasterio proclamaverunt, in praesentiam nostram,
quod Carolus consanguineus noster illorum res, quas Ingelbertus tradidit,
injuste contendebat. Ille autem ubi vidit et audivit, non se hoc recte
tenere, dimisit, et Ingelberti corroboravit. Et tunc jussit dominus rex
hoc judicium scribere, per quod omni tempore dictae chartae inviolabiliter
permaneant, et subtus fidelium nostrorum nomina jussimus inserere, ac
de sigillo nostro sigillare. Aymo episcopus praesens. Vido archiepiscopus,*

A. 942. *Iob archiepiscopus, Bero episcopus, Hugo comes, Odoricus comes palatii, Gimio filius Ludovici, Anselmus, Oldoricus comes, Umbertus Altonis, vassi dominici majores et minores, qui praesentes fuere. Ego Henricus notarius hoc judicium scripsi, dictavi 5. Kal. Jul. anno 6. regnante domino Conrado.* Carolus ejus consanguineus is est, qui vulgo Carolus Constantinus, Viennae princeps, Ludovici Orbi filius.

ANNO CHRISTI 943.

Marinus papa dat Fuldae privilegium. Otto rex confirmat privilegia. — Ottonis donum Magdeburgense. Permutatio cum Gerone. Esico Ballenstedensem ecclesiam struit. — Hungari in Bavaria et Carinthia caesi. — Wilhelmus dux Normanniae cum Arnulfo Flandro colliditur. — Specie colloquii occiditur. — Richardus filius puer succedit. Familia Wilhelmi. — Heribertus Veromanduus obit. Ejus mores et familia. — Ejus fundationes. — Posteri. — Liberi invaduntur. — Alia familia cum hac confusa. — Ludovicus rex in Normanniam. — Ludovico Heriberti liberi reconciliantur. Wilhelmi caedes non satis vindicatur. Rex Hugoni concedit partem Normanniae et Burgundiae. — Puer dux Normannorum propemodum in custodia habetur apud regem. — Hugo rex Italiae dat quaedam in memoriam avi Lotharii regis. Quidam Adalbertus, qui et Azo. — Hungari in Italiam, in Bohemiam. — Moravi contra Bohemos. Fodinae Bohemicae. — Landulfus I. Beneventi et Capuae princeps obit. Quaedam ad ipsum et familiam pertinentia.

A. 943. 1. Otto in Germania quietem nactus, res turbatas composuit, et ecclesiarum curam habuit. Hadumaro abbati Fuldensi, literas Marini pontificis afferenti, privilegia confirmat. *Monasterium*, ait, *in loco Buchoniae sylvae constructum, quem Carlomannus S. Bonifacio archiepiscopo legato Germanico concesserat.* Carlomannum praedecessorem vocat, quem regnasse putavit, cum major domus fuerit. Zachariae etiam et Pipini regis concessiones roborat, praecipitque, ut nullus secerdotum jus aliquod vel ditionem in hoc monasterium sibi vendicet, praeter sedem apostolicam. Pontificis literae ita habent: *Marinus episcopus servus servorum Dei Hadumaro religioso abbati venerabilis monasterii S. Christi martyris Bonifacii .... Monasterium S. Salvatoris a S. Bonifacio constructum, in Boconia ad ripam fluminis Fuldae sub jurisdictione nostra, cui Deo autore deservimus, ecclesiae constitutum, nullius alterius ecclesiae jurisdictioni submittatur. Cujuslibet ecclesiae sacerdotem vel episcopum ibi ditionem habere aut autoritatem praeter sedem apostolicam prohibemus; ita ut nec missarum ibi solennitatem ullus celebret, nisi ab abbate invitatus. Qui contra egerit, anathema sit ... Scriptum per manus Theodori notarii, regionarii atque scriniarii sacrae Romanae ecclesiae, in mense Martio et indict. 1. Datum 6. Kal. April. per manum Nicolai primicerii summae apostolicae sedis. Anno Deo propitio pontificatus domini nostri Marini summi pontificis et universalis junioris papae in sacratissima sede beati Petri apostoli 1. in mense ... et indict. 1.* Ita ex tabulariis Fuldensibus accepimus.

2. Rex etiam *2. Id. Feb. a. d. inc. 944, ind. 2, anno regni* 9. (lego 8.) in loco Botfelda, quae ab Eberhardo vasallo suo permutatione obtinuit nempe quicquid is habuit in villis Nebesdorf, Roresheim, Uppelinga don...

monasterio Magdeburgensi, in cartularii nostri p. 850, et mox Geroni marchioni res quasdam proprietatis suae permutatione concessit, quicquid scilicet in villa Turdinga in comitatu ipsius marchionis in pago Northuringia habebat, vicissim ab eo recepit in villa Rodigeresroth in pago Suevon in comitatu Thietmari dimidiam partem marcae. *Brun cancellarius ad vicem Fridurici archicapellani recogn. Data 5. Kal. Mart. a. d. inc. 944, ind. 1. Actum Kissenbrock.* An locus est hujus nominis, qui prope Welfebytum? Circa haec tempora etiam Esicus comes collegium canonicorum regularium Ballensteti instituit, hocque anno frater ejus Theodericus primus loci praepositus factus est, et a Marino papa confirmatus; si credimus Henrico Bassaeo Ballenstedensi monacho. Idem Esicus et aedem collegiatam ibi struxisse fertur hoc anno. Ejus, qui nuper in praelio contra Bohemos cecidit, filium faciunt. A. 943.

3. Novam Hungarorum impressionem in Bavariam huic anno ascribunt Hermannus Contractus, qualis est a Canisio editus, et Hepidannus. Bertoldum celebri victoria potitum prodit Witikindus. Aventinus (ex ingenio, an ex monumentis deperditis?), duplicem Hungarorum manum hinc Tranos, circa Traunam oppidum, illinc Carentanos vastasse. Bertoldus duces mittit, qui Carentanos tueantur; ipse robori hostilis exercitus occurrit ad Valentiam Noricorum urbem, vulgo Welsa appellatur, eosque tanto impetu invadit, ut bis arcus tendere non possent; multi caesi sunt, pars in Tranum Anassumque fluvios acti, undis periere. Praelium factum tertio Idus Augusti, proximo post d. Laurentii festum die. Duces quoque in Carantanis bene pugnantes, hostem internecione delent. Continuator Reginonis ait, barbaros a Carantanis tanta clade mactatos, quantam nondum a nostris passi fuissent, sed rem gestam in annum sequentem differt. Et dubitare nos facit, an bis caesi sint hostes, an potius Aventinus rem eandem a diversis autoribus in annos diversos relatam geminarit. Nam quod a Carantanis actum est, Bavaris tribui potest.

4. In Gallia magna mutatio rerum facta est morte primariorum virorum, Wilhelmi ducis Normannorum et Heriberti comitis Veromanduorum. Wilhelmus scelere sicariorum et Arnulfi Flandriae marchionis dolo cecidit. Arnulfus in vicinos grassabatur, Adalelmo Atrebatum urbem ademerat, Herluino Pontivensi comiti Monasteriolum. Herluinus Hugonis ducis opem postulat, cui beneficiali vinculo obstrictus erat; Hugo Arnulfum a se abalienare haud consultum ratus, auxilia differebat; quaerenti, an alterius opem implorari aequo animo laturus esset, annuit, quod neminem affore arbitraretur. Sed Herluinus jam Wilhelmum praetentaverat, hoc tantum expectantem, ne alterius inviti vasallum ad se allicuisse videretur. Wilhelmus ergo Normannorum et Britonum copiis succinctus, oppidum facile recepit; in qua oppugnatione Constantiensium virtus enituit. Munitio Herluino redditur. Arnulfus viribus inferior sese ad fraudem convertit. Mittit legatos, qui inducias offerrent et congressum, in quo de pace tractaretur. Herluinus, cui Arnulfus notior, dolos verebatur, et paterni criminis a filio renovationem. Nam Balduinus Herivaeum archiepiscopum trucidari

A. 943. curaverat. Sed Wilhelmus ex suo ingenio alios aestimabat, et magno pacis studio tenebatur.

5. Induciae placuere in tres menses. Dicta die Wilhelmus in Ambianensem pagum venit, placuitque, ut in Ponchiniaco insula Somonae colloquerentur. Ambo in ea cum paucis exscensionem fecere. Ibi Arnolfus quaesitis verbis Wilhelmo blanditur, defensorem sibi poscit contra regem. Hugonem, Heribertum, ac pene se suaque ejus fidei committit, Herluinum in amicitiam recipit. Suspecta erat nimia humanitas. Die tractando consumta, pactisque constitutis, Wilhelmus pene solus naviculam ingreditur, comites in aliam se conferunt. Tunc Eiricus, Balzo, Robertus et Rodolfus rogant, ut iterum ad ripam accedat, esse, quod dicant, oblivione transmissum et tamen non negligendum. Ille nihil mali suspicans, naviculam terrae applicari jubet. Vix pedem extulerat, cum irruunt scelerati, pugionibusque ex abdito eductis conficiunt praesidio suorum destitutum; caedem manu Alzonis (an Balzonis?) cognomento Curti peractam, Elinandum ex dictis Gulielmi historicum secutus scribit Albericus. *Sic* (inquit Dudo) *pretiosus marchio Wilhelmus felici martyrio consecratur.* Idem postea et filium Richardum nunc marchionem vocat, nunc ducem. Wilhelmus a quibusdam a Longa spatha, aliis a Barba torta cognominatur. Normanni corpus principis sui tollunt, et vestibus exutis in strophio claviculam argenteam pendentem vident. Repertum est scrinio arcano aptam, in qua monachalia vestimenta, cucullum et laneum suparum destinato deponendae potentiae consilio servabat. Struxerat enim monasterium ad Gimegias, quod Gemeticense vocant, et abbati Martino arcanum consilium induendi monachi aperuerat. Tandem et proceribus suis animum nudavit; sed hoc illi abominabantur. Accidit caedes, si Dudoni credimus, 13. Kal. Januar. a. D. 943. At Frodoardus confert in initium hujus anni. Potuit labi Dudo, potuit Januarius pro Februario poni. Nisi malis Kalendas praecedentis anni in hunc computatas.

6. Tumulato corpore principis, proceres Normanni et ex Britannia Berengarius et Alanus aliique insignes viri Richardum filium adhuc puerum in solio paterno collocant. Voluerat Wilhelmus, ut puer apud Bajocenses potius, quam Rotomagenses educaretur, quod illic lingua Dacisca, ut Dudo vocat, (id est Danica) magis frequentaretur, cujus expertem esse nolebat, ut popularibus esset gratior; cum Romana Rotomagi in usu esset. Frodoardus puerum ex concubina Britanna natum scribit. Normanni autores Sprotam vocant. At Wilhelmus Gemeticensis illustrem ortu facit, sed Danorum more ductam, id est haud rite ad nostres usus. Dudo avunculum Richardi nominat Bernardum comitem Sylvanectensem, sane nobilissimum. Hujus soror si mater pueri fuit, erravisse dicendus est Frodoardus. Bernardo enim et Sprotae Blondellus et alii patrem dant summo loco natum Pipinum, Bernardi Italiae regis ex filio Pipino nepotem, Heriberti I. fratrem. Itaque Sprota Heriberti II. consobrina fuerit. Frodoardo sequior fama imposuit. Wilhelmus deinde duxit Luitgardem Heriberti filiam, sed ex qua liberos non tulit. Ea post mortem mariti Theobaldo comiti Carnutensi nupta scribitur. Ludovicus rex mox Rothomagum, vel ut Frodoardus

loquitur, Redomum venit, Richardo puero honores ditionesque patris tribuit, proceres plerosque in fidem recipit. Fuere tamen, qui se Hugoni duci in clientelam darent. Rex eo magis habuit in obsequio Normannos, quod iras in Arnulfum et vindictam spirabat. Puerum apud se in palatio tenuit; inde suspicione nata, quasi captum haberet, ingens seditio orta est, coactusque rex est reddere puerum suis. Ac tum demum ei ducatum contulit, et sese ei defensorem pollicitus est, sacramentis super reliquiis sanctorum de more datis. Obtinuit etiam mellitis verbis et magnis promissis, ut tutela provinciae et pueri ipsi crederetur, quod in palatio et rerum luce dignius et utilius educari posset. Deinde in liberos Heriberti movit. A. 943.

7. Obierat interea Heribertus II. comes Veromanduorum, civilis belli fax. Liberos Hugoni sororis marito commendavit. In agone positus, et terroribus conscientiae agitatus, se unum ex duodecim in Carolum regem conspirantibus fuisse exclamavit. Mirum est, cum regnanti lineae proximus esset, in familia regia, intrusis ex alia stirpe regibus se adjunxisse, et sibi suisque spem regni praeclusisse; qui, si fidus regibus amicusque esse maluisset, et Carolinae gentis jura tanquam rem sacram inviolabilemque tueri; nunquam Franci ad aliam familiam respexissent. Ita praepostera ambitione turbidi homines dum praesentia captant, et per minuta insurgunt, majora et solida e manibus amittunt. Quid enim huic aliud inquietae vitae pretium, quam aliquot castra occupasse, filium ecclesiae Remensi in breve tempus obtrusisse? Conjugem ei sororem Roberti regis tribuit Buccetius, et Roberto regi copulat Beatricem sororem Heriberti, ex qua natus sit Hugo Albus. Sed nos supra ostendimus, Beatricem matrem Hugonis Burgundam fuisse, sororem Rudolfi Galliae in scissione regis; et Heribertum non sororem, sed filiam Roberti regis duxisse. Roberto autem regi praeter Burgundam fuisse aliam conjugem sororem Heriberti, quam quidam Bertam vocant, ex qua nata Emma eidem Rudolfo regi nupta. Aliam sororem Heriberti in matrimonio habuit Udo frater Herimanni Allemanniae ducis, quod Frodoardus indicat a. D. 946.

8. Heribertum apud S. Quintinum tumulatum scribit idem, cui credere malo, quam Sigeberto et Alberico, qui in abbatia Valciodorensi (seu Vallis decorae) ad Mosam apud Dinantum, quam fundarit, sepultum tradunt. Sed hujus loci fundatorem Ebroinum nominat autor chronici Valciodorensis, quem falso Heriberti patrem facit. Addit Albericus etiam in Hasteriis jam olim fundatis, Heribertum monachos posuisse, eosque episcopo Metensi summisisse, sed a. D. 1231. permutatione ad Leodiensem pervenisse, qui vicissim cesserit monasterio S. Trudonis.

9. Heriberto liberi attribuuntur Adelbertus comes Veromanduorum, qui stirpem propagavit; Heribertus Trecensis, an Meldensis, qui a. D. 951 Ogivam Caroli Simplicis viduam duxit, et filium Stephanum comitem Trecensem ac Meldensem, sed sine liberis extinctum, filiamque Agnetem Carolo duci Lotharingiae, Ludovici Transmarini filio, in vinculis defuncto, post Bonnam ex Ardennis nuptam reliquit. Ita Bucceetius, sed Blondellus ipsum Heribertum Meldensem comitem Agnetis patrem mavult: nos de

A. 943. his amplius infra. Robertus comes Cabilonensis in Burgundia ob uxorem Giselberti Burgundi filiam factus est, sed ei nonnisi filia superfuit, Lamberto in Cabillonensi comitatu successori, et demum Godefrido Andegavensi nupta. Duorum adhuc filiorum Heriberti nostri Frodoardus meminit, Odonis, cui a. D. 926 Vienna Burgundica frustra destinata est (quidam apud Cordemoium Hammensem et Castelli Theoderici comitem volunt), et Hugonis sedi Remensi intrusi aliquoties nobis dicendi. Filia Adela a. D. 934 Arnulfo Flandro, Luitgardis Wilhelmo Normannorum duci, postea Theobaldo comiti Carnutensi et Blesensi, vulgo Tricatori, uxor tribuitur. Adelbertum diximus stirpem propagasse. Huic adjungunt Gerbergam, Giselberti ducis Lotharingiae filiam, Ottonis M. ex sorore neptem, et ab eo Bertoldo duci Bavariae promissam; sive ob minorem virginis aetatem Bertoldus matrimonium morte praevenit, sive viduam ejus Adelbertus duxit. Hoc conjugium Bucoetius habet, Butkenius ignoravit.

10. Vix tumulato Heriberto, hostes in liberos surrexere. Primus fuit Rodolphus comes Cameracensis (ex testimonio Alberici Trifontani), quem Frodoardus filium Rudolfi de Gangiaco (an de Baugiaco?) appellat, chronicon Valciodorense ad stirpem regiam (haud dubie matrimonii alicujus interventu) refert. A rege suscitatum apparet, nam cum mox cecidisset, id aegre tulisse scribitur Frodoardo Ludovicus. Magnam in praelio stragem factam, habet Albericus, qui Rodulfum Cameracensem facit regis ex sorore nepotem. Chronicon Valciodorense a Dacherio tomo VII. editum regem ejus avunculum appellat. Sane Caroli Simplicis praeter Giselam Rolloni nuptam, aliae filiae Hirmentrudis, Frederuna, Rotrudis, Hildegardis a genealogis recensentur.

11. Valciodorensis monachus Rudolfum in praelio ait caesum a Wernero Eilberti filio; Eilbertum autem Heriberti nostri fratrem facit natu majorem, et liberis ejus tutorem relictum, qui et cum eo olim Carolum Simplicem ceperit. Sed haec cum Frodoardo pugnant, cui ignotus ille Eilbertus. Multa alia ille monachus falsa habet, quibus et Albericum decepisse videtur. Quatuor fratres producit, Eilbertum majorem natu et dignitate, Uddonem comitem de Roix, Heribertum comitem de S. Quintino (id est hunc nostrum), Gerardum de Odenarda, Bosonem et Witerum comites et Marcuardum episcopum, omnes natos Ebroino comite, filio Bovonis Sine barba, ex Warino de Asclovia genito, qui fuerit filius Aimerici Narbonensis ex sorore Bonifacii Magni principis de Papia. Hunc Eilbertum septem monasteria fundasse, Ebroinum ejus patrem Valciodorense. Potest aliquid in his esse veri, sed Heriberti Veromandui fratrem Eilbertum, patrem Ebroinum fuisse, haud dubie erroneum est. Mabilioni videtur monachus Eilbertum cum Alberto primogenito Heriberti II. filio confudisse, qui et notat in vita S. Cadroae a Suppare scripta, non Eilberti fieri mentionem, sed uni Hersendi (vel Garsendi) tribui fundationes S. Michaelis Valciodorensis et S. Petri Bucilei, quod virginum fuit. Hersendis Eilberti vidua habetur. Eilbertus S. Michaeli tribuit, quicquid in villa Condrusii Antina apud Heidram in Famena pater suus Ebroinus a Ludovico rege in beneficium acceperat. Donationem Otto M. confirmavit a. D. 946, ubi quaedam huc pertinentia attingemus.

12. Cum Rodulfus velut signum belli in Heriberti liberos extulisset, A. 943.
x Artaldus archiepiscopatu pulsus, regem adit, et restitutione promissa,
ımontem castellum occupat. Rex ipse Mosomum tentans, a praesidiariis
ıgonis Remensem sedem tenentis repellitur. Interea Normanni pagani,
ıroicensi urbe capta, Hugonis ducis ditiones infestabant, et urbem Ebroi-
ısem occupabant. Eam Hugo faventibus incolis christianis recipit.
ıdem tempore Ludovicus rex Rodomum redit, et Turmodum Normannum
 paganos ritus relapsum, caeterosque ad apostasiam solicitantem, una
m Sithrico Dano nuper Anglia pulso in praelio interimit. Deinde com-
ındata Herluino Normannorum provincia, Richardum puerum secum
ımpendium ducit.

13. Ibi Hugone duce medio cum Heriberti liberis de pace actum
t. Idem agebant Ottonis regis jussu Otto dux Lothariensium et Adel-
ro episcopus Metensis, qui aderant. Tum primum Ludovicus Hugonem
chiepiscopum in fidem suscepit, Artaldus ad abbatias concessas rediit,
m hoc saltem obtinuisset, ut fratribus et propinquis honores, quos ab
clesia Remensi per ipsum antea obtinuerant, (beneficia scilicet seu
uda) redderentur. Rex deinde Ebroicos ab Hugone recepit, et incolas
bi ac Richardo jurare jussit, reliqua aestate morbo correptus, Parisiis
cuit. Interea Herluinus cum Arnulfo congressus victoriam obtinuit,
ıciditque in praelio sicarius, cujus potissimum manibus confectus erat
'ilhelmus, quae amputatae Rodomum mittuntur. Intra hoc unum vindicta
ıetit; rex, Hugone duce intercedente, Arnulfo ignoscit. Hugonem filiae
x sacro fonte susceptorem facit, Franciae ducem agnoscit, Burgundiae
reat, an Hugone Nigro extincto? cujus fratrem Bosonem, qui in Lotha-
ıensi regno comitatus habebat, credo jam ante obiisse. Normanniam rex
t Hugo inter se partiuntur, convenitque, ut rex Rodomum et citeriora,
lugo Bajocenses caeteraque trans Sequanam haberet.

14. Affectus Normannorum erga regem spe vindicandi Wilhelmi ni-
ebatur, qua amissa, in odium versus est. Dudo narrat, Arnulfum legatos
d regem misisse, qui invecti in Normannos, gentem barbaram et inimicam
xterminandam dictitabant, quae nuper regem ipsum in periculum adduxis-
et. Hunc pro sapientia sua facturum, si occasione uteretur, Normanniamque
ibi vindicaret. Arnulfum fidem inviolabilem et auxilia polliceri; puerum
etinendum esse, vel etiam in eum statum redigendum, ut amplius timeri
ıon posset. Rex pollicitis, consiliarii muneribus excaecati annuerunt;
Arnulfusque regi reconciliatus est. His ita actis, Ludovicus timere coepit,
ıe puer sibi elaberetur. Eam magister Hosmundus forte ad aucupium
ıduxerat, reversus acerbe objurgatur a rege, minaeque etiam intentantur,
ıi iterum injussus exiret; oculos ipsi eruendos, puero nervos incidendos.
Hosmundus dominum jam sine controversia captum et in custodia positum
ridens, tenuit iram, et obsequium pollicitus est. Sed quid actum sit,
ıignificat fidissimis aliquot inter primates Normannorum. Ipse fugae
rationem circumspicit, quam tandem nactus est; sed hoc serius factum
ridetur.

15. Non sunt spernendae hoc anno Hugonis et Lotharii regum Italiae

A. 943. tabulis, quibus avum Hugo suum nominat. Ibi *Hugo et Lotharius reges. Donamus* (inquiunt) *ecclesiae S. Antonini martyris* (apud Placentiam) *pro anima avi nostri Lotharii imperatoris, cujus corpus intra basilicam ejus humatum quiescit, et pro luminaribus ac mercede animarum nostrorum curtes duas juris nostri in villis Gabiano et Fabrica, et curtem unam in villa Flabiano. Confirmamus quoque omnes res et familias eidem ab imperatoribus Carolo, Lothario regibusque prioribus collatas. Giseprandus cancellarius ad vicem Bosonis episcopi et archicancellarii recognovi ac subscripsi. Data 5. Id. Mart. a. d. inc. 943. regni vero domni Hugonis piissimi regis 17, Lotharii 13, indict. 1. Actum Placentiae.* Tali diplomate vel simili notitia puto Sigonium Onuphriumque deceptos Hugonem Lotharii regis ex filio nepotem putasse. Illud mirum, quod Hugo rex in dignitate avi errare potuit, quem pro rege imperatorem vocat. Sed error est in majus attollens, qui non ingrati esse solent. Itaque vel non animadvertisse putem notarii lapsum, vel non curasse. De errore complurium circa imperium hujus Lotharii dictum est ad a. D. 869. Adnotabimus aliam chartam hoc anno datam septima Junii de oblatione et investitura bonorum S. Florentii in Florentiola, cui subscripsere: *Adelbertus, qui et Azo, Elpericus, qui et Elpizo, filius b. mem. Reinerii, et Lanfredus, qui et Lanzo, filius b. m. Raimelmi, de loco Fabrica, vassalli episcopi Bosonis*, nempe ut appareat, Azonem esse ex Adelberto vel Alberto contractum. Vasalli etiam appellatio notatu digna est, quae nondum adeo frequens erat.

16. Magnam Hungarorum cladem in Carantanis continuator Reginonis in hunc annum refert, nos jam superiore occupavimus. Ad hoc tempus retulerim impressionem ab iis factam in Italiam. Hugo eos decem nummorum modiis datis avertit, et, si Luitprando credimus, dato viae monstratore in Hispaniam ire ipsamque Cordubam Maurorum regiam aggredi jussit. Debebat etiam alas dare, quibus trans maria et montes volarent. Illi cum in regionem arentem venissent, duce male accepto, iter relegerunt. Fortasse Bavari quoque non priore, sed hoc anno cum Hungaris conflictati sunt. Bohemici scriptores, eosdem hostes Bohemiam tentantes, angustiis vallium et incisis sylvarum circa Coslaviam et Ohelum exclusos referunt; Moravos etiam in Bohemiam irrumpentes, metalla invasisse, et caesis fossoribus caeterisque operariis aes abstulisse; dissipatos a Boleslao accurrente, et praeda exutos, turma Hungarorum in societatem ascita redisse, et Bohemos bis clade affecisse, Curimense oppidum obsedisse. Ejus regulus aberat; itaque incolae Boleslai auxilium implorant. Is in hostem ducens, latera carragine munit, frustraque assultantes fundit fugatque, hostes in Moraviam persequitur, munitionemque Bohemis objectam solo aequat. Sed quae scriptores isti, haud ex monumentis, sed partim ex obscuris traditionibus aut consignationibus recentiorum, partim ex ingenio narrant, non magnam fidem habent.

17. Thomas Pessina, quem Balbinus primum Moravicarum rerum scriptorem et amicum suum appellat, refert, Moravos a sacerdotibus christianis Boleslai parricidae odio impulsos, Olgum quendam Russum (a

lgae reginae alterum filium?) ex Kioviae (vel Novogardiae) principibus A. 943.
Moraviam venientem (an domo pulsum?) ducem sibi vel regem creasse, oleslaum Hungaros suscitasse, qui eos a tergo invaderent. Sed mox oravos Hungarosque, societate inita, in Bohemiam irrupere, invitati axime fama fodinarum, quae tunc, si credimus, in Bohemia mire floreınt. Balbinus eas imprimis argenti divites facit, quae ad Lipnicensem rum Moraviam spectabant. Clipta, non recentissimus Bohemorum scriptor, ex eo Hagecius tradunt, dum venam sequantur fossores, in equum genteum justae magnitudinis incidisse; ego rudi assimulatione memorum lusisse hic naturam putem, dum materia se cavitati saxorum acommodans, facile prominentiis capitis pedumve speciem praebere potuit. criptores rem, ut fit, in majus attollentes, tam prope ad vivum accessisse ribunt, ut nullo artificio posset magis; sed artem naturae subvenisse, m dubito. Omnes naturae lusus rudes sunt, nam cornua, ossa, dentes, iaque accuratius formata, spolia vel vestigia animalium haberi debent, ed maxime aquaticorum, quae ex ipsis veris vel supersunt, vel expressa ierunt. Caeterum vectus ad Boleslaum equus, diu in basi marmorea xcelsus, ad totius Bohemiae spectaculum stetit. Tantas fodinarum Boheıicarum opes, si non exaggeratae essent, mirarer, ejus temporis scriptores ıgisse, qui tamen apertas sub Ottone venas argenti ad Goslariam, haud tique tam uberes, celebravere, et cur nummos tam antiquos Bohemicos emo produxit? Balbinus nobis etiam aselli argentei spectaculum ex odinis Bohemiae Kuttenbergensibus offert, et equuli aurei ex Giloiensibus sub Carolo IV. Mirum, ni talem asinum et Silesii habuerint, nde nomen fodinae et dicterium vulgi. Sed haec jucundiora, quam ertiora.

18. Hoc anno die decima Aprilis obiit Landulfus Beneventi et Capuae rinceps, ejus nomine primus, cujus pater Atenulfus Capuanorum primus eneventi principatum obtinuerat, ejecto Radalgiso a. D. 900. Landulfus tramque ditionem multis annis strenue rexit, primum cum patre usque d a. D. 910, quo ille Capuae obiisse videtur; deinde adjuvante fratre tenulfo Theani comite, quem tandem ejectum ad generum suum Guaiarium Salerni principem cum filio Landulfo aliisque liberis se recepisse nte a. D. 933. (nam eo Guaimarius obiit) ex anonymo Salernitano inedito olligit Camillus Peregrinus. Noster Landulfus magna pars belli fuit, quo aracem Gariliano ejecti sunt a. D. 916. Scribitur a. D. 921. cum Graecis onflixisse, quod illic non sine dubitatione retulimus, nec facilius admisius, quod quidam scripsere, a. D. 920 Beneventum amisisse captum a aracenis, in quo si quid veri inest, vastaverint tantum, non tenuerint. llud constat, paulo ante mortem quaedam Apuliae loca Graecis ademisse, arin inprimis, quae septennio retenta; tandem ejus filius Landulfus II. estituit, cum Romanus Graecorum augustus et Hugo rex Italiae in foedus oissent, et Romanus, Romani ex filia Constantino Porphyrogennetae uptae nepos, Bertam Hugonis filiam notham duxisset, quod factum est . D. 944, ut ibi notabimus ex legatione Constantinopolitana Luitprandi. andulfus II. obiit a. D. 961.

ANNO CHRISTI 944.

Odo dux Lothariagiae obit. An ex ejus familia primi Lotharingiae inferioris duces Luxemburgii? — Succedit Conradus filius Werneri. Ex ejus familia Conradus Salicus. Unde Gibellini. — Wernerus jam supra memoratus continuatori Reginonis emendato. — Fuit ex eadem stirpe cum Conrado rege, imo ejus consobrinus. — Dictus Wormatiensis. Pater Werinerus nomen tulit ab avo Werinero. — Conradus dux in Lotharingia suspectos invenit. — Rex mense Februario in Saxonia, liberalis in Magdeburgenses. — In comitiis Duisburgensibus verno tempore suspecti se purgant. Otto dat quaedam episcopo Ultrajectino. — Familiae vicem Matfridi familia. — Ludovicus rex cum Heriberti filiis confligitur. — Otto cum Ludovicum. — Puer Normanniae dux Ludovico elabitur. — Britones a Normannis vastati. — Synodus in Burgundia. — Filia Hugonis regis Italiae nubit filio Constantini Porphyrogennetae. Ea ratione Graeci recipiunt quaedam in Apulia Beneventanis occupata. — Romani Lecapeni augusti acta laudabilia. — Sed detruditur a filiis: hi mox a sororio Constantino Porphyrogenneta. — Epistola Marini papae. Qui primicerii et defensores. — Hubertus marchio Tusciae simul dux Spoleti et Camerinorum. — Mors Wigmanni senioris. Ejus conjux soror reginae Mathildis. Ex qua natus Wigmannus junior. — Ex eadem matre natus Ecbertus sed alio patre. Ex eo secunda Brunsvicensium linea. — Friderunna soror reginae Mechtildis, mater Wigmanni et Ecberti, et Frederunnae abbatissae Kemnadensis, forte etiam Brunonis ducis. — Tabulae propinquitatis Ottonum novissimae cum Ecberto et Billinganis. — Ottonis munificentia in Quedlinburgenses ex vita. — Billingo praedium in fiscum redactum redditur.

A. 944. 1. Odo dux Lothariensium (Frodoardo Otto, Ditmaro Udo) non multum alumno Henrico puero Giselberti filio superstes fuit, et ex Gallia reversus, ubi conciliatorem pacis Compendii anno superiore egerat, hoc decessit, Frodoardi testimonio; etsi continuator Reginonis superiore anticiparit. Ricuini filium haberi, diximus ad a. 923. Buccelius Fridericum postea Mosellanorum ducem, et Adelberonem Metensem episcopum Odonis natos putat. Butkenius in Brabanticis ex multorum sententia Odoni fratrem se tribuere ait Godefridum comitem Arduennae, patrem Godefridi et Sigefridi, ex quibus Godefridus pater Godefridi comitis, avus Godefridi et Gothelonis Lotharingiae ducum habetur. Sigefridus comes palatinus Luxburgios sevit, avus, sententia Miraei, Cunegundis imperatori Henrico nuptae. At Buccelius in genealogia regia Gallica scribit, Ermengardem, filiam Ludovici Germanici primi, comiti cuidam nuptam genuisse Cunigundem, primam uxorem Odonis Lothariensium ducis, et ex ea matrem Friderici ducis Mosellani et Adalberonis episcopi Metensis; deinde Ricuini (quem fratrem ducis Giselberti facit) et ex eo matrem Godefridi ac Sigefridi praedictorum et Adalberonis archiepiscopi Remensis. Sed cum Adalbero episcopus factus est, vitricum habebat; itaque pater Odo non fuit, quemadmodum dicto anno 929. ostensum est. Quid si vitricus fuerit Adalberonis et Friderici?

2. Ducatus Lothariensis Odonis morte vacans, a rege datur Conrado, quem continuator Reginonis filium Werinheri appellat. Erat Conradus juvenis elegantissimus strenuusque in armis, atque ideo apud Ottonem regem super alios gratiosus, ut filiam etiam ejus Luitgardem post biennium elapsum uxorem obtinuerit, unde summae nobilitatis fuisse judicari potest. Ex eo recta linea masculina imperator Conradus descendit, qui vulgo


alicus appellatur, ut suo loco ostendemus. Familiam autem Conradi A. 911. alici et trium Henricorum ejus posterorum Otto Frisingensis, qui nosse rae aliis potuit (per matrem ex eadem ortus), Wibelingicam appellat, nde Itali Gibelinam fecere, eamque ad Hohenstauffenses ex ea per foeinas ortos extendere. Creditum est, dictos a Weibelinga Sueviae oppido, odie Wurtembergicae ditionis; sed Conradi genus Salicum fuit, ex Franorum gente. Equidem potuit haec stirps praedia in Allemannia obtinuisse, um et Herimannus Francus dux fuerit Allemanniae, et Eberhardus, Conadi I. regis frater, Herimanni sobrinus, Brisacum aliaque loca in Alsatia merit. Sed rectius ad Wibelingam Francicam, non procul Nicro in pago obodunensi sitam origo nominis referetur, de quo dicemus suo loco.

3. Sed quis Wernerus Conradi nostri pater, in quaestione versatur. londellus, vir in omni historia, inprimis autem in re genealogica praestans, ed interdum asseverantior aequo, Wernerum Conradi I. regis et Eberhardi ucis fratrem fuisse existimat. An Bruschii aut Crusii aliorumque recenorum autoritate motus? qui Wernerum ducem dixere, unde suspicio nata londello fuerit, fratri Eberhardo successisse. Haerenti mihi praeclarus nnalistae Saxonis locus succurrit, quo corruptus continuati Reginonis extus emendatur. Nam ibi legitur ad a. D. 913, Eberhardum episcopum pirensem ab Erenhardo et Conrado comitibus caecatum; at in annalista ostro plerumque hunc exscribente pro Eberhardo episcopo recte legitur Einhardus, pro Erenhardo Werinharius, quae lectio vera merito habetur. taque continuator nunc, cum Werinherum vel Werinharium Conradi ducis atrem nominat, ad illum supra a se nominatum respexit, ut solet, cum iros memorat, nulla qualitatis aut personae indicatione adjecta.

4. Porro Werinarium hunc Conradi ducis patrem Conradi I. regis ente ortum, dicendum est testimonio autoris Conrado Salico augusto ex ostro duce orto contemporanei, cujus fragmentum chronicum ex caesareo odice edidit Lambecius. Verba notatu digna ita habent: *Conradus dux, ui fuit ex progenie Conradi regis praedicti, accepit filiam Ottonis I. imeratoris, ex qua natus fuit Otto dux. Otto dux habuit filios duos, unus rat nomine Cono, alter Hezil. Is isto Hezil natus fuit Cono, qui modo ex est.* Progeniem hic de simplice cognatione per foeminas non interretor, quia hoc nimis late patet. Etsi de Carolina propinquitate loquenibus sic accipiebatur, sed cui ob magnitudinem inseri plerique expetebant. psam autem cognationis rationem ostendit Reginonis locus, ex annalista mendatus, Werinarii et Conradi (nempe Curciboldi) conjunctio contra pirensem episcopum, ut fratres indicare videatur, uti alias facit, velut um apud eundem a. D. 917 Erkanger et Berchtold decollantur; et Regino . D. 992 Heribertum et Pipinum comites nominat. Neque aliter uspiam n autore indicatur, hos, quos ita conjungit, esse fratres, atque hinc etiam st, quod autor nihil addit de Werinhario Conradi ducis patre, quia, quis sset, antea satis indicasse sibi videbatur. Porro ipsa praepositio Weinharii innuit Conrado non inferiorem autoritate fuisse et aetate majorem, ane Eberhardo Curciboldi patri filios tribuit Regino ad a. D. 903, qui uerint Werinharius et Curciboldus. Juvat et controversia inter Heri-

A. 944. mannum et Conradum duces nata, ut solet inter propinquos (nam hi patrueles fuere), quae a rege sopita scribitur a. D. 946.

5. Monachus Wingartensis Cunonem vel Conradum Ottonis M. generum vocat de Oninge, qui locus incompertus. Sed alia de eo habet a veritate aliena, unde merito judicatur alius Cuno de Oninge a nostro nempe genero regis. Hunc nostrum Otto Frisingensis in chronico recte Wormatiensem appellat. Wormatia enim sedem filio ejus et successoribus praebuit, ut intelligitur ex versibus Ditmari initio libri sexti, atque ipse Wormatiae tumulatus est. Ut judicandum sit, circa Wormatiam et Spiram haereditarias ditiones habuisse, non minus quam Curciboldum fratrem, eoque ambos cum Spirensi episcopo Einhardo collisos. Sane Spiram egregie ornarunt, ibique sepulturam habuerunt imperatores ex hac gente. In vicino Lothariensi regno praedia opima tenuisse Conradum I. regem, supra plus semel dictum est, eoque facilius factum, ut huic Conrado a rege ducatus provinciae committeretur. In Wedderavia ei possessiones fuisse, nusquam apparet, unde familia Conradi I. orta habetur, sed eae Eberhardo fratri regis et Curciboldo cessisse videntur, Wernerum sese ad Rhenum continuisse. Dictus est a cognomine avo, quem supra elicuimus felici fidem emendatione loci Ekkehardi Sangallensis, cum de Conradi regis stirpe ageremus. Caeterum rem in tabella spectandam exhibere operae pretium est, quantum est hujus loci.



6. Conradus igitur hac ipsa hyeme ducis autoritate ab Ottone rege in Lotharii regnum missus est, quod constaret, quosdam res novas moliri, et ad Galliae regem respicere. Quidam sub exitum superioris anni jussu Ottonis capti sunt et in vincula conjecti. Erant inter hos, qui praedia in Lothariensi regione, sed simul beneficia in Gallia a Ludovico tenebant.

itque inde semina pullularunt novae inter reges discordiae, de quibus A. 944.
aucis Frodoardus ad exitum superioris anni. *Otto*, inquit, *quosdam fideles Ludovici, qui sibi insidiabantur, comprehendit, et in custodiam misit, unde inter reges offensae.* Conrado in conscios quaerente, res eo processit, ut etiam praesules Rutbertus Trevirensis, Richarius Tungrensis in suspicionem adducerentur, quod continuator Reginonis factioni Conradi tribuit.

7. Rex sub initium anni in Saxonia egit, cum ad radices Harzicorum montium paulo ante venatui aprorum indulsisset: itaque mense Februario apud Botfeldam fuit, quod tabulae ostendunt, ex cartularii nostri Magdeburgensis p. 850. sumtae, ubi *Otto pro salute animae suae fratribus monasterii in honore S. Petri apostolorum principis, beati quoque Innocentii martyris in civitate Magdeburgensi a se constructi, praedium, quod ab Eberhardo vasallo suo permutatione obtinuerat, et quicquid ille proprietatis habebat in villis Nebodorf, Roresheim, Uppelinga donat. Bruno ad vicem Friderici 2. Id. Febr. a. d. inc. 944, ind. 2, anno regni 9. Actum in Botfelda.*

8. Rex deinde ad Rhenum profectus, rogationum diebus placitum cum primoribus Lothariensium et Francorum Duisburgi habuit. Ibi re discussa, Rupertus archiepiscopus et Richarius episcopus apud regem accusati, sese abunde purgavere. Hic expeditio in Galliam decreta videtur. Hugo dux Ottonem solicitabat, ut veniret. Ille impeditus, exercitum credidit Herimanno duci Allemanniae, cujus summa tunc autoritas erat. Mense deinde Julio tale praeceptum Trajectensi ecclesiae concessit: *Nosse cunctos volumus, carissimum fratrem nostrum* [Brunonem] *una cum clarissimo praeceptore illius, domino Baldrico, sanctissimae Trajectensis ecclesiae episcopo, nostrae supplicasse regalitati, ut quasdam fisci regalis proprietates, a domino genitore nostro p. m. Henrico rege ibidem ecclesiis S. Salvatoris nostri et S. Martini, cujus honori praesulatus ipse dicatus est, suppeditatas, confirmaremus et augeremus. Itaque in eleemosynam germani fratris nostri, et in usum fratrum memoratae pontificalis ecclesiae in duobus illis monasteriis Deo famulantium, quorum unum S. Martini, alterum sanctae Dei genitricis et omnium sanctorum honori dicatum est; totum quod in pago Lake et Ista* [an Isla?] *hactenus habuimus, quod Walgerus et postea filius ejus Radbodus ex nostra parte in beneficium habuerunt, in proprium damus. Signum domini Ottonis serenissimi regis. Brun cancellarius ad vicem Fritherici archicapellani recogn. Data 16. Kal. Aug. a. D. 944, anno domini Ottonis 8. Actum in Rhenen.*

9. Apparet hoc loco, lineam Waltgarii et Radbodonis extinctam fuisse, qui ex stirpe primorum Frisiae seu Hollandiae comitum fuere. Neque enim beneficia rex temere superstitibus ademisset. Gerolfus comes, quem sub Arnulfo augusto floruisse dictum est, filios habuit Waltgarium, celebrem in historia et a Reginone memoratum ad a. D. 898, et Theodericum, quem annales Egmondani dant Waltgario (vel, ut vocant, Walgero) fratrem, et pro fundatore vel certe amplificatore Egmondani monasterii et primo Hollandicae regionis comite habent. Waltgarii filii

A. 944. Radbodus et Hatto nominantur in diplomate Ottonis a. D. 952. dato, ubi ecclesia ab iis in loco Thiele constructa Ultrajectensi datur. Unde rursus defecisse hanc lineam intelligitur. Habuimus a. D. 886 Eberhardum Meginhardi filium a Waltgario Gerolfi filio trucidatum. Ducatum eccii Meginhardo ejus fratri ab Arnulfo augusto creditum. Ex hac familia ortum puto Eberhardum comitem in pago Trente, cujus mentio est in tabulis, quas Henrici fratris et Baldrici Trajectensis rogatu Otto dedit *6. Kal. Dec. a. D. 944. in palatio regio Walahusun*, apud Hedam, in historia Ultrajectina. Vereor tamen, ne in anno error sit; nam sub hujus anni exitum Otto ad Rhenum egisse videtur. Walahusa autem in Thuringia est, saepe regibus accessa; ut male Bucholius ad Hedam notator Cranzium secutus Wildeshusam legerit, Bremensis dioecesis oppidum, nobis aliquoties nominatum. Circa haec tempora monasterio Stabulensi post Reginerum comitem et abbatem praefuisse Everhardum (an eundem?), itidem comitem et abbatem, habet Albericus. Hoc etiam anno Adelbertus comes Matfridi filius, viri in Lothariensi regno potentis et saepe a nobis memorati, ab Idone quodam caesus est. Annalista Saxo hunc appellat Udilonem. Adelberti frater Rudolfus apud Metenses mox memorabitur. Adelbertum eum esse apparet, qui praedia Gorziensis monasterii beneficio episcopi Metensis tenebat aegreque sibi extorqueri passus est, cum ea Adalberonis episcopi regularis vita in monasterio, Einoldo facto abbate, restitueretur, quemadmodum docet nos biographus Johannis abbatis Gorziensis, qui Adalbertum nobilem sed ferocem fuisse scribit, fratrem Bernuini episcopi Virdunensis acerrimo ingenio viri. Huc etiam pertinere arbitror Conradum Rudolfi comitis filium, cujus rogatu Otto II. quaedam Gorziensibus concessit. Tabulae apud Mabilionem in opere de re diplomatica extant libro sexto.

10. In Gallia sub ipsis anni initiis Ludovicus rex cum uxore Gerberga Aquitaniam vel potius Septimaniam adiit, et cum Raginundo Gothorum principe (id est Tholosae comite; an Pontii filio?) aliisque Aquitanorum proceribus collocutus, mature in Franciam redit, tum castrum Montiniacum in pago Suessionensi filiis Heriberti adimit, proditione praefecti; Ambianensem etiam urbem, quam Odo Heriberto natus tenebat, favente episcopo occupat et Herluino tradit, quem cum Arnulfo conciliarat. Ita bellum recrudescit. Hugo regi utcunque nuper reconciliatus et honoribus auctus, pacem cum Normannis paganis facit, cum quibus conflictabatur, ut nepotibus auxilio esse possit. Nam nolebat crescere potentiam regis, et his oppressis, in se iturum non dubitabat. Obviam cum illis Ottoni regi usque in Lothariense regnum profectus, nonnisi Herimannum ducem invenit, ingenti exercitu succinctum, qui castra Ragenarii et Rudolfi fidelium, ut Frodoardus ait, id est vasallorum Ludovici regis obsidebat. Quantum intelligi potest, erant Giselberti ducis ex Ragenario fratre nepotes, non minus Ottoni regi obnoxii ob Lotharienses terras. Itaque malo coacti, venia petita, sese dedunt.

11. Interim Otto ipse Aquisgranum accedit: ibi versantem adeunt legati Ludovici et Hugonis. Otto laesus licet, Ludovico, quia regi, favebat;

et perpetuos Hugonis motus aversabatur. Itaque legatos ejus vix admissos despicatui habuit, donec unus ex illis Manasses, a Ludovico in Ottonem injuriose dicta commemoravit, qui perfidum et perjurum appellasset, hocque ipsum Manassen ad eum referre jussisset. Quibus commotus Otto, legatos regis, haud satis negantes, facessere jubet, fideles suos ei auxilio esse vetat. A. 944.

12. Circa hoc tempus Richardus puer Normannorum dux custodia Ludovici elapsus videtur. Simulat invaletudinem gravem, medico corrupto, ut mendacium adjuvaret. Apud Normannos pro salute ejus preces in templis funduntur: tandem cum forte se minus observari animadverteret, surgit e lecto, et ab Hosmundo rustici habitu foeni fasciculo obvolutus, urbe Lauduno exportatur. Tum dispositos equos ascendens, citato cursu Codiciacum (hodie Coucium) venit, quod Bernardus comes Sylvanectensis avunculus ejus tenebat, a quo deinde Sylvanectum tanquam in tutum deductus est. Interea rex et Hugo regionem Normannorum ex condicto ingrediuntur, Arnulfus quosdam aditum prohibentes apud Arcas pellit. Ita rex, comitibus Arnulfo et Herluino et quibusdam Franciae et Burgundiae episcopis, Rodomi recipitur, adversarii navibus conscensis fugiunt, caeteri sese dedunt. Ab altera parte Hugo Bajocensium urbem obsidebat, sed obsidionem solvit jussu regis pactorum obliti, qui nunc Normannorum ducatum divelli non debere dictitabat. Inde nova irarum materies; cum etiam rex obsides Ebroicensium non redderet, qui se Hugoni submiserant.

13. Interea bellantibus inter se Britanniae minoris principibus, Alano et Berengario, Normanni novi, ut apparet, mari venientes, regionem invadunt, et repulsi primum, tandem superiores fiunt. Plerique Britonum caesi aut pulsi sunt, et Dolensi urbe capta, episcopus turba eorum oppressus est, qui in ecclesiam confugiebant. Liberarant sese Britones a Normannis paganis a. D. 931, et in festo S. Michaelis conspiratione facta, omnes internecione deleverant, non eo minus tamen ducem Normannorum, christianorum in Neustria imperantium, quibus a regibus Francorum assignati videbantur, comiter observabant, si Dudoni aliisque Normannicae gentis scriptoribus fides. Sed cum novis ex septentrione advenis, vindictam spirantibus, interdum conflictati sunt, qui nunc post Wilhelmi ducis mortem acriter incubuere.

14. In Burgundia Cisjurana Giselbertus dux synodum haberi curavit in loco, qui Turnus dicebatur. Ibi archiepiscopi affuere Guido Lugdunensis, Godefridus Vesontinus, ex episcopis Arclarius Gratianopolitanus nominatur. Argumentum ingens deliberationis fuit, ut reliquiae sanctorum, ab abbatia Turnensi ad S. Portianum Arverniae ante annos aliquot Hungarorum, credo, metu translatae, cum honore in suo loco reponerentur. Is tunc seculi genius erat, his studiis se clerus exercebat. Imitari sanctos nemo curabat.

15. Hoc anno, indictione scilicet secunda, ut Curopalates et continuator Theophanis scripsere, Romanus et Constantinus Porphyrogenneta ad Hugonem regem Italiae misere Paschalem protospatharium, natione Longobardum, ut Constantini filio Romano juniori uxorem peteret filiam

A. 944. Hugonis Italiae regis. Negaverat Hugo, sibi filiam legitimam superesse, habere tamen ex Besola concubina Bertam pulchritudine praestantem. Graecis id satis visum, qui, ut ait Luitprandus, nobilitatem nonnisi in patre requirebant. Itaque Sigefridus Parmensis episcopus virginem Constantinopolin deduxit. Mutato nomine more Graecorum Eudoxia dicta est, quemadmodum aliquot post seculis principem Brunsvicensem ex Grubenhagio ramo, Andronico juniori augusto nuptam, pro Adelheide Irenen dixere. Graeca Eudoxiae appellatio claram significat, ut Germanica Bertae. Interiorem matrimonii causam nobis aperit Luitprandus, qui cum Ottonis M. apud Nicephorum augustum legatus esset a. D. 968. (ut illic pluribus dicetur), huic exprobravit, imperatorem Romanum Lacapenum nepoti ex filia suo Romano notham Hugonis regis matrimonio junxisse, et magnam etiam pecuniae vim Hugoni dedisse, ut ejus ope reciperet, quae Beneventi et Capuae principes in Apulia Graecis ademta, jam integro septennio tenebant. De quo dictum est aliquid ad a. D. 943. Barin occupasse et reddidisse judico. Caeterum Bertam quinquennio cum marito adolescente moratam, obiisse intactam, scribit Curopalates, an ob teneram adhuc aetatem Romani? Inde uxor ei data est Anastasia cauponibus orta parentibus, quam Theophano dixere.

16. Non multo post ingens rerum conversio Constantinopoli facta est. Romanus senior augustorum, socer Constantini Porphyrogennetae, Stephani et Constantini pater, pene unus res administrabat, ejus humanitatem et liberalitatem laudat Luitprandus. Et visus est expiare crimen voluisse invasione supremi loci admissum, cum a Constantino collega sumtus fuisset. Multas per Macedoniam Thraciamque urbes reparavit, Constantinopoli constitutis reditibus inter alia pie instituta hospitalia aedificia struxit, in quibus paupereuli, qui in regia urbe essent, gratis alerentur, raro et laudabili instituto: neque hoc contentus, omne aes alienum, quo cives laborabant, quantum tabulis demonstrari poterat, ex aerario dissolvit, tabulas comburi jussit, omnibus domorum in urbe conductoribus ejus anni, qui secundus supra vigesimum imperii erat, locaria pretia donavit, quae Cedrenus et continuator Theophanis aliique fusius narrant, bonorum principum imitatione dignissima; nulla enim re propius ad imitationem Dei accesserint, quam sublevatione miserorum.

17. Romanus tamen pristinae ambitionis poenam non effugit. Nam qui filiorum causa peccaverat, ut illis imperium assereret, anno vigesimo sexto imperii (id est nunc, cum Sigefridus episcopus Parmensis adhuc adesset) a filiis, aut certe a filio Stephano, diuturni obsequii pertaeso, nam alterum Constantinum haud assensisse, quidam scribunt, vigesima die Decembris indictione tertia exuitur imperio, et in monachum attonsus, in Proten insulam mittitur, cum paulo ante rerum adhuc potens, testamento generum Porphyrogennetam primum augustorum nominasset, filiosque eum colere jussisset. Quos deinde inter se collisos et sibi invicem et Porphyrogennetae insidiantes hic praevenit, et vix mense a patris exilio elapso comprehendit. Itaque in insulas diversas mittuntur, cum prius lugubrem patris conspectum expetiissent, qui constantior animi, Deo gra-

tias egit. Constantinus Leonis filius jam solus imperio potitus, multos A. 944.
suspectos male multavit. Romanus senior, vulgo Lecapenus, mense Julio a. D. 948. vita functus est, cum Constantinus eum, ut quidam scribunt, per literas ad pristinam dignitatem nequicquam revocasset.

18. Cum paucae a Marino papa literae habeantur, oblatas attingemus. Binius nonnisi unas extare dixit, quas ad hunc annum Baronius produxit. Continetur iis privilegium datum Leoni abbati monasterii in Samnio, ad fontes Vulturni, et in chronico loci memoratum, quo pristina ejus privilegia confirmantur. Id *scriptum est per manum Hadriani scriniarii S. Rom. eccl. mense Martio indict. 2, datum per manum Stephani primicerii defensorum apostolicae sedis, anno pontificatus Marini summi pontificis secundo*. Ergo Romanae ecclesiae primicerii, qui passim memorantur in tabulis, erant primi inter defensores. Porro defensores ecclesiis dati erant jam olim, ut res earum et pauperum etiam apud judices tuerentur. Inde curam etiam rerum ecclesiasticarum habuere. Et Romanae ecclesiae defensores etiam aliis ecclesiis missione pontificis subveniebant. Gregorius M. pro regionibus urbis septem regionarios defensores constituit; quae a Cangiaco in egregio glossario pluribus annotata legi possunt. Marini etiam literae ad Johannem Beneventanae ecclesiae episcopum datae circa Bivinum, Asculum, Lapinum, Sipontum, ecclesiam S. Michaelis in monte Gargano, ne quis Italus aut Graecus vim inferat. *Scriptum per manus Stephani scriniarii s. R. e. in mense Octob. indict. 2. Bene valete. Datum 3. Id. Novemb. per manum Nicolai primicerii s. apost. sedis, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Marini pontificis et universalis papae in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo, in mense et indictione supra scripta* 2. Indictio tamen tertia fiet, si a Septembri inchoetur. Sin tueamur indictionem, annus Marini primus fiet.

19. Nunc etiam *Anno ab incarnatione d. n. Jesu Christi 944, regnante domino Hugone decimo nono et filio ejus Lothario quinto decimo excellentissimis regibus, temporibus Huberti filii ejus inclyti marchionis atque piissimi ducis anno 2, indict. 2, in civitate Camerina*, Eudo Camerinae sedis humilem se vocans episcopum in castello ad S. Severinum prope fluvium Potentiam et super saxum fluminis, prope viam publicam, ait, se coepisse a fundamento ecclesiam aedificare. Itaque convenisse sibi cum sacerdotibus suis cardinalibus, venerabilibus presbyteris et laicis huc conferri *quaedam de Camerinae ecclesiae rebus, in gastalda, in Septempedano, in Paretο, Gabiano et in campo qui fuit de dote S. Maroti*, et quae sequuntur. Hinc intelligimus Hubertum Tusciae marchionem paulo ante a patre factum etiam Spoleti et Camerini ducem.

20. Wigmannus comes hoc anno obiit. Nullum alium quam Billinganum in fastis nostris intelligi, arbitror, celebrem his temporibus, Herimanni Saxoniae postea ducis fratrem, Witikindo et continuatori Reginonis memoratum; regiae familiae affinitate innexum; nam filius ejus Wigmannus junior apud Witikindum sese regis (Ottonis M.) propinquum appellat. Unde merito collegit Meibomius in libello, quem Vindicias Billinganas inscripsit, Hermannum ducem ortu illustrem fuisse, non, ut quidam apud


A. 944. Adamum Bremensem et alibi, ex odio cleri in familiam confinxerunt, ex patre pauperculo militaris generis natum. Sed latuit propinquitatis ratio usque ad Ditmarum, a nobis ex antiquo codice restitutum, ubi haec legutur: *Herimannus dux . . . confratres tanti sceleris autores, Wigmannum materterae regis filium* (haec tria verba in Ditmari editionibus prioribus abfuere) *et Ecbertum, fugavit.* Ergo matertera Ottonis in conjugio fuit Wigmanni senioris. Sed quomodo Ecbertus et Wigmannus junior confratres appellantur, an ambo ex Wigmanno nati, an ambo ex matertera regis? quod quidem hic de solo Wigmanno dici videtur; sed ex Witikindo apparet, etiam pertinere ad Ecbertum, nam hunc, ubi obsidionem Moguntiae describit, diserte vocat consobrinum regis obsidem datum in urbem. Sed et ambo paulo post vocantur propinqui, et inferius adhuc nepotes Herimanni ducis, cum quo confiictabantur. Et Wigmannus patruum (ita diserte Witikindo Hermannus) paternae haereditatis praedonem dicebat. Postremo Wigmannus cum ad Haraldum Daniae regem confugere vellet, nec ab eo reciperetur, persequente duce, cum fratre vix evasit, eodem narrante Witikindo; frater autem utique Ecbertus. Nam quod paulo ante hunc per archiepiscopum Brunonem regi reconciliatum scripsit idem historicus, postea factum putandum est, etsi ille, ut solet, per occasionem anticiparit. Ecbertus etiam ab autore annalium Hildeshemensium (qui scilicet integriorem edito, ante nos, Ditmari codicem viderat) filius materterae regis appellatur ad a. D. 955. quia Ditmarus id dixerat de Wigmanno.

21. Est tamen cur arbitremur, Wigmannum et Ecbertum nonnisi fratres uterinos fuisse; et laxiore sensu ambos Herimanni nepotes appellari; Ecbertumque, quia fratris privignus seu veri nepotis frater erat, sub eadem appellatione comprehensum. Neque ille, ut Wigmannus de Herimanno tutore queritur, sed alias ob causas, et ante Wigmannum a rege alienatus fuit. Denique ad eam familiam pertinere eum apparet, ex qua Brunones et Ecberti posteriores Bruneswigae domini prodiere, ut suo loco dicetur. Itaque verisimile est, materteram regis ante Wigmannum seniorem alium conjugem, Ecberti patrem, habuisse.

22. Porro si materterae appellationem ex proprietate verborum accipimus, ut par est, dum licet, fuerit soror matris reginae Mechtildis. Jam vero inter reginae sorores in fastis Trevirensibus Friderana occurrit, hanc ergo Wigmanni junioris matrem fuisse, et filiam itidem Fridernnam peperisse, ex eo colligas, quod Wigmanni hujus bona ob rebellionem in fiscum redacta, pro parte attributa sunt Kemnadensi ad Visurgim monasterio, ut annalista Saxo habet ad a. D. 967, cui praefuisse Frederunam abbatissam ex diplomatibus constat, sororem, ut credibile est, Wigmanni hujus, non tantum, quia praedia ejus abbatiae suae impetravit, sed etiam, quia in fundando monasterio a Gerone adjuta fuit (ut constat ex iisdem diplomatibus), cujus filius Sigefridus (sed in juventute extinctus) neptim reginae Mathildis (ut Ditmarus scribit), scilicet Wigmanni junioris et Friderunae hujus sororem, in matrimonio habebat. Accedit, quod ex Witikindo constat, Wigmannum in Geronis et filii ejus Sigefridi fide fuisse, dum gratiam imperatoris obtineret, quod factum est paulo ante, quam

Otto M. altera vice in Italia proficisceretur. Chronographus Saxo Hedwigem Sigefrido Geronis filio nuptam Ottonis III. neptim vocat, prorsus ut ipse Otto III Ecbertum uterinum ejus fratrem in diplomate a. D. 1001. nepotem suum appellat, laxo utrumque sensu ad cognationem indicandam. In fastis nostris Fuldensibus ad a. D. 972. inter mortuos ejus anni nominatur *Brun dux*. Ejus omnes historici obliti sunt. Magnae autoritatis et potentiae virum fuisse, indicat raro tunc tributus in illis ipsis praesertim fastis titulus ducis. In Saxonia quaerendum non dubitaverim, et alicubi in limite provinciae et copiis contra Slavos profuisse. Quis ejus pater fuerit, infra dicemus. A. 944.

23.



24. Rex filia Lutgarde aegrotante votum fecerat. Nunc voti damnatus solvit, munificentia in Quedlinburgensem congregationem. *Ad monasterium* (inquit) *in Quitilingeburg constructum, ubi dominus et genitor noster piae memoriae rex Henricus extat tumulatus, pro remedio animae illius, nostrae etiam causa salutis, quin et in eleemosyna filiae nostrae Luitgardis, pro cujus infirmitate hoc spopondimus, praedium, quod hactenus in Kimlinge imbeneficiatum habuimus, cum omnibus illuc jure pertinentibus in usum virginum inibi Domino famulantium jure perenni in proprium donavimus, jussimusque hoc praeceptum conscribi, manu nostra signatum annulique impressione roboratum. Signum domini Ottonis anno inc. D. 944, ind. 5.* [imo 2. vel 3.], *anno regni nono.* Mensis non additur.

25. Autumno rex in Saxonia rogatu Henrici fratris et Conradi comitis (sic nominatur hoc loco etsi jam dux) Bilingo vasallo praedium legali judicio in fiscum redactum restituit et in proprium donat, cum ecclesiis, mancipiis aliisque annexis. *Actum Lubbetfelde. Brun ad vicem Friderici 13. Kal. Octob. a. d. inc. 944, ind. 2,* imo *ind. 3*, nam duos numeros conspirantes tertio praefero, calculo jam a me usurpato:

a. D.	indict.	a. regni
944	3	9
943	2	8
944	3	*9*

Billingum credibile est illum esse, qui saepe in tabulis Ottonis memoratur, tandemque infra dilectus comes appellatur. An ex illa fuerit Billingana stirpe, quae Saxoniae duces dedit, pro certo affirmare non ausim; verisimile tamen censeo. Caeterum Herimanni Saxonum ducis pater censeri non potest.

ANNO CHRISTI 945.

Diploma Ottonis. De quibusdam pagis et marchionibus. — Bona, quae dedit Ger... cessere monasterio Gerenrodensi. Lusatii victi. — Bertoldus dux Bavariae fr... Arnulfi obit. De ejus uxore et filio. — Succedit frater regis ducta filia Arnul... Ludovicus rex collisus cum filiis Heriberti. — Ludovicus capitur a Normannis. Dimissus a Normannis retinetur ab Hugone; id Otto improbat. — Bolesla... tonem placare studet. — Ottonis acta in Lotharingia. — Diplomata Trevirensi... et Corbejensibus data. — De locis dictis Dalheim. — Berengarii machinatio... contra Hugonem regem Italiae. — Berengario in Italiam redeunte, Hugo deseritur. — Quis archiepiscopus Mediolani. — Berengarius episcopatus dat. — Hugo... cedente, Lotharius solus regnat in speciem. — Tempus, quo haec acta. — Lotha... rius ipse a patre alienatus ob suspicionem incestus.

A. 945. 1. Regem ipsum Kalendis Maji Alsteti in *Thuringia* egisse, reperi... Ibi rogatu filii Liutulfi fideli suo marchioni Christiano rerum quarund... suarum proprietatem concedit, quas habebat in locis *Steno* et *Quigina* i... pago Sermunti, in comitatu ipsius Christiani. *Bruno cancellarius* a... *vicem Friderici archicap. Data Kal. Maji a. d. inc. 945, ind. 2.* [lego 3.] *regnante Ottone serenissimo rege anno 9. Actum Alasteti.* Eandem re... Cassellae actam aut fortasse confirmatam hoc anno habet annalista Saxo. An pagus Sermunt a Sera amne nomen habebat, qui haud procul Gartovi... Albi influit? Sed si Anhaltinis scriptoribus fides, Stena et Quigina circ... Dessoviam quaeri debent, ut Knautius ex Schwanbergero Chaericoque notavit. Christiani egregii comitis corpus jussu Ottonis in basilica Magdeburgensi tumulatum scribitur a Ditmaro ad a. D. 960. Bona, quae hic data Christiano memorantur, ad monasterium Nienburgense, confluentibus Bodae et Salae adsitum pervenere, quod ejus filii, *consilia* fortasse paterna exequentes, fundavere. Nempe hoc saepe animo reges praedia proceribus in proprium donabant, quae nonnisi beneficiali jure tenuerant, *ut in ecclesias conferre possent*, regesque donatores in partem meriti veniebant. Albinus Ditmari comitis Wetinensis et burgravii *Zorbecensis* filium Christianum facit, Lusatiaeque secundum marchionem, nempe post Geronem. Sed illa a Wetino Zorbecaque appellatio autoritate veterum *caret. Illud* constat, Christianum ex Hidda sorore Geronis marchionis, qui Gerenrodam fundavit, Thietmarum marchionem orientalem et Geronem archiepiscopum Coloniensem genuisse. Thietmarus ex Suanhilde filia Hermanni ducis (quae postea Ekkeharde marchioni nupsit) Geronem marchionem suscepit. Gero genuit Thietmarum, qui Odonem, in quo generis propagatio cessavit. Ita chronicon montis Sereni. Et hi omnes provinciae Lusizensis marchiones fuerunt, sed, ut arbitror, inferioris, quam cum superiore parte marchiae septentrionalis gubernasse videntur.

2. Eodem loco Otto rex 4. Idus Maji a. D. 945. marchioni Geroni dedit proprietatem suam in marca villae Tribunice trans Salam fluvium, in pago lingua Slavorum Litice nominato. *Signum Ottonis. Brun ad vicem Friderici. Data 4. Non. Maji. Actum Alsteti.* Ea bona deinde ad monasterium a Gerone in Gerenroda fundatum pervenere. *Loci Tribenz meminit* Ditmarus. Tertio Idus Jun. Magdeburgi Otto rex dat Volcmaro et


erto filiis Friderici villas quasdam ad flumen Fonam, in pago Seri- A. 945.
i-land in comitatu Christiani. Geroni quaedam ob bene merita sunt, scribuntque Sigebertus Gemblacensis et Albericus, Slavos hoc ab eo victos et debellatos. Eos intelligo, qui hodie Lusacii appel- ar: Cassellis (Hassorum castello, ut opinor) in conventu procerum nter Herimannum et Conradum duces, cognatos, ut opinor, imperatoris ritate composta est, ibi etiam confirmata Christiano comiti donatio est, ra memorata, quod ex monumentis haud dubie notavit annalista Saxo, m in Halberstadensi dioecesi scripsisse suspicor.

3. Bertoldus dux Bavariae obiit, in Altaichio inferiore Bajoariae nasterio sepultus, autore Aventino. Promissa ei fuerat filia Giselberti is ex Gerberga sorore Ottonis, sed an per aetatem virginis matrimonium consummationem pervenerit, diu dubitavi. Id tamen factum vult Aven- is, quem veridicum tandem deprehendi. Hundius Bruschium secutus llitrudem appellat, quae Bergense monasterium monialium dimidia ca a Neuburgo Danubiano a. D. 976. fundarit, consentiente Ottone II. llem tabulae adjectae fuissent, ut constaret, an Bertoldi ducis relicta rit. Nam Bruschius variat, fatente Hundio, et alio loco Gutam viduam rtoldi comitis de Lechsmund fundatricem inducit. Sane non desunt, i Giselberti et Gerbergae filiam Gerbergam vocant, et postea Adelberto romanduo Heriberti II. filio nuptam volunt. Ita Buccetius, qui mariti uxoris chartas superesse scribit. Haec ergo discussioni ampliori re- quo. Et potuit post Bertoldi mortem ex Bajoaria ad Lotharienses red- se: nisi quis plures Giselberto filias tribuat, historicis veteribus indictas. ne et Albradam Gerbergae filiam alii ex Ludovico Transmarino rege, i ex priore marito Giselberto natam volunt, de quo dicemus ad a. D. 954. eterum in progressu historicarum disquisitionum eo tandem deveni, ut n tantum matrimonium exitum habuisse arbitrer, sed etiam filium inde itum, in Bajoaria potentem, qui postremo ad ducatum pervenit. Eum im puto fuisse Henricum, qui Minor appellatur, aetate, si cum Ottonis M. atre Henrico comparemus; autoritate, si cum filio hujus Henrico II. Qui enricus Minor idem Hecilo et Bertoldi filius Ditmaro dicitur, Ottoni III. i tabulis nepos, id est cognatione propinquus; erant enim filii consobri- orum, quia Otto Magnus avus paternus Ottonis III. et Gerberga avia ma- erna Hecilonis frater et soror fuere. Nunc praeterito infante filio fratris inoris, nempe Bertoldi, ducatus datus est filiae fratris majoris, nempe rnulfi, vel potius ejus marito.

4. Otto precibus matris victus, Henrico fratri Juditham, Arnulfi nuper lucis filiam, Bertoldi neptem, conciliat, eique Bavariae ducatum confert. c tum primum Bavaria sub rege alienae stirpis principem tulit; hactenus nim aut a suis, aut a regibus Carolingis gubernata est. Juditham Witi- kindus vocat foeminam egregiae formae miraeque prudentiae. Henricus etiam ex eo regi fidus mansit, sed fratres Judithae tanta dignitate depulsi, rulnus tegere non potuere, ex quibus Arnulfus postea Ludolfo regis filio d pellendum patruum auxilio fuit. Rex, rebus in Germania compositis, Rhenum transiit, et in Lotharii regnum profectus est, cum intellexisset,

A. 944. mannum et Conradum duces nata, ut solet inter propinquos (nam ita patrueles fuere), quae a rege sopita scribitur a. D. 946.

5. Monachus Wingartensis Cunonem vel Conradum Ottonis M. generum vocat de Oningo, qui locus incompertus. Sed alia de eo habet a veritate aliena, unde merito judicatur alius Cuno de Oninge a nostro nempe genero regis. Hunc nostrum Otto Frisingensis in chronico recte Wormatiensem appellat. Wormatia enim sedem filio ejus et successoribus praebuit, ut intelligitur ex versibus Ditmari initio libri sexti, atque ipse Wormatiae tumulatus est. Ut judicandum sit, circa Wormatiam et Spiram haereditarias ditiones habuisse, non minus quam Curciboldum fratrem, eoque ambos cum Spirensi episcopo Einhardo collisos. Sane Spiram egregie ornarunt, ibique sepulturam habuerunt imperatores ex hac gente. In vicino Lothariensi regno praedia opima tenuisse Conradum I. regem, supra plus semel dictum est, eoque facilius factum, ut huic Conrado a rege ducatus provinciae committeretur. In Wedderavia ei possessiones fuisse, nusquam apparet, unde familia Conradi I. orta habetur, sed eae Eberhardo fratri regis et Curciboldo cessisse videntur, Wernerum sese ad Rhenum continuisse. Dictus est a cognomine avo, quem supra elicuimus felici fidem emendatione loci Ekkehardi Sangallensis, cum de Conradi regis stirpe ageremus. Caeterum rem in tabella spectandam exhibere operae pretium est, quantum est hujus loci.



6. Conradus igitur hac ipsa hyeme ducis autoritate ab Ottone rege in Lotharii regnum missus est, quod constaret, quosdam res novas moliri et ad Galliae regem respicere. Quidam sub exitum superioris anni jussu Ottonis capti sunt et in vincula conjecti. Erant inter hos, qui praedia in Lothariensi regione, sed simul beneficia in Gallia a Ludovico tenebant.

tque inde semina pullularunt novae inter reges discordiae, de quibus A. 944.
aucis Frodoardus ad exitum superioris anni. *Otto*, inquit, *quosdam fideles udovici, qui sibi insidiabantur, comprehendit, et in custodiam misit, unde nter reges offensae.* Conrado in conscios quaerente, res eo processit, ut tiam praesules Rutbertus Trevirensis, Richarius Tungrensis in suspicioem adducerentur, quod continuator Reginonis factioni Conradi tribuit.

7. Rex sub initium anni in Saxonia egit, cum ad radices Harzicorum iontium paulo ante venatui aprorum indulsisset: itaque mense Februario pud Botfeldam fuit, quod tabulae ostendunt, ex cartularii nostri Magdeurgensis p. 850. sumtae, ubi *Otto pro salute animae suae fratribus moasterii in honore S. Petri apostolorum principis, beati quoque Innocentii artyris in civitate Magdeburgensi a se constructi, praedium, quod ab Eberhardo vasallo suo permutatione obtinuerat, et quicquid ille proprieatis habebat in villis Nebedorf, Roresheim, Uppelinga donat. Bruno ad icem Friderici 2. Id. Febr. a. d. inc. 944, ind. 2, anno regni 9. Actum n Botfelda.*

8. Rex deinde ad Rhenum profectus, rogationum diebus placitum um primoribus Lothariensium et Francorum Duisburgi habuit. Ibi re liscussa, Rupertus archiepiscopus et Richarius episcopus apud regem accusati, sese abunde purgavere. Hic expeditio in Galliam decreta videtur. Hugo dux Ottonem solicitabat, ut veniret. Ille impeditus, exercitum credidit Herimanno duci Allemanniae, cujus summa tunc autoritas erat. Mense deinde Julio tale praeceptum Trajectensi ecclesiae concessit: *Nosse cunctos volumus, carissimum fratrem nostrum* [Brunonem] *una cum clarissimo praeceptore illius, domino Baldrico, sanctissimae Trajectensis ecclesiae episcopo, nostrae supplicasse regalitati, ut quasdam fisci regalis proprietates, a domino genitore nostro p. m. Henrico rege ibidem ecclesiis S. Salvatoris nostri et S. Martini, cujus honori praesulatus ipse dicatus est, suppeditatas, confirmaremus et augeremus. Itaque in eleemosynam germani fratris nostri, et in usum fratrum memoratae pontificalis ecclesiae in duobus illis monasteriis Deo famulantium, quorum unum S. Martini, alterum sanctae Dei genitricis et omnium sanctorum honori dicatum est; totum quod in payo Lake et Ista* [an Isla?] *hactenus habuimus, quod Walgerus et postea filius ejus Radbodus ex nostra parte in beneficium habuerunt, in proprium damus. Signum domini Ottonis serenissimi regis. Brun cancellarius ad vicem Fritherici archicapellani recogn. Data 16. Kal. Aug. a. D. 944, anno domini Ottonis 8. Actum in Rhenen.*

9. Apparet hoc loco, lineam Waltgarii et Radbodonis extinctam fuisse, qui ex stirpe primorum Frisiae seu Hollandiae comitum fuere. Neque enim beneficia rex temere superstitibus ademisset. Gerolfus comes, quem sub Arnulfo augusto floruisse dictum est, filios habuit Waltgarium, celebrem in historia et a Reginone memoratum ad a. D. 898, et Theodericum, quem annales Egmondani dant Waltgario (vel, ut vocant, Walgero) fratrem, et pro fundatore vel certe amplificatore Egmondani monasterii et primo Hollandicae regionis comite habent. Waltgarii filii

A. 944. Radbodus et Hatto nominantur in diplomate Ottonis a. D. 950. dato, ubi ecclesia ab iis in loco Thiele constructa Ultrajectensi datur. Unde rursum defecisse hanc lineam intelligitur. Habuimus a. D. 898 Eberhardum Meginhardi filium a Waltgario Gerolfi filio trucidatum. Ducatum occidui Meginhardo, ejus fratri ab Arnulfo augusto creditum. Ex hac familia ortum puto Eberhardum comitem in pago Trente, cujus mentio est in tabulis, quas Henrici fratris et Baldrici Trajectensis rogatu Otto dedit *6. Kal. Dec. a. D. 944. in palatio regio Walahusae*, apud Hedam, in historia Ultrajectina. Vereor tamen, ne in anno error sit; nam sub hujus anni exitum Otto ad Rhenum egisse videtur. Walahusa autem in Thuringia est, saepe regibus accessa; ut male Buchelius ad Hedam notator Cranzium secutus Wildeshusam legerit, Bremensis dioecesis oppidum, nobis aliquoties nominatum. Circa haec tempora monasterio Stabelensi post Reginerum comitem et abbatem praefuisse Everhardum (an eundem?) itidem comitem et abbatem, habet Albericus. Hoc etiam anno Adelbertus comes Matfridi filius, viri in Lothariensi regno potentis et saepe a nobis memorati, ab Idone quodam caesus est. Annalista Saxo hunc appellat Udilonem. Adelberti frater Rudolfus apud Metenses mox memorabitur. Adelbertum eum esse apparet, qui praedia Gorziensis monasterii beneficio episcopi Metensis tenebat aegreque sibi extorqueri passus est, cum cura Adalberonis episcopi regularis vita in monasterio, Einoldo facto abbate, restitueretur, quemadmodum docet nos biographus Johannis abbatis Gorziensis, qui Adalbertum nobilem sed ferocem fuisse scribit, fratrem Beruuini episcopi Virdunensis acerrimo ingenio viri. Huc etiam pertinere arbitror Conradum Rudolfi comitis filium, cujus rogatu Otto II. quaedam Gorziensibus concessit. Tabulae apud Mabilionem in opere de re diplomatica extant libro sexto.

10. In Gallia sub ipsis anni initiis Ludovicus rex cum uxore Gerberga Aquitaniam vel potius Septimaniam adiit, et cum Ragimundo Gothorum principe (id est Tholosae comite; an Pontii filio?) aliisque Aquitanorum proceribus collocutus, mature in Franciam redit, tum castrum Montiniacum in pago Suessionensi filiis Heriberti adimit, proditione praefecti; Ambianensem etiam urbem, quam Odo Heriberto natus tenebat, favente episcopo occupat et Herluino tradit, quem cum Arnulfo conciliarat. Ita bellum recrudescit. Hugo regi utcunque nuper reconciliatus et honoribus auctus, pacem cum Normannis paganis facit, cum quibus confligebatur, ut nepotibus auxilio esse possit. Nam nolebat crescere potentiam regis, et his oppressis, in se iturum non dubitabat. *Obviam cum illis* Ottoni regi usque in Lothariense regnum profectus, nennisi Herimannum ducem invenit, ingenti exercitu succinctum, qui castra Ragenarii et Rudolfi fidelium, ut Frodoardus ait, id est vasallorum Ludovici regis obsidebat. Quantum intelligi potest, erant Giselberti ducis ex Ragenario fratre nepotes, non minus Ottoni regi obnoxii ob Lotharienses terras. Itaque male coacti, venia petita, sese dedunt.

11. Interim Otto ipse Aquisgranum accedit: ibi versantem adeunt legati Ludovici et Hugonis. Otto laesus licet, Ludovico, quia regi favebat;

et perpetuos Hugonis motus aversabatur. Itaque legatos ejus vix admissos despicatui habuit, donec unus ex illis Manasses, a Ludovico in Ottonem injuriose dicta commemoravit, qui perfidum et perjurum appellasset, hocque ipsum Manassen ad eum referre jussisset. Quibus commotus Otto, legatos regis, haud satis negantes, facessere jubet, fideles suos ei auxilio esse vetat. A. 944.

12. Circa hoc tempus Richardus puer Normannorum dux custodia Ludovici elapsus videtur. Simulat invaletudinem gravem, medico corrupto, ut mendacium adjuvaret. Apud Normannos pro salute ejus preces in templis funduntur: tandem cum forte se minus observari animadverteret, surgit e lecto, et ab Hosmundo rustici habitu foeni fasciculo obvolutus, urbe Lauduno exportatur. Tum dispositos equos ascendens, citato cursu Codiciacum (hodie Coucium) venit, quod Bernardus comes Sylvanectensis avunculus ejus tenebat, a quo deinde Sylvanectum tanquam in tutum deductus est. Interea rex et Hugo regionem Normannorum ex condicto ingrediuntur, Arnulfus quosdam aditum prohibentes apud Arcas pellit. Ita rex, comitibus Arnulfo et Herluino et quibusdam Franciae et Burgundiae episcopis, Rodomi recipitur, adversarii navibus conscensis fugiunt, caeteri sese dedunt. Ab altera parte Hugo Bajocensium urbem obsidebat, sed obsidionem solvit jussu regis pactorum obliti, qui nunc Normannorum ducatum divelli non debere dictitabat. Inde nova irarum materies; cum etiam rex obsides Ebroicensium non redderet, qui se Hugoni submiserant.

13. Interea bellantibus inter se Britanniae minoris principibus, Alano et Berengario, Normanni novi, ut apparet, mari venientes, regionem invadunt, et repulsi primum, tandem superiores fiunt. Plerique Britonum caesi aut pulsi sunt, et Dolensi urbe capta, episcopus turba eorum oppressus est, qui in ecclesiam confugiebant. Liberarant sese Britones a Normannis paganis a. D. 931, et in festo S. Michaelis conspiratione facta, omnes internecione deleverant, non eo minus tamen ducem Normannorum, christianorum in Neustria imperantium, quibus a regibus Francorum assignati videbantur, comiter observabant, si Dudoni aliisque Normannicae gentis scriptoribus fides. Sed cum novis ex septentrione advenis, vindictam spirantibus, interdum conflictati sunt, qui nunc post Wilhelmi ducis mortem acriter incubuere.

14. In Burgundia Cisjurana Giselbertus dux synodum haberi curavit in loco, qui Turnus dicebatur. Ibi archiepiscopi affuere Guido Lugdunensis, Godefridus Vesontinus, ex episcopis Arciarius Gratianopolitanus nominatur. Argumentum ingens deliberationis fuit, ut reliquiae sanctorum, ab abbatia Turnensi ad S. Portianum Arverniae ante annos aliquot Hungarorum, credo, metu translatae, cum honore in suo loco reponerentur. Is tunc seculi genius erat, his studiis se clerus exercebat. Imitari sanctos nemo curabat.

15. Hoc anno, indictione scilicet secunda, ut Curopalates et continuator Theophanis scripsere, Romanus et Constantinus Porphyrogenneta ad Hugonem regem Italiae misere Paschalem protospatharium, natione Longobardum, ut Constantini filio Romano juniori uxorem peteret filiam

A. 944. Hugonis Italiae regis. Negaverat Hugo, sibi filiam legitimam superesse, habere tamen ex Besola concubina Bertam pulchritudine praestantem. Graecis id satis visum, qui, ut ait Luitprandus, nobilitatem nonnisi in patre requirebant. Itaque Sigefridus Parmensis episcopus virginem Constantinopolin deduxit. Mutato nomine more Graecorum Eudoxia dicta est, quemadmodum aliquot post seculis principem Brunsvicensem ex Grubenhagio ramo, Andronico juniori augusto nuptam, pro Adelheide Irenen dixere. Graeca Eudoxiae appellatio claram significat, ut Germanica Bertae. Interiorem matrimonii causam nobis aperit Luitprandus, qui cum Ottonis I. apud Nicephorum augustum legatus esset a. D. 968. (ut illic pluribus dicetur), huic exprobravit, imperatorem Romanum Lacapenum nepoti ex filia suo Romano notham Hugonis regis matrimonio junxisse, et magnam etiam pecuniae vim Hugoni dedisse, ut ejus ope reciperet, quae Beneventi et Capuae principes in Apulia Graecis ademta, jam integro septennio tenebant. De quo dictum est aliquid ad a. D. 943. Barin occupasse et reddidisse judico. Caeterum Bertam quinquennio cum marito adolescente moratam, obiisse intactam, scribit Curopalates, an ob teneram adhuc aetatem Romani? Inde uxor ei data est Anastasia cauponibus orta parentibus, quam Theophano dixere.

16. Non multo post ingens rerum conversio Constantinopoli facta est. Romanus senior augustorum, socer Constantini Porphyrogennetae, Stephani et Constantini pater, pene unus res administrabat, ejus humanitatem et liberalitatem laudat Luitprandus. Et visus est expiare crimen voluisse invasione supremi loci admissum, cum a Constantino collega sumtus fuisset. Multas per Macedoniam Thraciamque urbes reparavit, Constantinopoli constitutis reditibus inter alia pie instituta hospitalia aedificia struxit, in quibus paupereuli, qui in regia urbe essent, gratis alerentur, raro et laudabili instituto: neque hoc contentus, omne aes alienum, quo cives laborabant, quantum tabulis demonstrari poterat, ex aerario dissolvit, tabulas comburi jussit, omnibus domorum in urbe conductoribus ejus anni, qui secundus supra vigesimum imperii erat, locaria pretia donavit, quae Cedrenus et continuator Theophanis aliique fusius narrant, bonorum principum imitatione dignissima; nulla enim re propius ad imitationem Dei accesserint, quam sublevatione miserorum.

17. Romanus tamen pristinae ambitionis poenam non effugit. Nam qui filiorum causa peccaverat, ut illis imperium assereret, anno vigesimo sexto imperii (id est nunc, cum Sigefridus episcopus Parmensis adhuc adesset) a filiis, aut certe a filio Stephano, diuturni obseqaii pertaesο, nam alterum Constantinum haud assensisse, quidam scribunt, vigesima die Decembris indictione tertia exuitur imperio, et in monachum attonsus, in Proten insulam mittitur, cum paulo ante rerum adhuc potens, testamento generum Porphyrogennetam primum augustorum nominasset, filiosque eum colere jussisset. Quos deinde inter se collisos et sibi invicem et Porphyrogennetae insidiantes hic praevenit, et vix mense a patris exilio elapso comprehendit. Itaque in insulas diversas mittuntur, cum prius lugubrem patris conspectum expetiissent, qui constantior animi, Deo gra-

tias egit. Constantinus Leonis filius jam solus imperio potitus, multos A. 944.
suspectos male multavit. Romanus senior, vulgo Lecapenus, mense Julio a. D. 948. vita functus est, cum Constantinus eum, ut quidam scribunt, per literas ad pristinam dignitatem nequicquam revocasset.

18. Cum paucae a Marino papa literae habeantur, oblatas attingemus. Binius nonnisi unas extare dixit, quas ad hunc annum Baronius produxit. Continetur iis privilegium datum Leoni abbati monasterii in Samnio, ad fontes Vulturni, et in chronico loci memoratum, quo pristina ejus privilegia confirmantur. Id *scriptum est per manum Hadriani scriniarii S. Rom. eccl. mense Martio indict. 2, datum per manum Stephani primicerii defensorum apostolicae sedis, anno pontificatus Marini summi pontificis secundo*. Ergo Romanae ecclesiae primicerii, qui passim memorantur in tabulis, erant primi inter defensores. Porro defensores ecclesiis dati erant jam olim, ut res earum et pauperum etiam apud judices tuerentur. Inde curam etiam rerum ecclesiasticarum habuere. Et Romanae ecclesiae defensores etiam aliis ecclesiis missione pontificis subveniebant. Gregorius M. pro regionibus urbis septem regionarios defensores constituit; quae a Cangiaco in egregio glossario pluribus annotata legi possunt. Marini etiam literae ad Johannem Beneventanae ecclesiae episcopum datae circa Bivinum, Asculum, Lapinum, Sipontum, ecclesiam S. Michaelis in monte Gargano, ne quis Italus aut Graecus vim inferat. *Scriptum per manus Stephani scriniarii s. R. e. in mense Octob. indict. 2. Bene valete. Datum 3. Id. Novemb. per manum Nicolai primicerii s. apost. sedis, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Marini pontificis et universalis papae in sacratissima sede beati Petri apostoli secundo, in mense et indictione supra scripta* 2. Indictio tamen tertia fiet, si a Septembri inchoetur. Sin tueamur indictionem, annus Marini primus fiet.

19. Nunc etiam *Anno ab incarnatione d. n. Jesu Christi 944, regnante domino Hugone decimo nono et filio ejus Lothario quinto decimo excellentissimis regibus, temporibus Huberti filii ejus inclyti marchionis atque piissimi ducis anno 2, indict. 2, in civitate Camerina*, Eudo Camerinae sedis humilem se vocans episcopum in castello ad S. Severinum prope fluvium Potentiam et super saxum fluminis, prope viam publicam, ait, se coepisse a fundamento ecclesiam aedificare. Itaque convenisse sibi cum sacerdotibus suis cardinalibus, venerabilibus presbyteris et laicis huc conferri *quaedam de Camerinae ecclesiae rebus, in gastalda, in Septempedano, in Pareto, Gabiano et in campo qui fuit de dote S. Maroti*, et quae sequuntur. Hinc intelligimus Hubertum Tusciae marchionem paulo ante a patre factum etiam Spoleti et Camerini ducem.

20. Wigmannus comes hoc anno obiit. Nullum alium quam Billingaum in fastis nostris intelligi, arbitror, celebrem his temporibus, Herimanni Saxoniae postea ducis fratrem, Witikindo et continuatori Reginonis memoratum; regiae familiae affinitate innexum; nam filius ejus Wigmannus junior apud Witikindum sese regis (Ottonis M.) propinquum appellat. Unde merito collegit Meibomius in libello, quem Vindicias Billinganas inscripsit, Hermannum ducem ortu illustrem fuisse, non, ut quidam apud

A. 944. Adamum Bremensem et alibi, ex odio cleri in familiam confinxerunt, e patre pauperculo militaris generis natum. Sed latuit propinquitatis ratio usque ad Ditmarum, a nobis ex antiquo codice restitutum, ubi haec leguntur: *Herimannus dux... confratres tanti sceleris autores, Wigmannum materterae regis filium* (haec tria verba in Ditmari editionibus prioribus abfuere) *et Ecbertum, fugavit.* Ergo matertera Ottonis in conjugio fuit Wigmanni senioris. Sed quomodo Ecbertus et Wigmannus junior confratres appellantur, an ambo ex Wigmanno nati, an ambo ex matertera regis? quod quidem hic de solo Wigmanno dici videtur; sed ex Witikindo apparet, etiam pertinere ad Ecbertum, nam hunc, ubi obsidionem Moguntiae describit, diserte vocat consobrinum regis obsidem datum in urbem. Sed et ambo paulo post vocantur propinqui, et inferius adhuc nepotes Herimanni ducis, cum quo confligtabantur. Et Wigmannus patruum (ita diserte Witikindo Hermannus) paternae haereditatis praedonem dicebat. Postremo Wigmannus cum ad Haraldum Daniae regem confugere vellet, nec ab eo reciperetur, persequente duce, cum fratre vix evasit, eodem narrante Witikindo; frater autem utique Ecbertus. Nam quod paulo ante hunc per archiepiscopum Brunonem regi reconciliatum *scripsit* idem historicus, postea factum putandum est, etsi ille, ut solet, per occasionem anticiparit. Ecbertus etiam ab autore annalium Hildeshemensium (qui scilicet integriorem edito, ante nos, Ditmari codicem viderat) filius materterae regis appellatur ad a. D. 955. quia Ditmarus id dixerat de Wigmanno.

21. Est tamen cur arbitremur, Wigmannum et Ecbertum nonnisi fratres uterinos fuisse; et laxiore sensu ambos Herimanni nepotes appellari; Ecbertumque, quia fratris privignus seu veri nepotis frater erat, sub eadem appellatione comprehensum. Neque ille, ut Wigmannus de Herimanno tutore queritur, sed alias ob causas, et ante Wigmannum a rege alienatus fuit. Denique ad eam familiam pertinere eum apparet, ex qua Brunones et Ecberti posteriores Bruneswigae domini prodiere, ut suo loco dicetur. Itaque verisimile est, materteram regis ante Wigmannum seniorem alium conjugem, Ecberti patrem, habuisse.

22. Porro si materterae appellationem ex proprietate verborum accipimus, ut par est, dum licet, fuerit soror matris reginae Mechtildis. Jam vero inter reginae sorores in fastis Trevirensibus Frideruna occurrit, hanc ergo Wigmanni junioris matrem fuisse, et filiam itidem Friderunam peperisse, ex eo colligas, quod Wigmanni hujus bona ob rebellionem in fiscum redacta, pro parte attributa sunt Kemnadensi ad Visurgim monasterio, ut annalista Saxo habet ad a. D. 967, cui praefuisse Frederunam abbatissam ex diplomatibus constat, sororem, ut credibile est, Wigmanni hujus, non tantum, quia praedia ejus abbatiae suae impetravit, sed etiam, quia in fundando monasterio a Gerone adjuta fuit (ut constat ex iisdem diplomatibus), cujus filius Sigefridus (sed in juventute *extinctus*) neptim reginae Mathildis (ut Ditmarus scribit), scilicet Wigmanni junioris et Friderunae hujus sororem, in matrimonio habebat. *Accedit, quod ex* Witikindo constat, Wigmannum in Geronis et filii ejus Sigefridi fide fuisse, dum gratiam imperatoris obtineret, quod factum est paulo ante, quam

ıtto M. altera vice in Italia proficisceretur. Chronographus Saxo Hedwiem Sigefrido Geronis filio nuptam Ottonis III. neptim vocat, prorsus ut ›se Otto III Ecbertum uterinum ejus fratrem in diplomate a. D. 1001. epotem suum appellat, laxo utrumque sensu ad cognationem indicandam. n fastis nostris Fuldensibus ad a. D. 972. inter mortuos ejus anni nominatur *?run dux*. Ejus omnes historici obliti sunt. Magnae autoritatis et potentiae irum fuisse, indicat raro tunc tributus in illis ipsis praesertim fastis itulus ducis. In Saxonia quaerendum non dubitaverim, et alicubi in limite ›rovinciae et copiis contra Slavos profuisse. Quis ejus pater fuerit, infra licemus. A. 944.

23.

Billungus comes.

Ludolfus ⌣ Friderana matertera regis. ⌣ Wigmannus senior. — Herimannus dux.

Ecbertus monoculus. — Wigmannus junior. — Frideruna abbatissa Kemnadens. — Hadwig uxor Sigefridi, Gerone marchione nati, abbatissa deinde Genrodensis. — Imma comitissa ex dipl. Kemnadensi.

24. Rex filia Lutgarde aegrotante votum fecerat. Nunc voti damnatus solvit, munificentia in Quedlinburgensem congregationem. *Ad monasterium* (inquit) *in Quitilingeburg constructum, ubi dominus et genitor noster piae memoriae rex Henricus extat tumulatus, pro remedio animae illius, nostrae etiam causa salutis, quin et in eleemosyna filiae nostrae Luitgardis, pro cujus infirmitate hoc spopondimus, praedium, quod hactenus in Kimlinge imbeneficiatum habuimus, cum omnibus illuc jure pertinentibus in usum virginum inibi Domino famulantium jure perenni in proprium donavimus, jussimusque hoc praeceptum conscribi, manu nostra signatum annulique impressione roboratum. Signum domini Ottonis anno inc. D. 944, ind. 5.* [imo 2. vel 3.], *anno regni nono.* Mensis non additur.

25. Autumno rex in Saxonia rogatu Henrici fratris et Conradi comitis (sic nominatur hoc loco etsi jam dux) Bilingo vasallo praedium legali judicio in fiscum redactum restituit et in proprium donat, cum ecclesiis, mancipiis aliisque annexis. *Actum Lubbetfelde. Brun ad vicem Friderici 13. Kal. Octob. a. d. inc. 944, ind. 2,* imo *ind. 3,* nam duos numeros conspirantes tertio praefero, calculo jam a me usurpato:

a. D.	indict.	a. regni
944	3	9
943	2	8
944	3	*9*

Billingum credibile est illum esse, qui saepe in tabulis Ottonis memoratur, tandemque infra dilectus comes appellatur. An ex illa fuerit Billingana stirpe, quae Saxoniae duces dedit, pro certo affirmare non ausim; verisimile tamen censeo. Caeterum Herimanni Saxonum ducis pater censeri non potest.

ANNO CHRISTI 945.

Diploma Ottonis. De quibusdam pagis et marchionibus. — Bona, quae dedit Geroni cessere monasterio Gerenrodensi. Lusatii victi. — Bertoldus dux Bavariae frater Arnulfi obit. De ejus uxore et filio. — Succedit frater regis ducta filia Arnulfi. — Ludovicus rex collisus cum filiis Heriberti. — Ludovicus capitur a Normannis. — Dimissus a Normannis retinetur ab Hugone; id Otto improbat. — Boleslaus Ottonem placare studet. — Ottonis acta in Lotharingia. — Diplomata Trevirensibus et Corbejensibus data. — De locis dictis Dalheim. — Berengarii machinationes contra Hugonem regem Italiae. — Berengario in Italiam redeunte, Hugo deseritur. — Quis archiepiscopus Mediolani. — Berengarius episcopatus dat. — Hugone cedente, Lotharius solus regnat in speciem. — Tempus, quo haec acta. — Lotharius ipse a patre alienatus ob suspicionem incestus.

A. 945. 1. Regem ipsum Kalendis Maji Alsteti in Thuringia *egisse*, reperio. Ibi rogatu filii Liutulfi fideli suo marchioni Christiano rerum quarundam suarum proprietatem concedit, quas habebat in locis Steno et *Quigina* in pago Sermunti, in comitatu ipsius Christiani. *Bruno cancellarius ad vicem Friduricī archicap. Data Kal. Maji a. d. inc. 945, ind. 2.* [lego 3.] *regnante Ottone serenissimo rege anno 9. Actum Alasteti.* Eandem rem Cassellae actam aut fortasse confirmatam hoc anno habet annalista Saxo. An pagus Sermunt a Sera amne nomen habebat, qui haud procul Gartovia Albi influit? Sed si Anhaltinis scriptoribus fides, Stena et Quigina circa Dessoviam quaeri debent, ut Knautius ex Schwanbergero Chaericoque notavit. Christiani egregii comitis corpus jussu Ottonis in basilica Magdeburgensi tumulatum scribitur a Ditmaro ad a. D. 960. Bona, quae hic data Christiano memorantur, ad monasterium Nienburgense, confluentibus Bodae et Salae adsitum pervenere, quod ejus filii, consilia *fortasse* paterna exequentes, fundavere. Nempe hoc saepe animo reges praedia proceribus in proprium donabant, quae nonnisi beneficiali jure tenuerant, *ut in ecclesias* conferre possent, regesque donatores in partem meriti veniebant. Albinus Ditmari comitis Wetinensis et burgravii Zorbecensis filium Christianum facit, Lusatiaeque secundum marchionem, nempe post Geronem. Sed illa a Wetino Zorbecaque appellatio autoritate veterum caret. Illud constat, Christianum ex Hidda sorore Geronis marchionis, qui Gerenrodam fundavit, Thietmarum marchionem orientalem et Geronem archiepiscopum Coloniensem genuisse. Thietmarus ex Suanhilde filia Hermanni ducis (quae postea Ekkehardo marchioni nupsit) Geronem marchionem suscepit. Gero genuit Thietmarum, qui Odonem, in quo generis propagatio cessavit. Ita chronicon montis Sereni. Et hi omnes provinciae Lusizensis marchiones fuerunt, sed, ut arbitror, inferioris, quam cum superiore parte marchiae septentrionalis gubernasse videntur.

2. Eodem loco Otto rex 4. Idus Maji a. D. 945. marchioni *Geroni* dedit proprietatem suam in marca villae Tribunice trans Salam fluvium, in pago lingua Slavorum Litice nominato. *Signum Ottonis. Brun ad vicem Friduricī. Data 4. Non. Maji. Actum Alsteti.* Ea bona deinde ad monasterium a Gerone in Gerenroda fundatum pervenere. Loci Tribenz meminit Ditmarus. Tertio Idus Jun. Magdeburgi Otto rex dat Volcmaro et

erto filiis Friderici villas quasdam ad flumen Fonam, in pago Seri- A. 945.
i-land in comitatu Christiani. Geroni quaedam ob bene merita
sunt, scribuntque Sigebertus Gemblacensis et Albericus, Slavos hoc
ab eo victos et debellatos. Eos intelligo, qui hodie Lusacii appel-
ur: Cassellis (Hassorum castello, ut opinor) in conventu procerum
nter Herimannum et Conradum duces, cognatos, ut opinor, imperatoris
ritate composita est, ibi etiam confirmata Christiano comiti donatio est,
ra memorata, quod ex monumentis haud dubie notavit annalista Saxo,
n in Halberstadensi dioecesi scripsisse suspicor.

3. Bertoldus dux Bavariae obiit, in Altaichio inferiore Bajoariae
asterio sepultus, autore Aventino. Promissa ei fuerat filia Giselberti
is ex Gerberga sorore Ottonis, sed an per aetatem virginis matrimonium
consummationem pervenerit, diù dubitavi. Id tamen factum vult Aven-
s, quem veridicum tandem deprehendi. Hundius Bruschium secutus
litrudem appellat, quae Bergense monasterium monialium dimidia
ca a Neuburgo Danubiano a. D. 976. fundarit, consentiente Ottone II.
lem tabulae adjectae fuissent, ut constaret, an Bertoldi ducis relicta
rit. Nam Bruschius variat, fatente Hundio, et alio loco Gutam viduam
toldi comitis de Lechsmund fundatricem inducit. Sane non desunt,
Giselberti et Gerbergae filiam Gerbergam vocant, et postea Adelberto
romanduo Heriberti II. filio nuptam volunt. Ita Buccetius, qui mariti
uxoris chartas superesse scribit. Haec ergo discussioni ampliori re-
quo. Et potuit post Bertoldi mortem ex Bajoaria ad Lotharienses red-
e: nisi quis plures Giselberto filias tribuat, historicis veteribus indictas.
e et Albradam Gerbergae filiam alii ex Ludovico Transmarino rege,
i ex priore marito Giselberto natam volunt, de quo dicemus ad a. D. 954.
eterum in progressu historicarum disquisitionum eo tandem deveni, ut
n tantum matrimonium exitum habuisse arbitrer, sed etiam filium inde
tum, in Bajoaria potentem, qui postremo ad ducatum pervenit. Eum
im puto fuisse Henricum, qui Minor appellatur, aetate, si cum Ottonis M.
tre Henrico comparemus; autoritate, si cum filio hujus Henrico II. Qui
nricus Minor idem Hecilo et Bertoldi filius Ditmaro dicitur, Ottoni III.
tabulis nepos, id est cognatione propinquus; erant enim filii consobri-
rum, quia Otto Magnus avus paternus Ottonis III. et Gerberga avia ma-
rna Hecilonis frater et soror fuere. Nunc praeterito infante filio fratris
inoris, nempe Bertoldi, ducatus datus est filiae fratris majoris, nempe
nulfi, vel potius ejus marito.

4. Otto precibus matris victus, Henrico fratri Juditham, Arnulfi nuper
cis filiam, Bertoldi neptem, conciliat, eique Bavariae ducatum confert.
tum primum Bavaria sub rege alienae stirpis principem tulit; hactenus
im aut a suis, aut a regibus Carolingis gubernata est. Juditham Witi-
ndus vocat foeminam egregiae formae miraeque prudentiae. Henricus
iam ex eo regi fidus mansit, sed fratres Judithae tanta dignitate depulsi,
lnus tegere non potuere, ex quibus Arnulfus postea Ludolfo regis filio
l pellendum patruum auxilio fuit. Rex, rebus in Germania compositis,
henum transiit, et in Lotharii regnum profectus est, cum intellexisset,

34*

A. 945. Ludovicum Galliae regem captum, quem uti compescendum judicave ita eversum nolebat.

5. Ludovicus Rodomo incubabat, et plerisque id agere videbatur, regionem Normannorum sub specie tutelae Richardi pueri sibi vindica Indignabatur Bernardo Sylvanectensi comiti, qui Richardum elapsum a se habebat; Bernardus de regis iniquitate querebatur, et inimicis ejus adjungebat. Cum ergo rex, filio Carolo sibi nato, ad reginam Laudun ivisset, et inde Rodomum redisset, colloquio in itinere cum Arnulfo habi quem Normanni mire oderant, eorum in se indignationem auxit. I Bernardus, Tetbaldus, Heribertus junior in paschalibus feriis Montiniac regis castrum capiunt, Bernardo venatorium regis apparatum sibi vin cante, ipsum etiam Compendium occupant. Itaque rex, adjunctis si Arnulfi, Herluini, Artaldi archiepiscopi copiis, alio Bernardo, quem Alb ricus vocat comitem de Retest, et Theoderico comite ejus nepote, pagu Veromanduum vastat, Remos obsidet, dum interea Normanni pagani Hu gonem ducem infestabant, quibus ille repulsis ad regem mittit, efficitq ut rex obsidionem solvat, obsidibus ab Hugone archiepiscopo acceptis. Ine circa festum S. Johannis cum rege in colloquium venit, fiunt induciae usq in medium Augustum. Theotilo Turonensis archiepiscopus, qui multu in principibus regi reconciliandis laboraverat, dum domum repetit, in iti nere decedit. Rex Rodomum redit.

6. Bajocensem urbem tunc cum vicina regione Haigroldus Norma nus tenebat, quem Haraldum regem Daniae plerique arbitrantur. Ursbe gensis tamen Turmodi filium facit, ita alius quidam ex septentrione regul fuerit, vel archipirata. Is vocatus in auxilium a Normannis, duce su orbatis, ad Divae amnis ostium appulerat, et a Constantinensibus et Ba jocensibus cupide receptus fuerat. Inde Hugonis ditiones infestaverat Itaque Ludovicus, credo, ad eum sibi conciliandum animum adjecit Stimulabat ad hoc jam sponte inclinatum Bernardus Danus, magnae inte Normannos Rodomenses autoritatis, et olim Wilhelmo inter praecipuos qui amicum Ludovici simulabat, sed occulte cum Bernardo Sylvanectens consilia de puero in ducatum restituendo agitabat, et ferebatur Ludovicu de capiendo Bernardo Normannisque pellendis deliberasse. Rex ad col loquium cum Haigroldo venit, Herluinum comitem et Lambertum fratrem ejus secum ducens. Haigroldus Chieresburgo digrediens, ad Ludovicum accessit. Diva flumen exercitum utrumque separabat. Id Haigroldus cum suis, inopinante rege, summo mane transit; cumque ad placiti locum ventum esset, forte quidam ex Normannis Herluinum agnoscit, exsecu genti, quod ejus gratia Wilhelmus Arnulfum offendisset vitamque amisis set, et ipse tamen nunc cum autore caedis in gratiam redisset. Itaque subito impetu incautus perimitur, Francigenae contra in arma ruunt, com mittitur praelium atrox, in quo Normanni superiores fuere, et credebantur infesto animo pugnaturi et parati venisse, tantumque rixae causam quae sisse. Bis novem comites nobilissimi caesi feruntur, et inter eos Lam bertus. Ita manibus Wilhelmi parentatum est. Ludovicus captus elap susque, et iterum captus ducitur Rotomagum. Richardus puer ducatui

terno restituitur, omnesque Normanni, Rotomagenses, Constantinenses, A. 945. jocenses, Haigroldo autore, suasoribus Bernardis Sylvanectensi et Dano, jurant: leges statutaque Rollonis renovantur.

7. Gerberga regina, intellecto mariti casu, per episcopos agit cum ugone Magno duce (sic Dudoni appellatur), ut regem in libertatem restitui curet. Ventum est ad colloquium cum Normannis, Bernardus Sylnectensis medium se ferebat. Petebant Normanni, obsides sibi dari os regis. Gerberga majorem natu negans, minorem mittit Carolum el, ut quidam vocant, Carolomannum), qui mox apud Normannos obiit. ido etiam Suessionensium episcopus et Hildigerus Bellovacensis obles adduntur. Ita pax juratur, Richardo paterna regio redditur. Dimissus x a Normannis, ab Hugone detinetur, et sub Tetbaldi Blesensis et Cartensis comitis custodia habetur. Interea Otto rex quanquam Ludovici vitatem actaque parum probaret, audita tamen Normannorum perfidia, otus precibus reginae, ipsaque rei indignitate, ne sorori et ex ea nepobus, neve communi regum causae deesset, Rhenum transierat, sperabatque rancos pro rege suo affore in externum hostem; cum Ludovicum frustra missum, nova fraude teneri intelligit. Hugo sibi metuens, legatum ittit, colloquium petit. Otto Hugonem ad aspectum suum non admisit, lacuit tamen, ut cum Conrado Lothariensium duce congrederetur. Conido minas intentante, ni rex protinus sine ulla conditione dimitteretur, ugone Laudunum sibi tradi postulante; infestis animis a se invicem iscessere. Eo tempore peculiare morbi genus Franciam circa Parisios ervaserat, membra hominum diversa velut igne quodam corripiebantur, t deinde extincta inflammatione velut exusta per gangraenam consumeantur, donec mors supplicium finiret. Beata virgo mater Domini apud arisios credita est miseris succurrisse, ut quotquot ad ejus aedem perenirent, salvi essent, Hugone in egenos advenas munifico.

8. Eo tempore, quo rex Galliae captus nuntiabatur, Ottone in sylvis enationi intento, *obsides* [inquit Witikindus] *Boleslai vidimus*, Bohemorum cilicet principis, *quos rex laetus ea re populo ostendi jussit. Cum* enim, ebus domi compositis, *omnia circum regna coram eo silerent* (ut idem oquitur), credendum est, Boleslaum sibi metuentem, bellum missis museribus et legatis deprecari studuisse, imperata facere pollicitum, obsidiius datis. Itaque valde omnia exaggerant Bohemi scriptores, qui bellum ab initiis Ottonis usque ad a. D. 950. tractum putant. Ego toto illo ntervallo praeter unam nostrorum infelicem expeditionem nihil alicujus nomenti cum Bohemis actum puto, quiescente Boleslao, ne magnum et generosum principem irritaret; Ottone autem vindictam sceleris in tempus commodius differente. Ex hoc loco intelligimus Witikindum historiograhum tunc non procul aula egisse.

9. Dum Otto erat in Lothariensi regno, obiit Richarius Leodiensis piscopus, decimo Kal. Aug., ut Leodienses scribunt, cui rex Hugonem . Maximini abbatem etsi reluctantem suffecit. Richarius monasterium . Petri in Leodio ad pedem montis situm, a Normannis tempore Franconis episcopi eversum, reparavit, non aede tantum sacra, sed etiam aedi-

A. 945. ficiis et officinis structis; ibique triginta canonicos cum dote ampla constituit. In festo omnium sanctorum, Aquis, opinor, rex legatos Graecorum audivit, qui munera attulere. Ipse vicissim mox a. D. 948 Luitfredum Constantinopolin legatum non sine antidoro destinavit. Otto deinde videns non jam cum solis Normannis, sed et cum Hugone, tota pene Neustriae Burgundiae parte potito, sibi rem fore; ut majores vires compararet, Rheno transmisso, in Germaniam atque etiam in Saxoniam rediit, si recte se habet anni Christi binarum tabularum, quas 4. Kal. Jan. in Thalehem dedisse fertur.

10. Unis rogatu Friderici Moguntiacensis et fratris Henrici et Hermanni comitis (an Billingani, tunc gratia regia invalescentis, nam Allemannorum rectorem, credo, ducem appellasset) ecclesiae S. Petri Trevirensi et fideli suo Ruotberto ejus sedis episcopo abbatiam S. Servati ad Mosam Trajectum sitam, olim Giselberto permutationis pacto concessam, restituit. *Bruno cancellarius ad vicem Friderici archicap. recogn. Data 4. Kal. Januar. a. d. inc. 945, ind. 4.* [lege *3.*], *anno domini Ottonis 10. Actum in Thalehem.* Alteris *interventu fratris Henrici abbatisque Bovonis regali ad monasterium SS. martyrum Stephani et Viti* [id est Corbejense] *monetam et telonium in Meppia ad confluentes Emisae et Hasae in pago Agratingo, in comitatu Duringi comitis jure perenni donavimus. Data 4. Kal. Januar. a. d. inc. 945, indict. 2.* [lege *3.*], *anno Ottonis piissimi regis 10. Actum in Dalaheim.* Ita Schatenius.

11. Paulinus in Corbejensibus collectaneis idem hoc anno 3. Kal. Jun. Frosae prope Magdeburgum actum scripsit, quod Schatenius in sequentem cum aliquo discrimine refert, sic enim habet praeceptum: *Rex interventu dilecti fratris Brunonis Bovoni dat bannum super duas villas Meppiam nominatas, sitas juxta fluvium Emisam et Hasam in pago Agrotingon in comitatu Turingi comitis cum moneta et telonio: vetat, ne quis judex publicus illic potestatem exerceat; mercatum etiam concedit cum privilegiis, quae aliis publicis mercatorum locis sunt tributa. Signum domini Ottonis invictissimi regis. Brun cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovi et subscripsi. Data 3. Kal. Jun. a. D. 945, ind. 3, anno regni 10. Actum Frosae.* Sed rex a. D. 946. Majo mense in Westfalia (ut illic patebit), non in Northuringia egit. Itaque ad annum praesentem rem refero; favetque indictionis numerus. Annum regni nonum pro decimo in omnibus his praeceptis ponere oportet ante Julium mensem datis, nisi notarios ipsos laxius locutos dicamus, totumque annum parti posteriori computasse, de quo nonnisi authenticis *inspectis* judicari potest. Diploma aurea bulla insigne in archivo congregationis Bursfeldensis Coloniae superesse, Stangefolius annalium circuli *Westfalici* scriptor prodidit. Tria in nostris regionibus loca invenio Daleheimii nomine: unum praefecturae hodie Guelfebytanae sedem, olim advocati haereditarii urbis Brunsvicensis principum, unde vulgo Vogts-Dalem, inter Schoningam et Schepenstedam; alterum a salinis Salzdalem, ubi nunc elegans palatium prope Welfebytum, id Gandeshemensibus concessum a. D. 936; tertium in comitatu filiorum Ecberti comitis nuper memoratum, haud Bokela oppido procul in Hildesemensi tractu, de quo in diplomate *Ottonis III*

a. D. 1001. Sed quodnam fuerit castellum regium, ut appellatur ab one a. D. 941, ubi saepe data diplomata, amplius inquirendum. A. 945.

12. Interea Hugonem regem in Italia sua fata urgebant. Plerisque ngobardorum proceribus exosus erat, sive insita eorum instabilitate, e quod et duriter haberentur. Et qui fratribus et amicis non pepert, cui suspiciones pro crimine erant, pari omnium metu odioque age-: accedebat, quod Burgundis suis omnia crederet, Italos nullo loco bebat. Berengarius memor fraterni casus se subtraxerat saevienti, et Suevia Alpina rebus Italicis intentus agebat; cum fama increbrescit, ugonem plerisque intolerabilem factum. Ergo Amadaeum, hominem lum et callidum, exploratum mittit, qui cum Hugonis hostibus consulret, aliorum animos tentaret. Ille habitu pauperis peregrini Romam tentis Italiam ingressus, principes convenit, sed Protei instar formas loresque mutabat. Cum indiciis erumpentibus a rege quaereretur, arbam et capillos pice turpavit, regi ipsi sese inter mendicos ostendit, ermonesque excepit. Denique custoditis clusis, per avia montium loca Germaniam rediit. Haec ante unum alterumve annum acta.

13. Nunc vero maturis rebus, constituto cum amicis tempore, Beengarius ex Suevia per Venustam vallem in Italiam collecta mediocri aanu tendit. Manasses Arelatensis archiepiscopus, sed qui alienis sediius, Mantuae, Veronae, Tridento incubabat, in suspicionem Hugonis (ut rbitror) inciderat; cui etiam ob negatam spem Mediolanensis sedis iratus rat, quam rex filio destinabat. Itaque sibi metuens cum Berengario conspirabat. Venerat et Milo in partes, Veronae comes vel marchio jam sub seniore Berengario, insignis virtute et opibus, et fidem, quam ei praestiterat, in nepotem transferens, cum variis injuriis ab Hugone irritatus esset. Sed et Wido Mutinensis episcopus, multae vir autoritatis, promissa abbatia Nonantulana corruptus erat. Berengarius in aditu Italiae Formicariam arcem, ab Adelardo clerico Manassis cliente custoditam offendit. Sed hunc Comensi episcopatu promisso suum fecit. Milo apud regem erat, cum de adventu Berengarii nuntiatum est. Sentiebat, se observari, sed custodes vino sepelit, et uno comite armigero noctu evadens, Veronam advolat; Berengario portas aperit. Mox adest Wido episcopus, cujus dum arcem Vineolam Hugo iratus oppugnat, Berengarius vocante Harderico praesule, Mediolano potitur; quo intellecto, Hugonem omnes deserere, ad Berengarium confluere. Hugo destitutus, se Papiam cum thesauris recipit. Inde fugam in Burgundiam parat.

14. Haec fere Luitprandus narrandi lubricus, nam addit, quae difficultate haud carent. Manassi ait promissum archiepiscopatum Mediolanensem, sed ille non vacabat. Sigonius scribit, Arderico mox extincto, Ademarum ei sublegisse Mediolanenses ex suae ecclesiae cardinalibus, sed Manassem obtrusum. Cujus etiam, ut archiepiscopi Mediolanenses tabulae mentionem faciunt ad a. D. 947, ubi afferemus. Etiam Augustanis comitiis a. D. 952. interfuit. Sed de rebus Mediolanensibus certiora nos docet Arnulfus historicus a me editus. Hugo Theobaldum filium nothum archidiaconum Mediolanensem fieri curaverat in spem archiepiscopatus; norat

A. 945. enim loci esse consuetudinem, privilegiis etiam imperatorum et pontificum firmatam, ut decedente metropolitano, ex majoris ecclesiae praecipuis cardinalibus, quos vocant ordinarios, successor sumeretur. Interea dum puer adolesceret, decrepitum senem subrogavit, qui cum opinione diutius viveret, nam per annos 22 sedit, curavit, ut Papiae in generali conventu excitaretur tumultus, in quo praesul occideretur; ibi nonaginta homines ex Mediolanensibus caesi sunt, sed praesul evasit. Hugo, erumpente fraude, pudore ductus Nonantolam a nonaginta curtibus, ut creditur, dictam Arderico dedit, sed non ideo amicum habuit. Manasses quoque spe Mediolani per Theobaldum exclusus, occulte oderat, quanquam cognatum et in se tam largum regem. Hinc intelligimus ob extremum Arderici senium spem a Berengario Manassi fieri potuisse, simul et Nonantula Arderico subdita vacatura erat, ut Widoni dari posset. Litigantibus deinde Manasse et Adelmaro (vel Adelmano) Walpertus tandem sedem obtinuit, eodem Arnulfo referente.

15. Sed ut ad Luitprandi narrationem redeam, Manasses, credo, tam prope Formicariam non erat, ut statim ab Adalardo consuli, et a Berengario tunc primum inescari posset, ut vult Luitprandus. Haec antea praeparata, credendum est. Subdit Luitprandus, Cumanae ecclesiae non Adalardum a Berengario, ut juraverat, sed Waldonem praefectum, hominem pessimum, Mediolanensis praesulis, Manassis scilicet, gratia subnixum; Adelardo tamen Regiensem ecclesiam datam. Bosonem Hugonis nothum et archicancellarium Berengarius in Placentina sede reliquit, Luitfredum in Papiensi, et quod pecuniae tribuerat, videri voluit pietati dedisse.

16. Cum ergo proceres Itali frequentes Mediolanum convenissent suasere Hugoni amici, ut Lotharium ad eos mitteret; hunc insontem haberi, hunc apud omnes gratiosum esse, huic ipsum deferre Berengarium, per hunc retineri potestatem posse. Paruit Hugo, nec abnuit Berengarius, et fortasse ipse per suos suggesserat, quo callidius deciperet, Hugonemque ipsum pertraheret in nassam, cujus thesauris inhiabat. Nec matura regnandi consilia videbantur, et modestia ambitionem velabat, quasi non suam magnitudinem, sed publicam salutem quaesisset. Hugone igitur inter fugam et moram ambiguo, Lotharius Mediolani recipitur, et omnium consensu rex habetur. Ait Luitprandus, juvenem in ecclesia S. confessoris Ambrosii et martyrum SS. Gervasii et Protasii ante crucem prostratum, a proceribus erectum, et praeesse jussum, Hugonis etiam consensu expetito. Atque hoc est, quod Frodoardus ad hunc annum ait, Hugonem pulsum a suis, et filium ejus Lotharium in regnum receptum. Sed eum Berengarius specie amici, salutem etiam olim debentis, re vera ut tutor regebat.

17. Haec aestate declinante acta videntur, ut ostendit series narrationum Frodoardi; qui Hugonis secessum mox post Ludovici captivitatem Normannicam collocat. Sed rem conficiunt tabulae apud Ughellum in episcopis Vercellensibus extantes, si nullus est in temporis notis error. Ubi *Hugo et Lotharius divina clementia reges notum faciunt, monuisse* dilectum illustremque marchionem* ...... (forte Arduinum) *ut** cano-*

*) notum faciunt, monuisse *Eckhardus inseruit.* **) ut *Eckhardus supplevit.*

cis Vercellensis ecclesiae, cui venerabilis Atto praeest episcopus, Vercellini A. 945.
ortus jus daretur. Datum et actum Papiae Idibus Augusti a. D. 945, egni dom. Hugonis 20, Lotharii vero 15, ind. 3. Geseprandus episcopus et cancellarius ad vicem Bosonis episcopi et archicancellarii recogn. Eodem anno, sed verno tempore, Hugo et Lotharius reges, rogante Ambrosio egregio praesule et Lisiardo glorioso comite, curtem Landasi in confinio Placentini comitatus donant Christi martyri Antonino, et beatae virgini Justinae Placentiae, *ut Boso reverendus antistes dilectus filius eam habeat. Data 5. Id. Mart. a. d. inc. 945, regni vero d. Hugonis 19, Lotharii 14, ind. 3. Actum Papiae.*

18. Si Leoni Ostiensi credimus, Lotharius conspirationis in patrem expers non fuit; ait enim senem a filio negligi et affligi coepisse. Nec suspicio abest, patrem, ut erat cupidinum immodicus, Adelheidis filio sponsatae pudicitiam libasse. Id diserte habet chronicon Novaliciense, et juvenem erumpentibus aliqua indiciis odium in patrem concepisse, credibile est. Ita fortasse Berengarium exciverit, cujus etiam saluti consuluerat. Itaque minus mirabimur, relictam illi a Berengario regni umbram. Autor chronici ita habet: *Pater post dotem succensus face luxuriae nurum vitiat, antequam ad filii perveniat thalamum.* Sed dum hic in patrem vindictam exercet, sese in hostis potestatem tradidit, qui mox et vitae et uxori vim intulit. Sinistram Adelheidis famam maledicentissimus licet scriptorum Luitprandus suppressit, quia ea jam augusta et rerum domina scribebat, et ab ejus gratia totus pendebat.

ANNO CHRISTI 946.

Otto rex dat quaedam Quedlinburgensibus. — Dat Gandeshemensi ecclesiae privilegium, in quo priora referuntur, confirmantur et augentur. — Simile. — Notata ad haec diplomata. — Gesekense monasterium in Westfalia fundatur. — Ludovicus rex liberatur cedendo Laudunum. — Otto in Galliam contra Hugonem. Causa pileorum ejus stramineorum. — Expeditio Ottonis. Artaldus Remis restitutus. Parisiorum urbs tentata. — Normanni vastati. — Valciodorensis fundatio. Scotorum monasteria. — Gemblacensis monasterii confirmatio. — Aliud in id diploma. Otto rex Lothariensium et Francigenum dictus in diplomate. — Aliud adhuc. De advocatis et subadvocatis. — Examen. — Edmundi regis Angliae mors. Successor Eadredus frater. — Hugo rex Italiae recipitur ad breve tempus. — Ratherius ex carcere liberatur, mox Verona pellitur secunda vice, et ad suum deinde monasterium redit. — Episcopus Leodiensis novus Ratherio favet. — Marinus II. papa obit. Succedit Agapetus II Alberico principe favente. Almericus marchio.

1. Rex Germaniae Januario mense Magdeburgi agens, Quedlinbur- A. 946.
gensibus tali praecepto favet: *Nos*, inquit, *in eleemosyna domini genitoris nostri Henrici regis nostraeque dominae ac matris reginae Mathildae, nec non etiam pro anima dilectissimae conjugis nostrae Edithis, usui sororum in loco Quidilingeburg Deo famulantium subternotatas villas Helmandesdorf, Fantlevendorf in pago Northuringa in comitatu Geronis in proprium donavimus. 4. Kal. Febr. a. d. inc. 946, ind. 4, anno regni 11.* [lego *10.*]

2. Inde Rheno appropinquans, apud Werlam Westfaliae mense Majo Gandeshemensi ecclesiae praedia et privilegia concessit vel confirmavit.

A. 946. *Otto d. f. cl. rex .... monasterium Gandersheim in honore S. Mariae et omnium sanctorum a nostris constructum progenitoribus nostri immunitatis patrocinii donamus, sanctimonialibus electionis arbitrium concedentes, confirmantesque omnia a praedecessoribus nostris regibusque huc collata;* a *Ludovico scilicet praedia in villis Tennistedi* (Denystede) *et Heriki, et Biterstidi, cum familiis caeterisque omnibus appendicibus in pago Suttkuringa in comitatu, cui tunc temporis Otto praefuit; et ab Arnulfo proprietates in villis Cruke* (Crucht) *et Calecheim; et a proavo nostro Luitulfo, qui monasterium hoc construxerat, quicquid in confinio villarum Gandereshein, Ruidum, Alvungun, Dencklhi, Lahinctorpe* (Rundina, Doguste, Lankendorpe), *proprietatis habuit; et ab ejus conjuge Oda villam unam Wanzlovo* (in Wansleva), *et ab avo nostro Ottone villam Hullenstedi; regalitatis etiam nostrae curtes Herrihusen, Feldbiki, quas dominus ac genitor noster Henricus rex dedit, cum praedio illuc a domina ac matre nostra Mathilda regina in Frisia collato. Tradimus insuper earundem victui sanctimonialium, quicquid proprietatis hactenus habuimus in villa Mundulingheim in pago Hatteri* (Hartheri, an Harthega?) *in comitatu Ehrenfridi. Jubemus etiam, ut nullus comes vel alius quilibet exactor judiciarius potestatem vel ad freda exigenda seu mansiones vel paratas faciendas in eodem monasterio, nisi ex consensu et petitione ejusdem monasterii, habere praesumat. Et homines illius abbatissae, sive liberi sint sive servi, nulla judiciaria coerceantur potestate, sed in praesentia ejusdem abbatissae advocati et eorum rectitudines acquirant et caeterorum perficiant. Signum d. Ottonis serenissimi regis. Brun cancellarius ad vicem Fridurici archicapellani recognovi. Datum 4. Non. Maji a. d. inc. 946, ind. 2* [lego 3.], *anno vero domini Ottonis piissimi regis 11. Actum Werlahun in D. n. f. A.*

3. Aliud extat ejusdem diploma in idem, quod huic quoque anno ascribo: *Otto Dei gr. rex .... Notum sit ... quomodo Ludolfus proavus noster, dux Saxoniae, monasterium in Gandersheim construxit cum venerabili conjuge Ota; primordium ejus confirmans, filia Deo consecrata ibidem, simulque cum ea tradens dotis nomine, quicquid praedii habuit in marcis Gandershemia, Rudiera, Alvunga et Latheria ... Postea filii eorum Brun et Otto adierunt Ludovicum venerabilem regem, qui sororem eorum in matrimonium acceperat, et tradiderunt ei supra nominatum monasterium cum omnibus, quae ad idem pertinere videntur, ut regio sublevaretur munimine ..... Quod ille gratanter accepit, atque electionem concessit ... et omnes mercatores a Rheno usque ad Albim et Sale transeuntes, ad usus sanctimonialium censum telonii persolvere. Postea vero tradidit in pago Suth-thuringa in comitatu Wilhelmi* (in Ludovici diplomate erat pro ejus scilicet tempore *in comitatu Ottonis*) *quicquid habuit in Tennisteti et in Heriki et in Blidernsteti; ac deinde dotavit venerabilem socrum suam Otam, tradens ei in pago Northuringa in comitatu Theoderici in loco Wanzleva, quamdiu superstes in hac vita mansisset, post obitum vero ejus monasterio. Hujus exemplo provocatus Arnulfus rex tradidit per interventum conjugis suae Otae, nec non et Hildegardae venerandae neptis ejus, et in eleemosynam divae memoriae avi sui Ludo-*

ici regis genitorisque Karolomanni, nec non beatissimorum regum Lu- A. 946.
'ovici et Caroli patruorum commemoratione, quicquid habuit in Cruft, et
n Calechheim, et in Bliuzithi in comitatu Ermenfridi: deinde tradidit
)tto dux in Hullansteti, et Henricus rex in Vellberch et in Herihusen.
Iaec cum iis, quae in Mundilinthsim habuimus, augmentamus. Signum
lomni Ottonis invictissimi regis. Luitulfus cancellarius ad vicem Brunonis
rchicapellani recogn. Actum in Werlahu. Data 11. Kal. Maji a. d. inc. 956,
nd. 13, regnante pio rege Ottone 21. Notae anni non consentiunt. Itaque etsi multo posterius, tamen ob similitudinem argumenti huc referre placuit.

4. Werla erit Westfaliae, frequentatum Saxonicis regibus palatium. Dignum notatu est hoc diploma, ubi a diversis principibus in Gandeshemensem ecclesiam collata distinguuntur. Haereditarium reginae Mechtildis praedium in Frisia indicat, Theodericum ejus patrem prope Frisiam in extrema Westfalia bona habuisse, eoque credibilius est, quod scribunt, regionem, quae nunc Oldenburgica appellatur, in ejus ditione fuisse. Postrema diplomatis prioris verba ex Ludovici Germanici junioris tabulis verbotenus desumta sunt, quae jam tum advocato jurisdictionem in homines monasterii tribuunt. Aliud praeceptum Ottonis hoc anno Spirensi ecclesiae datum Crusius refert, quo ei moneta et alia illic regii juris, Conrado duce interveniente, tribuuntur.

5. Referuntur etiam ad hunc annum initia Gesekensis monasterii puellarum, conditore Haholto comite, cujus (an potius posterioris cognominis?) comitatum multo post Henricus II. Meinwerco episcopo Padebornensi dedit. Geseka olim erat Padebornensis dioecesis, postea permutatione subjecta est Coloniensi.

6. In Gallia Ludovicus adhuc in custodia habebatur. Ergo Edmundus rex Angliae Hugonem ducem, missis legatis, fidei olim datae admonet, sed et Hugo Niger in Burgundia potens et Arnulfus Flander et episcopi plerique sic agi cum rege suo haud probabant. Aquitaniae quoque et Septimaniae principes eo magis regi fideles, quo liberiores etiam sub rege, et ob longinquitatem minus obnoxii, unum Hugonem pro libidine agere indignabantur. Nec ipsos Normannos Aigroldumque regem, aut Bernardum Sylvanectensem fraude laetatos crediderim, quorum laborabat fides, et quibus frustra obsides dati erant, si regem non liberasse, sed in aliam captivitatem tradidisse crederentur. Nec ignorabat Hugo, quanta ex Germania tempestas immineret ab irato Ottone. Ergo dimittendum regem statuit, haud gratis tamen, neque enim tantum invidiae, tantum fluctuum frustra excitasse prudentis fuisset. Ergo se extrema potius expectaturum demonstrat, quam regem redditurum, nisi Laudunum sibi traderetur, caput et arx * omnis mali. Principem esse mobilem et pravis consiliis obnoxium, et ex Lauduno motus ciere, neque aliter aut se aut amicos in tuto fore. Regina mariti vitae metuens, nihil recusabat, ut salvum haberet. Conveniunt ergo Hugo Roberti filius, Hugo Richardi filius, ille Albus, hic Niger, caeterique primores vicini, regique restituto se rursus committunt, id est fidei sacramenta repetunt; vicissim Gerberga Laudunum

*) *ita Eckhardus corr.* arcemque *Leibn.*

A. 946. tradit. Itaque rex postea in synodo Ingelheimensi amare questus est hunc unum locum, in quo caput reclinare tuto potuisset, Hugonis insatiabili cupiditate extortum. Tetbaldus pro regis persona, quem captum tenuerat, Laudunum custodiendum accepit. Neque inepte Frodoardus ait Hugonem Ludovico regium honorem vel nomen renovasse; nam nomen unum, solidi vix quicquam supererat. Hugo facile praevidebat, pacem tam iniquam durare non posse; sed tanti visum est, Laudunum obtinuisse primariam tunc Francorum arcem, quantovis periculo redimi dignam.

7. Otto interea, cum ingenti exercitu Rheno transmisso, Cameracum usque processit. Ludovicus obviam profectus, illic eum convenisse videtur, ubi multo cum honore et magna amicitiae significatione receptus est. Celebritas expeditionis fecit, ut Germani Gallique scriptores fabulis, ut gentes armis, certarint. Witikindus scribit, Hugonem per patris animam jurantem *(quae*, inquit scriptor, *ob perfidiae crimen dudum perierat)* in Ottonem minas jactasse per nuntios, sibi scilicet (ut olim Pompejo) terram pedibus pulsanti nasci armatos, quorum multitudine facile obrueret quemvis hostem; de Saxonibus etiam contemtim locutum; bibonem bonum septem eorum tela uno haustu absorbere posse, puto in breves *eorum* gladios jocatum, qui saxae in veteri Teutonismo dicebantur, unde suum Saxo nomen traxisse putatur. Contra Otto renunciari jubet, tot *pileos* vel caputia visurum, quot alias nunquam. Crediderim in Capeti nomen lusisse, quod jam dudum huic Hugoni tributum, in filio tantum repetitum *constat*. Sic enim Albericus ad a. D. 957: *Hugo Magnus Francorum dux moritur, qui dicebatur Capito sive Cappatus*. Witikindus ipse argutias utriusque intellexisse non videtur. Otto, ut dicto fides esset, militem caputia aut pileos ferre jubet ex foeno vel stramine plexos. In duabus et triginta legionibus (id est cohortibus), quas duxit, nemini talis pileus defuit, praeterquam Bovoni Corbejensi abbati et tribus equestribus viris militiae sociis beneficiariis abbatiae. Ab altera parte Dudo Normannorum scriptor more suo miras nugas congerit. Vult Ludovicum jam liberatum ab Arnulfo Flandro persuaderi sibi passum, ut Lothariense regnum regi Transrhenano auxilii impetrandi causa daret, cum tamen constet, Ottonis jam patrem hoc tenuisse, et Ottonem captivo adhuc Ludovico gratis *subvenire* constituisse. Addit, Ottonem tam simplicem fuisse, ut Arnulfo crederet, ubi appropinquaturus Rotomago esset, statim claves civitatis allatum *iri*; et Ottone deinde claves requirente, Arnulfum frigidissimis excusationibus spem sustentasse; nunc Rotomagenses ob nescio quos latrones non audere cum clavibus exire; nunc pudore retineri, et videri velle nonnisi coactos deditionem fecisse; itaque in speciem oppugnandos. Tum vero nescio quem nepotem regis magna fiducia ad portas accessisse, sed mortuum in castra relatum. Ottonem iratum de Arnulfo catenis onerando, et Normannis ad supplicia tradendo deliberasse, hunc consumtis excusationibus sibi metuentem se noctu subduxisse; exercitum Ottonis, nato ex ejus discessu tumultu, quasi hostis ingrueret, mox sese in fugam conjecisse magnamque cladem accepisse a Normannis ad Ambianensem usque pagum persecutis: aliaque inepta et in homines sanae mentis non casura. Cui bono suo

Arnulfus, homo acutus, inanibus promissis sibi contemtum atque odium A. 946.
accersisset; aut quo stupore Otto, nulli principum prudentia secundus, ani Arnulfo aures praebuisset. Sed homo Normannus, odio in Arnulfum excaecatus, quidvis effutire non dubitavit, quod in ejus dedecus vergeret. Nos expeditionem nugis exutam ex fide dignis dabimus.

8. Otto igitur secum habens Conradum Burgundiae Subalpinae regem, Herimannum ducem et fratrem ejus Udonem, Cameracum venit, inde Ludovico rege, Artaldo archiepiscopo, Arnulfo Flandro aliisque hujus factionis proceribus sibi adjunctis, magno cum exercitu in Hugonem et Heriberti filios movet. Cum ultra triginta millia suorum eduxerit, Gallorumque auxiliis exercitum auxerit, facile crediderim, ad sexaginta millia hominum ascendisse copias, quas aliqui ad centum millia attollunt. Hugo cum suis, quicquid jactaverit, prodire in campum ausus non est, prudente haud dubie consilio, tenens se munimentis, dum tanta tempestas desaeviret. Ottoni haud e re visum tempus obsidionibus terere. Ita relicto Lauduno (Witikindus Lugdunum vocat, Clavatum scilicet) recta Remos profectus est; quod pelli Hugonem Heriberti filium ibi intrusum res primariae ecclesiae in meliorem statum restitui ad decus suum et coercendam adversam partem plurimum pertinere judicaret. Videns Hugo, se obsidionem tolerare non posse, Arnulfum Flandrum, qui sororem ejus, et Udonem Francum, qui amitam in matrimonio habebat, per occultos nuntios de salute sua consulit. Illi suadent, ut quamprimum urbe decedat; verendum, ne severius agatur in captum, oculique eruantur, ut resurgendi spes adimeretur. Itaque post tertium obsidionis diem dedit urbem, et cum suis abit. Quo facto reges cum episcopis et principibus Artaldum in possessionem suae dignitatis mittendum decernunt, quem Ratpertus Trevirensis archiepiscopus et Fridericus Magontiensis apprehensum utraque manu in suam sedem restituerunt. Regina deinde Gerberga Remis relicta, Sylvanecto obiter tentato, ad Parisiorum urbem accedunt, Hugonis ducis sedem, sed quam ille milite et commeatu egregie munierat. Si Witikindo credimus, Hugo ibi aliquandiu obsessus, Otto rex memoriam S. Dionysii martyris digno honore veneratus est. Witikindus rem ita narrat, quasi exercitus primum ad Parisios recta ductus fuisset in Hugonem; inde Remos reductus in Artaldi gratiam, sed hoc parum verisimile est, et Frodoardo praesenti magis credo, qui post Artaldum restitutum Hugonis terras reges aggressos scribit.

9. Dum autem Parisii circumsidentur, delectu ex toto exercitu habito, pars copiarum usque ad Rotomagum ducta, Normannorum regionem ultra citraque Sequanam vastavit; ut insolentia eorum puniretur. Si Dudoni fides, Otto ipse in expeditione fuit, et in suburbio Rotomagi monasterio in honore S. Petri et S. Audoëni constructo donaria largitus est. Multos tunc ex proceribus, desertis Hugonis partibus, ad Ludovicum venisse, continuatori Reginonis, etsi nostra exaggeranti, facile credo. Inde hyeme asperiore maturius ingruente, Otto loca occupata Ludovico tradit, ipse post trimestrem expeditionem incolumem exercitum in Belgicam reducit. Si quae clades in reditu accepta fuisset, eam Frodoardus non dissimulasset. Ad famam Otto satis actum ratus est, etsi non satis ad causam. Nam Hugo

A. 946. dux mox iterum caput erexit, partes tamen ejus valde afflictas, vel hinc intelligas, quod Hugo intrusus ex eo sedem Remensem non recepit. Ducem evertere nec ipsum Ottonem in animo habuisse arbitror; nam praeterquam quod sororius erat uterque, Ludovico parum credebat, turbido consiliorum et, nisi domi coerceretur, facile Lotharienses repetituro, quaecunque pacta inisset. Nam verisimile est, in his angustiis omnia Ottoni detulisse, et qualemcunque in regnum dudum amissum juris colorem sacramentis suis procerumque datis ejurasse. Quod Dudoni occasionem dare potuit, rerum Lothariensium haud perito, ut crederet, regnum Lotharii tum demum Germanico regi traditum. Cum praeter possessionem ab Henrico in Ottonem continuatam ex Frodoardo constet, jam sub initiis regni sui Ludovicum in eam rem Ottoni fidem per pacta dedisse; itaque dedentes se Lotharienses primum rejecisse, donec spe sucessus aucta labascere coepit.

10. Cum Otto Remis ageret, rogatu Friderici Moguntiacensis et Hugonis Leodiensis, dato praecepto permisit, ut Eilbertus *nobilis vir et* Heresindis ejus uxor in loco qui dicitur Valciodorus, ubi est ecclesia in honore S. Mariae constructa, ubi quosdam Dei servos peregrinationis gratia ex Scotia venientes et sub regula S. Benedicti viventes susceperant, de rebus suis monasterium aedificare possent. Et cum Eilbertus mansum indominicatum ad Littras in pago Arduenna, mansum in Falmenna, duos Antinae in Condrosio, et in loco Florines dicto mansos sex, cambam unam dedisset; id rex confirmat, ita ut monasterium perpetuo in usus peregrinorum et pauperum stabiliatur, et in ditione Scotorum permaneat. *Urmus cancellarius* [forte Bruno] *ad vicem Friderici. 13. Kal. Octob. a. d. inc. 946, ind. prima* [lego *5.*] *anno Ottonis 11. Actum Remis.* Inter Scotos primarii fuere Cadroa et Maccalanus. Cadroa natus in *Scotia* Britannica (inter eos, opinor, Scotos, qui Hibernicae sunt originis), inde transiit in Hiberniam studiorum causa, et Armachae literis imbuitur; inde permissu Constantini Scotorum regis peregrinationem instituit, venit ad Dovenaldum Cumbrorum regem propinquum suum, tum Londinum ad Eadmundum regem Anglorum. Inde in portu Limen navim cum sociis tredecim conscendit, Bononiam appellit, in monasterio Perronae ad beati Fursei popularis sui sepulcrum orat. Hersendi innotescit, a conjugibus Valciodori collocatur. Pro Littris et Falmena (ut diploma habet) quidam Heidram in Famina legunt. Et est illic regio Famina hodieque dicta. Maccalanus monasterio S. Michaelis in Teorascia ab iisdem structo praeficitur. Hersendis adhuc alia monasteria struxit, velut Bucileiam virginum, quod *hodie habent* Praemonstratenses. Haec ideo notare volui, quia passim in Germania quoque, ut Erfordiae, Wirzeburgi, Viennae monasteria *incoluere Scoti*, sive Hiberni, sive in Hibernia instructi, in his locis etiam, ubi prima institutionis forma ignoratur, huic similem fuisse credi potest, *ut monasterium* hospitale haberetur usui advenarum, quod etiam in capitularibus indicatur. De familia Eilberti diximus ad a. D. 943.

11. Otto 12. Kal. Novemb. jam in Belgicam redux, Leodii agebat, ibique Guiberto Gemblacensis monasterii autori praeceptum dedit, quo institutum ejus comprobatur. Erat ille vir nobilis et in palatio regio

celebris, sed ad studia pietatis conversus, quibus tamen invidiam aulicorum vitare non potuit. Insimulatus est apud regem egisse contra rem publicam, Gemmelaum, regalis fisci praedium majoribus suis beneficii lege concessum, tanquam proprietatem suam extructo coenebio in sortem ecclesiastici juris illicite transfudisse. Guibertus accitus ad pedes regis provolvitur, rogat, ne servos Dei exagitet, ostendit magis pro pietate sua et dignitate facturum, si veniret in partem meriti, et quodcunque esset jus regium, ecclesiae condonaret. Facile impetravit, Otto acta rata habuit, potestatem monachis abbatem et advocatum eligendi, castellum construendi, denique jus mercatus et monetae et omnigenam immunitatem dedit. *Actum Leodii 12. Kal. Octob. a. d. inc. 946, ind. 4, regno Ottonis 11, episcopo Tungrensi Ogone;* cui praecepto postea Benedicti papae confirmatio accessit. Haec fere discimus ex vita Guiberti a Sigeberto monacho Gemblacensi scripta, a Surio edita. Benedicti confirmationem exhibebimus ad a. D. 983. A. 946.

12. Miraeus in Notitia ecclesiarum Belgicarum alias de Gemblacensi fundatione profert Ottonis tabulas in hunc sensum: *Otto divina favente clementia rex Lothariensium et Francigenum. Agnoscat fidelium conventus, quod quidam Wibertus nomine a secularibus hujus vitae tumultibus recedens, vertit se ad monasticae vitae regulam, et construere basilicam mox coepit in loco Gemblaus dicto in nomine domini nostri Jesu Christi. Talis ergo desiderii nepotem suum Wibertum calore succendi prospiciens, avia ejus Gisela, res ei contulit haereditarias, quas a viro suo Rothingo habuerat dotis gratia in comitatu Lomacensi et Darnuensi, villam scilicet Gemelaus, in eodem quoque pago villam Bufiolas dictam, et in villa Atsnagia, quicquid ipse jure tenuit, et apud eundem pagum villam Salvenerias, unumque mansum, quod emit vocabulo Ruoz, alterumque mansum fiscalem in loco qui dicitur Vilers: similiter in pago Hasbain apud villam Hermez mansum unum. Vitae denique monasticae normam multiplicari cernens Gisla, dedit Wiberto, quicquid Rothingus dotis gratia donaverat; in comitatu Nastenaco villas Naslei, Corbeis, Avoncourt et Courceles, et molendinum super fluvium Fontain in comitatu Lazensi, et clibanum in civitate Sens, quotannis solventem triginta solidos nummorum, similiter in comitatu Stampais villam Maison dictam, et villam Algeldi. Dominus interea praefatus Wibertus de paternis vel maternis rebus suae haereditatis legales faciens traditiones, tradidit, quicquid juris visus est habere fratribus in Gemblaus sub regulari disciplina viventibus, quos ibidem coadunaverat, in comitatu scilicet Breibant in loco Mellin ecclesiam Cambani, molendinum et culturam Arnulfi, ac decem mansos de Lietzinis, quos mater ei cum fratre suo Oilboldo tradidit, et apud eundem pagum medietatem villae Putian et medietatem Beurene, in comitatuque Darnuensi medietatem villae Curtily et villae Walahaini medietatemque Wasmont in pago Hasbain. Siquidem et in hoc habuit doctorem venerabilem Erluinum, qui et ipse canonicam, qua vicebat, regulam mutavit in monasticam. Ipsum praefatus Wibertus post aedificatam ecclesiam et officinas claustri elegit abbatem, et se cum omnibus, quos accersierat, monachis se ei commisit regen-*

A. 948. *dum. Itaque virtute nostrae roboramus auctoritatis, quicquid ipse contulit ecclesiae, et annuimus abbati cancellarium sibi constituere, quemcunque voluerit ex suis, similiter mercatum, percussuram monetae, macheriam: nec per gyrum ipsius abbatis quislibet comes sive legatus dominicus ullus utatur potestate sine permissione abbatis et advocati. Is denique locus absolutus sit ab omni teloneo.* Finis deest. Habent hae tabulae notatu digna non pauca, ex quibus rerum et verborum ejus temporis notitia augetur. Sed nihil est titulo memorabilius regis Lothariensium et Francigenum, quem Otto sibi sumit, vere quidem, sed sine exemplo, quod sciatur. Francigenum autem nomine eos Lotharienses videtur intelligere, quos hodie Wallones vocamus, id est Belgas lingua Romana corrupta utentes, Francorum posteros, a quorum lingua desciverunt. Male Blondellus de Francis orientalibus accepit, quos utique Lothariensibus stylus curiae haud postposuisset, et sexcentis locis constat, Francigenarum vocabulo Gallos seu Franciae occidentalis habitatores designari solere.

13. Idem Miraeus in codice donationum profert aliud praeceptum Ottonis, quo advocatum huic monasterio constituit, sed id suspectum, vel certe interpolatum. Exhibere tamen operae pretium erit: *In nomine Domini et Salvatoris aeterni Otho divina favente clementia rex Lothariensis et Francigenum. Notum sit . . . quod quidam vir nobilis et dilectus Deo Wibertus his temporibus construxit monasterium in honore sanctorum Petri apostoli et Exuperii martyris gloriosi in pago Darmiensi* [vel Darnuensi] *in proprietate haereditatis suae, quae Gemblues nuncupatur. Qui metuens, ne secularis potentiae homines perturbent quietem fratrum, adiit praesentiam nostram cum venerabili Erloino loci abbate, et locum nostrae tutelae commisit. Quod nos gratanter accepimus, et nostra imperiali autoritate decrevimus, ac sigilli nostri impressione roboravimus. Verum quia fratribus grave nimis esset, praesentiam regis semper adire cum electione ipsius domini Wiberti, et abbatis et fratrum dedimus advocatia abbatiae Lamberto comiti Lovaniensi, viro forti et bellicoso, ita tamen, ut neque ipse neque successores aliquid percipere aut potentiam exigere debeant: Neque ipse praeter unum subadvocatum. Sin aliquid usurpet vel largiatur contra nostram constitutionem, terram suam in camera regia sibi advocatam sciat, et quicquid benificii pro ipsa advocatia tenebat, de manu regis se amissurum noverit. Porro subadvocatus in villis ad abbatiam pertinentibus nihil aliud juris habebit, nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, avenae sextarium unum; qui etsi aliquando bellum habuerit contra aliquem de paribus suis, hoc de suo procuret, nec propter hoc in abbatia vel in villis ad eam pertinentibus, aut obsonia aut servitia aliqua exigat. Si vero bellum aliud fuerit, quod idem advocatus administret, ad regem vel ad comitem Lovaniensem pertinens, tunc licebit ei, sed non sine consensus abbatis, a mansionariis per villas abbatiae commorantibus aliquid subsidii moderati accipere. Hoc nostrum imperiale constitutum palatinorum principum et multorum nobilium judicio fecimus confirmari, annuli nostri impressione jussimus consigillari, et manu nostra subtersignavimus... Acta sunt haec a. d. inc.*

', *ind. 12, anno imperii nostri 12. sub pontificatu domni Benedicti papae,* A. 946.
rogatus a nobis huic nostrae autoritati suam quoque autoritatem super-
idit sub indissolubili anathematis vinculo. Actum in oppido Fran-
efurt mense Junio, in martyrio Petri et Pauli, feliciter.

14. Hoc praeceptum hybridum est et fortasse ex duobos mistum, onis I. adhuc regis et Ottonis II. imperatoris; interpolatum denique multis oneratum minutiis a gravitate regiae magnitudinis et rerum itu alienis. Idem contractius exhibet Miraeus in Notitia, loco qui ra. Otto se regem vocat, mox imperialem autoritatem, imperiale conutum ingerit; quae non cohaerent. Wibertum vocat Deo carum, Lamberı virum fortem; haud ex curiae stylo. Sed et comitem Lovaniensem alium a primario tractus oppido dictum illius temporis tabulae adhuc e ignorabant. Tum illae minutae de advocatis observationes a poriore aliquo monacho excogitatae sunt, cum advocati Gemblacensi eccle-e graves esse coepissent. Ego, ipsum Wibertum virum non spernendae toritatis alium se vivo advocatum loci passum, aegre credo. Itaque Lamrti advocatia eo jam defuncto surrexerit. Quis vero credat, regem hic lla privata subadvocati cum suis paribus et comitis cum aliis regulis obasse et annona etiam monasterii juvari voluisse? Haec ad posteriora npora pertinent, cum proculcata supremi principis autoritate faidae vel fidationes, quas vocant, impune exercerentur. In temporis locique notis id sit sani, incertum est. Annus Domini 948. et Francofurtum ad Ottom Magnum pertinent. Sed Benedicti papae nonnisi secundus Otto entionem facere potuit, qui quo tempore Benedictus is privilegium suum dit, non Francofurti, sed in Italia egit. Et cur Benedictum rogarit aut rogasse expresserit, in re tam minuta et parum ad se pertinente?

15. Edmundi Angliae regis mors mox secuta, Hugonem et Normans ejus metu liberavit. Lievonem quendam praedonem damnaverat ilio. Ille in frequenti procerum convivio a rege die Augustini Anglom apostoli praebito comparere audet. Cum sindeschalco sive dapiro regio abire jubenti resisteret, rex ipse ira commotus surgit, et in minem involat, is pugione extracto regem vita privat. Edmundus sub itiis a Danis et Scotis et Walliensibus premebatur, mox pepulit extraneos vasores, Merciorum regionem Northumbrosque recepit, Walliae septenonalis incolas Cumbriamve subegit, et hanc Malcolmo Scotorum regi neficiariam dedit ea lege, ut sibi in armis praesto esset. Scripsit ipse se regem Anglorum et rectorem circumjacentium nationum, in charta D. 944. data, quae apud Wilhelmum Malmesburiensem extat. Succest Eadredus frater, diu et ipse cum Danis Northumbriam repetentibus onflictatus, tandem tamen superior factus. Nec in Walliensem firmius jus imperium fuit. In praecepto tamen apud Ingulfum se Magnae Briınniae regem, in alio volumine primo Monastici Anglicani inserto, totius lbionis monarchum appellat.

16. Hugonem regem Italiae a suis receptum, scribit Frodoardus, que hyeme factum, series Frodoardi indicat; rem ipsam video obiter iam indicare Luitprandum. Quanquam iterato reges Hugonem atque

A. 946. Lotharium Italici susciperent, Berengarium tamen nomine marchion potestate regem; illos vocabulo reges, re nec comites fuisse scribit; s qua occasione revocatus sit Hugo, qua fiducia redire ausus, non expli An Berengario ipso curante, qui thesauros ejus in potestate habere op bat? Sed Hugo magis opibus suis, quam sibi cavit; ut Normannos N striae ferunt, se ipsos navi committere, sed chartacea litium suarum vo mina currui imponere, nec Sequanae credere audere. Nam Hugo auro gemmisque in finibus Italiae relictis vel trans Alpes missis, in medi Longobardiam redisse apparet ex diplomate Placentino, si modo recte habent temporis notae. Nam Hugo et Lotharius reges, instante Bos episcopo, donant quaedam canonicis S. Antonini *17. Kal. Mart. anno do nicae inc. 946, regni vero d. Hugonis invictissimi regis 20, Lotharii indict. 4.* Mox etiam pax coiit inter Hugonem et Albericum, quam re imbecillitas videtur firmam reddidisse. Quid enim Romam appeteret, nec Longobardos satis retinebat.

17. Labante Hugonis autoritate, Ratherius, invito ipso, ex carce dimissus fuerat, hoc circiter tempore. Voluit tamen adire Hugonem solari, sed in Berengarium incidit, sub Lotharii nomine rerum potent Hugo enim anno sequente se mature subduxit. Ita rursus capitur, Mana sae instinctu Mediolano incubantis, qui prius Veronam aliasque sedes nuerat, tribusque mensibus et semis nova custodia tenetur. Sed cu Manasses Berengario suspectus esse coepisset, ne poenitentia ductus r spiceret ad avunculum regem; dimissus Ratherius, et Veronae in speci restitutus est, sed ibi autoritate caruit, omniaque ad nutum Milonis age coactus, non intrusi (ut Mabilio interpretatus est in Ratherii vita, secu quinto Benedictino inserta), sed comitis, cujus deinde nepotulus fuit in trusus. Idque Milo jam tum moliebatur, etsi se ad speciem amici coger Biennio Ratherius in hac servitute egit; tandem Lotharii regis monit Milon isocculto instinctu, ut periculo se subtraheret, cessit loco, et in Pro vinciam Gallicam profectus, Rostagnum quendam nobilem juvenem erudi vit, eum, opinor, qui postea ad archiepiscopatum Arelatensem ascendi Inde in patriam redire decrevit, et favore Leodiensis episcopi a Laubien sibus suis receptus est. Haec intelligimus ex ipsius Ratherii literis ad Johannem XII. papam scriptis. Mox ab Ottone in aulam vocatus est, u Brunonis fratris studia adjuvaret; de quo infra. Deinde Leodiensi ecclesia praefectus, et cum proceres vicinos adversos haberet, Veronae restitutus est, sed nuspiam duravit.

18. Leodiensem illum episcopum Richarium vocat Folcuinus, abbas paulo post Laubiensis, ipso Ratherio sene juvenis, qui *gesta Laubiensium abbatum* reliquit. Sed si vera de se narrat Ratherius, fallitur Folcuinus. Nam Ratherius liberatus est ex turri Walperti a. D. 945 aut 946, cum Hugo labasceret. Aliquot menses iterum in custodia egit, biennio Veronae non multo meliore conditione. Iter in Provinciam, mora illic, et reditus ad Laubienses non minus biennio consumserint. Ergo ante a. D. 950 Laubias accedere vix potuit, at Richarius jam a. D. 945. decessit, Frodoardo teste. Itaque a Faraberto Leodiensium post Richarium et Hugonem prae-

le susceptum fuisse oportet, cui etiam successit. Ita interdum etiam A. 946.
ntemporanei labuntur. Ratherius Cumis agens, in custodia vitam S.
smari invenit et emendavit, in Provincia ad Rostagnum scripsit grammaticae artis libellum, quem gentilitio loquendi more Speradorsum appelrit, quod eo intellecto puerulus dorsum a flagris immune servare posset. ;o putem legendum *Sparedorsum*, ut gentilitia sit vox, id est Semigeranica, nam „sparen" est „servare." - Postea ab Ottone rege Brunonis itris magister factus est, et Faraberto successit, de quo ad a. D. 953.

19. In pace conciliandа etiam novus pontifex Agapetus II. elaborasse detur; paulo ante Marino II. suffectus, quem decima quarta Maji die vita ssisse Labbeus scribit (ex computo, an ex autore?), cum tribus annis, ensibus quatuor et paulo amplius sedisset. Agapetum jam Junio mense dinatum, Pagius ostendit ex literis ejus, quas Rubeus historicus Ravnnatium vidit, datas *17. Kal. Jul. indict. 11, anno quarto Agapeti, Hlotarii utem regis 19.* Agapetum Alberico amico usum, ex eo credibile est, quod ljutorem in monasterio S. Pauli in meliorem statum redigendo habuit. am ut autor vitae Johannis Gorziensis abbatis scribit, Agapetus ab Ein ldo abbate Gorziensi petiit religiosos aliquot viros, quos in monasterio . Pauli Alberici regis auxilio collocaret; credo, ut coepta ab Odone reforatio sustentaretur. Albericum biographus iste regem vocat, et erat otestate, etsi nomine abstineret. Almericum marchionem cum Franca onjuge praedia et fundos ecclesiae Bononiensi donasse, habet scriptor oci. Eosdem in paludoso Rhodigii tractu amplas possessiones habuisse, t in Vangadiciense monasterium, quod postea ad Estenses pervenit, lierales fuisse comperi.

ANNO CHRISTI 947.

Itto in Trevirenses liberalis. — Ottonis conjux Edgida obit. — Otto rex dat literis operam. — Aquisgrani quaedam donat. — Gallicae turbae. Ludovicus Ottonem invisit. — Otto in Galliam. Induciae fiunt. — Otto castellum Gandavi struit, ibi limites regni definit. Wigmannus fit comes castri. — Synodus Virdunensis pro Artaldo contra Hugonem. — De Israele Scotigena episcopo. Bruno Ottonis frater abbas. — Dani Sleswicensem marchiam occupant. Filii et filiae Ottonis conjugia. — Privilegia Einsidelensi in Helvetia monasterio data. — Gandeshemensia. Agapeti privilegium. — Hugo rex Italia excedit. Ejus haereditas. — Mors et sepultura. — Ejus familia et acta. — Mores.

1. Otto Gallicis rebus intentus, hyemem non procul Rheno egit. A. 947.
nuario mense Ludovici antecessoris exemplo ecclesiae Trevirensi a omitum vel judicum potestate immunitatem renovavit, ut omnis jurisictio penes unum episcopum consistat. A teloniis Rheni, Mosellae liorumque locorum exemtionem indulget. *Bruno cancellarius ad vicem uotberti archicapellani. Data 6. Kal. Feb. a. d. inc. 947. ind. 5. Actum ranconefurt.*

2. Porro rex sese in his regionibus venatu oblectabat, cum nuntiata onjugis morte, nihil minus expectans, grave vulnus accepit. Obiit illa . Kal. Febr. consentiente testimonio fastorum Fuldensium, Witikindi,

A. 947. Ditmari. In annum praesentem consentiunt continuator Reginonis et Ditmarus, dum undecimo ordinationis suae anno extinctam scribit, seu Witikindus ait, cum decem annis regni consortia tenuisset. Ordinata autem, id est coronata, est a. D. 936. in aestate aliquot diebus post maritum. In fastis Fuldensibus hic mendum est, ubi mors reginae in annum praecedentem refertur. Locum non addunt. Magdeburgi degere solebat dicto loco. Undecimo ordinationis suae anno obiit, cum in Saxonia apud maritum annos decem et novem exegisset, sed in conjugio nec sedecim totos; sed a. D. 930. conjux: nam Adelstanus frater Angliae rex nondum nubilem Henrico regi miserat, ut in aula ejus educata linguae moribusque Germanorum assuesceret. Amissam omnes ob gratiam corporis et virtutes animi luxere; sed rex super omnes tactus et pene inconsolabilis visus est, donec Ludolfus filius adveniens aspectu suo moerorem lenivit. Sepulta est Magdeburgi in basilicae novae latere aquilonari ad orientem. Epitaphium Magdeburgi positum, posterioribus temporibus renovatum est, ubi haec leguntur: *Divae reginae Romanorum Edittae, Angliae regis Edmundi filiae, hic ossa conduntur. Cujus religiosi amoris impulsu hoc templum ab Ottone Magno divo caesare conjuge fundatum est. Obiit anno Christi 947.* Sed illa suo tempore regina Romanorum appellata non est, nec Edmundi regis filia, sed soror fuit.

3. Ex eo rex, ut solitudinem levaret, literis operam dedit, et cum ingenio excelleret, brevi tantum profecit, ut libros legeret intelligeretque, Latinos scilicet; alii enim paucissimi tunc habebantur. Credo Ratherium usum magistro, quem circa hoc tempus in aulam vocasse videtur, praeter reliquas doctrinae laudes etiam arte grammatica clarum; de qua libellum composuisse diximus. Multum haud dubie Latinis intelligendis profuit ei Romanae, id est Semilatinae, linguae cognitio, qua jam tum omnis Italia Galliaque utebatur; quam puer haud dubie ex usu didicerat. Slavonice etiam loqui sciebat, sed raro alia quam Germanica lingua uti dignabatur, cum etiam in vestibus patrii moris tenax esset.

4. Mense Aprili jam ad Aquas Grani redierat. Ubi pro remedio animae suae et cunjugis bonae memoriae Aetgigis quasdam res proprietatis suae confert ad stipendia fratrum in loco Kevermunt Deo digne militantium, videlicet hobas duas in Harimala, ecclesiam in Villaren constructam in pago Heinigowe, alteramque in villa Fillefort, et in villa Budel cum omni decimatione. *Brun cancellarius ad vicem Rodberti archicapellani recogn. Data 14. Kal. Maji a. d. inc. 947. ind. 6, regnante pio rege Ottone anno 12. Actum in Aquis.* Videmus in rebus Lothariensibus archicapellanum nominari ex illo regno Trevirensem, etiam cum res alibi ageretur.

5. Galli nec hyeme sibi quietem indulsere. Hugo dux in Arnulphum Flandrum movens, quasdam ejus munitiones frustra obsedit. Sed et Ludovicus, cui Otto copias quasdam ex Lothariensi regno reliquerat, Mosomum nequicquam aggreditur, quod Hugo Remis expulsus tenebat. Lotharienses mense exacto in hyberna discedunt. Bovo episcopus Catalaunensis reginae Friderunae Carolo Simplici nuptae frater obit, cui *Gibuinus*

ccedit. Ludovicus ad Ottonem apud Aquas Grani invisit, oratque, ut A. 947.
epta absolvere, Gallias pacare et justo domino subjicere velit. Otto
rorium magnifice donatum bono animo esse jubet, opemque suam pol-
:etur; monet tamen, ut majorem imposterum constantiam ostendat, et
gibus, antequam vi experiatur, quae regem saepe subdito aequat. Ab-
ente rege, Hugo Remos vana spe a quibusdam pellectus aggreditur, nam,
udovici et Artaldi militibus acriter resistentibus, post octiduum obsidio
luta est. Hugo praesul, annitente duce avunculo, Tetbaldum Ambia-
ensibus episcopum consecrare audet. Ludovicus et Artaldus Atrebatem
eniunt ad Arnulfum, et cum eo Monasteriolum nequicquam obsident,
astrum Rotgarii Herluino nati. Ita inanibus armis sese mutuo suosque
tterebant.

6. Ineunte Augusto mense Otto ipse in Gallias ex condicto venit,
t episcopos aliquot secum adduxit. Ludovicus ei occurrit ad Carum fluvium,
ui intra Sedanum et Mosomum Mosae immergitur. Hugo dux non procul
nde circa Mosomum et Duodeciacum castra habebat. Ibi causa sedis
Remensis tractata est ab episcopis praesentibus, auditaeque partes; sed
uia synodus convocata non fuerat, nihil pronuntiari potuit; hanc placuit
n medium Novembrem ad Virdunum indici. Interim Artaldo sedes Re-
mensis asseritur; Hugoni aemulo Mosomum permittitur, et Ottone anni-
tente inter regem ac ducem induciae fiunt. Herivaeus interea, He-
rivaei olim archiepiscopi nepos, pacem publicam infringit, et Remensis
ecclesiae praedia invadit, sed a Ragenoldo comite et Dodone archiepi-
scopi fratre praelio commisso interficitur. Hugo quoque praesul cum
Tetibaldo de Monte acuto, sororis marito, Lauduno praefecto, vindemiam
ex maturis Remensis ecclesiae vitibus, quasi in re sua, circa Culmis-
ciacum facit.

7. Circa hoc tempus (Mayerus Flandriae historicus in biennium differt)
Otto, ut fines muniret, in ripa Legiae amnis arcem Gandavensem ex urbis
adverso struxit, quae tunc intra Scaldim et Legiam coercebatur. Praeterea
terram quatuor officiorum (quam vocant) sibi vindicasse, fossamque
Hontam duxisse fertur terminum imperii sui, quae Ottoniana dicta. Autor
chronici abbatiae S. Bovonis Gandavensis ad a. D. 941. inquit: *Omnem
pagum a Scaldi fossato ante pontem S. Jacobi usque ad mare extensum a
nomine suo Ottingam dixit, quo regni Francorum et imperii orientalium*
[id est Gallici et Germanici regni] *fines determinavit. Ante Ottonem castel-
lum, quod ad ripam Legiae situm est, non reges Franciae, non comites
Flandriae, sed imperatores* (reges Germaniae intelligit) *in libera S. Bavo-
nis possessione statuerunt.* Vult ergo primum Ottonem castello comitem
praefecisse, subjicitque: *de quo centum quinque solidorum S. Bavoni diu
comites solverunt. Huic* (enim) *castello non castellani* (simplices) *sed
comites praefuerunt, quibus quatuor villae cum appendiciis suis, scilicet
Hasnethe, Bocholt, Axla, Hulsta, cum tota Wasia subjectae fuerunt.* Pro
castellano praefectus ab Ottone datus est cum honore comitis Wigmannus.
Is, opinor, qui et circa Daventriam comitatum habebat Wigmannus Billin-
ganus, multum nobis memorandus, qui Lutgardem Arnulfi Flandrorum

A. 947. principis filiam duxit, defunctam deinde, si Meiero credimus, a. D. 961. Ita familia Billingana in Belgicas etiam regiones traducta videtur, ubi diu floruit, ut infra dicemus.

8. Synodus deinde Virduni habetur, in qua praesedit Ruotbertus praesul Trevirensis, assedere Artaldus Remensis, Odalricus Aquensis, Adelbero Metensis, Goslinus Tullensis, Hildibaldus trans Rhenum Mimigardevordensis, Israel Brito. Aderant et abbates complures atque inter eos Bruno, frater regis Ottonis, Agenoldus, Odilo, quibus praesentibus rem actam ait Frodoardus, quasi dubitationem injiciens, an inter judices fuerint. Udalricum pro Aquensi Augustanum legit Browerus in Trevirensibus, sed utrumque Frodoardi opus, annalium et Remense, Aquensem habet. Et vero Odalricus Aquensis episcopus is est haud dubie, cujus ex eodem Frodoardo meminimus ad a. D. 927. non ex Provincia seu Aquis Sextiis, ut putat hic Cordemoius (ubi archiepiscopus Israel), sed ex Aquitania ulteriore pulsus, vastata ecclesia irruptione Saracenorum; quem Heribertus Remensis res sacras obire voluerat, dum filius Hugo praesul designatus adolesceret. Ex Hildibaldo uno Monasteriensi seu Mimigardevordensi duos facit Browerus, Hildibaldum Transrhenensem (quod non est sedis nomen) Megingaudum Verdensem, sed tunc Verdae sedebat Amalungus. Frodoardus tantum indicare voluit, Mimigardevordensem esse Transrhenanum.

9. Israelem Britannum Cordemoius ex Britannia minore accersit. Sed venerat ex majore, natione Scotus, florebatque in aula Ottonis inter philosophos palatinos, et eo magistro non sine magno profectu sensu etiam Bruno usus erat, ut habet in discipuli vita Ruotgerus, qui Israelem episcopum Scotigenam vocat. In fastis ecclesiae cathedralis Hildeshemensis a me editis habetur: *8. Kal. Maji Israhel episcopus.* Bruno ipse hic abbas appellatur, nempe cum alias abbatias, tum Laurishamensem nominatim ei creditam fuisse a fratre rege, habet autor vitae, qui addit, nihil inde nisi munera, quae fratres sponte mittebant, percepisse. Agenoldus, qui synodo Virdunensi assedit, est abbas Gorziensis, Odilo Stabulacensis. Patres Hugonem Artaldi adversarium ad synodum vocant, binos episcopos Adalberonem Metensem, Gozlinum Tullensem ad eum adducendum mittunt frustra. Itaque (credo, ne causari posset, negotium haud recte extra dioecesin tractatum) synodus alia indicitur in Idus Januarii sequentis ad ecclesiam S. Petri in castri Mosomi conspectu, ubi Hugo morabatur.

10. In Germania circa hoc tempus Dani de improviso coorti, *Sliaswicum*, marchionis ab Henrico Germaniae rege constituti sedem, occupasse scribuntur, marchionem cum praesidiariis trucidasse, Saxonum *coloniam* delesse. Sed Ottonem florentibus rebus suis haud impune aggressi sunt, qui anno sequente se vindicavit. Nunc enim fere circa Rhenum *egisse*, et rebus Gallicis pacandis operam dedisse, certum est. Conradus dux regi tunc super omnes carus Luitgardem ejus filiam in matrimonium accepit. Paulo post Ludolfo regis filio Ida Herimanno duce Allemanniae nata, ipso duce annitente, despondetur. Virtutem et pulchritudinem Ditmarus commendat, Luitprandus (qui nosse potuit) unicam diserte facit. Itaque quod in appendice Reginonis legitur: *Ludolfus filius regis, quo decuit apparatu*

nuptiarum, tertiam filiam Hermanni ducis sibi conjugio copulavit, corruptum A. 947.
redditur, legique debere *Itam* vel *Idam*, ut a Roswita et Ditmaro appellatur, voluitque rex, teste eadem Roswita, ut cum marito in aula versaretur. Sed juveni tandem grave visum semper agere sub oculis patris. Caeterum nunc admodum adolescentem fuisse necesse est, cum mater a. D. 930. demum Ottoni nupta fuerit. Itaque apud Luitprandum socer regi filiam offerens, tanquam de puero loquitur. Nuptias utrasque, Luitgardis et Idae, Francofurti celebratas crediderim, ibi enim rex cum Herimanno duce nunc agit 6. Kal. Nov., ut ex sequenti diplomate verisimile fit.

11. *In n. s. et i. Tr. Otto D. auxiliante cl. rex ... Hermannus dux deprecatus est nostram clementiam, quatenus pro Dei amore loco, qui vocatur Mechinrates cella, et a quibusdam suis fidelibus in proprietatem tradito, ubi domnus Eberhardus eremita ecclesiam in honorem S. Mariae et S. Mauritii caeterorumque sanctorum Dei, ipsius adjutorio a fundamento aedificavit, et caetera aedificia monachis ad habitandum construxit, quem et ipse nobiliter regit, privilegium nostrae autoritatis atque immunitatem caeteris monasteriis concessam electionemque concederemus. Cujus petitionem benigne suscipientes .... jubemus, ut post obitum praefati venerabilis abbatis Eberhardi, monachi ac eorum successores habeant potestatem eligendi inter eos abbatem, et ut nullus in judiciaria potestate constitutus, aliquam super eos et eorum causas et familias exerceant potestatem, sed sub nostrae immunitatis tuitione res eorum permaneant. Brun cancellarius ad vicem Fridurici archicap. Data 6. Kal. Nov. a. d. inc. 956* (lego *947.*), *indict. 4* (lego *6.*), *regnante domino rege Ottone anno 12.* Hic annum regni sequor: qui mihi maxime convenire videtur. Ex tribus notis haud aliqua alicui consentit. Anno sequente rex admonitione et suggestione filii sui Liutholfi ac Herimanni ducis, quasdam res juris sui in comitatu ejusdem ducis in villa Quadravedes Meginrates cellae dedit. Quae Mabilio in sexto seculo Benedictino, de Eberhardo primo loci abbate agens, notavit.

12. Apud Gandeshemenses Roswitae successerat Ludgardis, quam quidam nulla veterum autoritate Henrici regis sororem faciunt. Huic Windelgardis suffecta est. Anni certis autoribus assignari ipsis non possunt. Bodo scribit, Windelgardem a Sehardo Hildesemensi antistite consecratam, quem a. D. 928. obiisse ex fastis Fuldensibus constat. Nunc ab Agapeto papa privilegium obtinuit, quod huc redit: *Agapetus episcopus servus servorum Dei Windilgardi abbatissae venerabilis monasterii in Gandersheim constructi ab Ottone comite de Saxonia aliisque suae sortis abbatissis in perpetuam .... postulavit a nobis Hathumarus venerabilis abbas* (Fuldensis), *ut nostrum monasterium Ganderesheim juxta fluvium Eternam apostolica autoritate vobis confirmaremus, ut sub jurisdictione sanctae nostrae, cui Domino autore deservimus, ecclesiae constitutum, nullius alterius ecclesiae jurisdictioni submittatur ... Itaque omnem cujuslibet ecclesiae sacerdotem in praefato monasterio ditionem quamlibet habere prohibemus. Autoritate namque beatorum apostolorum B. Petri et Pauli jubemus, ut nullus rex habeat licentiam* (satis pro imperio quidem)

A. 947. *nostrum monasterium cuiquam in beneficium dandi. Nec licitum sit illis ordinare abbatissam, nisi ex ipsa congregatione, si qua digna adsit. Sin minus, rex habeat potestatem ordinandi abbatissam, quae Deo placere possit ... Scriptum per manus Stephani servi* (lego *scriniarii*) *S. Rom. eccl. in mense Januario ind. 6. Bene valete. Dat. 4. Non. Januar. per manus Andreae Arcani* (an *arcarii*? id est bibliothecarii) *sanctae sedis apostolicae; anno pontificatus domini Agapiti summi pontificis et universalis junioris papae secundo.*

13. Novissimum Hugonis regis Italia vestigium ostendunt tabulae, quae apud Campium Placentinae ecclesiae historicum leguntur, datae ab Hugone et Lothario regibus *anno regni Hugonis 21, Lotharii 16, mense Februario, indictione 5, domno Bosone venerabili S. Placentinae ecclesiae episcopo*, qui scilicet erat Hugonis filius nothus. Alium circa hoc tempus nomine Godefridum, defuncto Gerlone abbate, Nonantulae monasterio praefecit. Atque his actis, bona fide Italia excessit, cum filium parum amicum, Berengarium hostem haberet, autoritatemque suam nullo apud Italos loco esse cerneret. Itaque ingravescente etiam valetudine, tutus et quietus in patria agere maluit. Thesauros secum abstulit, quos nemini magis quam sibi credebat, sive offensus filio, sive parum tribuens, quem sub Berengarii potestate futurum videbat. Partem opum in liberos naturales aut amicas sparsisse, crediderim. Partem in ecclesias contulit; de caetero haeredem scripsit Bertam fratris filiam, Bosonis comitis Arelatensis viduam, quae Raymundo Tolosanorum principi iterum nupsit, qui etiam repetituro regnum arma offerebat. Sed sera haec auxilia ipsi visa, apparet. Autumno appetente jam regno cessisse, ex filii praecepto intelligitur, quod Septembri mense solus dedit in hunc sensum: *Lotharius D. g. rex .. interventu Adalardi episcopi* (Regini) *atque Ugonis cancellarii, Widoni Mutinensi episcopo res quasdam juris nostri positas in Comaclensi comitatu concedimus, scilicet mansionem et curtem et salinas. Signum d. Lotharii serenissimi regis. Adelricus levita et cancellarius ad vicem d. Bruninchi episcopi et archicancellarii recogn. Dat. 7. Kal. Oct. a. d. inc. 947, regni vero domini Lotharii serenissimi regis 17, ind. 6. Actum in civitate Papiae.* Talis et charta Ravennae extat *sexto Non. Octob., ind. 6, regnante domno Hlothario excellentissimo rege anno 17.* Itaque etiam Boso successorem in archicancellariatu acceperat, Berengarii, ut apparet, instinctu, qui fratrem a Lothario removendum judicavit.

14. Hugo ultra non comparet in historia, nec multo post secessum obiisse, Luitprandus scribit. A. D. 952. jam amplius in vivis non fuisse, ex filii tabulis manifestum est, datis scilicet ab Uberto marchione lege vivente Salica, filio bonae memoriae domni Ugonis regis. Sed quantum intelligi potest, filium Lotharium antecessit, exeunte anno 949. jam extinctum. Scriptor chronici Novaliciensis patri et filio infestus, Hugonem fulmine afflatum oppetiisse, fabulatus est. Monachum induisse, vult Leo Ostiensis episcopus, in monasterio S. Petri Arelatensis, quod suis sumtibus construxerit. Sed ibi ecclesia dudum fuerat, constructio monasterii circa haec tempora Teucindae cuidam matronae tribuitur apud Mabilionem,

uodecimo anno regis Conradi, quem Hugo vivendo non attigit. Nihil **A. 947.** amen prohibet, in eam rem partem ingentium opum testamento legasse. erte de monachatu merito dubitat Mabilio. Berta mox in idem monasterium liberalis fuit, de rebus, quas haereditate avunculi Hugonis regis bvenerat*. Avunculum vocat, qui patruus fuit. Arelate sepultum apparet, non Viennae, ut Pagius arbitratur.

15. Hugo ante regnum inclytus comes et marchio carissimusque idelis et consanguineus a Ludovico Orbo augusto appellatus est. Erant nim nati ex matribus consobrinis, Ludovicus ex filia Ludovici II. augusti, Iugo ex filia Lotharii fratris, qui in Austrasia regnavit. Qua de origine Iugonis diximus ad a. D. 926, pluraque attulimus de ejus rebus. Comes, narchio, dux in tabulis vocatur, quibus S. Petro Viennensi quaedam restiuit pro remedio animae Theobaldi patris et Bertae matris, Willae primae onjugis, Hildae secundae. Vicissim dorsale auro textum sibi stipulatur, honorem magis, quam pretium. Sed et jam a. D. 921 Hugo dux et marchio in comitatu Arelatensi commutationem quandam bonorum instituit. *Actum Arelate 5. Non. Octob. ind. 9.* Hildam conjugem Luitprandus Aldam vocat, ex qua Lotharius rex natus, et Alda Alberico patricio Romanae urbis nupta et, ut arbitror, Octaviani III. sive Johannis XII. pontificis mater. Marociam sponsaverit tantum, an et duxerit, haud satis compertum. Bertam, Rudolfi regis Burgundiae viduam, postremo duxit, filia ejus Adelheide filio suo Lothario copulata. Quam in Burgundia potestatem retinuerit, non satis constat; potestate marchionis in Provincia uti perrexisse crediderim, eoque jure usum Fraxinetum obsedisse: opima praedia ei etiam in Viennensi tractu mansere. Rudolfum Transjuranum regem spe Arelatensis regni facta, pactis etiam initis amicum sibi fecit; eaque mortuo in Conrado Rudolfi filio valuere, cui Bosoniani regni proceres, Ottone M. annitente, se submisere.

16. Hugo a. D. 945. regiam potestatem sibi cum filio in Vienna attribuit, tabulis Papiae datis, quibus Castenacum praedium ecclesiae S. Mauritii donat, violatoribus praecepti multam ex praedio partem fisco suo regio solvendam dictat: in sigillo cerae candidae impresso, quae ipsis literis agglutinata est, patris filiique vultus spectatur. Hugoni frons ampla, facies oblonga, at in mentum contractior, barba in acumen abit. Filius adolescentis ac pene pueri speciem vix pubertatem egressi praefert. Hugo fortitudine et ingenio valuit, sed regnandi causa perfidiam crudelitatemque inter licita habuit. Matrem suppositionis accusavit, ut fratris viduam duceret, spe Romae potiundae; sed et fratrem alium ob suspicionem oculis privavit, tertium in vinculis tenuit, sorore natum subornato hosti occidendum objecit, ex fratre natam Berengario nuptam pepulit; juratus caritatum suarum hostis, liberis tantum exceptis. Id agere etiam conatus est, ut archiepiscopus Mediolanensis in tumultu occideretur, quo filium nothum subrogare posset. Sed et libidini suae nullum modum dedit: accusatus est nurum amasse, adversamque in eo famam caetera vita meruit, cum aleret concubinarum greges; itaque etiam Bertam, regis viduam licet et

*) adepta erat *corr. Eckhardus.*

A. 947. ducis filiam, uxorum novissimam, haud satis in honore habuit. Ex Wandelmoda, nobili Viennensis tractus puella, Hubertum marchionem et ducem genuit. Sed in Italia secum habuit Besolam Suevam ignobilem, ex qua Berta augusta Romani junioris uxor, et Boso episcopus Placentinus genit; Rosam, Walberti ob conspirationem decollati natam, quae ei filiam peperit, caeteris pulchritudine praestantem; denique Stephaniam genere Romanam, matrem Theobaldi archidiaconi Mediolanensis, archiepiscopatui a patre, si licuisset, destinati. Eas dearum nominibus, ut scribit Luitprandus, Rosam ob simultates Junonem, Besolam forma praecipuam Venerem, Stephaniam ob partus difficultatem Semelen appellabat.

ANNO CHRISTI 948.

Synodus ad Mosomum de Remensi archiepiscopo. — Ottonis expeditio in Daniam. Difficultas circa tempus. — Otto fundat ecclesias in Dania cismarina. — Annus expeditionis. — Episcopi novi comparent nunc in synodo Ingelhemensi. — De tributo Danico. Ottonis victoria. — Frustra a Saxone aut aliis negata. — Haraldus rex Daniae impari foedere Ottoni obstrictus. — Haraldus quatenus in fide Christi et regis perstiterit. Sleswicensis marchia quam diu durarit. — Quousque Otto penetrarit in Jutiam. De Ottensunda. — Synodus Ingelhemensis praesentibus regibus et legato papae. — Allocutio legati. — Querela Ludovici regis de Hugone, et in hunc decretum. — Artaldus Remensis causam suam dicit. Ejus literae recitantur. — Literarum tenor. Quid Remis actum a morte Herivei. Artaldi ordinatio. — Hugonis intrusio et cum eo hucusque disceptatio. — Qua lingua usi sint in hac synodo. Gallica et Italica tunc sibi vicinae sub uno nomine Romanae vulgaris. — Hugonis mandatarius comparet, sed pro Artaldo pronuntiatur. — Lege agitur in Hugonem intrusum et fautores. — Concilii Ingelhemensis acta et patres. — Ordo episcoporum. — Canones concilii. Hugo princeps ad satisfaciendum astringitur. Intrusi fautoribus poenitentia injungitur. Quaedam notanda de feriis paschalibus et pentecostalibus. — Epistola legati papae ad Hugonem ducem. — Ludovicus contra Hugonem ducem auxilio Conradi ducis Lotharingiae. — Synodus Trevirensis. Poenitentia fautorum intrusi. Excommunicatio Hugonis ducis. — Legatus pontificis Fuldensem aedem consecrat. Abbates Corbejae. — Otto filium Ludolfum successorem designat. — Conradi Curciboldi mors. Singularia de ipso. — Lotharius rex Italiae dat quaedam in agro Comaclensi. — Constantinus Porphyrogenneta mittit ad Berengarium. Berengarius ad ipsum Luitprandum. — Constantini magnificentia. Munera carsamatium. — Convivium. Spectacula. — Erogatio in praefectos et aulicos. Aulae officia. — Hungari ab Henrico Bavariae duce repressi. Monumentum Maurkirchense. — Rato Andechensis dux. Exercitus sub ipso. An ex Ratoldo notho Arnulfi augusti. Habetur inter sanctos et heroes. Familia Andechsensis et Merania.

A. 948. 1. Synodus prope Mosomum in ecclesia S. Petri Idibus Januarii habetur. Affuere archiepiscopus Trevirensis cum omnibus suffraganeis, Remensis cum nonnullis; erant enim qui intruso favebant. Accessit iste, et privatim cum Trevirensi locutus est, synodum ingredi noluit, in qua adversarius locum tenebat: literas quasdam ab Agapeto papa scriptas misit per clericum suum, qui eas Roma attulerat; nihil canonicae autoritatis continentes, sed tantummodo praecipientes, ut Hugoni episcopatus Remensis redderetur. Quibus lectis, censuerunt episcopi, neque dignum neque justum esse, ut propter literas insidiis et subreptione impetratas mandatum legationis apostolicae, quod Robertus deferente Friderico

ram regibus et episcopis Virduni susceperat, negligeretur. Recitatur inde capitulum 19. concilii Carthaginiensis 4. de accusato et accusatore; autoritate ejus judicatur, Artaldum (quem Hugo accusasse videtur) ommunionem et parochiam Remensem retinere debere, Hugonem, qui ad nas synodos venire contemsisset, a communione et regimine abstinenam *, donec in synodo generali ad Kalendas Augusti indicta se purgasset. atres Hugoni capitulum descriptum cum subjuncta definitione sua tradi rant, is altera die Rotberto remittit, negans judices a se agnosci. Inde terae proclamationis (sic vocat Frodoardus) ab Artaldo Romam mittuntur; rediderim de subreptione Hugonis questum. Itaque pontifex Marinum icarium (id est legatum a latere suo) ad Ottonem synodi generalis conregandae causa mittit. A. 948.

2. Sequitur Ottonis expeditio in Danos. Ea me aliquandiu perlexum habuit, quia Frodoardus et continuator Reginonis ejus nec hic eque alibi uspiam verbulo meminere, qui tamen bellorum cum Bohemis, lavis, Hungaris, Polonis gestorum mentionem faciunt, nec in panegyrico oswita rem tali scripto dignissimam attigit. Witikindus obiter, Ottonem raterno bello implicatum inter alios hostes etiam Danos habuisse, scribit; t Ottone jam imperatore, Wigmannum rebellem Haraldus Danorum rex oluit recipere, nisi prius se, caeso aliquo magno viro, domi inexpiabilem eddidisset; quae animum significant haud amicum: et mox post Wigmanni aedem, Ottone augusto in Calabria agente, bellum cum Danis per legatos estum, obiter et vix verbo significat idem scriptor. Denique inter gentes ictas cum Avaribus (id est Hungaris), Saracenis, Slavis nominat et Danos. Ditmarus quoque post Witikindum historiam clerici Popponis arrat, qui coram Haraldo ferrum ignitum magni ponderis manu incolumi estasse, eoque fidei christianae labantem in Danorum animis autoritatem enovasse scribitur, quam ob rem ab imperatore episcopatu donatus est. bi etsi data esset pulcherrima occasio, nihil habet de Danico Ottonis bello.

3. Sed horum omnium silentium aut brevitas autoritati Adami Bremensis, ex monumentis ecclesiae suae loquentis opponi non debet. Et rem conficit diploma Ottonis M. a. D. 965. datum, quo ecclesias in marca vel regno Danorum structas, Sleswicensem, Ripensem, Arnhusensem, ab omni censu et servitio rerum personarumque suarum absolvit. Quod, nisi victor illic et rerum potens, inepte nec sine vanitate decrevisset. Nec apud Witikindum et Ditmarum desunt, quae sententiam receptam juvant. Witikindus enim cum Wigmannum ab Haraldo rejectum et Popponis miraculum memorasset, secutumque regis de idolis abolendis decretum; tum ad Mathildem versus Ottonis M. filiam, cui suum opus dicabat: *Sed haec*, inquit, *merito virtuti patris tui ascribuntur, cujus industria in illis regionibus ecclesiae sacerdotumque ordines tantopere fulsere.* Nec minus efficax est, etsi unius in rem vocabuli, locus Ditmari prope finem libri tertii: *Italiae, Daciae* (Daniae scilicet) *et Saxoniae salus, Otto primus obiit.* Videtur peculiariter populos nominare voluisse, quibus ipse prae-

*) removendum *corr. Eckhardus.*

A. 948. sens maxime profuit. Sed et in carmine, quod praefixum est libro secundo:

Occidentales sedat, Danosque feroces.

Occidentales sunt Lotharienses et Galli. Et tum ex his locis, tum aliis quoque manifestum est, neque Witikindo, neque Ditmaro justam Ottonis historiam texere constitutum fuisse. Ille scribit in panegyristae modum haud satis temporum observans, hic pauca perstringit. Frodoardus res Germanicas haud admodum curat, nisi ubi Gallicarum interest. Itaque de Danico etiam Henrici regis bello altum ipsi silentium; neque quicquam de Tancmaro habet aut de Bavaricis Ottonis rebus. Continuatorem Reginonis in Lothariensi regno scribentem, Prumiae, opinor, aut apud S. Maximinum, multa remotiora fugerunt. Etiam prius in Danos bellum ab Henrico Ottonis patre gestum praeteriit.

4. Asserta jam Ottonis expeditione Danica, de anno quaestio est. Ab Ottone Cnutonem Danum a patre victum, deinde iterum fines turbantem repressum, diximus ad a. D. 941. Sed praesens bellum cum Haraldo Cnutonis successore gestum est. Anterius esse debet morte Agapeti papae, qui Adaldago Hammaburgensi archiepiscopo de salute gentium ejus metropoli recens subditarum congratulatus est apud Adamum Bremensem. Agapetus autem papa factus est a. D. 946. Expeditio ergo, de qua agitur, vix ante a. D. 945. suscepta esse potuit, et synodo Ingelhemensi hac aestate celebrata anterior haud dubie fuit, quia episcopi in Dania creati affuere, ut mox intelligemus. Itaque rem intra hoc triennium conclusam apparet. Scriptores mei Saxones bini anonymi, quorum unum discriminis causa annalistam, alterum chronographum appello, ille, ni fallor, Halberstadensis, hic Magdeburgensis, rem in a. D. 952. retulere. Sed hoc bellum annus ille non capit, nam verno tempore rex ab Italia rediit, conjugem Adelheidem in Saxoniam duxit, initio aestatis ibi moratus est, et diplomata dedit, Berengarium mox ad se venientem suscepit, eumque in conventu procerum Augusto mense apud Augustam habito absolvit. A. D. 949 Otto pascha Aquisgrani celebravit, Augusto quoque mense apud Lotharienses egit, 950 Bohemos subegit, 951. in Italiam tetendit, 952. reversus cum Berengario (ut dixi) egit, sequentibus annis a filio et genero exercitus est. Agapeti ultimo Hungaros vicit.

5. Accedit argumentum ingens: terni omnes episcopi, quos Otto in Daniae marca nominasse scribitur, nunc Ingelhemii in hujus anni synodo cum Adaldago suo metropolitano comparuere. Itaque res differri nequit. Sed ne ante annum 944. regrediamur, Agapeti papae gratulatio facit. Porro a. D. 944 Otto Aquisgrani et haud procul Gallia aestatem trivit. A. D. 945. venationi dabat operam, quando captivitas Ludovici regis nuntiata est. 946. magnam in Gallias expeditionem suscepit. 947. apud Lotharienses et Gallos versatus est. Itaque nunc demum cum Haraldus a Denis receptus paulo ante Sleswicensem marcam pervasisset, potuit ducere in hunc hostem. Ergo in hoc anno conquiescendum est, quem nominat Albertus abbas Stadensis, et certior autor magister Adamus facit duodecimum archiepiscopi Adaldagi, id est hunc ipsum. Sed rem mature gestam oportet.

6. Tributum ab Haraldo negatum, scribit incertus auctor * chronici Slavorum (quem Erpoldus Lindebrogius edidit). Ejus fidem tuetur Witikindus, qui Daniam ab Henrico tributariam factam scripsit. Sed Danus hoc non contentus, bellum ultro infert, Heidebam, nostris Slesvicum, occupat, marchionem et praesidiarios obtruncat, totam Saxonum coloniam extinguit. Haec superiore anno acta sunt. Otto ulciscendo tanto facinori, media hyeme advolat (sic judicandum est), et favente anni tempestate cum exercitu in Daniam descendit; nam hyeme illic nec flumina nec paludes aditu arcent, et nostra memoria Suediae rex ipsum Balticum fretum frigore duratum cum exercitu calcavit. Otto ergo cum hostes imparati comparere non auderent, vastata regione usque ad mare novissimum pervenit, quod Danos a Normannis (id est Norwagis) dividit. Ibi (fatente Saxone Danorum historico) ex litore missa in mare lancea sui imperii terminum fixit. Is mos veterum fuit, ferturque Henricus Leo in ripa Rheni idem fecisse, non satis magnitudinis posterorum praesagus. Illi res magna visa est, quod Albis brachia Rheno junxisset; A. 948.

Sed nunc Hercynios agnoscunt aequora montes.

Id mare exinde, quod victoriam stitit, fretum Ottonis seu Ottensund dictum, tradit magister Adamus, nec Saxo ille abnuit patria Sialandicus, qui ob dictionem elegantem supra sui temporis captum Grammatici nomen meruit. Et hoc Ottonis factum etiam sagis septentrionalium (ut Olai Trigguasoni saga), etsi re in alium sensum detorta, celebratur, de quo dicemus aliquid ad a. D. 968.

7. Haraldus interea vires contrahebat. Saxo, ne rex Danus latuisse videatur, bello Sueeico occupatum facit aut fingit, et Ottonis reditum fugae similem fuisse, ut solent scriptores, qui ingrata suis libenter extenuarent; quemadmodum nuper Dudo Normannus de reditu ejusdem Ottonis ineptiit. Dani scriptoribus tunc destituebantur: traditiones historicae, nisi circa summas rerum, in aliquot secula aegre porriguntur. Itaque fere ex ingenio sunt, quae Saxo et similes a Francicis aut Saxonicis scriptoribus diversa habeant de illa antiquitate. Illud apparet ex Adamo, Haraldum, comparato tandem exercitu, secutum esse redeuntem Ottonem, ut terga carperet. Sed ita res ad praelium devenit, quo victus Haraldus fugatusque est. Lambecius in Hamburgicis etiam captum scribit, sed hoc Adami verba non patiuntur. Certe rem Germanicam superiorem fuisse, quicquid Saxo dissimulet, eventus ostendit.

8. Haraldus, instituto cum imperatore colloquio, pacem petit, impari foedere obstringitur ad colendam imperii nostri majestatem; tum christianam religionem amplexus, salutaribus undis tingitur cum conjuge Gunhilde et filio Suenone, quem Otto de sacro fonte suscepit, unde ascito patrimi nomine juvenis Suenotto dictus est. Haraldus non Christo tantum, sed et regi orientalium Francorum obsequia spopondit, regnumque suum a majore beneficiarium agnovit, ut diserte habet Adamus peritissimus septentrionis, regique ipsi Danorum Suenoni alteri centum abhinc annis familiaris, a quo se multa de rebus Danicis didicisse ait. Simul Dania cismarina, quae vulgo Jutia, in tres episcopatus dividitur, sub me-

*) auctor *add. Eckhardus.*

A. 948. tropoli Hammaburgensi, atque his caeterae etiam per insulas Balthicas Scaniamque ecclesiae interim summittuntur, quibus tunc presbyteri sufficiebant, donec aucto christianorum numero episcopos meruere. Itaque per errorem Suaningius pro Sleswicensi episcopatu Othoniensem posuit. Nunc episcopi nominantur Haraldus Slesvicensis, Liafdagus Ripensis, Reinhrandhus Arhusanus. Et ne quis de fide Adami dubitet, binos ex illis, Ripensem et Sleswicensem, his ipsis virorum nominibus Frodoardus homo Gallus hoc anno inter Ingelheimensis synodi, cui ipse interfuit, patres designat. Eosdem et tertium praeterea Arhusanum acta concilii nominant; etsi hactenus corrupta vocabula nemo intellexerit: magno argumento, quanta in eos, etsi Danici regni praesules, Ottonis fuerit autoritas, qui finita expeditione viva trophaea secum quasi in triumpho duxit; credo, ut paulo ante synodum a Marino legato Romanae sedis hi primi suarum sedium ordinarentur, et nova Danicarum ecclesiarum instituta apostolica autoritate corroborarentur. Nec minorem probandi vim habent ipsa Ottonum diplomata; quale supra adduximus Magni*, quo iisdem ecclesiis dat immunitatem, quod in alieno regno, nisi obnoxio, non potuisset.

9. Haraldum deinde in fide Christi labasse, non apparet, nam quod de Poppone retulimus, qui miraculo eam in ejus conspectu asseruisse scribitur, huc pertinuit, ut Dani exemplum dominantis sequerentur. Et satis apparet, regem ipsum Popponi favisse, ut suos in eandem sententiam adduceret; atque ex eo religionem christianam ubique receptam, abjectis idolis, quae antea adhuc passim colebantur. Haec facta, antequam Otto Romae coronaretur, sed post Hungaros victos, ut ex Rotgeri vita Brunonis colligi potest, qui ait: *Eo tempore rex Normannorum Haraldus cum magna multitudine gentis regi regum Christo colla submittens, vanitatem idolorum respuit.* Ottoni vero haud aeque fidus mansit: nam cum a Wigmanno ad renovandum in Saxones bellum invitaretur, non plane abnuit, sed conditiones quasdam adimpleri proposuit; et mox res in bellum erupit, cum Otto Magnus novissime in Italia versaretur; qui et belli Danici subinde renovati haereditatem filio et nepoti reliquit. Marchia tamen Slesvicensis in Germanorum potestate permansit, donec a Conrado Salico reddita est Canuto Danorum regi, cum filiam ejus filio suo Henrico conjugem accepisset. Caeterum quomodo scriptores quidam septentrionales Danicam Ottonis expeditionem narrent, dicemus ad a. D. 968, cum renovatum est bellum; unde etiam judicari poterit, quantum veteribus septentrionalium monumentis fidi possit.

10. Adamus innuit, Ottonem in extremam Jutiam penetrasse, et ad Cimbricum usque promontorium pervenisse, quod Norwegiam respicit. Ei Pontanus assentiri videtur. Sed apertum ibi pelagus nescio an fretum Ottonis dici possit, nam Sunda Germanicis populis angustum mare est, quod vocabulum Batavi ad Indos usque transtulere. Saxo, regem Germaniae paulo citerius ad Lymicum sinum venisse, scribit, qui Wendilam pene insulam facit. Sed sinus ille fretum non est. Ego suspicor, Ottonem ad fretum constitisse, quod Fioniam a continente dividit et hodie minor

*) *delevit Eckhardus.*

Baltia appellatur. Ita Haraldo sese obvertebat, sive a Jutia sive mari venturo. Sin longius processisset, hostem a tergo reliquisset, non sine commeatus difficultate, nec tuto receptu. Sed et breve tempus, quo arcatur tota expeditio, exercitum in longinqua ductum haud patitur; etsi Theodericus Niemius per errorem semestri integro regem in Dania moratum scribat, credo, tempus rerum gestarum magnitudine aestimans. Nam ante mediam aestatem Otto victor ad Rhenum reversus est, ut mox intelligemus. Sic igitur statuo, Haraldum clade accepta in angustias redactum imperata fecisse, episcopatusque in Jutia conditos ex foederis lege, etsi Otto Ripam et Arhusam, maritimas Jutiae urbes, illam ad oceanum, hanc ad Balthicum sinum, non adierit ipse. Caeterum licet res ad decus Magni Ottonis pertineat, pro candore meo dissimulare nolo, dubitari a me, an verum sit, quod Adamus habet ex fama, nec Saxo dissimulat, Ottonem freto nomen dedisse. Nam Odenseam primarium oppidum Fioniae (postea episcopi Ottoniensis sedem) ab Ottone nostro nomen traxisse, nemo re bene considerata dixerit; et Odensundam fretum ad Fioniam (quanquam id hodie hoc nomine amplius, quod sciam, non designetur), credibile est, ab eadem causa appellationem prope communem habuisse; nempe ab Odino, perantiquo Saxonum et Danorum principe, quem in his oris regnasse pro certo habetur. Theodericus de Niem manifeste falsus est, qui etiam Ottoniensem episcopatum in Fionia ab Ottone fundatum et nominatum putavit. Nam Otto mare non transiit, Ottoniensis episcopatus recentior est Ottone, nomen urbis antiquius fuit. A. 948.

11. Dum Otto ad mare Balthicum bello fulminat, Galli expectatione magnae synodi suspendebantur. Ludovicus rex et Hugo dux quievere, ne causam suam deteriorem redderent. Kalendis Augusti Otto et Ludovicus reges, Marinus legatus Romani pontificis et evocati literis Agapeti Roma missis archiepiscopi omnes Germaniae cum magna parte episcoporum, ex Gallia archiepiscopus Remensis et aliquot ejus suffraganei affuere. Ulteriores Gallos metus Hugonis domi retinuit. Sed ipsum praesulum indiculum ex Frodoardo pariter et conciliorum corpore infra dabimus, restitutis nunc demum et in luce positis omnibus, quae apud Baronium et conciliorum editores et Frodoardum ipsum corrupta aut non intellecta legebantur. Sed de tempore controversia nascitur. Scripserat Frodoardus, indictam hanc synodum in Kalendas Augusti, mox 7. Idus Junii congregatam, quam diem etiam habent acta concilii, quae edidit Sirmondus. Quis vero patres binis propemodum mensibus diem dictam praevenisse credat. Itaque dicendum videtur, inesse mendum alterutri loco, et binas autoritates, ut aequum est, uni praeferimus, et Junius placet; unde fatendum est, res tantas, quantae expeditione Danica gestae sunt, jam mense Majo confici non potuisse, nisi Ottonem ipsa hyeme in Danos movisse dicamus, quod etiam secuti sumus. Est tamen et in actis concilii difficultas, nam res 13. anno Ottonis acta scribitur. Sed Junio hujus anni adhuc 12. numerabat, decimum tertium demum Julio. Sed fortasse in prologo concilii laxiore sensu (ut fit aliquando) totus annus Christi

A. 948. anno Ottonis imputatus est, cujus partem continebat. Si Julius pro Junio scriberetur, cessaret difficultas.

12. Praesules in ecclesia palatii regalis Ingelhemensis, S. Remigio dicata, consedere. Ego concilii acta hic Frodoardumque testem conjungo. Recitato primum evangelio precibusque finitis, post lectiones sanctorum canonum secundum ordinem celebrandi concilii ingressis gloriosis regibus et simul residentibus, allocutio Marini secuta est. Is missus Romanae sedis, chartam suae legationis protulit, qua causa tractanda et credita ei ligandi solvendique potestas apostolica continebatur. Reges praesulesque se consentire atque obedire professi sunt. Inde exurgens Ludovicus rex a latere domni regis Ottonis, proclamationis suae querimoniam exposuit.

13. Accersitum se ex transmarina regione per legatos Hugonis et caeterorum Franciae principum ad suscipiendum paternae haereditatis regnum, procerum militiaeque Francorum votis et acclamationibus susceptum et consecratum fuisse. Postea vero ejectum ab Hugone et dolis appetitum, annum integrum sub custodia egisse, nec nisi tradito Laudunensi castro, quod unum ex omnibus regni sedibus Gerberga regina et fideles aliquot sui retinuerant, libertatem obtinere potuisse. Quodsi quis haec mala inde a suscepto regno suis peccatis imputanda diceret, purgare se juxta synodale judicium regisque Ottonis praeceptionem, atque etiam singulari certamine innocentiam tueri paratum adesse. Synodum justissima regis querela commotam, regiae autoritatis contemtori excommunicationem, nisi poeniteret satisfaceretque, minatam, ex his, quae sequuntur, intelligi potest.

14. Deinde surgens Artaldus archiepiscopus, literas recitari petiit, a se ad Marinum et synodum scriptas, quibus continebatur initium tenorque litis, quae inter ipsum et Hugonem versabatur. Eas nobis Frodoardus in Remensi historia conservavit, unde contractas exhibere operae pretium erit:

15. *Defuncto* [inquit] *Heriveo, Seulfum archidiaconum elegimus. Is contra propinquos Herivei amicitiam Heriberti comitis, dato jurejurando, obtinuit ea lege, ut electio post ipsius obitum sine consilio Heriberti a militibus Remensibus ne fieret: ita propinqui Herivei comprehensi usque ad mortem Roberti regis in custodia mansere. Tertio episcopatus anno Seulfus ab Heriberti familiaribus veneno, ut creditur, potatus obiit. Heribertus Remos veniens, milites ecclesiae et quosdam clericos in partibus suis habuit, cumque iis in Burgundiam profectus, a Rudolfo rege administrationem episcopatus obtinuit. Ita res pro arbitrio inter fautores divisit, adversos indicta causa spoliavit et pepulit, Odalricum Aquensem episcopum ministerium peragere jussit. Sexennio et amplius ita transacto, ortis simultatibus, rex Rudolfus cum fratre Bosone et Hugone duce Remos obsident, durante obsidione episcopis urgentibus, eligor ego indignus ad hoc onus magis quam munus, unanimi consensu eorum, qui extra urbem erant, multis etiam intus faventibus. Apertis deinde portis urbis, episcopalem benedictionem dantibus mihi episcopis decem et octo, consensu cleri et populi, collocatus in sede ab episcopis nostrae sedis, impositum mihi*

mus per annos fere novem gessi, episcopos octo per dioecesin, multosque A. 948.
ricos ordinavi, Ludovicum regem favente Hugone cunctisque regni incipibus, Gerbergam quoque reginam sacro chrismate cum benedictione rfudi:

16. *Cum ecce Hugo comes iratus mihi, quod contra fidem regi deam accedere partibus recusarem, cum Heriberto comite et Wilhelmo ormannorum principe Remensem urbem obsidet. Sexta obsidionis die seror ego ab omni pene ecclesiae militia* (id est ab omnibus fere beneiaria lege ecclesiae militantibus), *et ad Hugonem atque Heribertum exire gor; illi positum in angustiis et conterritum, episcopali me procuratione dicare cogunt, et in coenobio S. Basoli habitare jubent; Hugonem Heerti filium introducunt. Rex Ludovicus me Laudunum ducit, interea iscopi provinciae ab Hugone et Heriberto apud Suessiones congregati, ldegario episcopo misso, me ad colloquium vocant; ad locum condictum nientem ita urgent, ut vix ambiguo responso dato periculum vitarim; de spes illis facta, posse me a constantia dimoveri. Sed ubi ad reginam udunum veni, Deroldo episcopo ad me misso excommunicatos pronunvi, qui alteri, me vivente, manus imposituri essent ad habendam Remis dem. Sed hoc spreto quidam mox ordinationi Hugonis manus appluerunt, alii se subduxerunt. Ego apud regem fui, quando eum Hugo Heribertus aggressi sunt, et vix evasi. Tandem vagus et destitutus fratribus et amicis, ad eos deducor, episcopatus rebus me abdicare cogor, ad S. Basolum rursus deducor. Sed intelligens, de me perdendo agi, fugio, et per devia ad regem revertor, expectans misericordiam Dei, i tandem domno regi Ottoni inspiravit, ut in Franciam domino meo xiliaturus veniret. Denique postquam domina mea regina liberandi gis causa Laudunum reliquit, ad dominum regem Ottonem cum domino ge meo veni, simulque Remos accessimus. Hugo adversarius meus nittitur cum suis, et quae voluit, asportavit. Ego a praesentibus archiiscopis, congratulante clero et populo, restituor sedi. Hugo Mosomum unit. Tum ad Charam fluvium reges iterum congressi sunt; affui ego, nit et Hugo cum ordinatoribus suis. Causa audita, profert ille literas l sedem Romanam missas, quibus me a munere excusabam. Ego a me itas negavi et nego. Mihi sedes interim decernitur, donec in synodo l Virdunum communi consensu in medium Novembrem indicta res sculeretur. Hugo interea episcopatus res diripit, homines affligit, ad modum Virdunensem non venit. Alia proxima mense Januario prope osomum habetur. Hanc quoque sprevit, et decretis ejus parere negavit. go igitur proclamationis meae querelas ad sedem Romanam per domni gis Ottonis legatos destinavi, et nunc mandata ejus sedis et universalis ijus sancti concilii vestri judicium parere paratus expecto.*

17. Recitantur hae literae, et propter reges Teutonico sermone cplicantur. Hinc ego colligo, vulgari sermone locutos plerosque in modo et coram regibus, sed literas Latine scriptas interpretatione eguisse. imul apparet, reges Francorum occidentalium adhuc Germanica verba tellexisse. Italos autem Gallosque minus quam hodie sermone discre-

A. 948. passe, et sic satis invicem et a Latine scientibus intellectos; neque ai video, qua alia lingua quam Romana corrupta seu vulgari utentes Ludovicus rex, Marinus Italus, Artaldus Gallus a tota synodo Ottoneque ipso (vulgaris Romanici inde a puero haud experte) et a Germanicis episcopis Latini sermonis peritis intelligi potuerint. Confirmorque in ea sententia, ut obiter dicam verbis epitaphii Gregorii V. papae, qui Wormatiae natus et educatus (Vangia doctus in urbe) Germanice, Romanice (ut sic dicam) et Latine scivit.

Usus Francisca, vulgari et voce Latina,
Erudiit populos eloquio triplici.

Francisca erat Teutonica, vulgaris Romanica plebeja, et Italis Gallisque sic satis communis; Latina denique, quae in literis librisque et in pontificum Romanorum homiliis (ut nunc quoque) usurpabatur. Constat ex antiquis Gallicae linguae monumentis, magis magisque a Latino sermone discessum fuisse, quod casu olim factum, nunc Itali (ut mihi fassi sunt) etiam affectant. Olim Italos Gallosque et Latinis propiores fuisse certum est, et a se invicem haud multum abfuisse censeo.

18. His actis, Sigiboldus quidam clericus ab Hugone pro archiepiscopo se gerente mandata ferens, in synodum admittitur. Profert is literas pontificis Romani jam in synodo apud Mosomum jactatas, quas et sibi ab hoc ipso, qui aderat, Marino Romae datas ajebat. His auditis Marinus ut ostenderet, subreptione impetratas, vicissim literas, quas Sigiboldus Romam tulerat, recitari jubet. Ibi habebatur, Widonem Suessionensem, Hildegarium Bellovacensem, Rodulfum Laudunensem caeterosque Remensis provinciae episcopos pro restitutione Hugonis et expulsione Artaldi ad pontificem scripsisse. Tum surgentes Rodulfus Laudunensis (qui nominatus fuerat) et Fulbertus Cameracensis negarunt, tale quid suo assensu scriptum; aut omnino tales literas sibi visas auditasve: quibus cum Sigiboldo contendentibus, Marinus judicium synodi expetit, quid censeant patres de tali calumniatore statuendum. Itaque ministerii sui honore multatus, a conspectu synodi reprobatus abscessit. Artaldo, qui nunquam synodale judicium refugisset, episcopatus Remensis juxta canonum instituta et sanctorum patrum decreta adjudicatur.

19. Secunda consessione post recitatas divinae autoritatis lectiones et Marini vicarii Romani allocutionem suggessit domnus Rotbertus Trevirensis archiepiscopus, ut restituto jam Artaldo, in sedis ejus invasorem anquireretur. Quo probato, Marinus canonicam synodi sententiam exposcit. Jubentur ergo sanctae legis catholica recitari capitula. Itaque secundum sacrorum canonum instituta et decreta sanctorum patrum, Sixti, Alexandri, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Coelestini, Leonis, Symmachi caeterorumque sanctorum doctorum, excommunicatur, et ab ecclesiae Dei gremio depellitur Hugo Remensis ecclesiae usurpator, donec ad poenitentiam veniat, et sese dignae satisfactioni submittat. Caeteris quoque synodi actionibus tractata sunt quaedam de incestis conjugiis et de ecclesiis, quas in Germania passim laici illicite auferebant aut dabant, pretio interveniente, deque aliis causis.

A. 948.

20. Sed quia canones ipsos hujus synodi Sirmondus invenit et in ...ciliis Galliae produxit, quos deinde editores conciliorum omnium Pa... ...mi in suam collectionem transtulere, eos hoc loco recensere oportet: ...efatio ita habet: *In n. s. et i. T. Anno ab inc. Dom. 948, ind. 6, ...timo Idus Junias, anno serenissimi regis Ottonis 13, ipso quoque cum ...ustrissimo rege Ludovico praesente, sancta et universalis synodus apud ...gilenheim in ecclesia S. Remigii confessoris Christi in pago Nagewi...to collecta est, praesidente domni Agapiti papae apocrisiario venerabili ...timartiensis ecclesiae episcopo Marino, et considentibus archiepiscopis ...icfredo sanctae Coloniensis ecclesiae archiepiscopo, Friderico Moganti...e, Rotberto Treverensis, Adaldago Hammaburgensis; episcopis Richa...ne Vangionensis* [id est Wormatiensis] *ecclesiae, Geroldo* [alias Heroldo] *...vavensis, Udalrico Augustensis, Bernardo Halberstadensis, Theodardo ...ildinesheimensis, Dudone Padebrunnensis, Conrado Constantiensis, Star...ndo Eistetensis, Reginbaldo Nemetensis* [id est Spirensis], *Poppone ...irciburgensis; Adalberone Metensis, Goslino Tullensis, Berengero Vir...mensis, Balderico Trajectensis, Wichardo Basileensis, Dodone Osnabur...nsis, Eberiso Mimidonensis* [Mindensis], *Hildiboldo Mimigardevordensis, ...raberto Tungrensis, Fulberto Cameracensis, Rudolfo Lugdunensis* [...audunensis], *Michaele Ratisbonensis, Adalberto Laureacensis; Liopdago ...ipuensis, Oredo Suewicensis* [Araldo Sleswicensis], *Reginbrando Arus...nsis* [Arusensis].

21. Non satis apparet, quae ordinis ratio hic inter archiepiscopos ...bservata sit: si ordinationis tempus spectatum est, ultimus nominandus ...at Fridericus; sin ei domi suae deferebatur (qui mos veterum), Wicfredo ...iam praeferendus erat. Crediderim ipsum aetati Wicfredi, caeteros ob ...cum ipsi honorem detulisse. Episcopi ejusdem provinciae fere con...nguntur; et ante omnes Moguntinae, tum Trevirensis, Coloniensis, Re...ensis, Salisburgensis, Hammaburgensis. Itaque archiepiscopi temporis ...aerogativam, episcopi sedium secuti videntur. Richevonem Wangiensem ...iemo loco collocatum apparet; subjiciendumque Adaldago Heroldum et ...sum archiepiscopum. Turbat etiam Basiliensis inter provinciales Colo...enses errore, opinor, positus. Laureacensem etiam vel Patavensem, ...ui cum Salisburgensi de dignitate contendebat, ultimo pene loco positum, ...rror. Itaque potuit in his aliqua intervenisse perturbatio. In Frodoardi ...umeratione ordo episcoporum nullus servatur. Ignotos vel corrupte ...riptos Lioptacum Ripuensem (Frodoardo Ribuensem), Oredum Slewi...nsem (Frodoardo Horath Leowicensem vel Leoswicensem), Reginbran...m Arusvensem, suis nominibus sedibusque reddidimus.

22. Canones in concilio conditi sequuntur. Primo cavetur, ne quis ... regiam potestatem perfide insurgat, decernitur que ex praescripto Tole...ni concilii quarti. Ut Hugo, regni invasor et raptor, excommunicatione ...iatur, nisi tempore statuto ad synodale judicium veniat, et satisfactione ...nestita, a nefaria protervitate resipiscat. Artaldus archiepiscopus ca...nica anteritate restitutus habetur. Hugo sedis usurpator anathemate ...rculsus esto, ejusque ordinationes, et qui ab eo sunt ordinati, nisi 6. Id.

A. 948. Septemb. Treviros veniant et dignam satisfaciendo poenitentiam subeant, similem sententiam subeunto. Caetera jam minora, ut Hugo comes (idem ille, qui alias dux, marchio, princeps, quae nomina rigor curialis styli haud dabat) Rudolfo Laudunensi episcopo satisfaciat. Ut paschalis hebdomas festive tota celebretur (quod posteri paulo infra medietatem reduxere), et in pentecosten secunda, tertia, quarta feria (quarta hodie expuncta est) non minus quam dies dominicus solenniter honorentur. Ut in litania majore, scilicet 7. Kal. Maji (quae dies S. Marco sacra est) jejunium sicut in rogationibus ante ascensionem Domini observetur. Ne oblationes fidelium aut decimarum quaestiones seculari potestati vel judicio obnoxiae sint. Cavendum etiam praecipitur, ne incauta denunciatione peccatorum instabilis sexus non tam deterreri, quam admoneri videatur. Hoc in magistros istos conscientiarum, qui nostris temporibus nimium in eos, quos vocant, casus interrogando aut etiam disputando descendunt, dictum videri possit.

23. Browerus in ecclesiae cathedralis Trevirensis veteribus schedis epistolam Marini ad Hugonem principem statim post concilium datam reperit, quam vellem ipsius verbis publicasset. Sensum in hunc fere modum expressit: *Scire te oportet, synodo nuper in Ingelheim jussu domni Agapeti papae congregatae absentiam tuam magnopere displicuisse. Speraveramus enim salutem regni et publicam ecclesiae Gallicanae causam tantum apud te valituram fuisse, ut summi pastoris autoritatem non defugeres. Sed tu ne literas quidem aut nuntium misisti, quibus te purgares, et in amittendae sacrae communionis discrimen ultro te misisti. Nos tamen etsi tua causa et Hugonis usurpatoris Remensis jam damnati pene eadem sit, spatium tamen errori tuo concedentes, in aliam synodum Treviris Octobri mense habendam tibi diem dicimus, et ut adsis, jubemus; prius tamen cum Lothariensibus episcopis Laudunum proficiscentibus tibi loquendum erit, ut ex horum sententia cum Ludovico rege et Artaldo Remensi episcopo in gratiam redire possis. Atque ita te facturum confidimus.* Vellem dies mensis Octobris expressa fuisset, ad temporum seriem certius ordinandam.

24. Soluta synodo, quae generalis dicta est, Ludovicus ab Ottone auxilia in Hugonem petit. Datur ei Conradus cum Lothariensi milite. Sed mense integro opus fuit, ut conscribi posset; interea rex Galliae apud Conradum, Artaldus cum Frodoardo ipso apud Rotbertum, Rodulfus Laudunensis apud Adalberonem moratus est. Ducto deinde exercitu duplici, ab episcopis Lothariensibus Mosomum obsidetur ac deditur, praesidiarii datis obsidibus dimittuntur, castrum evertitur. Ab altera parte rex et dux Montem acutum Thetbaldi munitionem expugnant. Junctis deinde viribus Laudunum aditur, et licet munitio capi non posset, quam Thetbaldus tenebat, ibi episcopi, galea subito in mitram versa, in aede S. Vincentii Thetbaldum excommunicant, Hugonem missis Marini literis et suis ad emendationem vocant. Haec Septembri et parte Octobris acta. Hugo (ubi recessere) factis ad verba respondet, collecta sua Normannorumque manu Suessionum urbem oppugnat, et igne missili partem urbis, domus

itris ecclesiae, claustra canonicorum succendit; obsidionis tamen irritus A. 948.
cessit, nec structam a Ragenoldo munitionem Rauciaci super Axonam, si imperfectam capere potuit, villas tamen Remensis ecclesiae castris is contiguas devastavit, et in Culmisciaco vico infra ecclesiam et circa m fere quadringentos homines interemit. At milites (id est vasalli) mensis ecclesiae, qui Hugonis partes secuti fuerant, ad Artaldum red-e, quos ille partim redditis rebus recepit, partim rejecit. Ex his inligimus, Normannos tunc in partibus Hugonis fuisse, cujus filia Emma chardo duci adolescenti, procurante Bernardo Sylvanectensi, desponsata it, ut ex Dudonis historia constat, etsi tempus perfecti connubii serius beatur.

25. Post haec Treviros ad novam synodum Octobri mense habenm proficiscitur Artaldus cum episcopis Widone Suessionensi, Rodulfo udunensi, Wifredo Morinensi, id est Terovanensem et Bononiensem clesiam regente. Ibi Marinum et Rotbertum, sed non alios Lotharienses t Germanos praesules invenere. Marinus de Hugone principe quaerit, literas acceperit, quibus vocabatur, quomodo se gesserit. Responm est, quasdam perlatas, caeterum grassari non destitisse. Wido proratus culpam fatetur, intercedentibus Rotberto et Artaldo absolvitur. ifredum a noxia ordinatione immunem esse constitit. Transmarus Noomensis absens ob morbum excusatus est. Tertia die, insistente Luitllfo legato et capellano regis Ottonis (eo, opinor, qui deinde Brunoni in ncellariatu successit), cum nemo ab Hugone adesset, fulmen sacrum in igonem comitem rebellem Ludovico regi suo ecclesiarumque vastatorem ittitur, excluditur communione fidelium, donec resipiscat, et vel ad tisfactionem coram Marino legato aut episcopis a se laesis veniat, vel hoc facere neglexisset, ad petendam absolutionem Romam proficiscatur. communicantur et duo pseudoepiscopi, ab Hugone intruso et damnato dinati, prior Tetbaldus post expulsionem Hugonis apud Ambianos, alter o post ipsam damnationem. Vocatur et Hildegarius Bellovacensis, ut l ad Marinum veniat, vel Romam eat, rationem redditurus, quod illicitis is ordinationibus intervenisset. His actis, episcopi domum revertuntur, isciturque Ludovico regi filius, quem Artaldus de sacro fonte suscepit, trisque ei nomen imposuit.

26. Otto (referente Alberico) Fulberto Cameracensi episcopo abbam S. Gangerici dedit. Liudulfus legatus Ottonis Marinum Treviris ad m in Germaniam duxit. Frodoardus ait, in Saxoniam ductum; abusu m tum apud Gallos invalescente, quod regnum eo tempore penes Saxos esset. Ipse refert, ibi novam aedem sacram Fuldensis monasterii nsecrasse, quae utique in Saxonia non est. Browerus Fuldensium anuitatum scriptor ex antiquo loci codice refert; dedicationem peractam, *esente Ottone, in magno pontificum populique christiani coetu, ipsa die mium sanctorum, quae hodie,* ut addit scriptor idem, *mercatu magis et nua nundinatione ritu encaeniorum, quam religione templi frequentatur.* ovo Corbejae novae abbas obit, vir sapiens et clarus. Ita ad hunc anm annalista noster et fasti Fuldenses. Laudatur et a Witikindo, qui ait

A. 948. patris ejus avum Bovonem coram Conrado rege Graecas literas legendo inclaruisse: augustorum Constantinopolitanorum epistolam interpretatum crediderim. Hujus rursus avum nepotem Warini fuisse, primi abbatis novae Corbejae, genitum, ut opinor, ex sorore. Gerinus nunc successor Schatenius (ad annum sequentem) Gerbernum vocat. Ita et iidem fa… Bovo in aulae ministeriis et expeditionibus frequens, ab Ottone ca… S. Justini martyris impetrasse, Schatenio creditur, quod diximus Tr… viris Magdeburgum venisse, unde postea ad Corbejam magna celebritate translatum est. Lindaugia concremata est Nonis Jul. Liudulfus fi… regis cum Heremanno duce socero ad monasterium S. Galli in ipsa ej… festivitate venit, id est 16. Octob. Talia annotantur, ut tempora ges… assignata confirmentur, nam anno superiore Idam a juvene ductam not… vimus.

27. Crediderim, Novembri mense in frequenti procerum conventu haud procul Fulda, praesente legato apostolico, Liudulfum jam mari… a patre successorem magno omnium consensu designatum fuisse. Na… Witikindus id testamento, id est testata scripto voluntate patris (episcopis et principibus haud dubie subsignantibus), factum scribit, cum jam… sedecim annos haberet, quod in hoc tempus ingruere apparet. Matre ejus a. D. 930. nupta, non ante sequentem nasci potuit, nec diu differendus videtur. Sigebertus rem a. D. 951. actam scribit, sed non est optimus temporum autor. Nec tamen repugnem, renovatas tunc a proceribus fi… et obsequii sponsiones, cum pater Transalpinum iter moliretur.

28. 2. Kal. Jul. (ex Fuldensibus fastis) Conradus comes cognomento Curciboldus obiit. Natus patruo Conradi regis Eberhardo, qui a. D. 9… in praelio cum Adalberto Babebergensi commisso cecidit, ipse Curcibol… dus frater, ut arbitror, Werneri, patruus Conradi Lothariensium ducis fi… de quo dictum est ad a. D. 913. et 943, magnae vir autoritatis et re… imprimis gratiosus, cum ejus potissimum acerrima virtute, caesis duobus potentissimis hostibus, ex magna rerum perplexitate emersisset. Virum sapientem vocat continuator Reginonis; ea laus in cognomen obiit testi… monio Luitprandi. Itaque errasse puto, qui cognomini Lothariensium duci id elogium ascribunt, quod vita turbulenta haud meruit. Rufus qu… que dictus est, qui aliis Curciboldus. Virtus ejus etiam fabulis et carmi… nibus celebrata est. Leonem cavea effracta in regem Henricum insilien… tem ingenti gladio praeoccupasse ferebatur. Mulieres et mala arborum naturali quodam odio aversabatur, ut etiam in itinere, ubi forte reperiret, ibi morari nollet. Cum brevis esset staturae (vel cognominis indicio) Slavum giganteae molis, regia castra provocatione incessentem, progressus in medium alter David lancea stravit.

29. Circa haec tempora Hugo rex Italiae in Arelatensi comitatu obiit, quo se receperat. Lotharius, si nomen spectes, solus regnabat. Is Mediolani Idibus Febr. canonicis S. Justinae Placentinis quaedam dat et confirmat. *Ameco ad vicem Bruningi. A. D. 948, regni 17, ind. sexta.* Extant et tabulae *Ravennae nono Kal. Jul. indict. 7, anno quarto Agapiti papae, Lotharii regis 19.* Deinde Adalardi Regiensis episcopi rogatu

idoni Mutinensi bona quaedam in agro Comaclensi sita *7. Id. Octob.* A. 948.
ptima indictione, anno regni 17, Papiae donavit. Extat integrum diploma Silingardi libro de episcopis Mutinensibus scripto.

30. Constantinus augustus, intellecta Berengarii potentia, de Lotharii lute solicitus, cujus sororem nurum habebat, Andream, qui ab officio omes curiae dicebatur, in Longobardiam misit, ut de rerum statu cognoeret; literis etiam ad Berengarium datis, quibus ei juvenem regem mmendabat. Berengarius quaesivit, quem vicissim Constantinopolin stinaret. Occurrit animo Luitprandus juvenis, cujus vitricus nuper onstantinopolitanam legationem obierat. Hugoni puer ob musicam gras fuerat Luitprandus, inde Berengario a secretis et epistolis fuit, qui, erat avarus et callidus, effecit, ut vitricus ejus itineris sumtus libenter se reciperet. Luitprandus ergo Kalendis Augusti (vellem annum addisset) Papia digressus, per Padum triduo Venetias venit. Ibi Luitfredum loguntinum invenit, institorem eximium (Crusius antistitem pro institore gisse videtur) eundemque cum literis et donis Ottonis regis Constantiopolin petentem. Octavo Kal. Sept. Venetiis solventes 15. Kal. Octob. onstantinopolin appulerunt, cum paulo ante Romanus senior augustus ense Julio naturae debitum persolvisset.

31. Nunc cum forte etiam ex Hispania legati venissent, Constantinus, t suam magnitudinem ostentaret, domum palatio contiguam mirae magniudinis et pulchritudinis, quae Magnaura dicebatur, spectaculo aptari jussit. bi ex aere deaurato arbor ante imperatoris solium stabat, quam implebant ffictae ad verarum similitudinem volucres, et sonos cujusque naturae ongruentes dabant. Solium ipsum ea erat arte compositum, ut nunc umile, excelsius modo et momento sublime cerneretur. Astabant throno ustodes leones auro tecti. *Cum ergo* (inquit Liutprandus) *duorum euuchorum humeris incumbens, ad imperatoris conspectum deducerer, eones rugitum, aves suas voces emisere. Tum imperatorem pronus adrans, cum mox caput sustulissem, subito ad laquear domus celsum edere suspexi; tum vero de vita et sospitate, per logothetam percontatus st: ego congruente responso dato dimittor. Obtuli deinde dona meis mpensis: loricas optimas novem, scuta optima cum bullis deauratis, eptem cupas argenteas, deauratas duas, enses, lanceas, verua* (an veruta?), *nancipia quatuor carsamatia imperatori caeteris omnibus pretiosiora, d est pueros omni sublato virilitatis vestigio eunuchos, quos Verdunenses nercatores* (an Januenses?) *ob immensum lucrum in Hispaniam ducunt.* Lipsius vocabulum non inepte a garcione, id est puero, deducit, sed terminatio est a Celtico (sic Latinis Germanisque communia appello), quod est „metere", „mezzen", hoc est secare. Unde laniones Germanis „mezger" appellantur.

32. Triduo post imperator Luitprandum ad palatium vocat et post colloquium convivio adhibet, inde magno munere donat. Qua de re porro Luitprandus ipse: *Est*, inquit, *juxta hippodromum aquilonem versus mirae altitudinis et pulchritudinis domus, quae Decaennea cubita vocatur a decem et novem mensis seu accubationibus, ad quas in festo natalis*

A. 948. *Domini imperator et convivae non sedendo, ut caeteris diebus, sed* (veteri more) *recubando epulantur, tunc etiam solis aureis vasis ministratur.* Post cibum poma (quae pro secundis mensis nominare videtur autor) tribus vasis aureis sunt allata, quae ob immensum pondus non hominum manibus, sed vehiculis purpura tectis devehebantur. Apponebantur autem in mensa tribus funibus, qui pellibus auratis tecti et per foramina laquearis demissi, annulis aureis ansas ex scutulis prominentes capiebant, adjuvantibusque subtus quatuor aut amplius hominibus, per vertibile super laquear ergalium vasa in mensam transferebant. Ludi etiam varii exhibiti sunt, quorum unum Luitprandus maxime miratus est. *Venit quidam,* lignum viginti quatuor et amplius pedum longitudine capite sine manuum adminiculo gerens, quod bicubitum transversum, cubitum *profunditatis habebat.* Duo pueri nudi campestrati, sive succinctoria habentes, per lignum ascendentes, ita servavere immobile, ac si radicibus terrae *affigeretur,* post alterius descensum, qui solus remansit, non ideo minus inter varios motus aequilibrium tenuit; incerto spectatore, puer an gestator *admirabilior* esset, qui concordes lignum adgubernabant.

33. Denique hebdomade, quae est ante *Βαιοφόρον*, id est *palmarum* ramos, numismatum aureorum per officia erogationem imperator faciens, voluit Luitprandum adesse. Erat apposita decem cubitorum longitudinis, quatuor latitudinis mensa, quae numismata in loculis distributa, numeris, prout cuique dabantur, loculo ascriptis, sustinebat. Ingrediebantur singuli ad vocantis vocem, qui scripta virorum nomina secundum cujusque dignitatem recitabat. Primus vocatus est rector domus, cui non in manibus sed humeris (loculis, ut opinor, pendulis) posita sunt *numismata* cum quatuor scaramangis, post quem domesticus Ascalonas et de longaristis Ploas sunt vocati, quorum alter militibus, alter navigantibus *praeerat. Haec* corrupta nonnihil apparet. *Λογαριάστης πλόας* erat rationalis classiarius, seu rei nauticae rationibus praefectus. Domestici erant corporis *custodes,* horum praefectus hic designatur. Sed quid Ascalonas, haud constat. Vox a librariis depravata esse potest, ut passim apud hunc scriptorem. His duobus dignitate paribus, par numerus numismatum et scaramangorum datus est, quae non manibus aut humeris excepere, sed ob multitudinem adjuvantibus aliis post se traxere. Post hos admissi sunt magistri viginti quatuor, et cuivis assignatae numismatum aureorum totidem librae et scaramangae binae. Patriciorum deinde ordo secutus est, et cuique datae duodecim auri librae cum scaramanga una. Turba deinde immensa protospathariorum, spathariorum, candidatorum et id genus *clientum* secuta est. Hi omnes suis distincti gradibus militabant in palatio, ut tuendo imperatori praesto essent. Candidati vestis nota insignes, *Gordianorum* institutum fuere, si chronico Alexandrino credimus, quos tamen tutos haud praestitere; neque uspiam minus securi fuere principes, quam *inter tot* custodes. Patricii olim primi imperii et quasi patres habiti caesarum; nunc infra tot magistros subsedere. Ita semper ambitio per nova nomina propullulavit. Clarius, credo, intelligentur omnia, ubi opus prodibit ipsius Constantini Porphyrogennetae jussu de aulae et ecclesiae Con-

stantinopolitanae statu scriptum, quod olim in Matthiae Hungariae regis A. 948.
bibliotheca fuisse Gesnerus scripsit, nunc Francofurti ad Moenum in manibus est viri eruditi. Scaramangas Leonclavius Persicum vocabulum esse putat, pallium aut penulae genus, quo totus homo contra pluvias aut frigora muniebatur, fortasse uti quod nunc Galli supra-totum vocant. Constantinopolitanorum caesarum imitatione hodie Ottomani principes stipendia militi cum pompa numerant, et exteros ad spectaculum vocant, et caftanibus (penulae genere) dono datis eos induunt, quibus honorem habent.

34. Henricum Bavariae ducem hoc anno Hungaros irrumpentes repressisse, Aventini sententia est Witikindum secuti, qui Hungaros bis ab eo victos scripsit. Idem autor est, Henricum et copiarum ejus ducem Rathonem, in victoriae monumentum equo insidentes gypso effictos in templo divae Virginis apud Maurkircam vicum Bavarorum dedicatos spectari. Brunnerus has statuas ad ultimam de Hungaris victoriam ab Ottone ad Augustam Vindelicorum reportatam referre mavult. Ego Aventino faveo, quia Henricus praelio huic non interfuit, neque ei nisi paucis diebus superstes fuit. Itaque non video, quae inde illi statuae occasio data sit.

35. Ratonem inter heroas gentis et tutelares divos Bajoariae habent. Brunnerus beatum vocat, vulgo dicitur *Santgraf Raht:* etiam Lazio celebratus, colosseus pingitur: etiam fabulis ornant, quasi post victum Toxum Hungarorum regem cum Juditha ducis vidua ad terram sanctam profectum; inde patriam sacris pignoribus locupletasse. Tandem monasterium Werdense (id est insulare) in insula Ambronis fluvii praedio suo struxit. Aedes sacra Salvatori et ejus apostolis Philippo et Jacobo dicata, ab Adalrico episcopo Augustano ob dioeceseos jus consecrata est. Proxima erat arx montis Andeccensis. Itaque comitem Andechensem et Diessensem faciunt. Ego suspicor, hunc Ratonem vel Ratoldum ex Rataldo Arnulfi augusti filio notho ortum, nam et hunc Andeccensem faciunt, et ex eo Meranios derivant. Atque ita etiam alios judicasse, his scriptis deprehendi, stemma etiam in tabula exhibere operae pretium est, quale Johannes Conradus Dietericus collegit, ut in illud amplius per otium inquiratur.

ANNO CHRISTI 949.

Agapetus confirmat acta concilii Ingelheimensis. — Otto ad Rhenum agens, dat quaedam monasterio Eremi seu Einsidolensi et Metensi. — In Saxoniam veniens, liberalis est in ecclesiam Magdeburgensem. — Et in Trajectensem. Genera tributorum huslata, cogschult. — Aedes et episcopus Brandeburgensis. Legati ad Ottonem. — Turbae in Gallia. Regina ad Ottonem venit, auxilia petens. — Ludovicus capit Laudunum excepta turri Heriberti. Comites Retestenses. Induciae. — Diplomata Ottonis et difficultas circa tempus. Ultrajectum corruptum pro vetere Trajecto. — Diploma Leodiensi ecclesiae datum. — Filia Ludolfi, post abbatissa Quedlinburgensis. Udo comes obit. Ejus munus. — Qui filii et nepotes ex Ditmaro. Ducatuum successiones. — Mors Herimanni ducis Allemanniae, successore Ludolfo genero. Ejus vidua et privignus. — Episcopi Spirenses et Wormatienses. — Aquilegia Bavariae adjecta. Ducis expeditio ad Athesin. — De Willa Berengarii conjuge. — Constantinus Porphyrogenneta filium Romanum collegam assumit. Excerpta ex scriptoribus fieri curat.

A. 949. 1. Marinus legatus Agapeti papae cum hyemem in Germania exegisset, Romam re bene gesta reversus est. Et Agapetus synodum in Vaticana basilica aestate habuit, in qua Ingelhemii et Treviris acta confirmavit, Hugonemque principem, donec regi suo satisfaceret, excommunicatum pronuntiavit. Episcopos inferioris Galliae per Hugonis praefecturas late sparsos pontifici maximo obsecutos, communionemque sacram Hugoni negatam, haud constat.

2. Otto imperator * Francofurti ipsis Kalendis Januarii intelligens, Adamum nobilem in Raetia virum paulo ante publico judicio majestatis damnatum, ad Meginradi cellam confugisse, et mutata in melius vivendi ratione monachum induisse, vitae ei rerumque gratiam fecit, bonaque sita in Drusiana Raetiae valle, vulgo Valgena, in fiscum reducta restituit, Einsidelensibus cessura. Indict. 6. annus regis 14, quae temporis notae in annalibus Eremi adjiciuntur, nec inter se, nec anno Domini respondent. Sed annum Domini retineo, cum rex paulo ante apud Fuldenses egerit. Anno superiore, suggerente filio Liudolfo et Herimanno duce, res quasdam sui juris in Quadravedes, villa Raetiae, B. Virginis, S. Mauritii et caeterorum sanctorum obsequio tribuerat, quod in sylva et loco Meginrates cella ab Eberhardo eremita cum caeteris fratribus celebratur. Iisdem postea a. D. 952. alio praecepto praedium Lialachum in pago Brisachgowensi, quod de rebus Gundramni (an Habisburgensis?) populari judicio in regiam potestatem venerat, largitur. Eberhardo deinde apud Einsidelenses successit Gregorius nobili in Anglia loco natus, qui juvenis patria, parentibus, sponsa clam relictis Romae in Coelio monte factus monachus, et diu inclusus, tandem omnibus incognitus ad monasterium solitarium in Hercynia sylva habitantium se recepit, ubi cum decem annos exegisset, ob egregias virtutes caeteris praepositus est. Rex deinde 3. Idus Januarii (sic malim, non Junii) Ingelheimii Anstero abbati in suburbio Metensi Caminetum dat et villam, quae dicta Arx, et villam quae Negaredus *a. D. 949. anno regni 13, ind. 3.* (lego 7.) Quedlinburgi indictione 7, quae anni nota recte respondent.

3. Inde in Saxoniam profectus, Magdeburgi 3. Kal. April. quaedam ab abbate Hersfeldensi permutatione acquisita ecclesiae Magdeburgensi tribuit. *Omne praedium* (inquit) *ad monasterium B. Wigberti confessoris Christi in loco Herolvesfeld pertinens, in villa Wurmalesleve in pago Hosgowe, aliaque in villa Widerstete, cum omnibus ad eas pertinentibus decimis, quae sunt in septentrionali parte rivuli, qui dicitur Willserbach, concambii jure ab Hagonone venerabili ejusdem monasterii abbate, pro praedio ei collato in orientali Francia, in villis Buohweride, Rizzestal, Karoltesbach, Swarzbaha, Stillaha nominatis, et in occidentali Francia Ezlibach, Bommareth, Suliburg, Furbach, Hurnafa; in Thuringia Honentriche, Anglendorph, Stuchesfurt, Amalungesdorph; ad S. Petrum principem apostolorum et ad S. Innocentium..... ad stipendia fratrum in loco Magedaburg Deo illisque servientium hoc praesenti autoritatis nostrae praecepto in proprium concessimus. Electionemque illis concedimus abbatem inter se eligendi et advocatum.... abbatem tamen dignum. Signum*

*) rex *corr. Eckhardus.*

domni Ottonis invictissimi regis. Brun cancellarius ad vicem Friderici A. 949.
archicapellani recognovi. Data 3. Kal. April. a. d. inc. 946. (lego 949.) *ind. 6. anno regni domni Ottonis 13. Actum in Magdaburg.* Nempe re incerta annum regni, quippe novissimum, caeteris praefero; nam mense Aprili 949. nondum decimus tertius annus regni Ottonis absolutus erat.

4. Mox Quedlinburgum veniens, ipsis Kalendis Aprilis Baldrico Trajectensi episcopo ab antecessoribus concessa confirmat. Insuper et tributorum, quae huslata et cogschult dicuntur, gratiam facit, res etiam quae in villa quondam Dorstat, nunc Wyk nominata, et in caeteris locis inde usque ad mare, et in insulis caeterisque mari contiguis provinciis ab imperatoribus regibusque ecclesiae, cui ille praeest, tradita sunt, autoritate sua tuetur. Dorstadium olim celeberrimum Frisiae occidentalis emporium, tunc ad incitas redactum fuisse, apparet, per crebras Normannorum invasiones. Hic Buchelius, qui Hedam et Bekam Ultrajectenses scriptores illustravit, dubitat, an jam tunc tam prope Dorstadum extiterit sinus, qui mare Australe hodie appellatur. Ego tamen magnam admodum mutationem pelagi terraeque ab illo tempore annalibus indictam aegre admitto. Quid cogschult, ex Helmrici chronico Nordfrisico eruit amicus. „Cog" terra est mari extorta, paulumque super id extans, inde aliquid regi depensum apparet, nec improbabiliter conjicit, Caucos a cog, id est terra mari eminente, seu, ut Plinius vocat, tumulis suis dictos. Possit tamen cogschult a cogonibus, id est navibus onerariis longis, duci, pro quibus aliquid forte dependebatur. Sed prius etymon malim. Huslata non male Cangiacus censum ex aedibus interpretatur, nam „hus" est domus; sed quid esset lata seu lodo, non habet. Explicata res est ad a. D. 937.

5. Hoc tempore rex in Saxonia agens, a Marino legato Romano, quem per hyemem secum habuit, aedem Brandeburgensem consecrari curasse videtur, et ad hoc pertinere, quod annalista Saxo per errorem scripsit, episcopatum ipsum hoc anno fundatum fuisse, id enim a. D. 941. factum, illic ostendimus. His actis, dimisso Marino, ad Rhenum venit, eoque transmisso festa paschalia Aquisgrani celebravit, ubi legatos Graecorum, Italorum, Anglorum aliorumque populorum audiit. Constantinus augustus et Otto amicitiam mutuis nuntiis et muneribus excolebant; Lotharius, an Berengarius ex Italia miserit, incertum. Edredum Angliae regem, crediderim, causam Ludovici regis commendasse jam sponte faventi; Danos quoque et Bohemos affuisse.

6. In Gallia interea turbae perseverabant, neque per hyemem quies erat. Obierat anno superiore exunte Rudolfus Laudunensis episcopus, Laudunenses regi addicti Roriconem fratrem regis nothum, diaconum gradu, ab eruditione laudatum, successorem eligunt, sed cum Lauduni non reciperetur, in munimento Petrae pontis resedit. Ambianenses obtrusum sibi pro episcopo Tetbaldum haud probantes, urbem regi et Arnulfo produnt, et pulso invasore ecclesiae, Ragenbaldum Atrebatensem monachum, quem ipsi delegerant, recipiunt. Interea milites Remensis ecclesiae ab Artaldó haud recepti, Almontem (Aumont) capiunt, Hugonem depositum introducunt, ditionem Remensem vastant. Itaque regina, cum finem rapinarum

A. 949. et tumultuum fieri non videret, ad fratrem profecta est, ut ab eo nova auxilia impetraret; ubi paschalibus gaudiis et spectaculis interfuit, quae legatis peregrinarum gentium praebebantur. Facta deinde fraterni auxilii pollicitatione, multo cum honore dimissa est.

7. Tum Ludovicus rex Laudunum improvisus noctu aggreditur, muroque conscenso, ruptis portarum seris capit, praesidiarios captivos abducit. Turrim regiae domus, quam ipse olim ad portam castri eduxerat, obtinere non potuit. Itaque muro eam ducto a civitate secludit, tum a Conrado duce promissa auxilia accelerari petit. At Hugo non segnis advolat, et cum castrum recipere non posset, turrim aucto praesidiariorum numero et annona immissa confirmat. Rex Conrado obviam proficiscitur, ejusque opera induciae cum Hugone in Augustum fiunt; dum rex ipse Ottonem haud procul apud Lotharienses agentem adiret, unde Remos reversus, Adalbertum Heriberti filium natu majorem ad se venientem in fidem suscepit. Ragenoldus comes regi fidus, adjunctis sibi Artaldi praesulis amicis, munitionem in Matrona fluvio prope Marollium struit. Qui *Codiciacum* (Coucy) pro Hugone tenebant, sese Artaldo dedunt. Dodo frater Artaldi et Theodericus comes (is erit, quem Albericus ad a. D. 946. nepotem Bernardi comites Retestensis vocat) Altmontem obsident, munitionem munitioni opponunt. Hugo cum suis et Normannorum copiis Laudunensi turri commeatum rursus infert, praesidium mutat; inde in Portiano pago ad Caldionem castra metatus, dum regem tractatu pacis suspendit, Laudunum stratagemate frustra tentat. Frustrato consilio recedentem rex cum Arnulfo et Lothariensibus auxiliis insequitur, et in itinere Sylvanecte suburbium incendit. Reversis domum, Hugo in Suessionensi pago vicem reddit; tum, ut ostenderet, sibi pacem cordi esse, episcopos Widonem Autisiodorensem et Ansegisum Trecassinum ad regem mittit. Itaque vicissim petenti mittitur comes Raginoldus, et induciae in octavam a paschate sequenti constituuntur, quae Reginoldo ad regem reverso ratae habentur. Sed induciis nec Hugo intrusus, nec alii turbones comprehendebantur. Itaque Ragenoldus castrum occisi nuper Herivei Castellionem, conscenso noctu muro, capit, et triduo post Dudo Almontem simili astu occupat. Bernardus Colnaci ad Isaram dominus, ab Hugone desciscens, sese Adalberto jam ad regem transgresso committit. Ita Ottonis ope res regiae ubique superiores fieri coepere.

8. Diplomata quaedam Ottoni quasi hac aestate confecta tribuuntur, sed quorum in notis multa est difficultas. Admiserim Neomagi vel Numagae datum Baldrico Ultrajectino 1. Kal. Jul. indictione 7, anno regni 13, nam decimus quartus nondum initio Julii coepit, sed annus Christi 948. in praesentem mutandus est. Ibi pro remedio animae suae et dilectissimae conjugis b. m. Etgidis totam piscationem in Amuson et in Almere, omnemque censum, qui vulgariter vocatur cogschult (de quo supra) ad ecclesiam S. Martini in loco Trecht vocato, ubi venerabilis Baldricus praeesse videtur, in proprium concessit*. *Brun ad vicem Roberti archicapellani recogn.* Locus Trecht is est, ex quo mala Latinis affectatione

*) *ita Eckhardus;* concessimus *Leibn.*

Utrajectum fecere, quasi sit ulterior trajectus; cum Oud-trecht veterem rajectum significet, itaque antiquis, ut hic Ottoni, saepe simpliciter Trecht ocatur. A. 949.

9. Sed quod Miraeus nobis in Notitia ecclesiarum Belgii diploma)ttonis profert, quasi nunc datum, neque anni notis, neque personarum nentione consistit. Otto, Conrado duce interpellante, Leodicensi sedi in onorem B. Virginis dicatae, quam Farabertus tenebat, monasterium Eichae d fluvium Votra, in pago Husce, in comitatu Rodulfi tradit. *Eimo notaius ad vicem Brunonis archicancellarii recogn.* Sed Bruno serius archiancellarius factus est, et tunc jam Conradus ducatum amiserat. *Actum Chwitileneburg a. d. inc. 949, 4. Non. Jul. regni Ottonis 14, ind. 7.* Sed ioc Christi anno Julio mense Otto Quidelingeburgi haud fuit. Capellovillanus Leodiensium historicus in a. D. 944. refert adhuc minus congruentem.

10. Ludolfo regis filio filia Mathildis nascitur, quae deinde cognonini amitae, Ottonis M. filiae, in abbatiae Quedlinburgensis regimine uccessit. Udo comes obiit, Herimanni ducis Allemanniae frater, et pernissu regis, quicquid beneficii sive praefecturarum habuit, quasi haereditatem inter filios divisit. Ita loquitur Reginonis continuator, ejusque ocum scriptores rerum feudalium producere solent. Hoc tamen non ita accipiendum est, ac si feudum aliquod seu beneficium in partes secuerit, quod tunc minime licebat, sed quod inter filios alius aliud sortitus sit, paterna voluntate a rege comprobata. Nam in morem jam tum ierat et bene in legem, ut comitatus patris filiis sine magna ratione non adimerentur. Udonem, cum a Roswita praeses dicatur, ut antea Everhardus, etiam praeter comitatus suos majorem in Francia orientali autoritatem exercuisse, puto, post Eberhardi sobrini casum; ducis quodammodo nomine, certe missi potestate; quam (concessione regis peculiari) ad Udonem filium primogenitum pervenisse jam dicemus.

11. Filii superstites (ut de Gebehardo a. D. 938. caeso nil dicam) non nominantur, sed eos eruere datum est ex Ditmari praesertim restituti locis. Is ante omnia caeteris, ut apparet, majorem natu Udonem ducem suppeditat, qui in Calabria cecidit a. D. 982, quem lib. III. matris suae avunculum appellat, patrem (ut idem ait, sed restitutus, lib. V.) Hermanni Sueviae vel Allemanniae ducis, ipse vero nonnisi Franciae dux esse potuit, eoque in honore ac titulo patri successit. Hinc intelligitur, falsum esse, quod Blondellus ex nomine solo divinavit: Udonem episcopum Argentoratensem Udonis nunc mortui filium fuisse, neque enim verisimile est, duos simul Udones fratres, unum ducem, alterum episcopum vixisse. Post Udonem hunc ducem duos alios Udonis nunc defuncti filios habet Ditmarus, nam a. D. 992 Conradi, Suevorum ducis egregii, et fratris ejus Heriberti mortem refert. Nomen autem Heriberti patrem indicat Udonem nunc defunctum, cui uxor fuit filia Heriberti I. comitis Veromanduorum, uti nos Frodoardus docet ad a. D. 946. Atque inde repetit Albericus. Inde ergo Heriberti nomen familiae illatum est. Et Heribertus rursus filios habuit Gebhardum, quemadmodum discimus ex Ditmari lib. VII, cognominem avo

A. 949. et patruo, et Ottonem comitem, cujus lib. V. (quo supra loco) mentionem facit, ac denique Heribertum archiepiscopum Coloniensem, ut ostendemus infra. At Conradus, Heriberti frater natu major, ad ducatum Sueviae patruo suo Herimanno olim administratum pervenit, Ottone Ludolfi filio, Ottonis M. nepote, a. D. 982. in reditu ab Italia extincto, liberis nonnisi infantibus relictis.

12. Udonem hoc anno extinctum mox frater Herimannus Allemannorum dux secutus est, cujus magna in regem fides, magna apud regem auctoritas fuit. In ducatum praefecturasque et amplissima praedia Ludolfus gener successit; neque enim Luitprando teste nisi unicam filiam reliquerat. Uxor ei Regulinda fuit, cui ex primo marito ante Burcardum et Hermannum (nam trigama fuisse videtur) natus filius Alaricus, relicta seculi pompa, in insulam Ufnaugiam se contulit, deinde ea relicta, secessit, ad Meginradi cellam. Regulinda deinde, mortuo Hermanno tertio marito, in eadem insula se Deo consecravit, constructo oratorio S. Martini; morti proxima res suas Alarico filio ejusque monasterio contulit, ibidem sepulta non sine opinione sanctitatis. Haud multo post relicto custodis officio, ad eandem insulam Alaricus rediit, ut basilicam a matre coeptam absolveret, et majore solicitudine frueretur. Ejus meminit Hepidannus in vita S. Wiboradae. Mortuus est sub a. D. 973. die festo S. Michaelis in sua Ufnaugiensi insula, ibique in aede, quam absolvit, sepultus. Ex ejus haereditate magnae ad Eremitas possessiones pervenere. Illa ipsa insula hactenus Einsidelensis abbatiae praepositura est, duarum horarum intervallo distans a monasterio in lacu Tigurino. Haec ex Christophori Hartmanni annalibus Eremi Mabilio in seculo quinto Benedictino retulit, ubi vitam Eberhardi primi abbatis exponit. Porro non contradicit huic Hartmanno vetus Hartmannus Sangallensis, qui vitam Wiboradae contemporaneus scripsit, et Wiboradam cum Alarico conversantem introducit, quando Regulindae tribuit maritum Burcardum Sueviae ducem. Burcardi enim viduam ab Herimanno successore ductam, constat. De quo dictum est ad a. D. 926, ubi etiam notavimus, Alaricum mariti utroque prioris filium videri.

13. Caeterum obiere etiam hoc anno Reginbaldus episcopus Spirensis 2. Kal. Jul. (ut habent fasti Fuldenses), cui suffectus est Godefridus monachus Weissenburgensis; et Richowo Wormatiensis, cui successit Anno Magdeburgensis abbas ex monasterio S. Maximini assumtus, pro quo factus est abbas Otwinus, anno abhinc quarto ad Hildesemensem sedem transferendus.

14. Henricus circa hoc tempus Aquilegiam in potestatem redegit et ducatui suo adjecit. Patriarcham, nescio quod ob facinus, castrari jussit. Addit Witikindus, Ticinum tranasse, et multa praeda ex hostico relata, domum repetisse. Sed in interiora Longobardiae, nisi propria et magna expeditione penetrare, et ad Ticinum nisi multis aliis fluminibus superatis pervenire non potuit. Witikindus errore Athesin in Ticinum vertisse videtur. Itaque Athesin trajecisse et vicina loca imperium detrectantia vastasse, puto, et Lothario, vel potius Berengario, indixisse bellum, prae-

...mabulum majoris, quod mox rex ipse movit; sed Lothario extincto. Quis **A. 949.**
...unc Henrico color armis sumtus, haud constat. Scimus tamen, ab antiquo ...ines inter Bajoarios et Longobardos in controversia fuisse.

15. Multa de libidine Willae Berengario nuptae more suo Luitprandus ...ffutit; quorum fides penes ipsum esto, postquam inimicum in eam animum ...aud semel professus est. Berengarium addit, etsi indicia criminis nactum, ...mollitum tamen mulieris illecebris, haud recusasse

Sponte maritali submittere frena capistro.

...ondum, credo, tunc cornua huic significatui in Italia accommodabantur; ...lioqui meledicus scriptor, qui nobis hunc versum servavit, ea voce, credo, ...aud abstinuisset. Willam idem autor est Raymundi Aquitaniae principis ...uisse sororem, qui Bertam Hugonis regis ex fratre neptim duxit.

16. Constantinus Porphyrogenneta solus potitus imperio, cum etiam Romanus socer Julio superiore in monasterio obiisset, nunc in ipso paschalis festo filio Romano, vulgo juniori, diadema imposuit, vota faciente Theophylacto patriarcha, ut habet Cedrenus. Juveni jam creato augusto, vivente adhuc Lothario rege Italiae, nurus suae fratre, id est hoc anno, librum de administrando imperio dedicavit. In quo de rebus suae ditionis per themata seu provincias haud absurde disserit, sed prope pudendam rerum Italicarum ignorantiam ostendit. Sub eo studia refloruerunt, virique eruditi praemiis excitati sunt ad omnem doctrinae cultum. Imperator ex immenso, ut tunc videbatur, librorum cumulo, sed, si ad nostra tempora comparetur, mediocri, optima quaeque decerpenda putavit. Sed excerptorum ejus nonnisi exigua fragmenta ad nos pervenere, quae ostendunt neque optimo consilio, neque satis eruditis manibus usum. Salutare opus foret hodie, si a peritis judicibus de quoque libro ea duntaxat excerperentur, quibus autor thesaurum doctrinae humanae auxit, et majorum haereditati aliquid adjecit. Ea una ratione immensus oceanus, quo aliter absorbebitur tandem humani generis curiositas, in angustum aliquod fretum cogetur. Aliter enim, si sic pergitur, in tanta imprimendorum librorum facilitate aliquando non aedes, non plateae, sed oppida integra vix bibliothecis sufficient. Scio, Justinianum ob Triboniani labores, et hunc ipsum etiam Constantinum accusari, quasi per eorum florilegia ipsi veterum libri egregii intercidissent. Ego haud plus minusve perituros fuisse arbitror; quin potius his gratias agendas, qui pretiosas quasdam ex tanto naufragio tabulas conservavere.

ANNO CHRISTI 950.

Conradus dux Ludovicum et Hugonem principem conciliare studet. — Regis propinqua se duello purgat. — Diploma Ultrajectinum. Methodus examinandi notas diplomatum chronicas. Familia Waldgarii. — Herimannus Billingi filius fit praefectus militiae aliis invidentibus. Postea dux Saxoniae. — Fabula de ortu minus illustri Hermanni Billingiadae, a Bremensi clero excogitata. — Eruitur, quomodo fuerit regi propinquus. Familiae electorales ab ipso descendentes. — Fabula in majus aucta, melioribus autoribus ejus pater dicitur comes. — Origo Billinganae gentis ex dynastis Saxonicis Carolo M. contemporaneis. — Eorum bona in Luneburgico tractu et alibi ad Visurgim. Item circa Magdeburgum. Eorum fundationes. —

Bona prope Leinam et Corbejam, et in Westfalia. — Tabulae Corbejenses. — Majores Hermanni Billingiadae ducis Saxoniae. Inter eos videtur fuisse Lotharii ducis socer. — Wigmannus comes in Ebbekesdorfiensi clade caesus. Bernardus praefectus versus Redarios. — Tabula majorum Billinganorum. — Expeditio in Bohemos decreta, Hermannus Billungus proximus inter duces a rege. — Tempus expeditionis et loca, per quae ductus exercitus. — Boleslavia obsidione capta. Ekkihardus caesus. — Quis ille Ekkehardus, an ex familia Ecbertina. — Pragae obsidio. Boleslai deditio. — An Boleslaus ad officium culinae damnatus? An insigne lebetis ei datum? An munus versum in pincernatum? — Bohemia tunc duci Bavariae et episcopo Ratisbonensi subjecta. Germani in Bohemiam traducti. — Boleslai poenitentia. Ejus familia. — An tunc Bohemiae rex. Conflictatio cum Moravis et Hungaris. — Pax inter Ludovicum regem et Hugonem principem. Mox novae simultates. Comites de Roceio. Comites Blesenses et Carnotenses. — Lotharii regis Italiae mors suspecta. Berengarius coronatur cum filio Adelberto. — Berengarii origo. — Arduinus marchio, unde Segusienses. — Berengarii diploma. — Hispaniae et Angliae reges. — Gero marchio Romam adit, reversus quaedam a rege impetrat. — Praeceptum regium. — Fuldensia. — Trevirensis praetensum jus in abbatiam S. Maximini. De Broweri annalibus. — Episcopi Mindenses. Abbates Laureshamenses. Posteri Eberhardi fratris Conradi regis. — Episcopi Argentoratenses. — Ecclesia Fallerslebiensis.

A. 950. 1. Ottonem natalem Domini apud Treviros aut in vicinia egisse, ibique in anni initium mansisse, ex Frodoardo intelligas, qui ait, *Ludovicum regem trans Mosellam tunc ad Ottonem profectum, ut consilium ejus opemque expeteret, quo pax solida cum Hugone iniri tandem posset. Promisit Otto Conradum pacis tractandae bellique adjutorem. Dux ergo ascitis aliquot episcopis comitibusque Lothariensium, ad colloquium cum Hugone venit. Rebus discussis, Conradus primum Ludovico, deinde domino gesta renuntiavit, et dicta est congressui dies*; de quo postea agemus. Otto interea expeditionem Bohemicam meditabatur. Itaque in Saxoniam redire decrevit. Antea tamen cum Francofurti diem purificationi B. Virginis dicatum egisset, Wormatiam profectus est, ibique viduam Herimanni ducis ad se venientem benigne suscepit, filio suo ejus genero Liudulfo ducatum Allemanniae commisit. Regulindam Hermanni ducis viduam fundationem in insula quadam Helvetiae (de qua anno praecedente) tunc animo agitasse, et regis auxilium expetisse, credibile est. *Ibi et ingentem de nobilissimae cujusdam foeminae honore et existimatione controversiam rex diremit.*

2. Eam continuator Reginonis contemporaneus aliter, quam Ditmarus paulo posterior, narrat. Ditmarus ex fama, opinor, quae res in majus attolit, ipsam filiam regis Luitgardem infamatam a Cunone quodam, qui se ipsius concubitu potitum jactasset. Continuator, qui tunc scripsit, credibilius neptim quandam regis vocat; accusatorem ejus accurate designat Everhardi comitis filium Conradum, quem Conrado duci carissimum fuisse, infra videbimus; quod credi de tanto viro haud potest, si ejus uxorem infamasset. Lis pro more temporum ex procerum sententia ad ordalium deducta est, ut singulari certamine tanquam divino *judicio decideretur*: nam difficiles nodi tunc gladio secabantur, nec nostra tempora in honoris causa ab hoc usu abhorrent, dum principes plerique, quas publice contra tulere leges, privatim haud morantur. Cum rex, perquisitione facta, innocentiae favens, ostendisset, eum perpetuum in se amicum

ıbiturum, qui honorem puellae manu asseruisset, prosiluit in medium A. 950.
ırcardus comes, quem appendix Reginonis Saxonem vocat, et Cunonem
entitum dixit. Congressu facto, succubuit Cuno, et ad confessionem
endacii adactus est. Eberhardum ejus patrem eum esse, verisimile est,
ıem hactenus ducem nominavimus, fratrem Conradi regis: etsi enim
ıntinuator tantum comitem appellet, meminimus tamen, etiam a. D. 931.
ındem nonnisi comitem ab eodem scriptore dictum, quanquam a. D. 937.
ıcem Francorum vocarit, quod et facit Ditmarus, ut a me restitutus est.
ed scimus, in his eo praesertim tempore variatum.

3. Rex in Saxoniam reversus, 12. Kal. Maji Quidelingeburgi Tra-
ctensi episcopo donat monasterium in loco Tiela constructum, cum nova
lapidea civitate, omnibusque ecclesiis et locis, quas Waldgerus et filius
us Radbodo, Hatto item et eorum antecessores in idem monasterium
ıntulerant, *a. d. inc. 950, ind. 7, anno regni 15.* Ex his tribus anni
otis nulla ulli caeterarum respondet. Ecce schema:

Kal. Maji.	Ann. Domini.	Indict.	Ann. regni.
	950	8	14
	949	*7*	13
	951	9	*15*

scilicet observetur, annum regni non ante mensem Julium inchoari.
orro rerum gestarum series nec annum 945* patitur, quo Aprilem Otto
expeditione contra Danos consumsit, nec annum 951, quo rex pascha
Lothariensi regno egit, ibique aliquandiu moratus est. Superest ergo,
anno Domini stemus, et rem nunc gestam statuamus, nisi omnes tem-
oris notas abjicere velimus. Caeterum ubi nullum in rebus obstaculum
ıt, saltemque binae inter se consentiunt notae, eas praeferre soleo. Hanc
ımputandi methodum in specimen adjicere e re fuit, etsi res per se tanti
on sit. Lineam Waldgarii extinctam, quae de familia primorum Hollandiae
ımitum ramus fuit, jam superius attigimus ad a. D. 944.

4. Rex in Saxoniam reversus et bellum in Bohemos parans, sub se
rincipem militiae constituit Herimannum, quem postea tandem creavit
axonum ducem. Is est autor secundae stirpis ducum Saxoniae, quae
ılgo Billingana appellatur. Witikindus virum nobilem et industrium
ocat, posteriores Bilungi comitis filium faciunt, Witikindus Wigmanni
otentissimi comitis regique propinqua affinitate juncti fratrem. Porro
lem memorat, tantam Herimanni autoritatem et gratiam apud regem cae-
rorum principum invidiam excitasse, ipsiusque Wigmanni fratris, qui se
ımulata infirmitate expeditioni subtraxerit. Quae si vera sunt, oportet
ıstorum Fuldensium locum, ubi mors Wigmanni comitis nuper (a. D. 944.)
ıemorata est, ad alium Wigmannum pertinere, quod tamen aegre admitto.
t vereor, ne Witikindus lapsus sit, nam et in caetero historiae contextu
ıanifeste errat, cum ab hac offensa ducat rebellionem Wigmanni supra
ıemoratam, tanquam aliqua regis expeditio in Bohemos Tancmari Wig-
ıannique turbas praecessisset; sed a nobis satis ostensum est, Ottonem
ısum ante praesentem hunc annum in Bohemos non duxisse; neque hac-

*) *lege* 949.

A. 950. tenus Hermannus in historia celebratur. Itaque facile crediderim, fui Herimannum jam dudum in magna apud regem gratia, non sine inv fratris natu majoris, sed principem militiae non factum nisi hoc anno p fratris mortem, Witikindum autem quaedam a fama deceptum scripsis

5. Dudum in vulgus manavit opinio, Herimannum hunc, qui factus est dux Saxoniae oppositusque Danis et Slavis, ex obscuris n libus fortuna et virtute ad tantum decus provectum. Quod quidem a non pudendum putem, ut etiam inter memorabilia referrem, si veri niteretur. Sed calumnia fuit hominum posteritati ejus invidentium; l enim, non ipsi dedecori fuerit, saltem ex vulgi opinione; cujus ratio etiam prudentes habendam sibi ducunt. Ipsam aliorum invidiam ab storicis memoratam cuidam parum attento lectori, caeterum erga poste ejus male affecto, suspicionem injecisse credibile est ortus ignobilio qui procerum indignationem concitasset. Nepotes ejus aut pronepo Saxoniae duces in Brema urbe et regione circumjacente potestatem duc lem adhuc exercebant seculo undecimo; impatiente jugi talis *clero*, qu is alibi passim in Germania excusserat. Adelbertus, ex palatinorum Sax niae comitum stirpe factus archiepiscopus Hammaburgensis vel Bremens idemque in aula apud Henricum III. et filium ejus Henricum IV. adole scentem gratiosus, miro fastu et nobilitatis suae opinione tumebat. I eo usque jactantiae processerat, ut aliquando in consessu procerum n minem praeter se et regem nobilitate pollere diceret, et antecessores su archiepiscopos Bremenses tanquam genere impares sperneret. Hic pr pria vanitate et odio ducum provinciae, cum quibus perpetuo conflictat est, fingentibus libenter credidit, Herimannum primum hujus stirpis aut pauperis ex equestri familia viri filium, et ex haereditate paterna sept mansis totidemque manentibus sive colonis contentum fuisse. Deinde corporis ingeniique decora in regis familiaritatem irrepsisse, et prim filiorum regiorum pueritiam laudabiliter rexisse, deinde praefectur acceptam strenue administrasse, et forte manentes suos furti convi simul omnes in furcam egisse, ejusque novitate facinoris carum pop clarum in palatio ducatum meruisse.

6. Ita rem narrat Adamus magister scholarum Bremensis, popul archiepiscopi et familiaris. Quae quam falsa sint, Witikindum conte poraneum legenti manifestum est, cum frater viri natu major Wigman comes inter Saxoniae proceres potentia, dignitate, affinitate denique re eminuerit. Itaque Henricus Meibomius senior, vir egregiae doctri quam velut haereditatem in posteros suos propagavit, peculiari opusc vindiciarum Billinganarum absurdam fabulam revicit; quae tamen, etsi c tissimis confutata demonstrationibus, nondum ex hominum animis era cata est. Herimanni ex fratre Wigmanno nepos junior Wigmannus regis propinquum dixit, idque ex Witikindo observavit *Meibomius*, sed pr pinquitatis ratio ex codice Ditmari integriore a me eruta est, comperti que consobrinum Ottoni Magno, et materterae filium fuisse. *Itaque* si m terteram, proprietate Latinorum servata, accipimus (quanquam posterio saepe cum amita confundant), Herimanni frater natu major *sororem* reg

Mechtildis in matrimonio habuit. Ultimi ex Hermannidarum sive Billinganorum stirpe Saxoniae ducis Magni filiae maritis suis ducem Henricum Welfum et marchionem Albertum Ursum peperere; illum Brunsvicensium progenitorem, hunc Ascaniorum sive Anhaltinorum principum, atque extinctarum etiam stirpium principum electorum Saxonicorum et Brandeburgicorum. **A. 950.**

7. Albertus Stadensis abbas et Albertus Cranzius magistrum Adamum exscripsere. Vetus quoque poeta Brunsvicensium historicus hactenus secutus Adamum videtur, ut haud magnas viri opes fuisse crediderit. Hermannus Cornerus, ex Dominicana familia scriptor ante bina secula cum dimidio, novis ineptiis, nescio unde acceptis, ut fit, fabulam auxit; nam Herimanni patrem ex equestri ordine in infimum rusticorum detrusit, et nomen etiam villae adjecit. Ait enim fuisse Hermannum filium Wilingi rustici de curia Stubbekeshorn, quae sex fere leucis Germanicis Luneburgo absit. Alii hanc villam non procul Soltova sitam notavere. Hos autores Sebastianus Munsterus, Henricus Pantaleon aliique scriptores eruditi certatim secuti sunt. Sed Epko de Repkau, Speculi Saxonici compilator, qui seculo XIII. scripsit, meliora edoctus, in chronico suo nondum edito scripsit regionem ad Albim ab Ottone viro nobili, Hermanno filio comitis Bilingi regendam datam, quem studiose in regno exaltaverit. Locum Epkonis observavit Dominicus Dreuerus, historicus Henrici ducis Brunsvicensis vulgo Junioris, Smalcaldicorum foederatorum inimicitiis clari, quemadmodum Meibomius notavit. Eadem pene leguntur in chronico lingua Saxonum inferiorum scripto, nondum typis edito, quod in multis aliis chronico Epkonis verbatim consentire deprehendo. Sic enim habet: *Dat Hertogdom unde dat Lant bi der Elve gaf de Koning Otte eneme edelen Manne, de was geheten Herman, de was Sone enes edelen Mannes Greven Billinges, unde hogede en in deme Rike mit groten Vlite.* Nempe nobiles viri olim dicebantur non equestris ordinis homines (quos militares aut ministeriales adhuc appellabat Cranzius), sed proceres sive dynastae, ex quibus comites sive rectores regionum sumebantur. Itaque etsi contemporanei aut proximi patrem Hermanni non nominent, medii tamen temporis autorum consensu Billungus fuit, quem etiam habet autor chronici veteris Brunsvicensium ducum, et poeta historiam eorundem principum vetere dialecti Saxonicae carmine complexus his verbis:

Ein Here de heit Herman,
Also ek vernomen han,
Sin Vader Billing was genant,
Nicht mer ek van sinen kunne vant.

Cujus sensus est:

Hermannum didici Billungo patre dynastam
Progenitum, generis nec mihi plura patent.

8. Equidem nobis quoque plura certis historiarum demonstrationibus de avo aut proavo aut majoribus viri caeteris non liquent, magnis tamen indiciis Billinganae gentis origines referimus ad Amalungum ejusque filios Bennith et Billungum, Caroli M. aequales Saxonum proceres, in traditionibus Fuldensibus memoratos, quoniam ea nomina in Billungana familia

A. 950. crebra fuere. Hermannus enim dux Billingi filius, Amalungi frater, Bennonis, qui et Bernardus, pater fuit. At secundum traditiones Fuldenses antiquior ille Amalungus fuit pater Billungi et Bennithi. Nam codicillus Bennithi ipsius, interprete Browero in antiquitatibus Fuldensibus, haec habet: *Bennith comes Saxonicus, patre Amalungo natus, Saxonum factionem patriamque fidei Christi posthabens, patremque secutus, Carolo Magno gratiosus evasit in paucis. Pater Amalungus agrum circa Waldebekam inter Wisarum Fuldamque incolens* (ea regio hodie Cassellis Hassiae Mundaeque Brunsvicensi interjecta est), *quicquid terrarum ex Buchonia saltu occupavit, novando arandoque ad eximium cultum provexit. Filius haeres patre mortuo, Caroli nutu interveniente, pie legavit Fuldensi ecclesiae, quantum soli culti circa Visurgim duae leucae ambirent.* Vellem verba ipsa nobis Browerus annumerasset.

9. Sed ut rem ipsam putemus, verisimile est, Caroli victoriis Bennonem in avitas terras restitutum, et a rege novis praediis atque etiam praefecturis sive beneficiis, certe comitatu, auctum, ut rem vicissim ei gratam faceret, ex praediis, quae Caroli vel Pipini munere extra Saxoniam pater acceperat, partem pro devotione temporis sui divino cultui mancipasse. Avitas autem regiones in Ostfalia potissimum circa Barderwicum aut Luneburgum sitas fuisse, quanquam per alias quoque Saxoniae partes sparsa patrimonia Billinganos habuisse constat. Nam ad Visurgim multa retinuisse, exinde discimus, quod ad dextrum Visurgis latus Kemnada sive Caminata monasterium ex bonis Billinganis fundatum vel dotatum in comitatu Bernardi ducis, Hermanno Billingiada nati, infra apparebit. Et verisimile est, Amelungsbornam seu fontem Amelungi locum, qui et ipse monasterio deinde sedem praebuit, a viro hujus gentis et ipso fortasse Bennonis patre nomen accepisse. Et in traditionibus Fuldensibus ineditis habetur, Billungum et Bennithonem pro remedio animae fratris Rudradi tradidisse Sancto Bonifacio (id est Fuldensi ecclesiae), quaecunque habuit in villa Orda in pago Hardegeve provinciae Saxoniae. Est autem Hardegeva regio ad radices Harticorum montium sita, qua Bodam emittunt, Salamque et Albim respiciunt. Et quaedam Billinganos ad Albim habuisse, docere videtur in Magdeburgensibus chartis circa Ottonis M. tempora occurrens Billungus comes. Veluti in diplomate Ottonis M. a. D. 968. dato, allegato a Meibomio in vindiciis Billinganis, et alio a. D. 953. dato, quod in additis ad Witikindum profert, de quo ad a. D. 952. Unde manifestum est, hunc non mediocris potentiae virum fuisse. Caeterum ex hoc traditionum Fuldensium loco discimus, Amalungo praeter Bennonem etiam Billungum et Rudradum filios fuisse.

10. Quin ultimum stirpis Magnonem vel Magnum ducem Saxoniae ad Salzam Heldorum, ubi salinae hodieque coluntur, Leinae amni adjacentes haud procul Einbeka urbe praedia possedisse, discimus ex tabulis Agnetis abbatissae Quedlinburgensis a. D. 1069. datis, in quibus Magnonem ducem curtis Saltae vel Salzae advocatum constituit, quia in vicinia ejus situm est. Et in Corbejensibus Paulini collectaneis nondum editis reperio, filiam Magnonis et nominatim Eilicam Ottoni Ballenstadensi

ive Ascario nuptam, Anhaltinorum satori, cum Wulfhildis sororis suae filio Henrico ex Guelfis duce, assensu Lotharii Saxonis augusti, Corbeensi ad Visurgim monasterio quaedam concessisse, ea ratione, quam per excerpta ex tabulis ipsis, cum nondum extent, exhibere operae pretium erit. In Westfalia etiam comitatus Bennonis seu Bernardi ducis memoratur. Ex quibus omnibus potentia Billinganae gentis aestimari potest. Sequuntur tabulae Corbejenses. A. 950.

11. *In nomine Domini Dei nostri ac salvatoris Jesu Christi, Lotharius, ordinante divina clementia Romanorum imperator augustus. Considerantes regalis esse munificientiae et nobis salutare, dum tempus habemus bonum operari in omnibus, maxime autem in ecclesiis Dei: Ideo statuentes decernimus, loca Deo oblata et dicata sublimare, possessionibus ampliare, collata defensare et in suo statu conservare, quodsi aliqua etiam temere fuerint alienata vel injuste avulsa, ad antiquam dignitatem et pristinam traditionem, suffragante divina clementia, revocare, hisque beneficiis proposuimus insudare, ut ipse, qui nos in terris gloria et honore coronavit, in coelis indulgeat coronam vitae, quam repromisit diligentibus se, cum nos eduxerit de laborioso hujus seculi certamine. Noverit itaque tam praesentium quam futurorum provida discretio, quod nos, respectu divini timoris et amoris, monasterio, quod appellatur nova Corbeja, quod situm est super fluvium Wisera, rogante ipsius loci venerabili abbate, Volcmaro nomine, piscationem, quae vocatur Höcwar, quam totam Hludowicus imperator eidem monasterio contulerat, hanc postmodum dux Henricus Bavariae cum quadam comitissa Elika et filio suo Adelberto injuste se possedisse recognoscentes, cum digna poenitentia divinitus inspirata S. Vito cum omni utilitate remiserunt. Eo nos regali auctoritate ipsam remissionem confirmavimus, statuentes hoc, ut qui hanc nostrae auctoritatis concessionem infringere praesumserit, fisco nostro centum auri talenta persolvere debeat. Regali etiam auctoritate confirmamus villas cum hominibus ad eandem piscationem pertinentes, cum ceteris appenditiis, pratis videlicet, areis, pascuis, cultis sive incultis, mobilibus et immobilibus, ut in omnibus his nullus fratres in supradicto monasterio canonice degentes inquietare, vexare vel molestare praesumat; nec advocatum in eadem piscatione habeant, nisi quem abbas dominus loci consilio fratrum statuerit. Et ut haec omnia rata et inconvulsa omnino permaneant, impressione sigilli nostri signari praecepimus. Ekkehardus praepositus, vice-cancellarius recognovi. Anno ab incarnatione Domini 1133, ind. 11. Actum Bardewich in Dei nomine feliciter. Amen.*

12. Porro offerunt sese etiam propagines stirpis mediae inter primum Amalungum ejusque filios, et memoratum historiis Billingum, Wigmanni comitis et Herimanni ducis patrem: nihil enim verisimilius est, quam Wigmannum comitem inter comites Saxonicos a Magno Carolo a. D. 911. ad fines Danorum missos nominatum ad hanc familiam pertinuisse; ut in Bennone vel Billungo annotavimus. Nec minore verisimilitudine producemus familiam per Billungum socerum Ludolfi Saxoniae ducis,

A. 850.

Cui conjux ergo fuerat praenobilis Oda,
Edita Francorum clara de stirpe potentum,
Filia Billungi cujusdam principis almi,
Atque bonae famae generosae scilicet Aedae,

ut habet Roswita in carmine de fundatione coenobii Gandeshemensis. Quae verba attente consideranti apparebit, nobilitatem Francicam Odae tribui per matrem, Aedam, generosa stirpe (nempe Francorum) natam. Roswita enim videtur non de stirpe Bilungi tanquam per se nota, sed de familia Aedae quippe haud expressa loqui voluisse, per quam scilicet Ottones ad Francos referrentur. Billungum itaque principem Saxonicae gentis fuisse, non negatur. Potentes autem comites principum appellationem habuisse, notissimum est; ut facile credi possit, Billungum Wigmanno vel ejus fratre aut agnato natum, sub Ludovico Pio et Germanico floruisse. Et Oda in Saxonia villam Wanzlevam Magdeburgici tractus a Ludovico juniore rege Germaniae genero accepit, et postea coenobio Gandeshemensi dedit. Quemadmodum discimus ex diplomate Ottonis M. a. D. 946, unde verisimile fit, propria bona ex haereditate paterna in vicinia Wanzlebae habuisse.

13. Porro etiam consentaneum fuerit, neque inconveniens, Wigmannum comitem, qui cum Brunone duce cecidit in praelio cum Danis commisso a. D. 880, fuisse avunculum Brunonis, fratrem Odae, filium Billungi, nepotem prioris Wigmanni. Nam principum comitumque nomina, res gestae, et commemoratio historiae crebra hanc insignium virorum lineam facile ab aliis discernunt. Sed et Bennonis sive Bernardi nomen in familia non neglectum putem, quando Amalungi primi filius, Herimanni ducis filius et nepos duces eo censebantur. Itaque sunt qui eo inclinent, ut ad hanc familiam referatur Bernardus, cui Henrici tempore provincia Redariorum delegata erat, ut Witikindus scribit. Idque jam Caspar Dankwertus Holsaticae regionis diligens descriptor judicaverat, et favet praeter nomen etiam officium et situs locorum. Nempe comes, qui ad Albim inferiorem potens erat (ubi constat floruisse Billinganam gentem), commodissime vicinis Slavis opponebatur, et vel hinc credibile est, ex hac ipsa familia mox Herimanno eandem provinciam commissam, et ut quodammodo successisse Bernardo videatur; neque absurdum dixerit, qui Bernardum, Herimanni ducis avum vel patruum, Wigmanni bello Danico caesi filium statuerit. Sed sunt tamen indicia, quae Bernardum Redariis oppositum ad aliam stirpem referre suadent. Itaque hoc sepono.

14. Totam deductionem in tabula exhibere placet, ductus linearum omisimus, ubi certissima connexio non est:

Amalungus

Billung. Benno comes. Rutradus.

Wigman
comes 811. ad Danos missus.

Billungus
princeps, socer Ludolfi ducis.

Wigman
comes a Danis caesus cum Brunone duce 880.

Billungus comes.

Amalungus episcopus Verdensis. *) — Hermannus dux Saxoniae. — Wigmannus comes. ⌣ Frideruna.

Hermannus dux Saxoniae → Benno vel Bernardus dux. → Bernardus dux.

Wigmannus comes ⌣ Frideruna → Wigmannus jun. filius materterae Ottonis M. — Frideruna abbatissa Kemnadens.

Oda filia Billungi. ⌣ Ludolfus dux.

Theodoricus comes. — Bruno dux. — Otto dux.

Theodoricus comes → Frideruna. — Mechtild regina.

Otto dux → Henricus Auceps.

Mechtild regina ⌣ Henricus Auceps → Otto M.

*) Horum allodiale patrimonium erat regio circa Luneburgum, quorum de posteris ıfra dicetur.

Sed nunc ad rerum gestarum seriem a necessaria nostrae historiae digres- ıione redeamus, ubi hoc unum notaverimus, praematurum esse, quod Miraeus ex Meiero ad annum sequentem refert, Hermanni Saxonum ducis iliam Balduino III. Flandriae comiti nuptam. Obiisse fertur Balduinus ι. D. 961.

15. Diu jam Boleslaus Bohemorum dux perduellis in regem, parri- ‹ida in fratrem, autoritatem rei publicae et ecclesiae spreverat, et copias Germanorum Esicone duce in se missas attriverat a. D. 940. Ab Ottone gravioribus implicito dissimulatus, haud neglectus est: et ipse tempestatis ›raescius, regem placare conatus erat per munera et legatos atque etiam ›bsides missos a. D. 945. Sed credibile est, evocatum et satisfacere ussum haud paruisse. Itaque rex jam vacuus et tempus in ordinem 'edigendi virum venisse ratus, bellum hac hyeme apparavit, et cum alia 'ecte constituit, tum Herimannum comitem, magni nominis virum, ducem nilitarem creavit. Qui proximus tunc regi in exercitu signifer dicebatur, ıt notavit Donnizo poeta seculi XI. Talis sub Carolo Calvo Ragenarius, alis sub Lothario Saxone Conradus. Qualis erat Romanis sub dictatore ›quitum magister. Obierant primarii principes Herimannus dux Alle- nanniae, Udo et Conradus Curciboldus; et in Saxonia Wigmannus comes, 'egis affinis, consobrinae maritus. Geronem crederem mansisse in pro- rincia, ne quid Slavi, rege in Bohemiam digresso, turbarent, nisi hoc anno Romam profectum abfuisse didicissem, de quo infra. Itaque in Heri- nannum Wigmanni fratrem, genere et virtute eminentem, et apud regem gratiosum sors haud caeca cecidit, cui invidebant multi, nemo se jure praeferebat.

A. 950. 16. Expeditionem in Augustum dilatam fuisse oportet, si indictio et annus regni in notis chronicis diplomatis Walahusae dati 5. Kal. Aug. notae transcriptae sunt, quas mox totas exhibebimus. Cum ergo hinc Saxones et Thuringi, illinc Bavari parati essent, rex tota virium mole ad Bohemiae montes duxit. Quia geminorum exercituum, ut alias, nemo meminit, convenisse copias arbitror in Nariscis inter Thuringos Bavarosque medios, qua Egra amnis ex Pinifero monte descendens sibi per cingentia Bohemiam juga viam facit. Sane in montanis fauces aditusque fluminibus debentur: neque exercitu melius adiri Bohemia poterat, quam ubi alienigenum flumen admittit. Boleslaus loca haud satis difficilia visa vallo, fossa, praesidiis munierat; quae omnia Herimanni primam aciem ducentis vim non tulerunt. Ita apertae Bohemiae ingentes copias Otto infudit. Boleslaus impar se suosque munitionibus inclusit.

17. Filius ejus cognominis patri, qui postea Pii nomen meruit, cum parte copiarum in urbem se conjecerat, quae dicebatur nova. Georgius Fabricius Pragam interpretatur, sed ejus pars, quae nova dicta est, sub Carolo IV. rege coepit. Itaque Dubravius Boleslaviam mavult, non quidem a Boleslao structam dictamve, sed ita ab eo auctam, ut nova haberetur. Addit Balbinus, hanc urbem multa uligine et paludibus muniri. Atque huc pertinere arbitratur, quod Witikindus narrat: *Ekkihardus nobilissimus juvenis filius Ludolfi, fortunae virtutisque Hermanni aemulus, aut se majora praestare, aut nec vivere velle jactans;* injussu ducis, neglecto imperio regis, qui extra ordinem in hostem callidum pugnari vetabat, transit paludem obsessae urbi et regiis castris interjectam, sed circumfusus ab hostibus cum omnibus suis interficitur. Id factum 7. Kal. Octob. Witikindus notat. Nec abhorret anni tempus, quod Frodoardus huic expeditioni assignare videtur.

18. Fabritius Ecbertum appellat, legerit incertum, an ex eo forte non inepte conjecerit, quod Ludolfi et Ecberti patres filiique in ea gente plus semel occurrunt, quae secundos Brunsvicensibus dominos dedit, quam Ecbertinam vocare soleo. Interim non temere ab omnibus Witekindi codicibus discesserim, nec video, cur Ludolfus idem non potuerit habuisse filium Ecbertum et Eccardum. Verisimile sane est, hunc Ludolfum Ecberti patrem fuisse, qui Saxoniam postea seditionibus turbavit, tandem regi reconciliatus. Nescio, an ad hunc Eccardum pertineat diploma Ottonis, ubi rogatu Henrici fratris et Hekiardi comitis quaedam in pago Hassago in confinio Merseburgi (an Meresburgi vel Eresburgi?) in comitatu Teti, fideli suo Hochstein et uxori ejus Lhiniodrudi concedit. *Signum domini serenissimi regis, Brun cancell. ad vicem Friderici archicap. 17. Kal. Oct. a. d. inc. 950, ind. 7, anno regni 14. Actum Quitilingaburg.* Anni notae non consentiunt, neque hoc tempore rex in hoc loco esse potuit, itaque numeros corruptos esse oportet. Fasti Fuldenses habent alterius Eggihardi comitis mortem 2. Non Sept. a. D. 954.

19. Caeterum si Balbino damus, urbem novam fuisse Boleslaviam, dicendum est, hac dedita, Ottonem ad Pragam obsidendam venisse, cui se ipse incluserat dux Boleslaus. Nam diserte Frodoardus hoc anno Ottonem

scribit magnam Venedorum obsedisse urbem Praidam (Pragam, ut apparet) A. 950. regemque eorum in deditionem accepisse. Witikindus nobis frustra binas Ottonis in Bohemiam expeditiones memorat, et in unum contrahenda sunt, quae ille hac de re per librum secundum tertiumque dispersit, ut intelligi potest ex dictis praesertim ad a. D. 940. Idem contra diversas obsidiones Boleslaviae et Pragae videtur in unam contraxisse. Urbe igitur aliquandiu obsessa, cum in eo esset, ut vi caperetur, rex militem cohibuit, ne caede, rapina, lididine cuncta divina humanaque miscerentur. Boleslaus, desperatis rebus, urbe egressus, regis se clementiae credidit. Scribit Witikindus, sub signis stantem et se purgantem veniam impetrasse.

20. Hagecius presbyter Bohemus, scriptor non indiligens, narrat ex vetustis quibusdam traditionibus, Boleslaum poenae poenitentiaeque causa in culinae officia ad tempus quasi ad triremes vel ad metalla ab Ottone damnatum, ahenumque tenere super igne jussum. De quo Balbinus merito dubitat, non tamen omnino negare audet. *Nam*, inquit, *multas Boleslai hujus atque filii ejus Boleslai Pii imagines vidimus cum aheno*, *hodieque in templo S. Laurentii super Pragam*, *quod filius condidit*, *ahenum pictum spectatur*, *idque fundator cum insignibus suis*, *tribus fluviis*, *jussit insculpi.* Hinc etiam Tustae civitatis nomen multi, ipso referente, deducunt. Ego vero crediderim, figuras longe serius factas, et opinionibus inolitis accommodatas fuisse. Caeterum simile aliquid narrari de Henrico III. notat, qui domitis ad mare Balthicum Slavis, quatuor eorum regulos, quos captos apud se habebat, diebus festis et in coronatione sua lebetes et caldaria ad culinam caesaris ferre coegit. At Goldastus, probante magnopere Balbino, Bohemorum pudori opportune succurrens, existimat, Boleslao ahenum ab Ottone Magno non ignominiae, sed honori maximo datum, cum officio magistri imperialis culinae supremi, quod idem esset cum dapiferi munere; voluisseque, ut in rei documentum posteri caldarium gererent in campo ignito. Postea Ottonem III, cum septemviros crearet, Bavaro dapiferatum, Bohemo pincernae supremi honorem contulisse. Sed septemvirorum originem non tam alte repetendam constat. Illud non absurdum est, in magna aliqua festi solennitate, Henricum Bavariae ducem, fratrem imperatoris, dapiferi munus honoris causa obiisse, et sub se Boleslaum tanquam magistrum culinae habuisse, nam Ditmarus notavit, ab Ottone nunc Bohemum Bavaro subesse jussum.

21. Ditmari locus hactenus corruptus a me ex codice manuscripto restitutus lucem rei praebet: *Boleslaus* (inquit) *nefandus Bohemorum dux Wenceslaum domino ac regi fidelem perimens*, *restitit multo tempore audacter*, *et postea devictus a rege*, *viriliter fratri Henrico Bavariorum duci ad serviendum traditus est.* Hactenus legebatur *ad servandum*, quod significare videbatur, captivum aliquando in Bavaria egisse, sed nihil tale uspiam habetur. Otto nihil aliud quam autoritatem Bavariae ducis in Bohemos renovavit; Bohemiam enim Bavariae regno subjectam habitam etiam ex eo intelligi potest, quod sub Ratisbonensis episcopi dioecesi fuit, donec proprios episcopos accepit. Qui vero mox secuti sunt Bavariae duces in regem contumaces, aut iis surrogati, potestatem tantam non

A. 950. retinuerunt, Bohemique solis Germaniae regibus subesse coeperunt. Multas nobiles familias hoc tempore ex Saxonia in Bohemiam traductas, Georgii Fabricii sententia est. *Habeo autores*, inquit Balbinus, *tunc Rosenbergios ex inferiore Saxonia venisse; Sternbergios ex Westfalia;* Ernestus Brotufius genealogiae Anhaltinae scriptor Rosenbergios ex Ballenstediis deducit. Utrosque multi referunt ad Ursinos, sed talia plerumque commentitia sunt, nullisque certis argumentis nituntur. Itaque a nobis praeteriri solent.

22. Hagecius verisimiliter scribit, Boleslaum principem cum viginti optimatibus Ottonem Ratisbonam usque comitatum, ibique poenas ecclesiasticas a Michaele praesule impositas subisse, et datis poenitentiae documentis reconciliatum. Secuta est magna morum commutatio; nam ex eo multa pietatis specimina praebuisse fertur pro more temporum, liberalis in homines sacri ordinis, in ecclesiis ornandis magnificus. Dicitur et de episcopatu Boleslaviae fundando cogitasse, quem filius demum cognominis et successor, patruo quam patri similior, Pragae condidit. Alium filium habuisse Stratiquam, Cosmas Pragensis decanus narrat, cujus ad baptismum Wenceslaus invitatus ac tunc caesus fertur. Hunc patrem conscientia sceleris tactum et tartara extimescentem Deo vovisse, itaque in coenobio S. Emmerani juvenem monasticen professum, quod nunc factum credi potest. Hunc quidam Adalberto Pragensi episcopo successisse scripsere. Alius Boleslai Saevi filius Christannus memoratur monachus Benedictinus; is est, cujus historico libello utiliter usi sumus; apud fratrem postea cancellarium egit. Nos tandem deprehendimus, Stratiquam et Christannum eundem fuisse. Filiae quoque ob pietatem celebrantur, Milada vel Maria, antistita parthenonis ad S. Georgium, inter beatas habetur, altera Dubrauca (Dobravam Ditmarus vocat) Miecislao nupta Polonorum duci maritum ad Christi cultum permovit. De quo plura dicemus ad a. D. 965. Boleslaus ex eo fidelis regi et utilis mansit, ut scribit Witikindus: in magno cum Hungaris commisso praelio affuisse, illic dicemus.

23. Frodoardus scribit, hoc anno obsessa Praga Wenedorum, id est Bohemorum, regem in subjectionem receptum. Itaque Boleslaum regem appellat. Idem facit et Witikindus. Sed constat ex Christanni filii historia ac tabulis etiam filii Boleslai ducis, ducali appellatione tunc Bohemorum principes contentos fuisse. Addit Frodoardus, eadem expeditione et Hungaros Ottonem sibi subditos fecisse. An ad eos hoc pertinet, qui Moraviae tunc insederant. Credibile enim est, eam quoque regionem sub Germaniae imperium revocatum. Ad hunc etiam annum pertinere altera victoria possit, quam Henricus Bavariae dux de Hungaris retulisse scribitur Witikindo. De re dictum est ad a. D. 948.

24. Interea in Gallia rex Ludovicus et Hugo princeps ad Matronam pacis tractandae causa conveniunt: fluminis alveo separabantur. Legati et conciliatores Conradus dux, Hugo Niger Richardi filius, Adalbero episcopus Metensis, Fulbertus Cameracensis ultro citroque commeabant. Tandem Hugo ad regem venit, eique fidem spondet, vel ut loquitur Frodoardus, suus efficitur, pacemque facit cum Arnulfo Flandrensi, Rage-

oldo comite, ex eorum genere, qui dicti postea sunt de Roceje, et archiepiscopo Artaldo. Regi turrim Laudunensem reddit. Rex 13. Kal. Sept. dict. 8, anno regni 15. apud Remos confirmat gesta Arnulfi comitis et archionis (Flandrensis scilicet) consanguinei sui, quod monasterio Blaniensi apud Gandavum olim a B. Amando praesule structo ademta quaeam reddidisset, ubi pro canonicis jam Gerardi Broniensis opera monachi gebant. Mox iterum Compendii rex et Hugo congressi sunt: ibi Rodulfo rchidiacono Noviomensi episcopatus datur, ex sententia cleri et populi. ugo Ambianos cum exercitu profectus in munitionem episcopi recipitur, lteram obsidet, quam praesidiarii Arnulfi tenebant; quo tempore Ludoicus aegrotabat. Interea Ragenoldus Brainam oppidum ad Vidulam amnem aodie Vêlam) munitum, ecclesiae Rotomagensis possessionem occupat. ex iratus, petente Hugone, invasores expellit, inde cum Hugone colloquir. Ubi vicum sibi reddi non obtinuit, cum Codiciacum interim ab Artaldo d Tetbaldum comitem descivisset. Inde novae cum Hugone simultates. 'etbaldus (qui et Blesensis comes dicitur) hoc anno Salmurensis coenobii andationem juvit. Ejus ditioni occiduarum regionum pars non modica arebat, ut ait narrator fundationis. Dictum vulgo Tricatorem Mabilio nnotat. Ejus uxor Letgardis fuit filia Heriberti II. Itaque factioni Huonis et Veromanduorum innexus erat. A. 950.

25. Lotharius rex Italiae, Papia Taurinum cum uxore profectus et a narchione Arduino splendide exceptus, feria quarta 13. Kal. Novemb., id st hoc anno, ei abbatiam Bremetensem per diploma concedit, nec multo ost transacto vix mensis spatio extinguitur, feria sexta 10. Kal. Decemb. Corpus Mediolanum devehitur, ibique tumulatur. Tum Berengarius cum ilio Adalberto, die dominica, mense Decembri, Papiae in ecclesia ante bsidem S. Michaelis a proceribus rex Longobardorum pronuntiatur indict.), atque inde cum uxore Willa jam laureatus exit, credo, ut apud Medioanenses coronaretur. Has temporis notas omnes in hunc annum conurrentes suppeditat nobis chronicon Novaliciense. Conspirat Frodoardus, qui mortem Lotharii in anni exitum collocat; et veneno necatum ferri scriit. At Leo Ostiensis in phrenesin incidisse et mox obiisse. Sed potuit nens mota esse per venenum. Filiam Emmam reliquit, quam deinde Loharius rex Francorum occidentalium duxit.

26. Berengarius natus fuit ex Gisela, filia majoris Berengarii Longobardorum regis, Romae etiam coronati. Patrem habuit Adelbertum Eporediae marchionem, Anscharium avum, omnes ortu Francos. Frater aatu minor (sed ex Ermengarde Hugonis regis sorore uterina) Anscharius narchio Camerini artibus avunculi ceciderat. Berengarius se fuga periculo subduxerat, restitutus sub Lothario cuncta poterat, nunc regio nomine sumto, etiam invidiam et pericula subiit. Posteriores historici reges Berengarios tres aut quatuor finxere, quod primum tamdiu regnasse non putarent. Leo Ostiensis contrario errore avum et nepotem in unum contraxit.

27. Arduinum marchionem Novaliciense chronicon Glabrionem appellat, et genealogiam ejus nobis texit: Rogerium et Arduinum fratrem

A. 950. ex sterilibus montibus in Italiam venisse, Rogerium nescio quem comitatum Auretitem obtinuisse (locum corruptum puto), Arduinum Rudolfo cuidam comiti manus praebuisse in vasallagium, fidelique servitio meruisse, ut orbo succederet: viduam etiam duxisse, et ex ea genuisse Rogerium rursus et Arduinum; ex Arduino natum Maginfredum, patrem, opinor, Arduini Glabrionis, avum Meginfredi, de quo plura anno sequente. Unde porro marchionum Segusiensium stemma, cujus ditiones tandem matrimonio in Sabaudos transfusae sunt.

28. Berengarius rex cum filio Adalberto rogatu Giselbrandi Dertonensis et Widonis Mutinensis episcopi jura monasterii S. Sixti, quod extra Placentiam ab imperatrice Angelberga constructum fuit, Bertae abbatissae amitae suae confirmat, cum Guardastallae possessione ab imperatrice data, et aede S. Petri ad caput Trebiae sita, quam largitus erat Carlomannus rex. Tabulae datae sunt *a. D. 950, regni vero domni Berengarii et domni Adelberti piissimorum regum primo, indict. nona* (legendum *octava*) Papiae. Giselbrandus episcopus erat simul Bobiensis abbas. Is Dertonae coenobium S. Martiani struxit, eique Gezonem Dertonensem sacerdotem praefecit, qui librum de corpore et sanguine Domini ex patrum scriptis, sed maxime Pascasii Radberti libro composuit, de quo Mabilio in Museo Italico.

29. In Hispania Ordonius III. Ranimiro patri victoriis inclyto successit, sed cum fratre Sanctio conflictatus est, qui etiam post quinquennium ad regnum pervenit. Ferdinandus quoque comes, Castellam regens, obsequium detractabat. In Anglia Northumbrorum regnum, Erico cum fratre et filiis Osulfi fraude caeso, ad Angliae monarchiam rediit. Osulfus primus Northumbrorum comes sub Eadredo rege habetur. In consecrationibus antiquis regum Angliae peculiaris commemoratio fiebat Merciorum et Nordanymbrorum in memoriam proprii regni.

30. Gero contra Slavos marchio cum bona regis gratia Romam adierat religionis causa, nunc a liminibus apostolorum revertens, in itinere Sangallense monasterium invisit, probataque monachorum conversatione, inter fratres conscriptos recipi petiit, ut precibus fratrum juvaretur, librasque octo argenti obtulit; id actum 10. Kal. April. memorante Ekkehardo Sangallensi. Secunda vice Romam adiisse post filii mortem circa a. 961, ex Ditmaro dicemus suo loco. Reversus in Saxoniam ad regem ante expeditionem accessit, et quasdam villas in Serimundana regione inter Albim et Salam, quae nunc fere Anhaltini est juris, ab Ottone impetravit: eae deinde Gerenrodensi monasterio cessere. Praeceptum edidere Encelius, Meibomius, et nuperrime viri clarissimi prior Knauthius, deinde Becmannus. Hic cum authentico collatum dedit in opere rerum Anhaltinarum. Sed miror, apud ipsum quoque annum poni 952, qui anno regni et indictioni (praesentem potius annum indicanti) minime consentit. Praeferimus praesentem, in quo notae ex tribus binae conspirant.

5. Kal. Aug.	A. Chr.	Ind.	Anno regni.
	952	10	*17*
	950	*8*	*15*

unc tabulas ipsas dabimus integras, quales Cl. Becmannus cum originali A. 950.
xemplari in archivo Anhaltino Berenburgico a se collatas scribit:

31. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Otto Dei favente clementia rex. Noverint omnes fideles nostri presentes scilicet et futuri, quod nos omnem regionem Serimunt noncupatam* [sita erat inter Albim et alam hodie, pro bona parte Anhaltina] *filio nostro Luidolfo in proprietatem donavimus, filius vero noster Conradi ducis nostrique marchionis Geronis interventu marchas ejusdem praedictae* regionis unam Vuisepici, alteram Vuitouulici cum villis infra nominatis Vuitouulici, Trebuounici, Neozodici, Drogobulesthorp, tertiam Sublici cum villis tribus Sublici nominatis et Becimunthorp, Procinesthorp, Obithesdal, Lizstidesthorp cum omnibus appendiciis et adjacentiis suis illuc legaliter jure perenni supra nominato marchioni in proprietatem manu sua donavit, quod est situm in pago Serimunt in comitatu Thietmari comitis. Postea quoque praedicti filii nostri obtemperantes petitioni probationique, jussimus inde hoc praesens praeceptum conscribi, per quod volumus firmiterque jubemus, ut praenotatus marchio noster Gero de his omnibus nostro dono sibi in proprium concessis amodo et deinceps omni tempore liberrimam teneat potestatem habendi, donandi, vendendi, seu quicquid placuerit sibi exinde faciendi. Et ut haec nostrae concessionis auctoritas firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu nostra subtus firmavimus, et annuli nostri impressione insigniri jussimus. Signum domni Ottonis invictissimi regis. Brun cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovit. Data 5. Kal. Aug. anno dominicae incarnationis 952, indictione 8, regnante pio Ottone rege anno 15. Actum Walahusen in Dei nomine feliciter. Amen.*

32. Hoc anno Herimannum nescio quem comitem 2. Id. Decemb. defunctum memorant fasti Fuldenses. Agapeti papae epistolam ad abbatem Fuldensem Hildebrandum, quam in copiario Fuldensi datam Kal. Octob. indict. 9, ad hunc annum referre oportet: commendatur abbati regula S. Benedicti et cura animarum. Sed Hildebrandum abbatem hoc tempore Browerus Fuldensium scriptor ignorat, Hadumarum habet recte, ut arbitror, itaque et copiarium librum corrigendum puto, nam fasti Fuldenses Hadumari mortem in annum Dom. 956. differunt, nec ullum medium inter Bovonem a. D. 948. defunctum et Hadumarum interponunt.

33. Ruotbertum Trevirensem continuator Reginonis scribit in acquirenda abbatia S. Maximini multum laborasse, sed Deo propitio non praevaluisse. Unde intelligas, autorem continuationis monachum Benedictinum fuisse, sive ex ipso S. Maximini, sive ex vicino monasterio, fortasse Prumiensi, in quo Regino aliquando abbas fuit. Browerus (an qui interpolavit eum Masenius) rem fusius narrat. Ruotbertus jus sibi in abbatiam S. Maximini vindicabat, quod majores habuisse affirmabat. Otto Willero abbati favebat, qui se regi soli subesse debere contendebat, ut solebant illustriores abbatiae Asolfus etiam et Guntharius coenobitae Romam missi, Agapeti mandata attulere faventia, apud quem haud dubie multum value-

*) *ita e corr. Eckhardi; fuerat* perdictae.

A. 959. rat Ottonis sententia. Itaque Ruotberto juris actio tanquam de maie excussa est. Ita Browerus vel ejus interpolator Masenius, qui praedecessorum jura repetisse scribit. Accepi, opus annalium Trevirensium a suppressum jacuisse, quod nescio quis principi electori Philippo Christophoro persuasisset, Sanmaximinianos eo in rem suam uti posse. Tandem successorem Carolum Casparem Johannes Christianus Baro Boineburgi magnis in rem publicam et literariam meritis clarus perpulit, ut revidendi edendique cura Jacobo Masenio mandaretur. Ita prodiit, quale nunc habemus.

34. Hoc anno Ebergisus Mindensis episcopus, cum inde ab a. D. 92. ecclesiae praefuisset, obiit, in die S. Lucae evangelistae. In magna auctoritate apud Ottonem fuisse et praeterea Laurishamensem abbatiam rexisse discimus, tum ex chronico abbatiae (ubi regis compater nominatur), tum ex charta ejusdem, ubi Geroldus quidam proprietatem suam, quae est a Vitenheim et Hedenesheim, illam S. Petro Wormatiensi, hanc S. Nazarii Laureshamensi donat in eleemosynam suam et Conradi comitis *et parentum eorum.* Conradum suspicio est fuisse filium Eberhardi ducis, eum qui a. D. 959. rebellis regi, Conradi ducis consanguinei sui assecla, in Lotharingia cecidit. *Post obitum Geroldi Grimoldus advocatus S. Petri et Hugizo advocatus S. Nazarii contraxerunt suum testimonium* [sic verba sonant, id est suos testes] *in publico mallo apud Lobeddenburg* [Freherus, nescio an recte, Ausonii Lupodunum facit] *in praesentia Conradi comitis et Rihowonis episcopi Wormatiensis* [qui anno superiore obiit] *et Ebergisi abbatis Laureshamensis et episcopi Mindonensis ac judicum* [id est scabinorum]. Sequuntur nomina testium, qui in publico mallo illam donationem juraverunt, viderunt et audierunt. Inter videntes et audientes princeps nominatur Burchart comes. *Post mortem vero Rigowonis episcopi et Ebergisi Anno episcopus* [Wormatiensis] *et Gerbodo abbas* [Laureshamensis] *contraxerunt suum testimonium* [id est suos testes], *qui hanc traditionem viderunt et audierunt.* Inde post nomina eorum, qui juraverunt, et eorum qui audiverunt, sequitur clausula: *Actum in comitatu Conradi comitis in pago Lobodengouwe; in praesentia schabinorum,* quorum nomina sequuntur. Extat haec charta in appendice Lupoduni Freheri. Cum Brunonem ante archiepiscopatum abbatiam Laurishamensem tenuisse constet, credendum est, nunc Ebergiso in ea successisse; et cum mox factus archiepiscopus Coloniensis a. D. 953. abbatiam regulari gubernationi restituerit, Conradum comitem, Gerbodone jam regente nominatum, non priorem, qui Brunone nondum archiepiscopo cecidit, sed ejus filium fuisse; eum, credo, qui cum fratre Eberhardo illegalis et exhaeres judicio Francorum judicatus est, bonis (an ex parte?) in fiscum redactis, ut intelligimus ex tribus diplomatibus a. D. 966. ecclesiae Magdeburgensi datis.

35. Obiit etiam Ruthardus Argentoratensis episcopus 17. Kal. Maji, cujus epitaphium tale ab Erkenbaldo ejusdem loci episcopo in indiculo praedecessorum, de quo ad a. D. 965. §. 57.

Praesulis egregii, quo cernis, pausat humati
Corpus Ruthardi praesulis egregii.

Suevia quem docuit, flens Argentina dolebit, A. 950.
Francia rure tegit, Suevia quem docuit.
Non fuerat potior divinae legis amator,
Aut quisquam doctor non fuerat potior.
Hunc obiisse scias, cum septemdena Kalendas
Extiterat Majas, hunc obiisse scias.
Posce sibi veniam, tu lector, ab aethere dandam,
Dum cernis tumbam, posce sibi veniam.

Successit Ute, cujus mortem referemus ad a. D. 965.

36. * Rex etiam pro remedio animae conjugis Adelheidis et pro salute filii Ludolfi ad ecclesiam S. Michaelis archangeli et SS. martyrum Cosmi et Damiani et SS. martyrum Eventi et Theodori in loco Valaresleba constructam, cui vir venerabilis nomine Marco praeest, tradit proprii juris mansos quinque et totidem familias sitas in pago Terlingo, in comitatu Ludolfi in villa Gimyn, et omne quicquid in dicto loco Gimyn habuit. *Actum in Magdeburg palatio a. d. inc. 966.* (lego *956.*) *Brun ad vicem Friderici.*

ANNO CHRISTI 951.

Foedus et limites inter Longobardos et Venetos. Adelheidis vidua Lotharii in carcerem conjicitur. — Quomodo evaserit. Recipitur Canusii a comite Attone. — Variae circumstantiae. — Tempus evasionis et alia huc pertinentia. — Canusium obsidetur a Berengario. Falsae Domnizonis scriptoris narrationes. — Errores chronici Novaliciensis et Casinensis. — Obsidionis circumstantiae fabulosae. Arduinus marchio et Atto comes consoceri. — Familia Attonis Canusini et majorum celebris Mathildis. — Guibertini et Barattini Parmenses. — Atto vel Azo dictus Adalbertus, qui et Atto. Ejus patruus et consobrinus Attones. — Multos habet vasallos, quaedam ejus bona et chartae. — Est comes Mutinensis et Regiensis, tandem fit marchio. — An ejus pater fuerit Sigefridus comes palatinus regni Longobardiae. — Suspicio Florentinii de origine familiae Mathildis ex loco non bene intellecto. — Quidam deducunt ex Malaspinis, argumento vano insignium. — Erronea connexio Estensium, progenitorum Matildis, et Malaspinarum. — Probabilior origo Sigefridi progenitoris majorum Mathildis ex antiquis Tusciae ducibus Lucae residentibus, et connexio cum Estensibus. — Otto expeditionem Italicam molitur. — Ludovicum in Burgundia agentem adeunt principes Viennae et Aquitaniae. Aegrotat. — Queritur apud Ottonem de castro Fanis, quod Fridericus Lothariensis strueret in regno Galliae. — Controversia hodierna inter Germaniam et Galliam de ducatu Barrensi. — Barrum Ducis serius in regno Lothariensi structum ab eodem Friderico postea duce. — Limites Germaniae et Galliae cippis aere insignibus discreti. Mosa limes summatim, sed non particulatim pagis seu districtibus ultra citrave excurrentibus. — Pagus Tullensis in divisione filiorum Ludovici Pii Lothario assignatus, postea portio Lotharii in his locis Germanis attributa. Barrum in hoc pago. — Barrum juris Germanici sub Conrado Salico. — Albericus Trium Fontium monachus, scriptor rerum Barrensium peritus, testator pro Germania. Albericus quomodo ad me pervenerit, et a me sit editus. — Origo comitum Barrensium. — Comes Barrensis ab imperatore capitur, et ejus judicio capitis damnatur. — Venia data homagium praestat. — Comes Boloniae pulsus ex regno Galliae, ad comitem Barri se recipit. Barrensium genealogia continuata. — Barrenses utuntur legibus imperii. Non comitatum, sed quaedam loca alibi in feudum habuere Barrenses comites a comitibus Campaniae. — Philippus Pulcher rex Galliae usurpat multa jura imperii. Congressus cum Al-

*) *Eckhardus hoc cap. delevit et in margine ascripsit:* Vide a. D. 952. cap. 5.

berto I. rege Romanorum. Albertus quaedam indulsisse accusatus. — De terminis positis, quibus Barrum imperio vindicatum. — Carolus IV. facit comitem Barrensem primo marchionem, tandem ducem. — Duces Barrenses ex regia Gallorum stirpe facti videntur Galliae favisse, donec ducatus pervenit ad comites Vademontis duces Lotharingiae, qui pro imperio Germanico stetere. — Matricula imperii ducatum Barrensem habet. Alia etiam argumenta. — Quid Caroli V. tempore et post pro conservando jure imperii actum. — Hugo princeps Ottonem Aquis Grani adit. Regis Ludovici mater nubit filio Heriberti synonymo. — Hungari in Italia et Aquitania. Saraceni in Alpibus. — Comitia Francofurtensia, ubi leges latae, successor designatus. — Ottone iter in Italiam parante, Ludolfus filius praecedit exiguo successu. — Ottonis expeditio in autumno. — Comites itineris proceres. Solvitur obsidio Canusii. Otto Papiam occupat. — Otto jam rex Francorum et Longobardorum. — Adelheidem ducit. Simultas et discessus filii Ludolfi. — Quidam huic expeditioni Ottonis tribuunt, quae pertinent ad sequentem. — Fabula Petri Damiani, Ottonem duxisse Adelheidem contra leges ecclesiae, et a Wilhelmo filio citatum ad Dei tribunal. — Refutatur a Baronio et tamen a quibusdam defenditur. — Frodoardus historicus spem habuit episcopatus Noviomensis. Ad eum epistola Adaldagi archiepiscopi Hamburgensis.

A. 951. 1. Berengarius rex proclamatus, foedus inter Longobardos et Venetos Olonnae renovavit, Sigonii relatu, et fines quoque designavit: controversias quasdam finium regundorum sublatas puto. Nam jam Carolo Magno regnante, Venetiis Nicephoro redditis, limites constitutos ex Friderici I. augusti praecepto alibi ostendi. Inde Papiae regiae urbis potiundae cupido novum principem cepit; si vera sunt, quae Sigonius hic narrat, quibus haud admodum fido, Adelheidae Lotharii viduae in dotem fuisse relictam. Itaque exercitu admoto, urbe potitur. Diploma in ea dedisse anno praecedente diximus, sed haec in medio relinquo: illud certum est, Adelheidis animum pro filio solicitasse, nec aspernanda conditio viduae videri poterat: nisi mariti parricidam, ejusque filium uno odio complexa damnasset. Et fortasse spes jam ab Ottone allucebat. Eo magis Berengarius commotus, qui videbat, aut amicam et nurum habendam, aut perniciosissimam hostem, ubi omnes persuasiones frustra consumsit, fertur ei vim fecisse. In coenaculo quodam Papiae oppressam, scribit chronici Novaliciensis autor, cujus ego tamen maledicentiae non satis fidendum putem. Pugnis calcibusque petitam, et capillos etiam evulsos, et cum nihil ageretur, una, quae serviret, ancilla relicta, et clerico quodam, tetro carceri inclusam, refert Odilo abbas Cluniacensis, qui ejus vitam nobis reliquit, cui facile fido; nam ex ipsa didicerit, cui aetate provectae familiaris fuit. Seque ab ea saepe donatum et honorifice habitum ait.

2. Gardae arci ad lacum cognominem (olim Benacum) inclusam, scribit Donnizo sacerdos Canusinus, Matildis ducatricis capellanus, ibique in turris fundo jacuisse, sacerdote quodam sene Martino praeter ancillam comite relicto. Hunc murum ferro fregisse. At chronicon Novaliciense, ancillam subter limine ostii terras cavasse manibus, et hiatu facto dominam eduxisse. Et Roswita poetria foveam sub terra factam exitum dedisse confirmat; sed laborem clerico tribuit, nam et Odilo in vita Adelheidis clericum captivitatis et fugae socium habet: is etiam vestes viriles attulit. Prima nocte ad arundinetum in ripa paludis, id est ad ipsum Benacum lacum, venere, illic piscator in navicula forte appellens, rogatus

gnem accendit, sturione pisce praebito languentem refecit: tum navicula A. 951.
transvectam in sylva lacui contigua deposuit. Illic per septimanam latuit, tandem presbyterum ad Adalardum episcopum Regiensem mittit, cujus in fide spem repositam habebat. Adalardus, cui arx satis munita non esset, presbyterum ad Attonem comitem, militem (id est vasallum) suum, ire jubet, qui Canossam in rupe inaccessa sitam egregie munierat. Nec mora, Atto conscenso equo cum suis ad reginam properat, eamque in arcem suam ducit. Leo Ostiensis Attonem reginae propinquum facit; sed de Attone ejusque familia mox professo studio agemus.

3. Lacum Donnizo ad Mantuam ponere videtur:

Usque lacum veniant, quem servat Mantua vivum.

Sed quia aegre credi potest, una nocte tantum itineris emensam; ego sensum esse arbitror, eum esse lacum, unde effluens Mincius amnis ad urbem Mantuam vivas aquas advehit. Benacum ipsum scilicet, quem ope piscatoris trajecisse videtur Adelheidis. Roswita narrat, reginam comiti cuidam servandam datam, cum facto exitu aufugisset, noctu processisse, quantum vires ferrent, die nunc in sylvis, nunc inter frumenti aristas se condidisse, et quaerentes segetemque perticis vel lanceis excutientes tamen latuisse. Sed prior narratio credibilior videtur, et jam dudum messis praeterierat, cum illa fugit. Roswita Attonem ignoravit, solius praesulis Adalardi meminit.

4. In albo bene meritorum ecclesiae metropolitanae S. Petri apud Treviros, haec Browerus reperit: *12. Kalend. Maji capta est Adelheidis imperatrix Cumis a Berengario rege. 13. Kalend. Septembris liberavit Dominus Adelheidam reginam a vinculis.* Unde rei gestae tempus intelligitur. 12. Kal. captam Cumis habet etiam Ditmarus, ut a me restitutus est. Potuit Papiae vexari, Cumis in vincula conjici, inde ad Gardam arcem transferri: itaque nihil hic repugnat dictis. At Novaliciensis scriptor narrationem sua maledicentia foedat. Clericum quendam Warinum nomine in reginam latentem incidisse et amantem egisse, a regina tamen repulsam passum, pedissequa substituta. Clericum a crimine omni abstinuisse, et deinde reginae favore ad Mutinensem episcopatum pervenisse. Sed Warinus Mutinensis episcopus demum factus a. D. 1003, quando jam obierat Adelheidis, et si idem huic foret, decrepitus demum senex hanc dignitatem obtinuisset. Adelheidem pulchritudo sua et fortuna singularis fabulis et calumniis obnoxiam fecit.

5. Berengarius, intellecta reginae fuga locoque secessus, cum copiis Canusium advolat, reginam sibi dedi jubet; Attonem negantem obsidet. Donnizo fabulatur, Attonem, recepta regina, Johannem papam consuluisse, hujus suasu eam Ottoni Veronae agenti adduxisse. Tum demum Berengarium intellexisse, quo loco esset Adelheidis, et Attonem tribus annis cum dimidio obsessisse; tunc Ottonem in Italiam auxilio venisse, Berengarium captum abduxisse. Huic successisse filium Adelbertum, ab hoc iterum longo tempore obsessum Attonem, a Ludolfo Ottonis filio in Italiam misso liberatum, sed Ludolfum in praelio ab Adelberto occisum, tum Adelbertum fugatum exulasse. Quae pleraque omnia inepta sunt. Cum

berto I. rege Romanorum. Albertus quaedam indulsisse accusatus. — De terminis positis, quibus Barrum imperio vindicatum. — Carolus IV. facit comitem Barrensem primo marchionem, tandem ducem. — Duces Barrenses ex regia Gallorum stirpe facti videntur Galliae favisse, donec ducatus pervenit ad comites Valdemontis duces Lotharingiae, qui pro imperio Germanico stetere. — Matricula imperii ducatum Barrensem habet. Alia etiam argumenta. — Quid Caroli V. tempore et post pro conservando jure imperii actum. — Hugo princeps Ottonem Aquis Grani adit. Regis Ludovici mater nubit filio Heriberti synonymo. — Hungari in Italia et Aquitania. Saraceni in Alpibus. — Comitia Francofurtensia, ubi leges latae, successor designatus. — Ottone iter in Italiam parante, Ludolfus filius praecedit exiguo successu. — Ottonis expeditio in autumno. — Comites itineris proceres. Solvitur obsidio Canusii. Otto Papiam occupat. — Otto jam rex Francorum et Longobardorum. — Adelheidem ducit. Simultas et discessus filii Ludolfi. — Quidam huic expeditioni Ottonis tribuunt, quae pertineat ad sequentem. — Fabula Petri Damiani, Ottonem duxisse Adelheidem contra leges ecclesiae, et a Wilhelmo filio citatum ad Dei tribunal. — Refutatur a Baronio et tamen a quibusdam defenditur. — Frodoardus historicus spem habuit episcopatus Noviomensis. Ad eum epistola Adaldagi archiepiscopi Hamburgensis.

A. 951. 1. Berengarius rex proclamatus, foedus inter Longobardos et Venetos Olonnae renovavit, Sigonii relatu, et fines quoque designavit: controversias quasdam finium regundorum sublatas puto. Nam jam Carolo Magno regnante, Venetiis Nicephoro redditis, limites constitutos ex Friderici I. augusti praecepto alibi ostendi. Inde Papiae regiae urbis potiundae cupido novum principem cepit; si vera sunt, quae Sigonius hic narrat, quibus haud admodum fido, Adelheidae Lotharii viduae in dotem fuisse relictam. Itaque exercitu admoto, urbe potitur. Diploma in ea dedisse anno praecedente diximus, sed haec in medio relinquo: illud certum est, Adelheidis animum pro filio solicitasse, nec aspernanda conditio viduae videri poterat: nisi mariti parricidam, ejusque filium uno odio complexa damnasset. Et fortasse spes jam ab Ottone allucebat. Eo magis Berengarius commotus, qui videbat, aut amicam et nurum habendam, aut perniciosissimam hostem, ubi omnes persuasiones frustra consumsit, fertur ei vim fecisse. In coenaculo quodam Papiae oppressam, scribit chronici Novaliciensis autor, cujus ego tamen maledicentiae non satis fidendum putem. Pugnis calcibusque petitam, et capillos etiam evulsos, et cum nihil ageretur, una, quae serviret, ancilla relicta, et clerico quodam, tetro carceri inclusam, refert Odilo abbas Cluniacensis, qui ejus vitam nobis reliquit, cui facile fido; nam ex ipsa didicerit, cui aetate provectae familiaris fuit. Seque ab ea saepe donatum et honorifice habitum ait.

2. Gardae arci ad lacum cognominem (olim Benacum) inclusam, scribit Donnizo sacerdos Canusinus, Matildis ducatricis capellanus, ibique in turris fundo jacuisse, sacerdote quodam sene Martino praeter ancillam comite relicto. Hunc murum ferro fregisse. At chronicon Novaliciense, ancillam subter limine ostii terras cavasse manibus, et hiatu facto dominam eduxisse. Et Roswita poetria foveam sub terra factam exitum dedisse confirmat; sed laborem clerico tribuit, nam et Odilo in vita Adelheidis clericum captivitatis et fugae socium habet: is etiam vestes viriles attulit. Prima nocte ad arundinetum in ripa paludis, id est ad ipsum Benacum lacum, venere, illic piscator in navicula forte appellens, rogatus

gnem accendit, sturione pisce praebito languentem refecit: tum navicula A. 951.
ransvectam in sylva lacui contigua deposuit. Illic per septimanam latuit, andem presbyterum ad Adalardum episcopum Regiensem mittit, cujus in ide spem repositam habebat. Adalardus, cui arx satis munita non esset, resbyterum ad Attonem comitem, militem (id est vasallum) suum, ire ubet, qui Canossam in rupe inaccessa sitam egregie munierat. Nec mora, itto conscenso equo cum suis ad reginam properat, eamque in arcem suam ucit. Leo Ostiensis Attonem reginae propinquum facit; sed de Attone jusque familia mox professo studio agemus.

3. Lacum Donnizo ad Mantuam ponere videtur:

Usque lacum veniant, quem servat Mantua vivum.

Sed quia aegre credi potest, una nocte tantum itineris emensam; ego ensum esse arbitror, eum esse lacum, unde effluens Mincius amnis ad urbem Mantuam vivas aquas advehit. Benacum ipsum scilicet, quem ope piscatoris trajecisse videtur Adelheidis. Roswita narrat, reginam comiti uidam servandam datam, cum facto exitu aufugisset, noctu processisse, uantum vires ferrent, die nunc in sylvis, nunc inter frumenti aristas se ondidisse, et quaerentes segetemque perticis vel lanceis excutientes amen latuisse. Sed prior narratio credibilior videtur, et jam dudum nessis praeterierat, cum illa fugit. Roswita Attonem ignoravit, solius raesulis Adalardi meminit.

4. In albo bene meritorum ecclesiae metropolitanae S. Petri apud 'reviros, haec Browerus reperit: *12. Kalend. Maji capta est Adelheidis mperatrix Cumis a Berengario rege. 13. Kalend. Septembris liberavit Dominus Adelheidam reginam a vinculis.* Unde rei gestae tempus intelligitur. 12. Kal. captam Cumis habet etiam Ditmarus, ut a me restitutus st. Potuit Papiae vexari, Cumis in vincula conjici, inde ad Gardam arcem ransferri: itaque nihil hic repugnat dictis. At Novaliciensis scriptor arrationem sua maledicentia foedat. Clericum quendam Warinum nomine in reginam latentem incidisse et amantem egisse, a regina tamen epulsam passum, pedissequa substituta. Clericum a crimine omni abstinuisse, et deinde reginae favore ad Mutinensem episcopatum pervenisse. ed Warinus Mutinensis episcopus demum factus a. D. 1003, quando jam bierat Adelheidis, et si idem huic foret, decrepitus demum senex hanc ignitatem obtinuisset. Adelheidem pulchritudo sua et fortuna singularis abulis et calumniis obnoxiam fecit.

5. Berengarius, intellecta reginae fuga locoque secessus, cum copiis Canusium advolat, reginam sibi dedi jubet; Attonem negantem obsidet. Donnizo fabulatur, Attonem, recepta regina, Johannem papam consuluisse, ujus suasu eam Ottoni Veronae agenti adduxisse. Tum demum Berengarium intellexisse, quo loco esset Adelheidis, et Attonem tribus annis um dimidio obsessisse; tunc Ottonem in Italiam auxilio venisse, Berengarium captum abduxisse. Huic successisse filium Adelbertum, ab hoc terum longo tempore obsessum Attonem, a Ludolfo Ottonis filio in Italiam nisso liberatum, sed Ludolfum in praelio ab Adelberto occisum, tum Adelbertum fugatum expulasse. Quae pleraque omnia inepta sunt. Cum

A. 951. Adelheidis Canusium venit, papa fuit non Johannes, sed Agapetus; Adelheidis non Veronam adducta, sed in Canusina arce obsessa, adventu Ottonis liberata est. Berengarius non hac, sed secunda Ottonis expeditione Italica captus est; Adlebertus jam tunc fugatus nunquam post patrem regnavit. Canusii obsidio nec per tres menses duravit; Ludolfus non in praelio occisus est, sed ex morbo obiit. Itaque valde errarunt scriptores quidam Itali, Donnizonis autoritatem secuti, cui nonnisi in domesticis et sui temporis rebus tuto fidas.

6. Ineptit etiam chronicon Novaliciense, quod reginam triennio integro Canusii haesisse scribit, cum 13. Kal. Sept. Garda aufugerit, paucis post diebus Canusium intrarit, et ante anni exitum ab Ottone sit ducta, ut ex Frodoardo manifestum est. Similibus narrationibus etiam Leo Ostiensis deceptus est, qui Adelheidem in Canusina arce ferme triennio obsessam scripsit. Quae merito Pagius improbat, in eo tamen ipse lapsus, quod Trevirensium fastorum verba ita interpretatus est, tanquam liberatio reginae 13. Kal. Sept. facta, de soluta obsidione accipienda esset, sed ea de fuga ex carcere accipi debet; seu liberatione a vinculis, ut verba diserte habent. Ergo serius coepta finitaque obsidio est, et Frodoardus temporum seriem in quoque anno, non rerum connexionem sequens, adventum Ottonis prope in anni exitum differt. Itaque Baronius non recte reprehenditur, quod obsidionem ante Octobrem solutam negasset.

7. Obsidioni quoque Novaliciensis scriptor et Donnizo nugas aspergunt. Berengarius Attonem ad deditionem solicitabat, missus Attonis amicus ad persuadendum, in contrarium potius fabulam intulit apud Donnizonem: *Ursus aeger et esuriens cervum ad se invitat, venit ille vocatus, cui ursus prima vice nonnisi unam auriculam aufert, quod se subito subtraxisset; altera alteram quoque detrahit, cum plus non posset: sed tertia vice redeuntem propiusque allectum discerpit, vulpi terendum tradit. Vulpes caetera domino urso affert, sed cor ipsa comedit. Quaerenti cor urso, „putasne hunc," inquit, „cor habuisse, qui ad te tertium venit?"* Is amicus Arduinus credo marchio fuerit, nam de hoc Novaliciensis scriptor aliam fabulam narrat. Cum filius Arduini (Maginfredus, ut apparet) gener esset Attonis, Arduinum jussum a Berengario deditionem consocero suadere, contraria omnia egisse, et fame laboranti consilium dedisse, ut aprum tritico probe saginatum emitteret castro in obsidentes. Quod cum fecisset, et hi in exenterato apro triticum reperissent, de capiendo fame castro desperantes, obsidionem solvisse.

8. Hic nobis de Attonis familia agendum est, quam plerique eandem cum Estensi crediderunt: ad magnam potentiam pervenisse, certum est. Atto Ottonibus carus fuit ob Adelheidem servatam, tandem sub finem vitae marchio factus est, Tedaldus marchio filius apud Henricum II. in gratia fuit, cujus rebus magnum momentum attulit contra Harduinum, qui regnum affectabat. Tedaldi filius Bonifacius dux Spoleti et marchio Tusciae celebratur, et filia ejus Mathildis ducatrix Henrico IV. augusto rebellis, pontificum rebellium protectrix, magnam regni Longobar-

rum partem in potestate habuit. Donnizo Attonem ortum scribit ex gefrido patre A. 951.

Principe praeclaro Lucensi de comitatu.

incipum nomine tunc proceres potentes designabantur: an comitis horem gesserit, non addit, neque altius in stirpe explicanda ascendit; nc honoris amplificandi causa in hanc Longobardiam venisse: tres ios habuisse, quos nominat Sigefridum primum, Attonem secundum, i et noster, Gerardum tertium. A Sigefrido ortam Barattinam gentem, Gerardo Guibertinam utramque in Parmensi regione:

Progenies ambas grandes et honore micantes.

d Attonem longe fratres supergressum, in nuda Canossae silice castrum ruxisse, unde illi occasio ad majora per Adelheidem servatam.

9. De Guibertinis et Barattinis nihil admodum habetur, Luchinus men initio chronici de Matilde notavit, Raymundum Barattum Parmenm, quingentorum militum ducem, a. D. 1189. vel potius 1190. in subsium terrae sanctae transfretasse; et Felix Contelorius ex chronico Parensi inedito inter alia notat, Manfredum Barattum fuisse potestatem, est rei publicae rectorem, Parmae a. D. 1183, quo fuit facta pax Conantiae inter Fridericum I. augustum et Longobardicas civitates. Ut ia minutiora taceamus. De Guibertina progenie fuerit fortasse Guiertus ex Parmensi clerico archiepiscopus Ravennae, quem Henricus IV. pam fecit et Gregorio VII. opposuit, Donnizoni etsi reprehendenti citur:

Guibertus episcopus urbis
Ravennae, doctus sapiens et nobilis ortu,
Extiterit Parmae civis seu clericus ante.

x Guibertinis principes Corregii descendisse, pro certo habet idem Luinus; argumenta tamen valida non affert. Sed Contelorius vidit epistom ineditam Georgii Gabbi de Regio idem documentis confirmantem, quae si non spernenda videntur.

10. Idem Contelorius tabulas aliquot affert, in quibus Attonis meno fit, quas attingere e re erit: unde etiam discimus, nomen ei fuisse dalbertus, qui et Atto. Talis est charta ex archivo S. Prosperi Regienensis a. D. 958. data: *In nomine domini nostri Jesu Christi, Berenrio et Adalberto filio ejus gratia Dei regibus, anno regni eorum Deo opitio octavo, mense Novembris, indictione secunda, constat me Attom, filium quondam Attonis de comitatu Parmensi, qui professus sum natione mea lege vivere Longobardorum, accepisse, sicut in praesentia stium accepi a te, Adalberte, qui et Atto, comes, consobrino meo, filio ondam Sigefridi de comitatu Lucensi argentum per donos* (lego *denaos*) *bonos libras sexagenta, habente ducentos quadraginta denarios bra, pro massaritiis sex mei juris in fundo et loco Serzana et valle rumani*, et quae sequuntur. *Actum in loco Insula judiciaria Parmens. go Gerardus notarius dominorum regum praedicta complevi.* Profer r et ex archivo monasterii S. Benedicti de Padolirone alia charta comutationis inter Martinum archipresbyterum et praepositum canonicae

A. 951. S. Mariae et S. Michaelis in Regio, et Adalbertum, qui et Atto (omisso comitis titulo) filium b. m. Sigefredi de comitatu Lucensi, ubi Martinus pro loco, qui dicitur Moricula aut insula S. Benedicti prope flumen Pad. et insula Gurgo Peragni accipit quaedam de rebus Adalberti in comitatu Regiensi sitis juxta fluvium Quarismum et fluvium Rodanum et fluvium Baniolum, et in loco, qui dicitur Grasito, et in silva Mantuana, et in villis Rosolani et Inculi, et in fundis Lacavio Paradiso seu Vinciolo, et curte Walagni. *Actum Regio. Ego Urso notarius et judex dominorum regum post traditam complevi et dedi.* Dixerat in ingressu, rem actam *Berengario et Adalberto Dei gratia regibus, anno regni 11, octavo Kal. Sept. ind. 4.* Est a. D. 960. Haec bona ab Attone acquisita, cessere deinde monasterio S. Benedicti de Padolirone, quod filius ejus Thedaldus marchio extruxit.

11. Aliae chartae datae sunt pulso Berengario, cum Otto jam in Italia regnaret. Talis anni Dom. 962. in archivo S. Benedicti, ubi in civitate Regio, in domo Regiensis ecclesiae *Warmundus missus domini imperatoris* (Ottonis) *cum Ermenaldo episcopo loci et Alberico quondam Reginerii comitis* (filio) *misso ilidem d. imperatoris, et aliquot* (qui nominantur) *judicibus d. imperatoris, et Johanne notario et judice in comitatu in judicio residens, praesentibus compluribus* (qui nominantur) *vassallis Adalberti, qui et Atto, comitis;* repetitur et formatur commutatio supra dicta inter Martinum presbyterum et comitem Attonem *anno imperii d. Ottonis gratia Dei et item Ottonis filii ejus gratia Dei regis, Deo propitio hic in Italia primo, quinta die mensis Julii ind. 5.* Subscribunt *Warmundus missus, Giselbertus judex sacri palatii, Urso judex supra dicti imperatoris et regis, Teuzo judex sacri palatii. Berno notarius.* Eodem anno *regnante Ottone divina providentia imperatore augusto et Ottone filio ejus gratia Dei rege, anno imperii et regni eorum hic in Italia Deo propitio primo, die 16. mensis Octob. indictione 6.* facta est commutatio inter Wilhelmum Mantuanum episcopum et Adalbertum, qui et Atto, comitem filium b. m. Sigifredi de comitatu Lucensi. Episcopus dat quaedam in insula S. Benedicti, et contra dat proprietatem suae ecclesiae ad honorem S. Possidonii constructae in loco et fundo, qui nominatur Garfaniana in comitatu Regiensi, et in fundo Nuvellarae.

12. Habetur etiam apud Contelerium charta anni D. 967. ex archivo Sancti Benedicti, in qua Atto vocatur comes Mutinensis. Nempe *anno Ottonis imp. augusti et Ottonis filii ejus gratia Dei regis; anno imperii et regni eorum hic in Italia 6.* commutatio fit inter abbatem monasterii S. Benedicti sito Larionis et Adalbertum, qui et Atto, gratia Dei comitem Mutinensem. Abbas dat curtem quandam dictam Gonzagam, et comes capellam in loco et fundo Tartaro in comitatu Brixiano, et quaedam in Fontana et in Mandria in comitatu Regiensi, et in Cento et in Moriano comitatus Mutinensis. Magis adhuc notabilis est alia charta anterior, qua vocatur simul comes Regiensis et Mutinensis. Continet praeceptum ipsius imperatoris Ottonis Magni, datum Lucae a. D. 964, quod ad illum annum referemus. Sed pervenisse postremo ad marchionis dignitatem,

uae tunc post ducalem maxima erat, discimus ex charta filii Teudaldi, A. 951.
ata *Henrico Dei gratia rege anno regni ejus Deo propitio in Italia uarto, mense Junii indict. 5.* (id est a. D. 1007.) ubi: *Ego in Dei nomine 'eudaldus marchio, filius Adalberti item marchionis, qui professus sum x natione mea lege vivere Longobardorum ... pro anima mea et quon-lam Willae conjugis meae, meisque filiis ... volo ... ut habeat basilica, uam ego aedificavi in loco proprietatis meae in insula S. Benedicti, uam volo, ut sit monasterium ad perpetuum ..... medietatem de insula tc.* Hoc itidem Contelorius notavit, et cl. Bacchinus in historia mona-terii Padolironensis addi potest.

13. Suspicio Contelorio nata est, Sigefridum, quem Ludovicus Bosoni-les Italiae rex carissimum amicum vocat in diplomate a. D. 900. dato, fuisse atrem Attonis nostri. Diploma datum Petro episcopo Aretino a Gam-nurrino productum et a Cosmo Arena recognitum est. Et certe, etsi omitis nomen non gesserit, quantum ex tot tabulis apparet, quibus sim-liciter Sigefridus de comitatu Lucensi vocatur, non ideo minus appella-ionem principis meruerit, pro illorum temporum stylo. Tales enim ensebantur, qui ditiones amplas jure allodii tenebant, et plerumque pro-rios in iis vasallos, generis militaris viros, ad arma ferenda paratos ha-ebant. Et in tabulis paulo ante excerptis memorantur vasalli Attonis, uorum partem certe ad ipsum ex haereditate paterna venisse credibile st. Ego tamen, si suspicionibus indulgemus, malim Sigefridum patrem omitis Attonis ex Sigefrido illo amico Ludovici regis ortum, quam cum pso eundem, nam et temporis intervallum non repugnat. Sed alias con-ecturas infra praefero. Atto adhuc diu vivere * potuit; neque enim nunc, pinor, aetate provectus fuit. Eo minus Sigefridus ille comes pater ejus aberi potest, et quod caput est, invenio hunc factum comitem regni pala-inum, quam utique patris dignitatem Attonis chartae non dissimulassent. Caeterum de morte Attonis dicemus ad a. D. 970.

14. Franciscus Maria Florentinius, medicus Lucensis, vir doctissi-nus et diligentissimus, in libro de rebus Matildis Italice a. D. 1642. edito itilissimis observationibus referto, Sigefridum statuit originem habuisse x gente primorum Tusciae marchionum et ducum. Invenit enim diplo-nata Ottonis IV. et Friderici II. augustorum annis Dom. 1210. et 1220. lata, prius concessum abbati S. Salvatoris de Sexto, alterum monasterio S. Benedicti prope Mantuam, ubi legitur: *a marchione Thedaldo et pro-genitoribus ejus Bonifacio et Alberto marchionibus et nobilissima comi-tissa Matilde, duce Welphone et aliis viris nobilissimis ... data confirmamus,* nde colligit, Bonifacium et Adalbertum primos illos Tusciae marchiones rel rectores fuisse Tedaldi progenitores. Sed Contelorius aliud privile-gium invenit a. D. 1184. datum ab Henrico VI, cujus exemplum Otto Fri-lericusque proximi fere successores videntur secuti, quo monasteria S. Benedicti supra Padum, de Gonzaga, de Leto Paludano, Sextense in comitatu Lucano, et S. Martini sub imperatoriam protectionem recipit;

*) *In MS. est* vixerit *superscr.* vivere potuit, *unde apogr. habet* vixerit, certe vivere potuit.

A. 951. deinde haec verba subdit: *specialiter omnia bona mobilia et immobilia, quae ab Henrico III. et IV, Lothario et Conrado et magnifico Frederico patre nostro Romanorum imperatoribus, et quaecunque nos eidem monasterio largiti sumus, et quae ab magnifico* (lego *marchione*) *Thedaldo et a progenitoribus suis et a Bonifacio et Alberto marchionibus et nobilissima comitissa Mathildi et duce Welphone et aliis viris nobilibus, capitaneis et walvasoribus, et aliis vasallis et hominibus nostris supradicto monasterio et ecclesiis donata, concessa et confirmata sunt* etc. *donamus, concedimus et confirmamus* etc. Itaque Bonifacius et Albertus marchiones a progenitoribus Thedaldi distinguuntur, et apparet, Bonifacium intelligi patrem celebratae Mathildis, Albertum autem marchionem alibi memoratum in tabulis ei contemporaneum. Talem Albertum marchionem dictum Rufum, filium Alberti marchionis, ex charta a. D. 1085. data in episcopis Lunensibus habet Ughellus.

15. Julius de Puteo Veronensis, vir eloquens, qui Italico sermone heroica facta Mathildis libro a. D. 1678. Veronae edito exposuit, multis contendit, familiam Mathildis adeoque progenitorem ex cognitis primum Sigefridum ex Malaspinis descendisse. Equidem illustri Malaspinarum familiae hoc nomen non ante seculum XII. adhaesit; sed suffecerit, Sigefridum ejusdem stirpis fuisse. Potissimum ejus argumentum in erronea positione collocatur, Matildem in suis insignibus spinae florentis ramum habuisse, et in eam rem citat icona ejus, quae in codice Donnizonis Vaticano extat, unde suam expressam vult. Sed a me inspecta et inde delineata nihil tale ostendit. Sicubi forte picturis aut sculpturis tale quid additum visitur, erit haud dubie a recentiore manu: aevo Mathildis nec recepta erant insignia, nec cognitum nomen familiae Malaspinarum. Hanc interim cum familia Mathildis eandem fuisse, neque affirmare, neque negare possum. Originem ambabus communem fuisse, nihil absurdi habet; sed argumenta desiderantur; nec recentiorum narrationibus fidere licet. Nec facile quicquam legas audacius commentis Thomae Porcacchi in libro de Malaspinarum gente aliorumque id genus scriptorum.

16. Julius de Puteo Brunsvicenses, Estenses, Matildis progenitores, et Malaspinas ita connectit:

Sigefridus Lucensis Malaspina.

- Sigefridus autor Barattinorum.
  - Hugo marchio.
    - Albertus qui et Azo.
      - Azo, a quo Estenses.
      - Guelfo dux Bavariae, a quo Brunsvicenses.
  - Fulco comes Friburgi.
- Atto comes dominus Canossae.
  - Tedaldus marchio.
    - Bonifacius dux.
      - Matildis.
    - Conradus comes Canossae.
      - Hugo marchio Malaspinae.
- Gerardus autor Gibertinorum.


ed haec pene omnia nullam speciem veri habent, et pro maxima parte **A. 951.** xploratis pugnant, Sigefridum appellare Malaspinam, est posteriora in liquot secula retrahere. Donnizo (contemporaneus Alberti, qui et Azo, t filii ejus Guelfonis ducis) utique Barattinos intra Parmensem tractum on conclusisset, si tanti principes inde processissent. Fulco comes 'riburgi, Hugonis marchionis frater, merum figmentum est, natum ex 'eteribus scripturis male lectis, ut alibi annoto. Azo Guelfi ducis frater ıullus unquam fuit; pro eo Fulco ponendus erat; Conradus Bonifacii rater liberos nullos reliquit, imo nec uxore ducta juvenis decessit, quod ex Donnizone manifestum est. Talibus expensis spero, viros doctos in talia imposterum potius Felicis Contelorii, Francisci Mariae Florentinii, Cosmi Arenae et paucorum aliorum paris diligentiae judiciique scriptorum, quam Francisci Sansovini, Jacobi Zabarellae, Antonii Possevini junioris, Eugenii Gamurrini et similium multorum genealogias Italicas tractantium exempla secuturos, qui familias Mathildis, Estensium et Tusciae principum miris labyrinthis illigant, Sigefridum in Sigebertum mutant, mox huic novum nomen Oberti vel Alberti addunt, Hubertum Otberto, Hugones diversos inter se confundunt, tempora, loca, homines miscent.

17. Magnam Sigefridi ex Lucensi comitatu principis nobilitatem fuisse, haud negandum puto. Suadet Donnizonis locus:

Nam Priami proles non his sunt nobiliores.

Et favet multitudo vasallorum Attonis ejus filii, qui in chartis supra excerptis memorantur. Adde quod Leo Ostiensis Adelheidis reginae propinquum facit; quod deberi potuit matrimonio nobis ignoto majorum. Itaque suspicio nata est Contelorio, quam attulimus, sed non admisimus. Cosmus Arena cum fratrem Adelberti marchionis Tusciae, Bertae Lothario rege natae mariti, Bonifacium in vetere charta, supra ad a. D. 984. a nobis exhibita, reperisset, non inepte suspicatus est, potuisse ex hoc Bonifacio nasci Sigefridum nostrum Attonis comitis patrem. Nam Bonifacius praefectus litoris Tusci ejusque filius Adalbertus et nepos itidem Adalbertus Tusciae marchiones Lucam sedem habebant; itaque et Bonifacium ultimi hujus Adalberti fratrem in Lucensi comitatu egisse, credi par est; inde verisimile est, hujus filium Sigefridum, sive quod natu minor esset, sive matrimonii aut sui aut paterni favore in hanc Longobardiam ex Tuscia venisse, nec absurdum fuerit, matrem hujus Sigefridi, conjugem Bonifacii, suspicari sororem Sigefridi comitis palatii, et traductum ex ejus gente in hanc Sigefridi nomen. Scribit Ughellus, Godefridum Attonis filium ad episcopatum Lunensem in Liguria situm pervenisse, ubi familia Adalbertorum dominata fuit, atque inde Brixiam translatum, ubi episcopum egisse certum est ex Donnizone. Unde Lunensis episcopatus ei astruatur, nosse velim. Caeterum schema tale nobis prodit, ubi certiora lineis, verisimilia punctis designantur:

A. 951.



18. Berengario regnum in Italia perfidia et violentia inaugurato, veneficii suspecto, crudelitatis in reginam viduam *manifesto*, et haud dubie amicis ejus et Hugonis Lothariique familiaribus gravi; facile credi potest, stimulante praesertim Henrico Bavariae duce, Ottonem *excitum* ad res Italicas, et cum viduus esset, etiam ad Adalheidem, celebratam ob pulchritudinem et mores, animum adjecisse. Praesertim cum *fratrem ejus* Conradum cum regno suo velut in tutela haberet, et injuriam sorori factam ad se pertinere merito judicaret. Accedebat, quod se *Berengarius* exul obnoxium fecisset, nunc beneficii suique oblitus, nullam tanti regis rationem habere videretur. Sed haec per aestatem demum agitata *oportet*; nam Adelheidis Aprili mense in carcerem conjecta est. Otto, confecto bello Bohemico, anno superiore Ratisbonam adisse videtur, inde an in Saxoniam redierit, haud constat. Illud certum est, ad occidentales imperii sui partes appetente vere venisse, et pascha Domini nunc Aquis egisse, ubi ad eum ex Gallia sororius Hugo accessit.

19. In Gallia vero Ludovicus rex ipsis anni initiis cum valida manu Aquitaniam adire parat. In Burgundia moranti obviam venere Carolus Constantinus Viennae princeps et Stephanus episcopus Arvernorum, fidemque per sacramenta dedere. Accessit etiam Wilhelmus *Pictaviensis*, qui se ducem Aquitaniae appellabat, dudum obsequia professus. Sed dum in eo erat Ludovicus, ut pergeret ad Aquitanos, et se regem *populis coram* ostenderet, morbo dejectus est. Ibi Letaldi Burgundici comitis nuper summissi cura fideque sublevatus est. Matisconensem comitem *suspicor* fuisse; et regem Matisconi decubuisse, notavit Petrus Franciscus Chiffletius, Johannis Jacobi frater, in historia Trinorchiensi, Ludovicumque vita propo-

modum desperata filium Lotharium regem dixisse addit, idque ex binis 951.
Lotharii diplomatibus firmare conatur; sed facile error inesse potuit exemplo scripturarum. Designasse arbitror regem Lotharium, fecisse non item, valetudine in melius mutata. Annos a morte patris hunc numerasse Mabilio ex aliis diplomatibus observat.

20. Reparatis deinde viribus, tempore provecto, omissa Aquitania, statuit redire in Franciam, quo nomine tunc citerior Galliae pars appellabatur; commotus cum aliis rebus, tum quod Fridericus frater Adelberonis episcopi Metensis novo nexu Hugoni illigatus (nam nuper ejus filiam sibi desponderat, etsi matrimonium serius sit secutum) munitionem in Banis vel, ut quidam Frodoardi codex habet, in Fanis, loco Gallici regni, struere coepisset, et loca circumposita crebris depraedationibus vexaret. Id ergo Ludovicus moleste ferens, legationem ad Ottonem misit, ut Fridericus ejus subditus talia agere prohiberetur, annuitque Otto, et vetuit Fridericum pergere, nisi consensu Ludovici impetrato. De Friderico plura dicemus ad a. D.....

21. Hic magna inter eruditos controversia nata est: quam discutere hujus loci erit. Lis est hodie inter Germanos Gallosque de ducatu Barrensi. Galli feudum esse contendunt regis sui; Germani contra ad nostrum imperium non minus quam caeteram Lotharingiam pertinere. Et non injucundum erit relatu cum juvene adhuc christianissimo* rege, qui nunc quoque rarissima felicitate regnat, in senatu Parisino publice pronunciatum esset, Barrensem ducatum regii juris esse, equitem Germanum, mihi postea notum, qui tunc forte Parisiis agebat, oestro quodam zeli pro patria commotum; alta voce per protestationem contradixisse, stupentibusque re novitate omnibus, immixtum turbae (hoc certe sapienter) imminenti utique carceri se subduxisse. Porro Galli contendunt in hoc Frodoardi loco legendum *Barris*, non *Banis* vel *Fanis:* nostri stant lectioni receptae. Agitata res est inter eruditos Austriacae et Borboniae gentis hyperaspistas Johannem Jacobum Chiffletium et Davidem Blondellum. Illum in Lothariensi opere, hunc peculiari dissertatione de Barro Campaniae asserto.

22. Barrum Ducis dicitur, ut a Barro ad Albam et Barro ad Sequanam distinguatur; et forte a structore duce nomen habuit. Revera enim Fridericum postea, cum factus esset dux Lotharingiae, Barrense castrum in territorio Tullensis episcopi Gerhardi aedificasse, eoque apud Ottonem M. conquerente, satisfecisse episcopo duabus abbatiis, Medio scilicet Monasterio (Moyen-munster) et Galilaea, quae dicitur Deodatus cum aliquot villis patrimonii sui traditis, habent Bruno episcopus Tullensis (postea Leo IX. papa) libello de successoribus S. Hildulfi in Vosago, et alius Bruno, scriptor chronici S. Deodati. Fridericus deinde in Barro monte S. Michaelis ecclesiam fundavit a. D. 971, indict. 14, anno 35 Ottonis, quae nota temporis etiam indicio est, locum in Ottonis imperio situm fuisse. Itaque qui historiam S. Michaelis sero scripsit, castrum structum ait in confinio Lotharingiae et Campaniae tanquam barram sive repagulum (vulgo barreriam vocant Semilatini) ut fines contra excursiones ex Cam-

*) christianissimo — regnat *deletis, margini ascripsit Eckhardus:* Ludovico XIV.

A. 51. pania munirentur, quo posito nondum habuisset nomen hoc locus Frodoardo nunc scribente, et retinendum utique foret *Fanis*. Sed ego huic etymologiae nihil tribuo: nam Barri castri jam Fredegarius meminit c. 11. Barrensis pagi Vulcoaldus comes annis fere mille ante nostra tempora, in primaria charta monasterii S. Michaelis, quod ille in pago Virdunensi ad Mosam aedificavit Mabilione notante. Idem addit ex autore chronici S. Michaelis, quod ipse tomo Analectorum secundo produxit, Fridericum, cum abbatiam S. Michaelis titulo advocati teneret, tertiam partem bonorum ejus huic loco contulisse, quasi in defensionem monasterii structi. Sed haec demum a. D. 964. acta sunt, Ottone et fratre ejus Brunone probante, qui tunc res Lotharienses administrabat. Atque ex his omnibus intelligas, Barrum sub imperio Ottonis, at locum a Frodoardo memoratum in regno Galliae situm fuisse. Et vero reperitur locus Fains non procul Barro, Fanis, ut apparet, Frodoardi designatus, ipso Blondello non prorsus repugnante, qui notat, ibi Renatum ducem a. D. 1508. decessisse. Mabilio etiam lectionem *Fanis* retinendam censet, idque refert probatum dedisse Benedictum a Tullo Capucinum in vita S. Gerardi Tullensis Gallice scripta, ex carta Pibonis episcopi, qui Fanes juxta Barrum castrum memorat. Porro cum structura Fanensis non successisset, contradicentibus Gallis, Barrum munisse postea dux videtur in praedio episcopi, quia Fanis in praedio proprio, sed alterius regni, munitionem excitare probibebatur. Ambo loca vicina invicem et in regnorum confinio erant, sed Fanum in Gallico, Barrum in Lothariensi; nam et mox amplius audiemus a fide dignis, Barrum in regno Germanico ad oram ejus extremam situm fuisse. Itaque de lectione Frodoardi transactum videtur. Sed de re ipsa, id est, de supremo Barri dominio, plura dicenda restant.

23. Cum apud Virdunum fratres Lotharius augustus, Ludovicus Germaniae et Carolus Galliae reges Francorum imperium a. D. 842. divisissent, Mosa quidem inde a fontibus in summa limes fuit inter Lotharii et Caroli regnum, ut Rhenus inter regnum Lotharii et Ludovici, sed ita tamen, ut interdum pro conditione locorum, ne pagi vel comitatus divellerentur, quorum antiqua constitutio non mutanda videbatur, in alterutram ripam fluminis ibi non valde lati excurreretur; et in Gallico instrumento a. D. 1490. jussu regio juratis testimoniis confecto, quod in codice juris gentium produximus, id agebatur, ut ostenderetur, Mosam non omnino limitem facere, sed quaedam in dextra ripa juris Gallici esse, quod eodem modo de imperio nostro intelligi potest, quoad ripam sinistram. Testes ibi ajunt, se audisse a majoribus, Albertum regem Germaniae et Philippum Pulchrum regem Galliarum convenisse in loco dicto Vallis Onae *(Val de l'One)*, non longe a fonte Mosae (a. D. 1299.), ibique fixisse limitaneos cippos aere insignes *(bornes de coyvre)*. Inde nata est jucunda aequivocatio. In antiquis scripturis memorabantur notae illae limitum ex aere, *bornes d'airain*. Ibi festinantes quidam legerunt *bornes de Rhin*, et Rhenum imperii nostri Galliaeque limitem tunc a regibus constitutum confinxere. Inde decepti fratres Sammarthani, magnae caetera diligentiae viri, post Guilielmum de Nangis et alios quosdam Nicolao Vignerio citatos Gallicarum rerum an-

nales scripsere, tunc limites regni ad Rhenum protensos, qui antea nonnisi usque ad Mosam pervenissent. Alberto tamen contradixisse tres archiepiscopos principes electores imperii, idque indicari in chronico Australi ad a. D. 1299. Sed ipse Petrus Puteanus in libro de juribus sui regis fontem jocularis erroris in binis vocibus male lectis detexit. Citat Puteanus informationem conscriptam a. D. 1299. Vereor tamen ne sit illa ad rem a. D. 1299. gestam se referens a nobis edita; sed a. D. 1490. confecta. Nam pleraque, quae illi in hoc negotio lecta sunt, aliquo ad me indicio pervenere. A. 951.

24. Porro Barrum etsi in sinistro Mosae latere, tamen in pago Tullensi situm erat, cujus maxima pars jacet ad latus amnis hujus dextrum; ipsaque urbs primaria ibi Mosellae assita est; pars tamen trans Mosam in Galliam usque protendebatur, ut jam intellectum est. Porro Tullum cum annexis scilicet ad regnum Lotharii pertinuisse, discimus ex pacto a. D. 870. confecto, quo reges Ludovicus Germanicus et Carolus Gallicus ad procuspidem Mosae congressi, regnum Lotharii, ex fratre nepotis nuper defuncti, divisere. Ibi inter civitates primarias regni Lothariensis nominatur Tullum; inter pagos Tullensis: itaque cum Barrum in pago Tullensi situm fuerit, ad regnum Lotharii pertinebat. Etsi autem Tullum et pagus Tullensis tunc diviso Lotharii regno in portionem Caroli cessissent, postea tamen a Caroli nepotibus, Ludovici Balbi filiis, tota Caroli portio filio Ludovici Germanici Ludovico juniori concessa est a. D. 879. et 880. Ita et pagus Tullensis cum regione circa Barrum Germanici imperii pars factus est. Porro Barrum fuisse in praedio episcopi Tullensis, supra ostendimus; sed fuisse etiam in pago Tullensi situm, habet diserte Glaber scriptor Gallus de re sui temporis agens; narrat enim Odonem comitem Campaniae, Conrado Salico augusto inimicum, venisse in Tullensem pagum, ibique Barrense castrum cepisse. Tullensis erat pagus major seu integra regio multos pagos minores complexa, quorum unus erat Barrensis; quod pagorum discrimen etiam alibi notavimus. Et majores tantum, qualis iste Tullensis, in divisione regni memorati sunt.

25. Sed etiam ex tota narratione hujus belli constat, Barrum fuisse juris Germanici. Regnum Burgundiae Conradus augustus voluntate regis ultimi Rudolfi et jure etiam supremae Germaniae regum in Burgundiae reges clientes potestatis vacuum obtinuerat. Id Odo sorore Rudolfi genitus affectabat, et Burgundia pulsus, ex Campania sua Lotharingiam incursabat. Itaque a. D. 1036 Barrum obsidet et capit; sed a Gothilone duce Lotharingiae *conserto praelio apud Barrum Odo perimitur et Francorum exercitus graviter attritus a Lotharingia fugatur.* Ita Sigebertus, manifeste Barrum in Lotharingia collocans. Et huc pertinet, quod Wippo ait in vita Conradi (cui a sacris fuit), Odonem de Francia in regno imperatoris quaedam loca invadentem a Gothelone duce Lotharingorum et filio ejus Gothefrido et Gerardo comite (Alsatiae) atque a militia episcopi Metensis pugna commissa interfectum. Loca ergo, quae invaserat, ob quae ad praelium ventum est (quorum potissimum et unum nominatum erat Barrense castrum) fuere in regno imperatoris, et Hugo Flaviniacensis abbas in Virdunensi chronico ad a. D. 1037, ubi plura de hoc

A. 951. bello, *Odo* (inquit) *expeditionem movit in regnum Lotharingiae, et Barrum castrum cepit.* Itaque etiam Otto Frisingensis ad ignominiam imperatoris Barrum ab Odone obsidione cinctum scribit. Sed disertissime annalista Saxo, non integro seculo remotus scriptor, ad a. D. 1137: *Uto* (id est Odo) *urbem imperatoris quae Bera dicitur* [Barrum] *sitam in Lotharingia juxta marcam Gozelonis ducis filiique ejus Godefridi circumquaque debacchatus praedando, obsedit, juxta quam ab hisdem ducibus occupatus consertoque praelio inter primos inglorius occubuit.*

26. Affert etiam Chiffletius manifestissimum locum Alberici Trium Fontium monachi, cujus codicem, si non autographum, certe autori contemporaneum habuit, qui deinde ad Jacobum Regium, Balduini Avennensis ex hoc ipso codice editorem, atque hinc demum ad me pervenit; unde scriptorem diu desideratum tandem in lucem publicam misi. Porro magni ponderis hic esse debet Alberici autoritas, in ipsa Barrensi aut certe proxima regione versati, et res Barrenses minutim narrantis. Nam Beccetius in genealogia Galliae regia Albericum ait, fuisse monachum Trium Fontium in ducatu Barrensi. Sic ergo ille ad a. D. 1108: *Richardus Virdunensis archidiaconus comitatum Virdunensem regebat. Electus est in episcopum Virdunensem, ubi multa mala fecit. A. D. 1112. comes Barri Rainaldus comitatum Virdunensem armis sibi vendicavit. Richardus cum comite Guillelmo Luscenburgensi ipsum graviter urgebant, et primo impetu amisit vicum S. Michaelis, et castrum* (vici) *incensum est et eversum. Deinde tota terra coepit ire in ruinam praeter castella et quaedam loca munita, ad quae expugnanda imperatorem Richardus evocavit. A. D. 1113. imperator Henricus Belgas ingressus Rainaldum comitem hostem judicans, bello petiit. Quem in castro Barro in termino regni* (Henrici) *sito ad ultimum expugnato castro in deditionem accepit, et captivum abduxit.*

27. Idem autor de familia comitum Barrensium haec habet ibidem: *Ante vero Rainaldum fuit comes Barri et Moncionis frater ejus Theodericus, qui cum esset intolerabilis subjectis, expulsus fuit, et comitatum Montis Beliardi tantum retinuit. Horum autem pater fuit antiquus comes Barri Theudericus, cujus uxor mater eorum Ermentrudis est nuncupata.* Haec Albericus, qui supra notarat a. D. 1033 Sophiam, Friderici ducis Mosellanorum sine maribus liberis defuncti filiam (etsi ipse per errorem fratris filiam putet), Beatricis Bonifacio marchioni Tusciae nuptae sororem, allodia retinuisse, et Barrum marito Ludovico comiti Montionis (ad Mosellam) attulisse, cui peperit Theodoricum, per conjugem Ermengardem factum comitem Montisbeliardi. Ex quibus videtur colligi, Barrensem regionem olim allodium, non feudum, adeoque nec comitatum fuisse, etsi postea nomen comitatus naturamque feudi induerit: allodia autem illa juris Germanici fuisse, cum feudis ab imperatore ablatis, relicta vel adjudicata ab Alberico dicantur.

28. Caeterum ex his manifestum est, Barrum fuisse situm in termino seu intra limites regni Germanici, praesertim cum verba haec Albericus sumserit ex Ottone Frisingensi episcopo. Et vero quis credat, imperatorem a Richardo episcopo Virdunensi fuisse excitum, ut loca regni

Galliae expugnaret, nec ullam Galliae regis Ludovici Crassi principis haud A. 951.
mollis, si quod ei jus fuerat, in tota hac disceptatione rationem habitam fuisse, aut quicquam ab ipso tuendi sui juris causa actum. Nec diffiteri audet Blondellus, cum locus dicitur situs in termino regni, significari regnum Henrici. Etsi argutetur, posse in termino regni esse, quod de regno non sit. Mox memorante Alberico ad annum eundem. Intervenientibus pro comite Barri de toto regno (Germanico scilicet) nobilissimis consanguineis, imperator eum custodia solvit cum omnibus suis, et ut sibi cognatum ad propria remisit; tantummodo hominium ab eo suscepit. Munitissimo castro praeter expectationem vi capto, terrorem omnibus Gallicanis injectum notavit Otto episcopus. Inde male Blondellus infert, castrum Gallici juris fuisse. Nam ut taceam, et aliis scriptoribus Lotharingiam ad Galliam referri ob linguam; quis non videt, terrorem etiam ad vicinos porrigi potuisse, ne quid in Henricum ejusve regnum auderent. Hominium etiam de ipso castro Barrensi datum, in annalibus urbis Virdunensis Richardus Wasseburgius Virdunensis archidiaconus antiquitatum Belgicarum legit, quicquid Blondellus nulla argumenti specie contradicat. Nempe apparet, comitem, ut vitam (nam haec quoque periclitata est, decernente suspendium imperatore) et feuda ob crimen rebellionis amittenda tueretur, qualis erat Montionis comitatus, etiam allodium Barrense quasi lytron imperatori in feudum obtulisse.

29. Accedit alius Alberici locus clarissimus ex seculo sequente, quo ipse vixit. A. D. 1212 Raynoldus de Domno Martino comes Boloniae suspectus erat factus regi Galliae Philippo, quod Moretonium munierat, nuntiosque ad Ottonem IV. imperatorem et Johannem regem Angliae mittere dicebatur. Rex congregato exercitu occupavit Moretonium et alia ejus loca, *et sic* (verba sunt Alberici) *comes a toto regno* (Galliae) *decedens, accessit ad comitem Barri* (Theobaldum) *cognatum suum, et mansit apud eum.* Hic Blondellus rursus ad argutias confugere coactus, potuisse ait manere apud comitem Barri, sed in locis, quae extra comitatum Barrensem comes in regno Germanico habebat; quasi hostem suum a vasallo impune protegi ac sustentari passurus fuisset Philippus rex, si talis ipsi comes Barrensis fuisset. Theobaldus iste Rainaldi filius, Rainaldi prioris ab Henrico V. augusto capti et dimissi nepos fuit. Theobaldus genuit Henricum, qui Theobaldum secundum, qui Henricum alterum, Alienorae Anglae maritum, patrem Eduardi, avum Henrici, ex quo natus Robertus, primus Barri dux creatus.

30. Multa alia Chiffletius pro diligentia sua in rem affert: Rainaldus illic prior comes Barrensis subscripsit chartae imperatoris Lotharii Saxonis Treviris datae a. D. 1131. Ejus pronepos Henricus, Theobaldi paulo ante dicti filius, apud Valentianas subscripsit chartae Ottonis IV; sed postea ab eo defecit ad Fridericum III, et Philippo regi Galliae in praelio Bovinensi affuit: neque enim ideo periclitabatur, si Germanici regni feudatarius erat, ut Blondellus objicit, quia maxima pars principum, Ottone deserto, Fridericum sequebatur. Antiquus consuetudinum Barrensium codex, a. D. 1506. ordinum autoritate in scripturam redactarum, habet,

A. 951. de feudis judicari secundum leges et usus imperiales, et a Francisco Thouvenino Lotharingico consiliario observatum, in Barrensi archivo haberi pactum inter regem Navarrae, tunc comitem Campaniae, et comitem Barri, quo cavebatur, Campanos in Barrensi ditione recipi debere secundum leges et statuta imperii. Hoc Blondellus falsum proclamat, quia Barrum ipsum fuerit in Campania, sed frustra Thouvenini fidem accusat, viri utique gravis, nec mendacii temere arcessendi: ipse potius vel hinc falsitatem hujus suae sententiae agnoscere poterat; nam non Barri, sed Lineji aliorumque locorum causa Barrensis comes Campani vasallus fuit; et cum lis esset inter Theobaldum regem Navarrae, comitem Campaniae, generum Ludovici Sancti, et Theobaldum comitem Barrensem, apparet ex actis, quae de archivo regio depromsit Quercetanus in historia Barrensi, et Blondellus inde repetiit, non de Barro, sed de castro Linejo controversiam fuisse aliisque hujusmodi locis. Et re transacta Thebaldum Barrensem ab Henrico Navarrae rege et comite Campaniae etiam Mollae castrum in augmentum feudi, quod ab illo tenebat, a. D. 1272. accepisse. Quae omnia satis indicant, non de Barro ipso; sed certis locis comitem Barrensem se tunc agnovisse vasallum Campaniae, neque aliter etiam Galliae regis, postquam a. D. 1335 Campaniae comitatus ad coronam revocatus est.

31. Henricus alter Barri comes, bello inter Gallos Anglosque flagrante, a. D. 1294 Anglis se applicuit, ducta principe Alienora, et a. D. 1297 Galliam armis incursavit; sed a Philippo Pulchro victus, et ad hominium etiam de Barro praestandum injusta vi adactus est a. D. 1301, si verae sunt tabulae, quas Quercetanus produxit. Eo scilicet tempore Philippus Galliae rex multa ad imperium Germanicum pertinentia in potestatem suam redegit, contradicentibus Adolfo rege Romanorum ipsoque Bonifacio VIII. pontifice, quae successor Adolfi Albertus Gallorum amicus dissimulasse aut deceptus fuisse videtur, cum a. D. 1298. apud Vallem coloris cum Philippo Pulchro congressus fuisset; nam si vera sunt, quae in supradicta testium informatione continentur, ducta est linea recta a Viroduno urbe usque ad fontem Mosae, designataque cippis aeneis erectis, placuitque, ut haec Germaniae Galliaeque regna disterminaret. Ita Barrensis ditio Gallis cessisset. Sed supra notatum est, principes electores imperii tunc actis e vestigio contradixisse. Blanca Philippi filia ibi Rudolfo Alberti filio primogenito desponsata est, et Albertus nondum stabili regno (multis principibus cum papa ob caedem Adolfi refragantibus) Gallica amicitia sibi opus putavit.

32. Fortasse etiam testes illi rem ante ducentos annos gestam non satis accurate retulere, nam Chiffletius in commentariis Lothariensibus post Franciscum Thouveninum refert, viam militarem separasse Barrense territorium a Campania Tricassina, ibique spectabiles fuisse cippos aeneos, hinc aquilam, illinc lilia praeferentes; quos in illo congressu Alberti et Philippi erectos crediderim. Eos ab Henrico II. Galliae deinde fines imperii invadente dejectos, incolae ex avita traditione memorabant, et adhuc imperii metas vocabant; quae haud jure spernit Blondellus et fabulosis quibusvis vulgi narratiunculis aequat. Caeterum quicquid Al-

bertus egerit aut tacuerit, publica opinione Barrum pars Lotharingiae A. 95.
haberi perseveravit. Nam Johannes Parisiensis apud S. Victorem canonicus regularis, qui a. D. 1322. desiit, in Memoriali historico habet: Lotharingiam continuisse tunc Virdunum, Tullum et Metensem partemque dioecesium Trevirensis, Leodiensis et Remensis, ducatum scilicet Lotharingiae seu Nanceji, comitatum Barri cum aliis, Hasbaniam denique et Ardennam.

33. Videntur et secuti imperatores vel reges Germaniae jus in Barrenses subinde sibi asseruisse. Nam Carolus IV. a. D. 1354 Metis ex comitatu Lucelburgensi ducatum, ex Barrensi marchionatum fecisse, scribit Albertus Argentinensis, quod Blondellus ad comitatum Moncionensem restringere mallet. Sed scriptores Lotharienses addunt, Carolum IV. tandem ducem Barri (ut prius marchionem Moncionis) creasse Robertum. Sane si rex Galliae dignitatem dedisset, rei monumenta in Gallia extarent, multo majore illic, quam apud nos, rei archivariae cura, dum certa illis regni sedes, in Germania huc illuc jactata. Certe cum nobiles quosdam a. D. 1364. novus dux creasset, rem gestam literis regiis confirmatam, aliaque id genus minuta Galli notarunt; quanto magis erectionem ducatus, si regi suo deberi scivissent. Juvat, quod pontis Moncionensis marchionatus (quem juris Germanici semper fuisse, Blondellus agnoscit) situs habebatur in Barrensi ducatu. Nam a. D. 1474 Johanni filio notho illum relinquit Renatus dux Lotharingiae, quem situm ait in ducatu suo Barrensi. Unde intelligi potest, corpus ditionum Roberti comitis Barrensis a Carolo IV. ducatus honore insignitum; nam Robertus a Carolo IV. in diplomate dato Metis, 12. Kal. Januar. 1356. adhuc comes Barrensis dictus est, et mox a. D. 1357. se jam ducem scripsit, ut Chiffletius ostendit. Ut judicari possit, Carolum tunc vicinum ei ducis dignitatem contulisse; cum aliquot ante annis in eodem loco marchionis tribuisset: eoque ipso dedisse operam, ut imperii Germanici jura conservaret; etsi interea duces Barrum castrum subinde quasi Gallicum beneficium agnoscere cogerentur, cum longinquis imperatoribus, et rebus imperii turbatis, contra vim de proximo imminentem nihil possent. Sed ea domini jus imminuere non potuere.

34. Nec dubito, plurimum ad continuandas Gallorum usurpationes contulisse translationem ducatus Barrensis in ipsam regiam stirpem Gallicam per Ludovicum, Ludovici Andegavorum ducis filium, Johannis regis Galliae nepotem, quae ita se habet. Cum Roberti ducis Barrensis liberi mares et nepotes cecidissent, ducatus ad filiam Jolandam devenit, Johannis Arragonum regis uxorem, ex qua natam Jolandam alteram. Ludovicus ille duxit, et cum ea Barrensem ducatum obtinuit, et a. D. 1415. defunctus filio Renato reliquit, qui, Isabella Lotharingica ducta, Lotharingiae Barrique dux habitus est. Sed cum ex ipso etiam masculi defecissent, Jolanda Friderico Vademontis comiti nupta tam opimam haereditatem exemplo aviae cognominis in filium Renatum, lineae nunc quoque florentis caput, transmisit, cui a. D. 1508. defuncto Antonius dux successit. Ex eo mu-

1651. tata regnatrice gente imperii Germanici jura ab oblivione melius vindicari coepere, cum etiam historiarum studia reflorescerent.

35. Nec tamen, imperii nostri jura penitus domi neglecta, putandum est. Etsi enim in ea perturbatione rerum, quae Caroli IV. caesaris obitum secuta est, monumenta publica imperii male asservata constet, extat tamen matricula imperii a. D. 1471. conscripta, ex archivo Moguntino depromta, ubi inter caeteros imperii ordines nominatur dux Barrensis in Gallia. Nempe Gallia intelligitur eo sensu, quo etiam archiepiscopus Trevirensis archicancellarius imperii per Galliam appellatur, scilicet in regionibus nostri imperii, ubi Gallica lingua viget. Et quod Blondellus excipit, in matricula scriptum intelligi ducem, non Barri, sed feudorum Lotharingicorum gratia, a matriculae forma alienum est, in qua dominia ipsa feudalia exprimuntur. Sed et Fridericum III. imperatorem contra Carolum Audacem ducem Burgundiae inter caeteros imperii principes etiam Renatum Lotharingiae et Barri ducem ad socia arma clientelae jure vocasse, scripsit Gallus Nanceidos autor, cui nomen Petri de Blarrorivo, a Chiffletio productus:

Teque ducem praeter cunctos adjuro, Renate,
Caesar ait, per amicitiae pia jura fidemque,
Quam nostrae te scis gemine debere coronae.

Gemine, id est dupliciter, ut bini beneficiarii ducatus innui videantur, quod ridicule Blondellus interpretatur de duplici nexu, feudi et propinquitatis; quasi ob propinquitatem regiam aliquid coronae debeatur. Caeterum postea constat, rem in certamen deductam, publiceque sub Carolo V. Gallis contradictum, etsi subinde homagia Barri causa, sed salvo jure imperii, extorquerentur, quam cautionem Antonium ducem ipsis literis homagialibus a. D. 1541. datis inseruisse constat, eaque a posteris semper repetita intelligi debet.

36. Et Carolum V. Christiernae Danae, sororis filiae, viduae a Francisco duce Antonii filio, et tutricis filii Caroli, autorem fuisse, ut Barrensis principatus nomine fidem Henrico II. Galliae regi dare recusaret, Thuanus memoriae prodidit. Unde hic irritatus, postea puerum in Galliam abduxit, Nicolao ejus patruo provinciae administrationem dedit, cum paulo ante a. D. 1545. Nicolaus suo nomine et viduae tutorum pueri Caroli, Lotharingiae et Barri ducis, juramentum Carolo V. augusto praestitisset, quo imperatori obedientes et fideles esse spondent contra omnes homines, omniaque facere, ad quae fideles principes et vasalli imperii domino suo Romanorum imperatori et sacro Romano imperio de jure vel consuetudine tenentur; ipso scilicet christianissimo rege, quod Blondellus improbat, haud excepto. Tandem extincto Henrico II. Galliae rege, Franciscus II. ejus filius, matri et Guisiis Lotharingiae stirpis principibus obnoxius, a. D. 1559. teste eodem Thuano Barrum venit, *atque ibi jam tum actum est, ut rex supremum jus ac imperium in Barrensem principatum in Lotharingiae ducis sororii gratiam a se abdicaret.* Quae sunt historici verba. Quod consilium etsi Thuanus perfidiosum vocet, quo imperii Gallici majestas imminueretur; ex eo tamen ortum apparet,

uod jus Galliae controversum haberetur, et si rem accurate discuteres, aud satis consisteret. Rebus ergo ultro citroque agitatis, quicquid einde actum est, imperatori nostro jus suum auferre non potest. Sed os a discussione juris in orbitam historiae redeamus. A. 951.

37. Ottonem regem Aquis Grani agentem missos in munus binos :ones secutus Hugo princeps sororius adiit, et cum eo paschalia festa git, magnificeque donatus, sub conductu Conradi ducis ad Matronam sque ad suos reversus est. Otto iter Italicum cogitans, res in Lothaensi regno vicinaque Gallia quietas relinquere studebat. Conradus reressus in quosdam Lothariensis regni turbones arma vertit, turres eorum ejecit, Raginarii comitis Montensis (quem Giselberti ducis ex fratre neotem aliquoties memoravimus) castrum quoddam cepit, alia obsideri issit. Ludovicus rex etiam in Gotbertum et Angelbertum ducit, carum eorum Brenam, ex quo vicini infestabantur, fame capit et diruit, einde ad colloquium proficiscitur cum Hugone et Arnulfo condicta die atutum. Sed Hugo defuit, Arnulfo infensus, quod Monasteriolum aliaue Herluini defuncti loca occupasset, et adjuncto sibi Rotgario Herluini lio, Arnulfum invasit, munitionem ejus quandam obsedit: rege autem in astra adventante, soluta obsidione, usque ad Decembrem inducias indulsit. aterea Otgiva regina improviso egressa Lauduno, ad Herbertum Herberti lium se duci curat, eique nubit. Unde rex iratus abbatiam Laudunenem matri adimit, conjugi tribuit, Atoniacum (an Attiniacum?) fiscale praeium ad se revocat. Abbatiam Laudunensem olim fuisse puellarum a . Salaberga structam, nunc a sexcentis fere annis congregationi virorum abitatam, Mabilio hic notat.

38. Dum haec in citeriore Gallia geruntur, Hungari (mirum) Aquiniam rursus invadunt. Hi, Taxe rege ducente, magno cum exercitu in aliam venerant. Berengarius ex pecunia ecclesiarum et pauperum duris xtorsionibus collecta, nummo etiam in caput infantis constituto, cujus agnam partem sibi retinuit, decem modios argenti, sed aere admisto orrupti, dedit: ita hostes in Aquitaniam, id est (ut arbitror) Viennensem, relatensem et Tolosanum tractum, avertit. Illic per magnam aestatis artem morati, exhausta rapinis regione, per Italiam impune in patriam ediere; magno hominum illius temporis stupore dicam, an torpore, qui m longinquum hostem, tam difficilibus locis arcere aut delere non otuere. Sane et Saracenorum manipulus Fraxineto haerere perrexit, igressisque Hungaris Alpes infestans, peregrinatores ex Gallia Romam etentes, libertatem itineris depensa pecunia redimere coegit. Sed mox lia rerum facies sese ostendit, Ottone in Italiam transgresso, cujus deinde pe aut auspiciis Hungari exclusi sunt, Saraceni tandem pulsi.

39. Rex Germaniae, antequam in Italiam abiret, insignem conventum rocerum regni habuit Francofurti, quem scriptoribus historiae neglectum abeo ex appendice priore operis de disciplina ecclesiastica a Reginone rumiensi conscripti. Ubi decretum hujus conventus refertur, sed qui er errorem dicitur actus a. D. 952, nam indictio nona annusque regni ttonis decimus quintus in hunc praesentem conveniunt, si rem ante

A. 951. Julium mensem actam ponamus, atque hic etiam legatos Ludovici regis novum opus Fanense obnunciantes, auditos puto. Sequente anno Otto in Saxonia aut Suevia egit, et placitum aliud synodale Augusto mense in urbe Augustana celebravit. Decretum praesens ita habet: *Anno incarnationis Domini 952.* (lego *951.*), *indictione 9. constitutum est in Franconofurt a rege gloriosissimo Ottone, anno illius 15. consentientibus episcopis, comitibus aliisque fidelibus compluribus, canonum sanctorumque patrum autoritate, nec non capitularium praecedentium regum institutis coram positis, ne oppressio virginum aut viduarum vel raptus ab ullis hominibus fiat, et ut, qui rapiunt eas sub nomine simul habitandi, cooperantes et conniventes raptoribus; siquidem clerici sint, decidant a proprio gradu, si vero laici, anathematizentur, et raptores sine spe conjugii permaneant. Quodsi posthac jungere se praesumserint, uterque anathematizentur. Nuendum est etiam praefato rege* (an *tuendum* vel *tenendum?* an *innuendum regi?*), *ut nulla abbatia, quae per se electionem habet ad monasterium, nec alicui in proprium possit donari. Illae vero, quae electione carent, regis donatione et privilegio ad aliud monasterium, quod sub ejus mundiburdio consistat, surrogari possint.* Successionem Ludolfo filio regis ante iter Italicum assertam in conventu procerum habent scriptores antiqui.

40. Otto igitur, intellecta Adelheidae reginae calamitate, fuga, periculo novo, dum Canusii obsidebatur, non tantum fratri ejus Conrado regi adolescenti amico et clienti gratificari instituit, sed et pulcherrimam oblatam occasionem negligendam non putavit Italiae ad regnum Francorum orientalium revocandae, quae ex eo inde ab Arnulfo avulsa, tyrannis minutis obnoxia, ad magnum et verum regem aspirabat. Crediderim etiam, laudatam Adelheidae formam viduo conjugii novi cogitationes subjecisse. Baronius ex anonymo historico Romanorum pontificum non literis tantum Adelhaidis, sed et Agapeti invitatum scribit. Dum ergo magno apparatu sese ad iter accingit, filius Ludolfus inconsulto patre praefestinans Allemannorum manu Alpes transit; sed nec quicquam memorabile egit, et patrem, cui placere studuerat, offendit, quod totius rebellionis seminarium fuit. Nam Henricus patruus juvenis honoribus invidens, e Bavaria nuntios in Italiam praemiserat, effeceratque, ut sperneretur ubique et castella, quae regis deinde coquis et pistoribus patuere, filio clauderentur. Roswita sive decepta sive blandiloqua Ludolfum cum paucis in Italiam penetrasse, et animos in regis adventum praeparasse, et ad patris amplexus redeuntem cum plausu susceptum.* Excidisse videtur pars operis Luitprandi, quo primam Ottonis expeditionem Italicam, et quae huic alterique intercessere, tractasse putem.

41. Otto autumno demum provecto expeditionem ingredi potuit. Adelheidis 13. Kal. Sept. ex custodia elapsa, Canusium venit; obsidio aliquandiu duravit, nam obsessi fame premebantur. Berengarius interea cum filio, longinquo adhuc Ottone, ut credibile est, in loco dicto plebis S. Martini 6. Kal. Leoni abbati monasterii S. Vincentii ad Vulturnum in finibus Beneventanis privilegium dedit, cujus initium est: *In nomine*

*) scribit *addit Eckhardus.*

mini Dei aeterni Berengarius et Adelbertus divina providente clementia A. 951.
ges. Ibi praecepta regum Desiderii, Caroli, Ludovici atque Lotharii,
Hugonis ac Lotharii concessiones confirmantur. *Signum dominorum*
rengarii et Adelberti regum. Hubertus cancellarius ad vicem Bruningi
iscopi et archicancellarii recogn. Data 6. Kal. Octob. a. dom. inc. 951,
gni vero Berengarii et Adelberti piissimorum regum primo, ind. 10.

42. Otto secum habens Fridericum archiepiscopum, Conradum ducem osque principes, superatis Alpibus cum copiis Veronam venit. Roswita iam Henricum regis fratrem addit. Browerus ex documento (de quo ox) Ruotpertum Trevirensem, Adelberonem Metensem et Gonzelinum llensem praesules. Conradum quoque regem Adelheidis fratrem af-isse putem. Veronae rex (Leone Ostiensi autore) nuntium ab Attone cepit, eumque cum epistola remisit, qua significabat, adesse se cum rentissimo exercitu, filium jam Mediolanum praemisisse, mox ipsum ore. Nuntius cum ad obsessos penetrare non posset, literas et annulum, em ab Ottone acceperat, cum sagitta in arcem misit. Ita confortati aesidiarii, etsi premente fame, duravere. Et rex e vestigio secutus, rengarium obsidionem solvere coegit, atque inde Papiam regni sedem ditione cepit. Berengarius se campo credere ausus non est.

43. Ottoni Papiae versanti proceres certatim se submisere; sumsitque m tum nomen regis Francorum et Longobardorum, Magni Caroli exemplo, lla nova coronatione celebrata. Hoc testatur diploma, relatum a Johanne tro Puricello in opere monumentorum basilicae Ambrosianae, quam die Cistercienses habent: *In n. s. et i. Tr. Otto Dei gratia rex Fran-rum et Longobardorum ..... Noverit omnium fidelium nostrorum dustria..... dilectus frater noster Bruno suggessit humiliter majestati strae pro quodam Aripaldo venerabili abbate monasterii confessoris risti Ambrosii, postulans, ut eum pro nostrae mercedis incremento cum iversis, qui cum eo degunt, famulis Christi cunctaque venerandi coenobii bstantia sub nostri mundiburdii tuitionem suscipere dignaremur..... gnum domini Ottonis serenissimi regis. Brun cancellarius ad vicem anassis archicapellani recognovi. Data 6. Idus Octobr. anno incarna-onis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo quinquagesimo primo, dictione 10, anno regni Ottonis regis in Francia decimo sexto, in Italia imo. Actum Papiae in Dei nomine feliciter. Amen.* Itaque duos jam ges habere coepit Italia, supremum Ottonem et Berengarium clientela-em, qui etiam anno sequente majori per hominium fasces Augustae Vin-elicorum summisit.

44. Nunc reginam accersi placuit. Roswita refert, Henricum ducem bviam missum, venientem ad regem adduxisse, cui tum primum visa lacuit. Tentatam auro scribit Witikindus, an quod Otto sinistra quadam ma tactus fuisset? Sed illa sive innata pudicitia sive prudentia suspi-iones revicit. Ita tandem nuptiae coiere. Mabilio memoriae, opinor, psu Adelheidem in Canusina arce a Berengario detentam, eaque ex-ugnata, ab Ottone liberatam scripsit. Rex ordinandis rebus moram sibi rahendam in Italia videns, Ludolfum in Germaniam remisit. Ita Roswita.

A. 951. Eum cum Friderico archiepiscopo, inconsulto rege, regressum, habet continuator Reginonis. Ego medium tenens, nec remissum, nec elapsum putem, sed veniam abeundi petiisse: indignatum novo matrimonio ait Witikindus. An quod sinistra de regina rumor sparsisset, an veritus novercae blanditias et (quod Frodoardus habet) timentem, ne haud rata essent, quae pater de successione statuerat. Equidem primogenitus quantum intelligo, regno excludi non poterat. Sed regnorum divisionem quae solida sperare jussus erat, timuisse putem, et renovari pacta constitutaque intempestive vel importune petiisse. Roswita ait, aegre tulisse, quod regina Henrici amicitiam suae praeferret. Sed bona poetria res dictu duras narrando mollire solet. Illud constat, exulcerato animo rediisse. Mox Salafeldae loco consiliis funesto (ut addit Witikindus, turbarum Henrici memor) in die natali Domini Fridericum archiepiscopum aliosque proceres regio ambitu excepit, et novae conspirationis fundamenta jecit. Sed haec serius erupere. Rex laetus cum nova sponsa Papiae dominica natalitia celebravit. Adelheidam non magis forma quam prudentia excelluisse, constat, atque etiam literatissimam fuisse, scribit Ekkihardus Sangallensis, et Ottoni aliquando Latine scripta dictave interpretatam, memoriae proditum est.

45. Chronicon Novaliciense non recte habet, Berengarium sese in castellum S. Julii, lacu circumdatum, abdidisse, ad deditionem mox adactum captumque. Haec ad posteriorem Ottonis expeditionem pertinent. Sed ineptius est, quod additur, oculos ei effossos, quod nec postea captivo factum, aberatque ab humanitate Ottonis. Nec verum est, quod Leo Ostiensis in Casinensi chronico habet, binas Berengarii filias nunc captas in Germaniam missas; id quoque a. D. 965. contigit. Idem Sigonium caeteroqui satis cautum seduxit, ut scriberet, Ottonem recenti de Hungaris victoria celebrem Italorum in se animos convertisse. Ea enim posterior fuit.

46. Mirum est, a Sigonio, viro docto et acuto, ridiculam fabulam adoptari potuisse, quam Petrus Damiani (etsi de veritate subdubitans) inter alias nugas de more suo et pro seculi genio sparsit. Hic scilicet ad Desiderium abbatem Casinensem (post papam Victorem VIII. dictum) scripsit: Adeleidem fuisse Ottoni commatrem; itaque incestuosum cum ea matrimonium inisse. Wilhelmum Ottonis filium archiepiscopum Moguntinum publice scelestam conjunctionem arguisse. Ergo jussu patris toto anno inclusum, tandemque in quadragesimali jejunio solutum, exire noluisse, antequam psalterium, quod aureis apicibus scribebat, totum absolvisset. Mox in patrem publice excommunicationis jaculum intorsisse, patri autem indignanti dixisse: *Tu arbitraris, me adversum te insolenter agere, sed scito, nos sancto pentecostes die simul in conspectu Dei staturos, ibique librata justitiae lance sententiam supremi judicis audituros.* Cumque episcopus obiisset, imperatorem augustalibus infulis redimitum, inter pontificum choros et procerum agmina, festo die praestituto, in missarum solennibus repentino divini judicii ictu mortuum concidisse.

47. Baronius, etsi in narrationes pronus, quibus aliquid autoritatis rebus ecclesiasticis accedere putat, hic tamen veritatis vim non tulit

que ab autore dissentiens, multa cum honoris praefatione, ne purpuram suam maculasse videatur (nam et Petrum inter Romanae ecclesiae dinales referunt), agnoscit, mollissime loquens, non esse haec talia, e in dubium vocari non possint: Ottonem die pentecostes et in eccle- obisse, a veritate abhorrere: caetera multiplici ratione verisimilitu- e carere. *Nemo*, inquit, *prodidit, Adelheidem fuisse commatrem Ottonis, etsi fuisset, debuissent haec initio objici, non seni, et tot ex Adelheide rorum patri.* Itaque Sigonius commentum commento tegens, ne per- at, hoc Wilhelmum statim, ut praesul factus est, egisse scripsit, haud pendens, caetera non cohaerere, cum multos post annos episcopum et onem defunctos constet. At Petrus Damiani rem ita narrat, tanquam d dubie vindicta abfuisset, scilicet rerum temporumque imperitus. edit, quod ipse Wilhelmus Ottonem secundum ex hoc conjugio natum cavit, et ut dominum coluit. Denique tanta res, quae silentio tegi poterat, si vera esset, ab aliquo ejus temporis autore scriptis prodita sset. Haec cardinalis, qui addere poterat, neminem tot scriptorum Moguntinas attingentium quicquam unquam de Wilhelmi captivitate t offensa qualicunque dixisse. Et tamen Emanuel Thesaurus in libro regno Italiae fabulam recoxit, iniquus utique Transalpinis, et quicquid eos potest captans; frigidissimae caetera argutiae scriptor, et corruptae oquentiae specimen ingens. Annotator haec historiae dehonestamenta ntra Baronium tueri ausus est; valida ratione scilicet, quia multis cum cumstantiis narrentur, quod tamen solenne mentientibus. Ipse suetus i vanissimis autoribus et levissimis rationibus, carcerem Wilhelmi quam rem certam pro argumento sumit, quem nuspiam nisi apud menti hujus scriptores invenerit. Simili commento Ludovici Pii et oris famam nugatores quidam lacerarunt, quasi ille Juditham consan- ineam contra ecclesiae leges duxisset, et Juditha altera Herodias ajectensem episcopum matrimonio suo adversum occidi curasset. hil in illis temporum tenebris tam inepte dici potuit, quin fidem in- niret, modo qualicunque religionis specie velaretur.

48. Cum obiisset Rodulfus Noviomensis episcopus, lis orta est, ibusdam Fulcarium eligentibus, decanum monasterii S. Medardi Sues- onensis, aliis Frodoardum Remensem presbyterum, Mabilionis judicio nc monachum et abbatem, qua praelatura se fractus aetate a. D. 963. dicavit. Cum Fulcarius praevaleret, consolatoriam Frodoardo epistolam ripsit Adaldagus Hammaburgensis episcopus, quicum in Ingelhemensi uper synodo amicitiam contraxisse puto. Ex qua intelligitur, cum for- nae muneribus Adaldago etiam eruditionem non defuisse. Initium ita abet: *Adaldagus miseratione divina Bremensis ecclesiae servus Frodo- rdo patri* [forte *presbytero*] *Remensi verbum pacis.* Finis: *Ora pro me. criptum prid. Kal. Octob. a. D. 951.* Est ibi insignis locus nescio cujus eteris, sic enim Adaldagus: *Horreo notare, quod dixit sanctus, re- ripsit sanctus: Nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero piscoporum.* Fulcario a. D. 955 Hadulfus Laudunensis clericus, notante rodoardo, successit.

A. 951.

ANNO CHRISTI 952.

Ottonis diploma Papiae datum. — Romana expeditio cur nunc dilata. — Ludolfi m et machinationes. — Otto pascha in Saxonia celebrat. Diplomatum dationes dubia Helmestadiense, Magdeburgense. — An Bruno regis frater jam ex capellano archicapellanus. — Regis commutatio cum Billingo. — Haec bona a Billingo com obtenta ecclesiae Magdeburgensi data. — An hic Billingus pater Hermanni ducis. Privilegium episcopo Osnabrugensi concessum. — Berengarius se summittens Ottonem venit. Indignatio Ludolfi et ducis Conradi, quod tarde admissus. — Conradus Hugoni principi auxilio missus. Ludovicus rex contrarius. — Obeunt principes Britonum et Hugo Niger in Burgundia. Successit ei Giselbertus. — Conventus Augustae, quo et Itali veniunt, et Berengarius se clientelae submittit. — Adempta Berengario Forum Julii et marca Veronensis. — Synodus simul Augustae habita. Nomina episcoporum. — Canones, ubi clericorum conjugia improbata. — Animadversiones. — De praesulibus Mediolanensi et Placentino. De Anthropomorphitis. — Controversia inter Laureacensem et Salisburgensem sedem ab Agapeto decisa. — Diplomata data abbatiae Einsidelensi, Remensi. — Poledano monasterio data est temporis posterioris. Charta data a Metensis comitis filio. — Confirmatio fundationis monasterii Gesekensis. Comes Hoholtus. — Haereditarium jus familiae ut inde sumantur abbatissae. Mindensis dedicatio. — Privilegium Berengarii monasterio de Azzano datum.

A. 952. 1. Otto natalem Domini Papiae celebrans, atque ibi aliquandiu haerens, monasterio a Berengario Verdunensi episcopo in ipsa urbe ad ecclesiam SS. Petri et Pauli, ubi Vitonus antecessor quiescebat, recens excitato praediisque ditato privilegium dedit, praesulum vicinorum Rotberti, Adalberonis, Gonzelini et Conradi ducis magnifici rogatu; idque muneribus de suo auxit. Hoc Browerus notavit, qui Richardi Wassenburgii antiquitates Belgicas hanc in rem citat. Mabilio observat in annalibus Benedictinis, Berengeri ipsius chartam in chronico Hugonis abbatis extare datam a. D. 952 (951.) ind. 10. Agapeti 6. Subscribunt Humbertus abbas loci primus, Vodo S. Michaelis ad Mosam, Berardus, qui videtur S. Martini Metensis, Godefridus loci comes, is, opinor, qui postea dux inferioris Lotharingiae creatus est.

2. Berengario latente, Otto jam tum iter Romanum meditabatur. Et sunt qui scribunt, Agapetum papam favisse, quod facile crediderim occulte tamen, erat enim gravis pontificibus Alberici potestas. Sed Ottonem invitare aut accersere ausum, quod Baronius, Browerus, Vossburgius scribunt, aegre credo. Rex misit Romam (an Hadumarum Fuldensem abbatem?), ut tentaret animos; sed Albericum alienissimum apparuit, qui hactenus rerum arbiter jugum novi et potentis domini horrebat. Cum ergo Berengarius magis fugatus, quam domitus esset, et quaedam animi nubila Ludolfi filii serenitatem turbasse viderentur, differendam Romam, Germaniam repetendam Otto statuit. Nec dubito, nuntiis monitum, Salafeldae a filio nescio quid coqui, ut mox dicemus, reditum accelerasse. Equidem Frodoardus caetera hic nonnihil difficultatis injicit. Ait, Ottonem cum uxore in Germaniam venisse, et tamen ad pascha celebrandum Papiam redisse, quod minus verisimile est, et Witikindo magis crediderim, pascha in Saxonia celebratum. Verno tempore (ubi scilicet montes patuere) in patriam (id est Saxoniam) reversum, scribit etiam continuator Reginonis, relicto Papiae Conrado duce, qui Berengarium persequeretur.

3. Ludolfus jam superiore anno offensus patri, paulo ante hyemem A. 952.
Germaniam redierat. Credo, ut primum nuptiae cum noverca celebratae
ere. Irae etiam faces subjecisse putem comitem itineris archiepiscopum
mper infensum regi, et qui custodiae quanquam meritae nimis memi-
sset, quicquid prae se ferret. Redux in Saxoniam juvenis, rebus cum
loguntino constitutis, Salafeldae in Thuringia convivium regio ambitu in
iem Domini natalem apparat. Eo cum multis proceribus ipse Fridericus
enit, ibique jacta sunt rebellionis fundamenta. Inter caeteros in con-
ientiam criminis assumtos puto vicinos primarios viros Wilhelmum et
edonem, quos Witikindus Thuringos vocat. Illum, credo, Wimariensium,
unc Wetinensium progenitorem: nam hos deinde rex vinculis et exilio
ltus est: multi scilicet orientem solem adorabant. Sed haec serius eru-
ere. Henrico duce facto praedia ejus quaedam a rege in filium translata,
pparet, et in his Salafeldam.

4. Rex ergo diutius sibi cunctandum non ratus, ut primum se tem-
estas aperuit, transmissis Alpibus in Germaniam properavit, novamque
onjugem matri et populis ostendit. Tunc monachis Einsidelensibus Hel-
retiae privilegium dedit, quod Christophorus Hartmannus chronico loci
nseruit. Hucbertum ad vicem Brunonis per errorem legi, suspicor; nam
illudum cancellos curavit Ludolfus; nisi forte absentis vices aliquando
alius nunc supplevit. Pascha in Saxonia celebratum est, locum scriptores
non designant. Ego id Magdeburgi factum arbitror; ibique egisse regem
cum conjuge et matre et filio Ludolfo et genero Conrado, ex diplomate
suspicor, ubi pro remedio animae patris Henrici et pro incolumitate matris
et conjugis et filii Ludolfi instinctu Friderici et Adaldagi archiepiscoporum
et Bernardi episcopi Halberstadensis, curtem suam Hebesheim in pago
Derlingen in comitatu Brunonis, in praesentia ejusdem Brunonis
filiique ejus Ludolfi, Geronis marchionis, Christiani comitis, nec non Luit-
tharii et Friderici comitum, Deo sanctoque martyri Mauritio in Magdeburg
donat. *Liudolfus ad vicem Brunonis.* Ita in nostro cartulario. Sed
annus ibi male ascriptus est 965, et tota clausula videtur ex alio diplomate
per errorem scripta, quo se Otto non amplius, ut hic, regem, sed impera-
torem vocabat. Circumstantiae in hunc annum referri jubent, cum jam
adducta esset Adelheidis, et Ludolfus nondum rebellasset. Notatu hic
dignus est Bruno comes cum filio Ludolfo. Noti quoque sunt caeteri
comites praeter Fridericum. Ubi versatus sit imperator, disci posset ex
diplomatibus, quae in ver hujus anni et aestatis initia referuntur, si epochae
christianae adjectae fidere liceret. Nam in Magatheburg (ut extat inter
diplomata a Meibomio ad Witikindum edita) Helmestadiensi monasterio
decimas in Helmonstedi, Bassalo, duobus Sedorp et Wormstede dedisse
legitur 3. Kal. Maji anno inc. D. 952. Indictio et annus regni corrupti sunt.
Villae Seedorp (unde portae nomen), Wormstede, Bassela hodie desertae
sunt, ut fit aliis succedentibus, nec nisi rudera visuntur. Rex etiam Mer-
seburgi commutationem quandam cum Billingo vasallo suo instituit 6. Kal.
Julii. Sed obstat, quod haec praecepta data sunt a Ludolfo cancellario
ad vicem Brunonis archicapellani, quem tamen viventibus Friderico Mo-

A. 952. guntino et Wicfrido Coloniensi a cancellarii gradu ad munus archicapellani assurrexisse, haud verisimile videri potest; neque enim Fridericum abrogato munere irritare prudentiae erat, cujus autoritatem adhuc illibatam stetisse, ex eo intelligas, quod in Augustana synodo hujus anni praesedit. Itaque in unum alterumve annum differenda haec diplomata censeo.

5. Mabilio tamen ad hunc annum non absurdum putat, Brunonem prius archicapellanum quam archiepiscopum factum. Et potuit assentientibus Friderico Moguntino et Ruotberto Trevirensi, qui hactenus archicancellarii in suo quoque regno habebantur, munus in regium juvenem conferri. Uti certe mox, Wigfrido Coloniensi defuncto, factum dici oportet; neque enim alioqui hujus mors quicquam illis detrahere debebat. Nec archicancellarii et archiepiscopi dignitas necessario connectebantur. Quin potius sub Pipino, Carolo, Ludovico Pio abbatum id negotium erat. Sed faciunt alia diplomata anno sequente Magdeburgensi et Trajectensi ecclesiae data, ut sententiae doctissimi Mabilionis hic stare non audeam, quae Bruno illud ad vicem Friderici, hoc ad vicem Rotberti recognovit. Et hujus anni diploma in chartulario nostro Magdeburgensi reperio, Nonis Octobris datum in Magadeburg palatio, quod Brun cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovit; est enim in eo mentio Adelheidis reginae, quae non ante hunc annum in Germaniam venit, et Octobri anni sequentis forte Bruno jam archiepiscopus fuit. Ludolfus certe tunc abalienatus erat. Rex in eo diplomate pro remedio animae conjugis Adelheidis et pro salute filii Ludolfi ad ecclesiam S. Michaelis archangeli sanctorumque martyrum Cosmae et Damiani, nec non et sanctorum martyrum Alexandri, Eventi et Theodori in Valersleba constructam, cui Marco praeest, dat mansos quinque et totidem familias in pago Terlingo in comitatu Ludolfi in villa Gimyn.

6. Alterum praeceptum, etsi eadem de anno dubitatio valeat, transscribi operae pretium est, ex inedito Magdeburgensis ecclesiae majoris copiario desumtum. *In n. s. et i. T. Otto D. g. rex. Noverint omnes ... qualiter nos cum quodam nobis dilecto vasallo Billing nuncupato praediorum fecimus commutationem, ea videlicet ratione, ut ipse a nobis nostrae proprietatis loca, quorum nomina subnotantur, acciperet, id est Osmunnmarcam cum duobus locis, quorum unus est infra ipsius confinium, alter vero extra situs, et Taratha marcam, Stembeki quoque, quod est in Schidinga marca una cum sylva, quae ex ipsa Schidinga marca ad praedictum Stembeki comprehensa est atque conjuncta, ad haec etiam Brechstedi marcam et Rupina marcam ..... Nos autem ista Dasingerod, Hildesheim et Heristi cum omnibus ad haec loca attinentibus mutuo haberemus .... Hludolfus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recognovi. Data 6. Kal. Jun. a. d. inc. 952, anno regni domni Ottonis 17.* (imo *16.*), *indict. 7.* (imo *10.*). *Actum Merseburg.*

7. Porro haec deinde Otto Magdeburgensi monasterio contulit praecepto, quod inter diplomata a Meibomio ad Witikindum adjecta extat in hunc modum: *Otto rex ob remedium animae suae et dilectae conjugis suae Adelheidis praedium quoddam, quod sibi Bilungus comes tradidit, pro*

proprietate quadam, quam dedit illi Otto rex in terris Slavorum et Thuringia, donavit dictus rex ad monasterium, quod construxit in Magdeburg in honore domini nostri Jesu Christi et S. Petri principis apostolorum, nec non sanctorum Mauritii et Innocentii ad usum monachorum, et est tale: Hiddeshusi [supra *Hildeshusi*] *cum tota marca et Helisugun, Herisci* [supra *Heristi*, seu Herste, quod malim], *Dasingarod, Gelrichi, Willienhusen, Agestorp, Guttingi, cum omni proprietate et pertinentiis. Actum Kidalingaburg* [Quedlinburg] *a. D. 953, anno regni domini Ottonis 18*, recte si res non ante Julium acta. A. 952.

8. Ex his intelligimus, Bilungum comitem non spernendae potentiae virum fuisse. Meibomius in Vindiciis Billinganis pro patre habet Hermanni ducis, de quo dubito. Refert etiam aliud Ottonis M. diploma in hunc sensum: *Nos, interventu conjugis nostrae Adelheidis et filii nostri Ottonis, dedimus ecclesiae S. Mauritii in Magdeburg, quod Billingus comes in praedio vel fisco dicti Ottonis* (quod scilicet in beneficium a rege tenebat) *in honore S. Johannis baptistae ac beatorum Petri et Pauli apostolorum construxit ..... Anno Christi 968, regni 33, imperii 7*; non tamen hinc sequitur, Billingum tunc adhuc superfuisse.

9. Diploma Ottonis huic anno ascriptum refert Ertwinus Erdman in chronico Osnabrugensi, Cranziusque attingit in Metropoli, quo Drugoni episcopo Osnabrugensis ecclesiae rex monetam et mercatum publicum in Widenbrugge concedit. Id Ertwinus datum scribit in ipso loco Widenbrugge, Idibus Jun. a. D. 952, indict. 4. Cranzius addit, renovasse Ottonem et literis inseruisse donationes ecclesiae factas per fundatorem Magnum Carolum, et praeter mercatum publicum vectigalia ibi colligenda ecclesiae donasse Ottonem; sed talia non leguntur in hoc praecepto, quale Schatenius nescio unde produxit. Ubi nihil apparet praeter mercatum et monetam, ac ne locus quidem dati exprimitur. Itaque in rem inquiri operae pretium erit, vel ob inserta, quae feruntur, Caroli praecepta. Caeterum suspicor, nec has Ottonis literas hujus anni esse, nam ex Ostfalia non in Westfaliam, sed in superiorem Germaniam profectus videtur.

10. Interea Berengarius imparem se sentiens, deposita resistendi spe, pacem petere coepit, suasu ipsius Conradi, cui pulchrum videbatur, supplicem habere regem, et gratiae suae apud Ottonem potentiaeque specimen dare. Itaque Berengarium venientem in fidem recipit et secum ad Ottonem ducit in potestate futurum. Locum nemo nominat, quem in Saxonia ponit appendix Reginonis. Witikindus regiam urbem vocat: Walahusamne, an potius Magdeburgum, qua maxime Otto sede delectari visus est, a se exornata, et cui majora parabat. Honorifice susceptus est Berengarius, et ut regem decebat. Nam regiae urbi appropinquanti miliario ab urbe occurrunt duces et praefecti et palatinorum, id est aulicorum, primores; a quibus in hospitium deductus est. Sed ad Ottonem nonnisi post triduum admissus est, quod aegre tulit Conradus, et ad injuriam suam pertinere judicavit, cujus fidem secutus ille fuisset. Ego Ottonem a Berengario aversum fuisse puto, vel conjugis Adelheidis causa, quam ille crudeliter tractaverat, cujus maritum etiam veneno sustulisse dicebatur; nec tamen,

A. 952. etsi se inconsulto datam a Conrado fidem violare sustinuit. At Ludolfus, Henrico patruo infensus, quem nuper adversum senserat, huic uni moram imputabat, hujus cupiditatem accusabat, qui Italiae inhiaret. Exinde Ludolfus et Conradus consilia communicare coepere et in dominum et Henricum machinas parare, Friderico etiam Moguntino in societatem ascito, qui tum primum Conrado conciliatus est; antea enim inimicitias exercuere, ut notat continuator Reginonis. Rebus cum Berengario componendis dies dicitur apud Augustam, ubi etiam Italiae proceres adesse possent, nam eorum voluntates cognosci, Otto aequum judicabat. Berengarius interea omni studio egit, ut Adelheidem placaret, videturque haud inexorabilem reperisse. Apud generosas animas major est ex poenitentia supplicum, quam ex vindicta voluptas, eamque Christus angelis coelestibus tribuit. Berengarium interim ab Italis adhuc pro rege habitum, intelligimus ex quadam apud Campium charta, ab Aleprando diacono in usum ecclesiae S. Gariberti Placentinae data Berengarii et Adelberti anno secundo, mense Aprili, ind. 10.

11. Conradus ab aula discedens, dissimulato animo ad Lotharienses properat. Otto cum Hugone principe anno superiore reconciliatus erat, itaque Conradus ei contra Reginaldum comitem adesse jubetur, qui cum Artaldi vasallis Marollium ad Matronam munierat, quod ad res turbandas pertinere videbatur. Oppugnata per machinas munitio deditur evertiturque. Vicissim nepotes Hugonis Heribertus et Robertus Montem Felicem muniunt. Sed Ludovicus rex Raginoldi damnum in suam injuriam interpretatus, post discessum Conradi, adjuvantibus Artaldo et Raginaldo, Marollium restituit, et Walterii cujusdam praedia vastat, quod a se ad Heribertum descivisset, et castrum suum Victoriacum huic subdidisset. Sed cum Victoriacum capere non possent, aliud illi munimentum de vicino opponunt, eique Odalricum quendam ex Burgundia abbatem praeficiunt, Pontigone etiam fiscali praedio, quod Heribertus invaserat, praesidiarii ejus pelluntur. Artaldus in monasterio S. Basoli monachos restituit, clericis pulsis, locumque Hincmaro et Rotmaro abbatibus committit. Hincmarus erat abbas Remiganus, Rotmarus Altivillarensis. Rex Laudunum reversus, cum regina Remos venit.

12. Nihil aliud fere de rebus Gallicis memoratur, nisi quod Alanum Britonum principem hoc tempore extinctum scribitur. *Obiitque etiam* (autoritate Floriacensis chronici) Hugo Niger Burgundiae dux, Richardi filius, Rudolfi regis frater, collisus ante annos aliquot cum Albo Hugone, nepote ex sorore, ob fraternam haereditatem, eoque magis regi fidus. Transactionem, qua pars ditionum Albo cessit, confirmans rex Ludovicus Nigrum vocat marchionem illustrissimum, ducem Burgundiae, regni sui principem. Successit Giselbertus Manassis filius, quem Quercetanus sororem Hugonis duxisse suspicatur, ego filiam malim; nam alioqui partitione inter duos Hugones comprehendi debuisset. Giselberto mox cum Hugone Albo natae sunt lites, qui Burgundiae ducatum affectasse videtur. Sed Giselbertus tenuit locum: composta res est, cum Hugonis filius Odo Giselberti filiam duxisset. Eo matrimonio totus Burgundiae ducatus ad Cape-

tinos pervenit, et per multa secula apud illos permansit, eumque tandem Maximiliano Austriaco, cui ob ductam haeredem debebatur, Ludovicus Undecimus praeripuit et ad coronae Gallicae corpus retraxit. A. 952.

13. Appetente statuta die magni ad Augustam Rhaetiae urbem conventus, qualis inde a Carolo III. augusto nullus actus erat, Franci, Saxones, Bavari, Allemanni atque etiam Longobardi proceres, et in his episcopi, quasi in unius rei publicae corpore affuere. Conradum etiam Lotharienses quosdam adduxisse arbitror: nam et ipse venit, non minus quam Ludolfus filius regis, cujus ad administrationem Augusta pertinebat. Ibi causa Berengarii terminanda erat. Res mense Augusto acta est, ut habet continuator Reginonis, et in castris quidem, id est in campo seu sub dio, quemadmodum intelligi potest ex vita Udalrici episcopi Augustani, ab homine, qui cum episcopi capellano se locutum ait, scripta. Ibi Otto allocutionem habuit ad populos tot provinciarum; sed sua, opinor, lingua. Discusso per colloquia negotio, Berengarius et Adalbertus Italis reges redduntur, et ut Witikindi fere verba subjiciam, Berengarius manus filii sui Adelberti suis implicans, licet olim Hugonem fugiens, Ottoni se subdidisset, nunc renovata fide, coram omni exercitu famulatui regis se cum filio subjugat. Nempe ex ritu veterum, domino illi manus dedere, suas junctas illius manibus interponentes. Hoc erat in alterius esse manu et potestate. Ita his regibus sub suprema Germaniae regis autoritate Itali parere jussi sunt. Luitprandus legatus Ottonis Nicephoro augusto postea injuriam illis factam exprobranti respondit, praesentibus Graecorum legatis Berengarium et Adelbertum milites Ottonis effectos, regnum Italicum sceptro aureo ex ejus manu suscepisse.

14. Ademta tamen est Forojuliensis provincia, quam sibi dudum Henricus Bavarorum dux vindicaverat, additaque ei marchia Veronensis. Id proderat, ut apertus semper in Italiam aditus esset, vindicemque de propinquo Berengarius metueret, Itali sperarent: Berengarius admonitus, ut moderate concessa potestate uteretur, quid agitaret, alte condidit, et mox exulcerato animo, quae passus erat, in proceres Italos quasi domini calamitate laetos retorsit; praesertim ubi Ottonem domi cum filio et genero conflictari intellexit, quorum iras consiliis suis quasi flabello hominem callidum auxisse credi potest. Quinto Idus Septembris jam Papiae reducem egisse, ex privilegio intelligitur, quod monasterio de Azano Astensis dioecesis dedit; id vero in anni exitum differemus, ne narratio interrumpatur. Quinam ex Italia praeter episcopos Augustano conventui interfuerint, haud constat. Episcoporum nomina nobis synodus haec eodem loco temporeque acta conservavit. Caeteris ad posteritatis notitiam propagandis non eadem cura fuit.

15. Itaque Augustae tunc more Carolino simul placitum et synodus fuit. Praefatio et canones extant in tomis conciliorum. Praesedit Fridericus Moguntinus. Praefatio huc redit: *Cum excellentissimus pientissimusque Otto rex non minus de negotio spiritali, quam de statu christiani imperii tractaret, inprimis pontificum aliorumque principum suorum communi consilio fretus, anno incarnationis 952, indictione decima, anno*

A. 952. *vero regni ejus 16.* [legendum *17.*], *sub die 7. Idus Augusti, placitum conventumque synodalem Augustae fieri decrevit. Cujus divinae rei dispositionem, per reverendissimi atque prudentissimi Frithurici Moguntinae sedis archiepiscopi industriam maxime gubernari voluit. Geroldo etiam Juvavensis ecclesiae archiepiscopo, Manasse Mediolanensis, Petro Ravennate, caeterisque Italiae, Galliae, Germaniae subnotatis pontificibus huic discussioni operam navantibus: Udalrici Augustensis ecclesiae episcopo, Annone Wangionensis, Starcando Eistetensis, Conrado Constantiensis, Poppone Wirciburgensis, Godefrido Nemetensis, Hartberto Curiensis, Votone Argentinensis, Lantberto Frisinguensis, Hugone Aritiensis* (an Aretiensis vel Aretinae?], *Michaele Ratisbonensis, Adalberto Patavensis, Ludfrido Ticinensis, Gisibrando Terdonensis, Antonio Brixiensis, Vultone* [Waldone] *Cumanae, Deodato Parmensis, Adelardo Regiensis, Sigolfo Placentinae, Adalgiso Aquensis. Quorum unanimi diligentia placuit, a principe regni, beatae matris ecclesiae devoto filio postulare, ut divina discutientibus interesse dignaretur. Tum die praefinita veniens, dulcisona modulationum jucunditate, honorifice, ut regiam dignitatem decuerat, ab omnibus acceptus, missa celebrata cum insigni privatim* [an legendum *procerum?] turba synodum intravit. Ibi reverendus Moguntinae sedis archiepiscopus se e solio erigens, sermonem regulari studio congruentem protulit, deinde cuncta, quae de jure ecclesiastico juxta canonicam autoritatem et imitanda sanctorum patrum decreta erant ventilata pronuntians, in hisce omnibus communi regis praesidium postulavit, quibus rex supremi amoris igne succensus, omni mentis corporisque nisu ecclesiasticarum rerum auxiliatorem defensoremque promtissimum se fore promisit.* Tum capitula omnium consensu archiepiscopus idem residens promulgavit.

16. Primum: Episcopum, presbyterum, diaconum, subdiaconum uxorem ducentem deponendum censet; provocaturque in eam rem ad concilii Carthaginensis capitulum 25. Interim matrimonium haud subsistere, non additur. II. Clerici canes venaticos vel accipitres non habeant, si habeant tantisper ab officio ecclesiastico suspenduntur. III. Clericus aleae vacans deponitur secundum canones apostolorum cap. 25. IV. Prohibentur mulieres subintroductae, et ab episcopo vel ejus misso virgis caesae tonderi jubentur. V. Monachi ne extra claustrum vagentur, concilio Chalcedonensi vetante. VI. Episcopus coenobiorum suae dioecesis curam gerat, prava corrigat. VII. Clericis liceat in monasterio se dare ad arctiorem vitam, nec deterrendi sunt ab episcopo, *sed ad constantiam inflammandi.* VIII. Neque impediendae sunt sanctimoniales (id est canonicae), quae ad strictius vitae propositum (id est monasticum) aspirant. IX. Laici presbyterum sine consensu episcopi non ejiciant ab ecclesia, quae ipsi est commendata, secundum concil. Arel. c. 4. X. Omnis decimatio sit in potestate episcopi, et si quid hic neglectum sit, coram episcopo ejusve misso corrigatur. XI. Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, ut in multis conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant. Caeteri vero clerici quando ad maturiorem aetatem pervenerint, licet nolentes ad continentiam cogantur.

17. Haec magni momenti non sunt, nec canon primus et ultimus, etsi eadem tractare videantur, satis consentiunt. Episcopi sibi in foeminas subintroductas coercendi potestatem hic sumunt, quae ad judices pertinere videri possit. Etiam in decimarum causa sibi favent, sed multis regum praeceptis decimae etiam monasteriis attributae erant; ne quid de iis dicam, quae in laicos translatae, aut potius originario jure laicae fuere. Quid enim prohibebit, rem publicam suas sibi decimas proprias exigere, quod nuper in Gallia fieri coepit regio jussu? Abbates in hac synodo non sedere. Neque ex Saxonia aut Lothariensi regno episcopi interfuere, credo ob distantiam locorum, ut sumtibus non necessariis parceretur. A. 952.

18. Ex indice episcoporum intelligimus, Manassem tunc Mediolani praevaluisse aemulo; Bosoni Hugonis regis filio extincto apud Placentinos Sigolfum successisse, quem octo supra triginta annis sedisse Campius scribit, narratque ex supplementis chronicis Jacobi Philippi Bergomatis, fuisse quoddam non procul Crema Parassum oppidum, haereticis plenum, qui Deum humanam formam habere dictitabant. Cum in eos verba nihil possent, Ratherio etiam nequicquam scribente, ad vim ventum jussu sedis apostolicae, oppidum captum et subversum, ut vix vestigium supersit, orthodoxos inde discedentes Cremam struxisse; tractum inter plures dioeceses divisum, potissimam tamen partem Placentinae cessisse; quae fabulae manifesta sunt. Nihil tale illorum temporum scriptores habent, etsi Anthropomorphitas tunc agnoscant: needum haereticos extingui disciplina erat. Cremam multo antiquiorem fuisse, Campius ipse agnoscit. Et cur non locus pristinae dioeceseos mansisset, licet oppido subverso. Crema ipsa Placentinae fuit, donec a. D. 1591. proprium episcopum accepit.

19. In hac synodo controversiam inter metropoles Salisburgensem et Laureacensem tractatam crediderim; et Agapetum papam in suis ad Gerardum Laureacensem literis vel synodo praeisse, vel synodi sententiam secutum esse. Ecclesia Laureacensis ab antiquo metropolitana fuerat, atque ab ea fidei gratia in Pannonias emanarat, sed Pannonia a barbaris paganis oppressa, episcopi sede deserta etiam archiepiscopatus honorem dubium sibi fecerant. Nunc vero securitate pro parte reddita (nempe Austria pars Pannoniae erat), aequum esse judicat Agapetus, ut, Arnone Salisburgensi Bavariae provinciam nacto, eam retineant posteri, Laureacensi sua sedes in Pannonia subsistat. Quare se sanctam Laureacensem ecclesiam iterum in culmen metropolitani honoris attollere, et Gerardo pallium largiri ait. Parochias autem ita partitur, ut, divisis duabus Noricae regionis provinciis, Heroldo Salisburgensi orientalis Pannoniae cura committatur, Gerardo Laureacensi et successoribus propter emeritam antiquitatem Laureacensis ecclesiae, cui jure juniorum reverentia assurgit, benedictionis et sedis ordine praelatis et praepositis, custodia orientalis Pannoniae regioque Avarorum, Maharavorum Slavorumque christianorum praesentium futurorumve conservetur, cui et vices suas apostolicas in praedicando Dei verbo episcopisque constituendis concedit. Haec Agapetus; sed cum Romani pontifices Slavis et Avaribus proprios archiepiscopos concessissent, metropolis Laureacensis rursus nutavit, et nunc aegre

A. 952. exemtio superest, et quarundam per Austriam ecclesiarum cura. Lauriacum hodie exiguus est vicus leucis aliquot infra Linzium, quod nunc est superioris Austriae caput. Praesules dudum in Passaviensi oppido ad Danubii et Oeni confluentes pene in Austriae aditu sedent, Bavarico tamen circulo computantur.

20. Otto Augustae agens, Lielahe vicum Heremitis in Cella Meginradi (id est monasterio Eremi Helvetiae) Deo servientibus donat, situm, ut ipse ait, in pago Brisachgowa, in comitatu filii sui Ludolfi. Id Guillimannus in Habsburgicis annotavit. Decretum Ottonis Francofurti factum, quod huic anno in appendice priore ad Reginonis opus de disciplina ecclesiastica ascribitur, a. D. 951. referri debere, illic ostendi. Si tabularum quarundam notis credimus, in Westfaliam et Thuringiam rex ante anni exitum venit. Nam cum Artoldus Remensis praesul ad eum misisset Hincmarum abbatem S. Remigii ad Collam in Vosago villam monasterio restituendam, Otto interventu Conradi ducis non solum abbatiam ipsam monachis sacro loco sub regula S. Benedicti deservientibus confirmavit, sed et quicquid intra Vosagum ad abbatiam pertinebat, sicut ipsi B. Remigio superstiti a Chlodomiro rege Chlodovei majoris filio aliisque Francorum regibus traditum fuerat, restitui jussit. *Data 5. Idus Septemb. a. inc. D. 952, ind. 10.* (imo *11.*), *anno regni 17. Actum in loco Patherborn. Obertus cancellarius ad vicem Brunonis archicapellani recogn.* Extat praeceptum in Metropoli Remensi, unde Mabilio refert.

21. Annus etiam dominicae incarnationis 952. exprimitur in diplomate Ottonis Magni, quo fundatio monasterii Poledani in ducatu Brunsvicensium Grubenhagio continetur, edito a Joachimo Johanne Madero in antiquitatibus Brunsvicensibus, quod inde repetit diligens editor rerum Poledanorum. Sed miror, neutrum observasse, tunc Hattonem Moguntinis non praefuisse, sed Fridericum; itaque Mabilio in annalibus ad hunc annum Hattonem putat per sphalma irrepsisse, ego vero sphalma esse judico in anni notis: nam Otto imperator appellatur; res a. D. 973. acta est, quemadmodum illic ostendetur. Illud verius, quod hoc anno Rudolfus (quem Mabilio judicat filium Matfridi, celebris in Lothariensi regno comitis, nepotem Rudolfi) alodium suum in villa Tile in pago Salnensi (ad Salonam amnem non procul a Metensi urbe) donat ad mensam monachorum Deo et S. Arnulfo famulantium, praesente Adalberone episcopo Metensi, et suscipiente abbate loci Ansteo, consentiente Audacro comite vitrico donatoris, et matre cum fratre uterino et proprio fratre. *Actum publice in coenobio S. confessoris Christi Arnulfi a. inc. D. 952, ind. 10.* (imo *11.*), *quinto Idus Julii regnante Ottone rege.*

22. Otto inde in Thuringiam ad Ostfaliae fines venit, et in Walahusa fundationem Gesekensis monasterii sanctimonialium virginum, inter Padebornam et Sosatum hodieque situm, ratam habuit, cujus autor fuit Hoholtus* comes, ille, opinor, celebratus Padebornensibus, qui comitatum ejus postea regno apertum ab Henrico II. per Meinwercum episcopum gratia principis florentem impetravere. Rex ita loquitur: *Ob amorem Dei*

*) Haholt. *hic et infra corr. Eckhardus.*

interventumque fidelium nostrorum Hoholti fratrisque ejus Brunonis et Friderici sororisque eorum Wicburgae, monasterium in loco Gisiki ab illis in suo praedio in honore Dei, beatae virginis Mariae sanctique Cyriaci martyris constructum, quia praedictus Hoholt locum simul cum monasterio aedificiisque praeparatis, et omne quod ejusdem civitatis interioris muri ambitu continetur solum, et omnem terram, quam antea presbyter illius (lego: *pater illius;* quod miror Schatenium non animadvertisse) *in beneficium possedit, et insuper hobas decem possessas, in nostrum mundiburdium accepimus. Brun frater Hoholti hobas ad idem monasterium quatuor concessit possessas, Fridericus unam possessam, Wicpurahc* (Wigburgis) *eorum soror sex secundum legem Saxonicam cum manu advocati sui Ekkiberti tradidit.* Loca sic vocata: *Spurka, Hortinghusen, Nuhlotra, Almunderaf, Thirarun, et quicquid habuit in loco qui dicitur Anavutlo.... Insuper praedicta Wicpurga hobas viginti in aliis locis habitatas... Ita construxerunt monasterium, quatenus praedicta Wicpurahc illud possideret usque ad vitae illius obitum.* Postea *quamdiu in eodem monasterio de Hoholt progenie aliqua hujusmodi honore digna invenietur, nequaquam alia eligatur. Si nulla sit, tunc alia in monasterio nutrita eligatur; et si iterum de Hoholti radice aliqua revirescat in eodem monasterio nutrita et digna, hoc a suis parentibus constructum potestative possideat monasterium. Nullus judex publicus in locis hujus ecclesiae habeat potestatem; nisi ipse Hoholt, quem advocatum et post obitum ejus, si habeat filium, et sic de ipsius germine fore disposuimus.... Olbertus cancellarius ad vicem Brunonis recognovi et subscripsi. Data 7. Kal. Nov. a. inc. D. 952, ind. 10.* (imo *11.*), *anno regni 17. Actum Walahusen.* **A. 952.**

23. Dignum notatu est haereditarium jus non tantum ad advocatiam, sed etiam ad dignitatem abbatissae. Notat Schatenius, locum olim Padebornensis dioecesis, nunc esse Coloniensis. Idem observat ex Mindensium chronicis, hoc anno Drogonem Osnabrugensem episcopum, et Dudonem Padebornensem Helmwardo Mindensi operam dedisse, cum major ejus ecclesia solenni ritu consecraretur. Caeterum Ottonem apparet ex Italia reversum regni provincias obiisse; ita per superiores Germanos in Ostfaliam venit, deinde rediit in Sueviam ad comitia. Ex eo per Franciam ad Westfalos, inde per Hassiam ad Thuringos progressus est. Et postremo ad Rhenum se contulit, et Francofurti natalem Domini celebravit.

24. Berengarius redux monasterio, quod est Agianis, hodie de Azzano, dioecesis Astensis, sub Burningo vel Bruningo episcopo tale praeceptum concessit: *In n. s. et i. Tr. Berengarius et Adalbertus d. f. cl. reges... pro amore Dei nostrarumque animarum remedio ad petitionem episcopi Burningi nostri dilecti et fidelis confirmamus coenobio, quod dicitur Agianis, quod videtur esse constructum in honorem beatae Mariae Dei genitricis, cunctas res et familias inibi pertinentes. Insuper concedimus praefato coenobio ambas ripas fluminis Tanagri, cum duodecim pedibus, numeris nostri regni pertinentes, nostraeque corti, quae Nonis nuncupatur, nominative in eo loco, ubi ipsum flumen influit in rivum Leprosorum, et in rivum Azarii, atque decursionem ipsius fluminis ad portum consti-*

A. 952. *tuendum; et quicquid jam dictae corti Nonis pertinet aut pertinuit, videlicet portinaticum, palificaturam, theloneum, ripaticum, navium ligaturam. Praecipientes insuper, ne ullus . . . praedictum coenobium aut abbatem, qui nunc ibi est nomine Raimbertus aut in antea, qui ordinatus fuerit, aut monachos ibi Deo servientes in aliquo molestare aut divestire praesumat. Signa serenissimorum Berengarii et Adalberti regum, Johannes cancellarius ad vicem Vidonis episcopi et archicancellarii regum eorundem. Datum 5. Id. Sept. a. d. inc. 952, regni Berengarii et Adalberti regum 3.* [imo 3.], *ind. 11. Actum Papiae.* Curtis Nonis hic dicta hodie oppidum est Non, ad Tanagri ripam.

ANNO CHRISTI 953.

Ottonis Magni filii in tenera aetate defuncti. Ludolfi motus ascito Conrado. Irae in Henricum regis fratrem. Abbatia Ehrenstein. — Wigmanni comitatus circa Daventriam. — Ludolfus et Conradus Moguntiae Ottoni graves, in Henricum minaces. — Rex clapsus in Saxonia vires comparat. — Diploma ecclesiae Utrajectinae datum, recognitum a Brunone nondum archicapellano. — Comitia Fritislariensia, ubi altercatio Henrici cum Friderico Moguntino. Dedo et Wilhelmus Thuringi deportantur. — Conradus in Lotharingia cladem accipit. — Hermannus Billagiades factus dux Saxoniae, regi Wigmannum fratris sui filium mittit. Is capitur et in regem patruumque concitatur. Theodericus postea marchio. — Ludolfus et Conradus Moguntiae obsidentur, pax impeditur, quia revelare conscios nolunt. — Henricus Ludolfum acerbis dictis in se concitat. Ecbertus corruptus. — Bajoarii ab Henrico ad Ludolfum deficiunt. Conradus urbem Metensem occupat. — Arnulfus Arnulfi ducis filius Ludolfo Ratisbonam aperit aliaque loca. Rex in Bavaria irritus in Saxoniam redit. — Pax inter Ludovicum et Hugonem. — Conradi uxor, Ottonis filia obit. — Moritur Wigfridus archiepiscopus Coloniensis. Succedit Bruno frater regis. Ei committitur administratio Lotharingiae. Bruno dictus archidux. — Bruno pallium et privilegia Roma obtinet. S. Pantaleonis monasterii fundatio. — Quidam Brunonem ducis officia obeuntem male reprehenderunt. Episcoporum dationes passim a jure comitum et ducum exemtae. — Quibus gradibus episcoporum secularis potestas creverit. — Administratio ducatus Lotharingiae in Brunone laudanda potius et rei publicae necessaria. — Bruno Ratherium suum praeceptorem Leodiensi ecclesiae praeficit. Sed mox etiam pulso suffectus Baldericus. — Qui ex familia comitum Montensium, de qua hic. — Falsum diploma Ottonis, quo Ragenarius fit advocatus Trajectensis coenobii ad Mosam.

A. 953. 1. Ottoni ex Adelheide hoc anno aut circa exitum praecedentis filium natum, nostri silent, sed indicat Frodoardus. Henricum avi nomine dictum, colligo ex Witikindo, qui binos ante Ottonem II. filios regis nominat, Henricum et Brunonem, sed qui vitales non fuere. Itaque non erat, cur Pagius Frodoardum deceptum putaret, quia Otto II. serius natus est. Henricum putem mox, ut natus est, nec anniculum obisse, Brunonem vixisse diutius, atque ideo mortem ejus in fastis nostris memoratam ad a. D. 957. Hinc jam Ludolfus magis vereri coepit, ne quid inde detrimenti in se redundaret, cui affirmata fuerat regni successio paulo ante Italicum iter patris, ut idem Frodoardus notat. Credo, timuisse, non quidem, ne regno excideret primogenitus, sed ne parte contentus esse cogeretur, cui totum promissum videbatur; et priora promissa renovari, vel etiam explicari et omnem dubitandi occasionem praecidi desiderasse; *Ottonem*

autem importunius instanti et factionem cienti morem non gessisse. A. 953.
Iam adjunxerat se juveni Conradus dux, offensus regi et Henrico duci, quod Berengarius, quem fide data adduxerat, instigante cum Adelheide Henrico, paulo durius habitus fuisset. Henricus dudum alienus a Ludolfo, ea occasione etiam Conrado collisus est. Ludolfus etiam indignabatur, Henricum, olim hostem capitalem, tantum apud Ottonem posse, et propemodum filio anteferri. Otto interim cum Francofurti natalitia festa celebrasset, media hyeme in Alsatiam profectus, socrui Bertae, Burcardi Allemanniae quondam ducis filiae, Rudolfi et Hugonis regum viduae, abbatiam dedit, quam continuator Reginonis vocat Merenstein, chronographus Saxo Exenstein, sed annalista Saxo noster Erenstein, quod rectius puto; conventum in loco Erenstein ab Ottone II. habitum, cum Udalricus episcopus Augustanus obisset, habet ejus biographus, et qui Augusta venientes illuc tendebant, imperatoris sententiam de novo episcopo expetituri, ad Balnea (Badam) venere. Itaque idem locus fuerit utrobique; qua de re ad a. D. 973.

2. Ad hunc annum bina indicia, indictionem et locum, secutus refero Ottonis diploma, quo omne praedium situm in loco Daventriae intra urbem et extra in pago Hamalant in comitatu Wigmanni, quod mulier amica et Deo devota tradiderat, donat monasterio Magdeburgi constructo in honore S. Petri principis apostolorum, SS. Mauritii et Innocentii martyrum *dat. Kal. Januar. a. d. inc. 954.* [lego *953.*], *ind. 5.* [lego *12.*]. *Actum Franconofurt palatio, regnante pio rege Ottone anno 17. Signum domini Ottonis invictissimi regis. Brun cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognovi.* Caeterum cum Wigmannus comitatum circa Daventriam habuerit, minus mirabimur ab Ottone consobrino etiam Gandavensis castri comitem factum et Arnulfi Flandri filiam duxisse. Mox alia ibidem Magdeburgensi ecclesiae data sunt, de quo ad a. D. 956, ubi iterum occurrit comitatus Wigmanni et de eo dubitatio.

3. Redeunte ex Alsatia Ottone, conspiratio in bellum paulatim erumpebat. Ludolfus et Conradus magno nobilium juvenum ex Francia, Saxonia, Allemannia, Bavaria globo cincti circumvolitabant, homines coadunabant, castella muniebant. Rex, qui Ingelheimii pascha celebrare constituerat, solitudinem circa se videns, vereri insidias in loco aperto coepit. Itaque mutata sententia, festos dies Moguntiae agere consultius putavit. Ad urbem accedens, Friderico archiepiscopo jam adversae parti innexo, non sine contumelia aliquandiu ad portas haesit, antequam admitteretur. Aberat archiepiscopus, et austerioris vitae specie quadragesimam cum solitariis agebat; sed revocatus regem suscepit. Eo Ludolfus et Conradus vana obsequii specie, re ipsa tumidi et minaces accessere. Purgabant sese, ut magis accusarent. Regi se omnia deferre, sed Henrici insolentiam ferre non posse dictitantes; nec obscure jactabant, si accedere auderet, manus ei injectum iri. Rex iram premens et aequa pollicitus, sed in urbe hostibus obnoxia se tutum haud judicans, secundo Rheno Coloniam navigio descendit, et in Drotmanni vico apud Westfalos, ut poterat, non ut dignitas postulabat, paschalia festa peragit. Witikindus ait, Aquis agere maluisse, sed nihil paratum invenisse. Mox inde, coad-

A. 953. unata fidelium manu, Coloniam rediit, ibique Adalberonem Metensem episcopum (in quo Ludolfus et Conradus spem non exiguam repositam habuerant) et pleroque alios Lothariensium proceres obsequio paratos invenit. Raginarium aliosque Conrado adversos nuperque ab eo afflictos non postremos affuisse, putandum est.

4. Inde in Saxoniam properans, matris officiis et amicorum fidelium studiis recreatus, irrita declarat, quae Moguntiae extorta erant. Unde intelligas, conciliatore Friderico promisisse filio genereque, quae non ex dignitate erant; ut e manibus eorum elaberetur. Insidias enim in se paratas comperisse, refert Ditmarus, Hugonem pro Cunone seu Conrado (suo, an librarii lapsu?) nominans. Idem addit, regem Ludolfo Conradoque denuntiari curasse, ut vel impulsores sceleris dederent, vel se hostes judicandos scirent, quod ex procerum coadunatorum sententia factum intelligo. Fridericus archiepiscopus intercessit, pactorumque admonuit, sed ex eo regi iterum suspectus, proceribus palatinis odio contemtuique haberi coepit.

5. Hoc tempore *Quidelingaburgi Kal. Maji anno regni 17, ind. 6.* [imo *11.*] *interventu Brunonis dilectissimi germani et Balderici venerabilis episcopi*, quasdam res juris sui ad ecclesiam S. Martini, quae est constructa in loco Trecht (Trajecti) in proprium dedit, speciatim quicquid in villa Amuda habebat. *Brun cancellarius ad vicem Roberti archicapellani recognovi;* Roberti scilicet archiepiscopi Trevirensis, quod in Lothariensi regno locus situs esset. Praeceptum apud Hedam in Trajectinis extat. Ex hoc loco (si recte se habent dati praecepti notae, uti certe rebus consentiunt), quemadmodum et ex praecedentibus tabulis Francofurti datis, apparet, Brunonem nondum archicapellani munus obisse, et proinde locum non habere Mabilionis sententiam, qui ante archiepiscopatum archicapellani munus jam superiore anno obisse putavit: ergo aut quorundam illic relatorum diplomatum, aut hujus notis chronicis menda inesse oportet.

6. Rex pro sua prudentia et gravitate non aliud remedium malo efficacius judicans, comitia rei publicae apud Fritislariam indicit. Eo Henricus dux magno cum comitatu venit, affuit et Fridericus archiepiscopus aliique multi proceres ex toto regno, sed Ludolfus et Conradus defuere. Ergo Henricus, ut erat acer animi, iras in archiepiscopum vertit, hunc inde a Salfeldensi convivio incentorem mali, fautorem hostium publicorum vocat; proditionem publice objicit; commotis omnium animis, Fridericus negat, se in prave actorum conscientiam venisse; sibi unum pacis studium objici posse, in quo si modum excesserit, ignoscendum id tantum agenti, ne parricidialibus armis pater et filius colliderentur. Decretum est, ut Ludolfus et Conradus hostes rei publicae haberentur, nisi regi parerent. Rex ipse commotior Wilhelmum et Dedonem eminentissimos viros, et sibi quondam caros, et in Biertanico praelio spectatos, Thuringos genere, praefectoriae potestatis, ut ait Witikindus, id est primarios comites, captos in exilium mittit. Et tunc pulcra Henrico occasio data est sese de Dedone vindicandi, a quo rebellis olim regi graviter laesus fuerat, quemadmodum Witikindus notavit. Fridericus, ut ad ex-

trema descendi vidit, infestis armatisque se ultra credere non ausus, in A. 953.
Brisaco castro abditur, quod Eberhardi filius Conradus habebat. Moguntia, haud scio an ipso machinante, Ludolfo et Conrado se tradit.

7. Dum conventus agitur in Francia, Conradus Lotharienses aut sibi adjungere aut subjicere molitur. Sed domino adversum pristina autoritas destituebat, nec gratia valebat apud populos, quibus haud volentibus neque satis moderate imperitabat. Itaque et Adelbero episcopus et Raginerus Hainonensium comes aperte obsistunt. Raginerus etiam munitionem quandam prope Mosam obsidet, cui Conradus praesidium imposuerat: duce suis subsidio veniente, res ad praelium deducta èst haud procul Mosa, ubi infestis animis concursum est, multis utrinque occisis, amisso etiam Conrado Everhardi filio. Dux amici caede efferatus, incredibilia fortitudinis documenta dedit, multis hostium sua manu interfectis. Postremo tamen, ut causa, ita fortuna inferior fuit, seque ex fuga Moguntiam recepit, quo etiam Ludolfus venit.

8. Proxime ante urbis obsidionem factum arbitror, quod Witikindus narrat, neque enim aut obsessa urbe, aut postea fieri hoc anno potuit, nec in sequentem differri debet. Herimannus scilicet nunc factus dux Saxoniam procurabat, ejus studio Thiadericus, qui postea marchionis et ducis honorem obtinuit, juniorque Wigmannus regi copias adducentes Moguntiam obsessuro, a Ludolfo et Conrado circumfusi in castellum quoddam compelluntur, et post tridui oppugnationem in Saxoniam redire coguntur; Thiadericus magnis promissis a Ludolfo nequicquam tentatur; Wigmannus, Wigmanni nuper defuncti filius, facilius aures praebuit, quod patruo Herimanno duci regis favore florenti suboffensus esset, de quo postea amplius dicemus. Theodericus a Ditmaro haec ipsa, sed paulo aliter, narrante jam tum dux appellatur per anticipationem. Nam et Witikindus in fine operis epistolam Ottonis M. ex Calabria affert ad Herimannum et Thiadericum duces. Nempe septentrionalem marchiam contra Slavos tuebatur. Itaque ab eodem Ditmaro plerumque marchio Thiadericus appellatur; sed iterum tamen dux. Tunc enim marchionis et ducis pene eadem officia erant, et magnitudine fere distinguebantur.

9. At rex interea Saxonia Herimanno duci commendata, collecto exercitu ex Saxonibus, Bajoaris et fidelibus Francis circa Kalendas Julii suos eduxit, et plerisque locis receptis, rebelles Moguntiae cum ingenti praesidio inclusos et rerum copia abundantes, gravi et diuturna obsidione cingit: tunc et Henricus cum copiis in castra venit. Bello plus quam civili filius cum patre confligit, socer cum genero: urbs fortiter oppugnatur, nec minus animose defenditur, machinae muris admotae ab urbanis evertuntur aut incenduntur. Cum integro bimestri rex assedisset, sermo de pace injicitur, Ludolfus et Conradus se ad purgandum crimen venturos promittunt, si obsides salutis dentur. Ecbertus consobrinus regis cum aliis in urbem mittitur. Illi egressi ad regis genua procidunt, non tam pro se quam amicis deprecantur, omnia se ferre ac facere paratos ostendunt, si modo illis venia daretur. At rex contrario studio ipsis ignoscere (quid enim in filium durius statueret?), impulsorum nomina

A. 953. exigere; nam e re publica esse, ne mali autores impunitate ipsa in scelera paria armarentur. At juvenes juramentis constricti fidem a se falli posse negabant, haud cogitantes infidam esse, qua major fides violaretur.

11. Magna in castris urbeque laetitia erat, quod eam diem belli ultimam fore non dubitaretur, sed secus accidit. Henricus in Ludolfum praesentem coram rege et proceribus acerbe invectus: *Quid te*, inquit, *contra dominum et regem tuum meumque jactas. Cum me culpes*, me ut *tuae rebellionis obtentum sumas, cur non vim in me convertis*, si quid *potes audesque.* Simul festucam de terra attollens, *nec tantulum*, inquit, *mihi auferre potes.* Videbatur hac provocatione jus armorum in se dedisse, cum et rex ipse nihil obmoveret. Itaque juvenis tacitus certusque vindictae, condita indignatione cum suis discedit. Obsides remittuntur; sed Ecbertus, non qualis venerat, rediit. Cum enim dudum infensus esset regi, a quo correptus fuerat, cum inconsulto certamine oculum perdidisset, facile blandis verbis persuasus, vanaque spe lactatus defecit, seque similia meditanti Wigmanno conjunxit.

11. Proxima nocte Bajoarii pene omnes, qui aderant, Henricum deserunt, Ludolfo sese adjungunt: erat enim severius Henrici imperium Ludolfus natura factus ad humanitatem; et hesternam Henrici orationem plerique improbabant, qua pacis tractatio abrupta videbatur. Nec dissimulat scriptor gravis, qui tunc vixit, Rotgerus in Vita Brunonis ex ipsis Ottonis hostibus neminem in regem dixisse inclementius; *sed in Henricum* fratrem ejus, Bauwariorum ducem et marchionem inclytum, barbaris et omnibus vicinis gentibus ipsisque Graecis formidabilem (*sic* loquitur) omnem culpam retorsisse. Sororii, relicto Moguntiae praesidio, in diversa discedunt. Ludolfus provocationi pariturus Bajoarios petit, Conradus in Lotharienses redit et Metensem civitatem stratagemate invadit: apparet habuisse in urbe homines factionis suae, quibus irrita Moguntiae obsidio animos dabat. Tandem precibus Agenoldi abbatis motus, urbe, sed exhausta, excessit.

12. At turbo cum Ludolfo in Bajoariam translatus quietam regionem subita tempestate involvit. Ratisbonae portas Arnolfus Arnolfi ducis filius venienti aperuerat, animum sororio Henrico inimicum gerens ducatum habenti, quem sibi (aut fratri certe majori Eberhardo) deberi paterno jure judicabat, ut Witikindus notat: atque is sane succedendi mos tunc etiam in ducatibus invalescebat, sed in legem non ierat. Ex Vita Udalrici constat, Henricum discedentem Arnulfo, quem amicum *putabat, provinciam* commisisse; ille vero occultis internuntiis cum Ludolfo conspirabat. Caeteros quoque fratres participes consiliorum fuisse, *Witikindus* notat. Itaque Juditha soror eorum cum liberis tota regione exturbatur, thesauri Henrici diripiuntur et inter milites distribuuntur. Otto nuntio *insperato* perculsus, obsidionem Moguntiae solvit, et fratris necessitates suas judicans, cum minore exercitus parte in Bavariam contendit, caeteris diutino labore fatigatis missionem petitam concedit. *Plurimis deficientibus*, paucos cum rege mansisse, ait Witikindus, atque in his laudat quendam Adelbertum. Sane cujusdam Adelberti comitis mortem ad a. *D.* 963.

ıemorant fasti nostri, sed hunc alium, de quo nunc agimus, esse oportet, **A. 953.**
uem et anno sequente cecidisse mox dicemus. Hostes se intra moenia enuere, regii regionem vastabant. Pontifices Bavariae ambigebant, Heoldum Salisburgensem tunc odium Henrici incurrisse suspicor. Rex cum ntegris tribus mensibus in illa regione haesisset, circa Kalendas Januarii nfecto negotio in Saxoniam redire coactus est. Ita Witikindus; Reginoıis continuator jam natalitia Domini festa in Saxonia celebrasse scripsit. ;i tabulis credimus, quas in Anhaltinis attingit Becmannus, jam Idibus)ecembris hujus anni res quasdam suae proprietatis in pago Suava sitas ;eroni marchioni dedit, credo, ob nova bene merita in hoc bello. Amisit n hac expeditione duos primarios viros et potestate claros Imadum et Meinwercum, quorum uterque ictu sagittae periit, ille in obsidione Moguntiae, hic in Bajoarico bello. Credendum est, ex fratre reginae Matildis (Theoderico, an Imado?) natos; quod Witikindus tanquam notissimum explicare neglexit.

13. Gallia hoc anno, quasi alternantibus populis, dum turbatur Germania, quietior fuit. Hugo serio de quiete publica cogitare visus est; legatis firmae pacis constituendae causa ad regem Ludovicum missis, quibus reginae colloquium expetebat. Gerberga ei collocuta et muneribus culta, ubi Remos rediit, primum a rege impetratum est, ut fortalitium novum Victoriaco oppositum dejiceretur, deinde caeteris componendis rebus dicta est in quadragesimam apud Suessiones dies. Ibi pax coisse videtur. Regina Lauduni geminos enixa est. Dicti sunt Carolus et Henricus; sed Henricus mox post baptismum defunctus est. Artaldus Rageналdo comiti hactenus amico ob res ecclesiae occupatas offensus, synodum apud S. Theodericum in territorio Remensi celebrat, ibi ne Ragenaldus excommunicaretur, regis intercessione impetratum; episcopis satisfecisse crediderim.

14. Luidgarda Ottonis filia, Conradi conjux, circa exitum anni vita decessit. Ditmarus ait, a marito despectam, et laboribus crebris fatigatam, virili patientia honorem innatum servasse. Sed vereor, ne totum hoc ex errore natum sit, dum ei tribuit, quod de quadam nepte regis a comite Conrado infamata narravimus ex continuatore Reginonis ad a. D. 950. Si quid a viro passa est, nunc demum factum putem, ubi a socero defecit, cui antea in paucis gratiosus fuit. Moguntiae in aede S. Albani tumulata est, ibique in ejus memoriam fusum ipsius argenteum esse suspensum, idem Ditmarus refert.

15. Paulo ante obiit Wigfridus Coloniae Agrippinae archiepiscopus, ob fidem in regem laudatus Rotgero, caeterum viribus aetate morboque fractis, dudum languens. Convenientibus provinciae episcopis, magno ipsorum consensu clerique et populi in Brunonem regis fratrem oculi conjecti sunt. In communi omnium voto Godefridi episcopi maxime studium enituisse, scribit Rotgerus, sed sedem ejus non habet. Nec video, cui suffraganearum ecclesiarum tribui possit. Itaque facile chorepiscopus fuerit. Id unum verebantur, ne dignitatem hanc regius juvenis infra se haberet, aut laboriosiorem judicaret. Sed illi par magnitudini animi

A. 953. modestia et industria erat. Delecti sunt quatuor viri ex clero, totidem ex laicis, omnes apprime eruditi, qui sententiam Coloniensis provinciae ad palatium deferrent. Bruno non abnuit, et res peropportuna Ottoni visa est, ut fidissimo amicorum in tanta dignitate collocato, regnum Lothariense per eum in potestate haberet. Nam Conrado hosti judicato abrogatus erat ducatus. Et constabat, seditiosos spem habuisse Coloniae potiundi, quae non melius praecidi poterat. Brunonem discessurum rex fraterno amore complexus, ostendit, uni se maxime credere tam periculoso tempore, unius fide et sententia plurimum niti. Nec mora. Regni Lothariensis administrationem tribuit, et ut ipsa verba Rotgeri proferam, *occidenti tutorem et provisorem, et ut ita dicam, archiducem misit*, quo vocabulo antea ignoto in ejus causa exemplo Rotgeri quidam veteres usi sunt, ut ex Alberico et magno chronico Belgico monachi Nuissiensis apparet. Witikindus ait: *Hunc summi pontificis ac ducis magni vidimus officium gerentem.* Ditmarus vocat 15 comitatuum comitem. Certe dum vixit, rex Lothariensi itinere supersedit, tanquam illic alterum se nosset. Itaque constitutis inter se rebus divisi, rex orientem, frater occidentem sibi sumsit atque ex eo etiam res Gallicas curavit.

16. Antequam Coloniae ordinationem susciperet, ad Aquas Grani proceres regni Lothariensis accitos allocutus, cuncta composuit. Inde magno bonorum plausu in metropolitana sede susceptus, publicae exspectationi abunde satisfecit. Hadumarum Fuldensem abbatem pallii petendi causa cum synodica epistola Romam ad Agapetum misit, quem Rotgerus mirae sanctitatis virum appellat. Roma nihil Brunoni negavit, sponte etiam plus, quam petebat, dedit. Dictus est consors apostolorum, alter S. Petri vicarius. Legatus, non tantum sacrum habitum, sed et singulare privilegium, quoties vellet, utendi retulit, nam intra festos dies majores in aliis usus pallii coercebatur. Addit Agapetus S. Pantaleonis martyris reliquias, quae struendi novi monasterii causam praebuere. Susceptae sunt occursu laetae civitatis, collocataeque in suburbio prope antiquum locum, ubi ecclesia ejusdem martyris stabat neglecta et ruinae proxima. Eam amplificavit archiepiscopus, locum secretiorem et ab urbano tumultu remotiorem amavit, et fratribus ibi collocatis, Christianum abbatem primum praefecit.

17. Caeterum quod rem publicam non minus, quam res sacras administraret, et ut sic dicam, regali sacerdotio uteretur, a multis reprehensum, ipse Rotgerus agnoscit; magis odio causae quam rei. *Constat enim*, Henrici spiritus et acerbitatem multos regi hostes, filio fautores parasse; ab his Bruno culpabatur, propagataque est censura in posteritatem. Resque ita accepta est, tanquam ille primus licentiae pastorali portam aperuisset, secularia tractandi. Itaque Eppo de Repkau Saxonici juris vetus compilator scripsit in chronico vernaculo: tum primum episcopos jurisdictionem secularem acquisisse, quod multis visum fuerit iniquum, idque aliqui chronicatores deinde exscripsere. Accessit, quod rem ipsi Colonienses postea ita interpretati sunt, tanquam ducatus fuisset donatus non personae Brunonis, sed ecclesiae. Ita monachus Nussiensis autor magni

hronici Belgici accepit. Et vere facile crediderim, autoritate tanti viri A. 953. actum, ut ditio archiepiscopalis ab omni comitum vel ducum potestate iberaretur. Sed constat, id jam dudum eo tempore multis abbatiis indulum fuisse. Et episcopus Wirciburgensis ab antiquo jura ducis habuisse creditus est in tota sua dioecesi; quod rarum erat, sed ibi facilius fuit ob situm, locum vero habere non poterat in plerisque aliis episcopatibus, ubi dioeceses multos pagos et comitatus complectebantur in ducatibus constabilitis. Itaque Adalbertus Bremensis archiepiscopus sub Henrico IV. aulae potens frustra affectavit, ut ducibus exclusis omnes comites Bremensis dioecesis ipsius vasalli essent, nam paulatim res eo devenerat, ut comites fierent beneficiarii suorum ducum. Sed ille ne id quidem obtinere potuit, quod minus erat, et Colonia aliique habebant, ut ipsae episcopi ditiones omnes exemtae, solique imperio supremi principis obnoxiae essent.

18. Episcopi et abbates initio gaudebant acquisisse praedia, villas pagosque seu tractus, salva rei publicae, id est comitum seu rectorum localium, potestate, nec ipsa Romana ecclesia sub Pipino aliud quam praedia seu patrimonia habuit. Is primus liberalitatis gradus fuit. Sed jam sub Carolingis non raro novis donationibus additum est, ut omnis potestas judiciaria excluderetur, translataque in ecclesiam per ejus advocatum exerceretur. Is fuit gradus alter. Dedere mox operam, ut etiam veteres donationes judicum regiorum potestate liberarentur, atque ita jura comitatus in suis terris obtinuere. Hinc irae comitum et missorum regiorum vel ducum, qui fisco sua jura subtrahi querebantur, suam ipsi potestatem minui aegre ferentes; unde Hattonem Moguntinum et Salomonem Constantiensem cum principibus Franciae et Allemanniae collisum notavimus ex Ekkihardo Sangallensi. Is ergo tertius erat gradus. Sed hic res non stetit; cum enim episcopi Carolinis temporibus inter missos regios essent, quibus quaedam potestas ad tempus et quasi visitatio comitatuum commissa erat, sed quae paulatim ad vitam credita est, illis praesertim, qui exercitus ducebant, et in limine contra barbaros excubabant; et ex his duces tandem renati essent, qui sub rege autoritatem in comites integrae gentis aut regni haberent; episcopi alicubi coepere etiam ultra suas proprias ditiones porrigere autoritatem in vicinos comitatus, et dioecesanae extensioni aequare praefectoriam, quod fortasse primus Wirziburgensis obtinuit, quia Francia orientalis duces non haberet. Alii etsi hoc in tota dioecesi sua efficere non possent, in parte sunt assecuti, ut vicinos comites aut dynastas sibi vasallos facerent, quod duces quasi suo quodam jure per suas provincias in minores dominos nacti erant. Eum dixerim quartum secularis in ecclesiasticis potentiae gradum, tum maxime auctae, cum nominationis jus regibus extortum est per Hildebrandinos dictatus. Sed quinto tandem ex ducibus et comitibus episcopi et abbates propemodum reges vel reguli facti sunt, quando, collabente imperatorum autoritate, ipsi duces et comites eo potestatis exurrexere, ut beneficiarias ab imperio ditiones perinde ut patrimoniales habere, et inconsulto summo principe inter liberos dividere auderent: nam eorum exemplo etiam epi-

A. 953. scopi et abbates tandem nacti sunt jus regio aemulum, quod vulgo superioritatem territorialem, et in majoribus principibus suprematum quidam dixere, cui jus belli, pacis, foederum, legatorum adhaeret, sed ita tamen circumscriptum legibus, ne quid inde detrimenti capere res publica imperii nostri possit.

19. Caeterum ex his intelligas, nihil hic admissum, quod in Brunone magis quam aliis reprehendas; si vir summus ecclesiae suae ditionibus pleniorem ab aliis judicibus regiis libertatem, novas ditiones, nova jura acquisivit, obtinuit a regibus, quod tunc in parte pietatis ponebatur. Sed quod administrationem regni Lothariensis accepit, adeo non culpaverim, ut Ottonis magis prudentiam laudem, nec videam, quid opportunius facere potuerit in ea perturbatione rerum, quam ut virum magnum, in primaria regni dignitate constitutum, spectatae fidei et prudentiae, sanguine denique sibi proximum, inspectorem comitibus regni Lothariensis daret. Nec quicquam in ea re novi aut pravi video: quid enim aequius, quam sapientibus et literatis (qui tunc uni sacerdotes) justitiae administrandae curam committi? Episcopos rem publicam saepe sub regibus Merovingiis administrasse, constat. Qui mos si retentus fuisset, et majores domus vel alii duces exercituum, contenti armis, a civili regimine exclusi mansissent, nunquam sceptra in aliam familiam, priore stante, transissent. Sub Carolo Magno quis nescit, missos dominicos, quibus invisendarum provinciarum cura incumbebat, ex episcopis non minus quam comitibus sumtos? Nec aliud Bruno erat, quam missus in Lotharingiam regius cum plenissima potestate, quae deceret fratrem regis: neque aliter postea, absente in Italia Ottone Magno, filius Wilhelmus Moguntinus praesul, secundi Ottonis pueritiam regens, Germaniae res administrabat; quin et foeminae Mathildae abbatissae Quedlinburgensi, amitae suae, Otto III. summam rerum in Italiam profectus commiserat; quod memoriae prodidit *Ditmarus*. At exercitum, inquies, duxit Bruno? Quasi id tunc novum fuerit. Saepe magna pars exercituum regiorum ex copiis constabat, quas episcopi adduxerant. Unde et effusioni sanguinis positum modum pacisque tractationes promotas, notavimus. Nihil frequentius erat, quam episcopos in barbaros et paganos armari. Ita Luitbertus Moguntinus de Normannis triumphavit, quibus successor Sunderoldus succubuit. Caeterum iniquo admodum bonus Schatenius, affectibus suis serviens, unis protestantibus ascribit, quod in Brunonem durius tot alii dixere ante protestantes nates. Quidam recentiores Brunonem archiducis nomine insolenter usum scripsere, haud animadvertentes, eam vulgi aut scriptorum vocem fuisse, quae uti Brunoni ipsi nunquam in mentem venit.

20. Bruno adolescens praeceptorem habuerat Ratherium, quem Veronae episcopatu depulsum in monasterium Laubiense *redisse* diximus ad a. D. 946. Inde ob famam doctrinae in aulam ascitus est, ut summo Brunonis, jam diaconi, abbatis, cancellarii, ingenio obstetricaretur. *Ibi* habitus est inter philosophos palatinos primus, ut ait Folcuinus ejus temporis scriptor in Laubiensium gestis. Bruno gratus in magistrum, *extincto* Faraberto, Leodiensi episcopo, 5. Kal. Sept., magno studio effecit, ut Rathe

ius succederet, et ipse jam archiepiscopus eum ordinavit. Veronae illi A. 953.
ppositus erat Milo, quem apparet Milonis viri in ea regione potentis, sub Berengario majore et proximis regibus memorati, filium fuisse, et Henricum ducem, in cujus ditione erat Verona, amicitiam hujus factionis uri Ratherii praetulisse, quem sola virtus et doctrina commendabat. Sed nec Leodii diu sedit, fatali quadam aversione ipsius cleri, qui severos viri haud ultra verba potentis mores non ferebat: nec rerum dominis in ipsius gratiam illustres familias offendere placebat, quibus se clerus applicabat, ut ab homine odioso et censore acri liberaretur. Bruno postea effecit, ut Veronae redderetur, sed ne tunc quidem duravit, tandemque se in monasterium Laubiense senex recepit. De quo infra.

21. Itaque pro Ratherio Leodiensem sedem postea obtinuit Baldericus, Ragenarii comitis Montensis ex fratre nepos. Etsi enim hoc Ragenario Balderici avunculo annitente factum scribat Albericus ad a. D. 956, constat tamen, Gallicissantibus avunculum saepe pro patruo poni; et consentiunt plerique hujus stirpis fuisse. Jam a. D. 956 Leodii sedisse, discimus ex Vita S. Huberti, ubi scribitur, Baldericum episcopum cum Ragenario principe et Giselberto comite Lossensi apud Brunonem egisse, quando comes Stephanus donationem contulit in ecclesiam S. Huberti in saltu Arduennae. Obiisse scribitur a. D. 959. Butkenius fratrem Giselberti Lothariensium ducis saepe nobis memorati facit Raginarium principem, episcopi ex fratre nepotem. Quod contra esse, ex Alberico colligas. Raginarium, qui nunc floruit (postea a Brunone in vincula conjectus deportatusque), Giselberti fratre genitum fuisse, Butkenius statuit, qui nobis Ragenarios multiplicat, secutus, ut videtur, autoritatem Witikindi (qui, ubi de morte Giselberti, nepotes memorat) et Sigeberti, qui ad a. D. 959. Ragenarium hunc Giselberti non fratrem, sed consanguineum vocat.

22. Confictorum diplomatum dudum reus peractus est Franciscus Roscrius, neque ejus nugas attingerem, nisi animadvertissem, Martinum Magerum jurisconsultum doctum in Advocatiae armatae opere tale documentum pro genuino adduxisse, non nominato autore, quod ex hac officina esse, statim conjeci; et Joh. Conradum Dietericum in rebus Ottonis Magni eo usum, ut ostenderet, Ottonem ante Romanam coronationem imperatorem appellatum. Id ergo critices gratia et in specimen examinabimus, nam si genuinum esset, ad hujus anni exitum pertineret, neque enim Fridericus et Bruno, nisi hoc anno quarto Kal. Januar. simul archiepiscopi fuere. *Otto d. f. cl. Romanorum rex et imperator* (insolitum)... *cognoscat* (inquit) *omnium fidelium nostrorum conventus, qualiter nos... adeuntes Maguntiensis episcopus Fridericus et frater noster Henricus simulque Hermannus* (an dux Saxoniae?)... *deprecati sunt, ut ecclesiae S. Petri Trevirensis ac fideli nostro Roberto ejusdem sedis archiepiscopo... restitueremus abbatiam S. Servatii... quam... abstuleramus... Restituimus... ex toto innovantes autoritatem praedecessorum regum nostrorum, videlicet Arnulfi, Zuentebuldi, Ludovici et Caroli... praedictarum ecclesiarum constituimus rectorem, advocatum et protectorem* (insolitum) *illustrem ducem dominum Rigimirum* (ignotum nomen, nominandus esset Raginerius), *bonae gravitatis ac virtutis virum*

A. 953. (nugae), *Lotharingiae Mosellanicae* (inusitatum eo tempore) *Hasbaniaeque ducem, filium magni Ragneri, filii Sadigeri justi* (nugae), *filii Ferrici ex sacra stirpe B. Arnulfi praesulis, regioque sanguine nati a Trojanorum reliquiis magnique Dardani Ilii regis* (plus quam nugae) *descendentis*... *Manu propria cum duce Rigimiro seu Ricuino ac Brunone Coloniensi praesule* (quasi hic postponendus illis) *subterfirmavimus, ac annulorum nostrorum impressionibus* (quas tunc reges nostri in eo socios admiserint) *roboravimus. Datum 4. Kal. Januar. a. d. inc. 946.* (male), *actum feliciter in Dei nomine in Calahen* (nihil hoc) *ind. 2, regni imperiique nostri 9.* (inepte, non idem utriusque annus). *Otto rex atque imperator. Regimirus dux Lotharingiae Mosellanicae. Bruno Coloniensis archiepiscopus* (hic scilicet, qui omnibus Lothariensibus praeerat, duci partis, qui tunc nullus, cessisset). Haec pagina tribus sigillis roborata est, uno aureo et duobus aeneis. Primo invictissimi caesaris Ottonis, in quo est insculptum scutum roboratum aquila bicipite (si dis placet), in pectore gestante scutum fasciis plenum, cum triangula flosculis ornata; secundo Rigimiri, tertio Brunonis, in quo est imago episcopi sedentis in cathedra. Haec pleraque Ottonianis temporibus convenire non possunt.

ANNO CHRISTI 954.

Ecberti et Wigmanni turbae. — Bellum in Suevia contra Udalricum ex Kyburgensibus episcopum Augustanum. Ejus familia et Marthalensis. — Hungari cientur a rebellibus, inter eos est archiepiscopus Salisburgensis. — Quid tunc actum apud Sangallenses. — Rex in Saxonia Magdeburgensibus quaedam donat. — Hungari ad Rhenum et Mosam. — In Brabantiam, Campaniam et Burgundiam. Per Italiam domum redeunt. — Hungari in Burgundiam et Provinciam. — Colloquium ad Tussam prope Ulmam. — Ludolfus pertinax. Conradus reconciliatur. — Obsidetur Ratisbonae. — Arnulfus comes palatinus cadit. Urbs deditur. Ludolfus discedit. — Patri apud Salfeldam supplex recipitur. Burcardus fit dux Sueviae. Ejus uxor. — Friderici archiepiscopi Moguntini obitus. Quaedam de ipso. — Comitia Arenstadensia. Wilhelmus filius regis fit archiepiscopus Moguntinus. — An is auter libri historici. — Episcopi Hildeshemenses. Abbates Magdeburgenses. — Stemma comitum Kyburgensium, ex quibus Udalricus episcopus. — Ludovici regis Galliae mors. — Epitaphium. — Fata et liberi. — Filiae ipsius. Item Gerbergae uxoris: an una Lugdunum regi Burgundiae in dotem attulerit? Comites de Raucy. — Hugo Magnus filio Ludovici Lothario adjutor ad regnum. — An Bruno Hugoni vel Conrado regnum procurare voluerit. — Lotharius coronatur. Ejus archicapellanus. — Quaedam coronationem consecuta. — Berengarius Italis gravis. Synodus Ravennae. — Adalbertus ejus filius Ravennae. Veneti ab eo offensi. Comaclum diripiunt. — Albericus Romae princeps obit. Stemma paparum ex ejus familia et connexio cum Estensibus.

A. 954. 1. Rege in Saxoniam reverso, causam dixere juvenes Ecbertus et Wigmannus, qui per absentiam ejus provinciam turbaverant, a Ludolfi factione corrupti. Wigmannus coeperat patruum Herimannum arguere, paternae haereditatis praedonem dicere. Jungitur Wigmanno Ecbertus, paribusque in propinquum ducem studiis insurgunt. Dux id egerat, ut juvenum furorem moderatione sua frangeret, ne quis absente rege tam periculoso tempore tumultus oriretur; nunc apud regem rationem gestorum reddit. Nemo erat, qui non ducis acta probaret, et juvenes castigan-

os diceret. Itaque Wigmannus intra palatium custoditur; cum non resi- A. 954.
isceret, Iboni comiti traditur, ne quid, rege Bajoariam repetente, turbaret; nox venationis specie in sylvam abditus elabitur in Saxoniam, et cum Ecberto occupatis aliquot urbibus arma sumit. Sed impares Herimanno, pulsique trans Albim ad Slavos confugiunt atque inde turbas cient, quae anno sequente erupere.

2. Ottone rebus infectis a Ratisbonae obsidione recedente, hostes exultantes in regiarum partium proceres per Bajoariam et Allemanniam debacchabantur. Rebellionis capita post Ludolfum erant filii Arnulfi ducis, sororii Henrici, sed eo capitaliores hostes, quod sororis matrimonio ducatum ipsis praeripuisse videretur. In tota Suevia pene soli in regis fide perstiterant Udalricus episcopus Augustanus cum fratre Theobaldo comite Kiburgensi (ut postea appellati sunt, qui ejus generis fuere) et Adelbertus comes, quem Marthalensem appellat Hermannus Contractus. Udalricus urbi Augustanae et militibus beneficiariis haud fisus, in arcem Mechinganam se recipit, eamque munit. Urbem Augustanam occupatam a rebellibus et spoliatam habent annales urbici, sed rem non recte in annum praecedentem referunt. Episcopus interea tempus tractationibus extrahit, dat obsides recipitque; postremo, ubi fidere loco posse visus est, negat sacramenta a se regi data violari posse, pecuniam tamen obtulerat frustra, ut suas res a vastatione redimeret. Arnulfus Bajoarius aut pellendum aut summittendum judicans, media hyeme ipsa dominica quinquagesimae arcem obsidet. Rebus in arcto positis, Theobaldus et Adalbertus, collectis ad obsidionem solvendam copiis, inopinanti superveniunt; initio quadragesimae die lunae committitur praelium acre; regii victoria potiuntur, Hermannus Arnulfi frater vivus capitur, Arnulfus ipse fuga cum paucis evadit. Sed Adalbertus ab Egilolfo quodam fugiente levi, ut videbatur, vulnere in brachio perstrictus, inde decedit. Egilolfum e vestigio Luitbertus Adalberti vasallus domino immolavit. Marthalam suspicor Mertolam esse, Bertoldi et Henrici marchionum sedem, qui vulgo Suinfordenses appellantur. Sane patrem huic Adalberto Bertoldum tribuit hoc loco Hepidannus. Adelbertus filios habuit marchiones Luitbaldum Austriae (unde veteres Austriae marchiones ducesque), Bertoldum Nordgoiae; illum Hungaris, hunc Bohemis oppostum. Bertoldum Arnoldus ex comitibus Vohburgensibus S. Emmerani monachus marchicomitem vocat, et in aula gratiosum fuisse scribit, Ottoni (mox) Ratisbonam obsidenti affuisse, et consilio ejus Wolfgangum Ratisbonensi ecclesiae praefectum. Et Henricum marchionem hujus secundi Bertoldi filium ex majoribus ortum regibus semper fidis, scribit Ditmarus, sed qui Henrico II. adversatus est. Kiburgensium stemma ex vetere codice mox subjiciemus.

3. Ea victoria regiorum partes recreatae sunt; perduelles jam dudum rebus suis diffisi, consilio ex desperatione sumto, ad Hungaros accersendos convertuntur. Conrado id tribuitur passim, quem ex Lothariensi regno reducem, appetente vere, ad Ludolfum accessisse apparet. Herolfus etiam archiepiscopus Salisburgensis odio Henrici pecunia barbaros solicitasse videtur. Nam postea in concilio Ravennate a. D. 967.

A. 954. accusatus scribitur, ecclesias Dei spoliasse, thesauros in paganos erogasse, seque iis junxisse in christianorum necem et depraedationem, denique contra imperatorem dominum suum perfide rebellasse.

4. Ludolfus interea apud Allemannos in ducatu suo vires contrahebat, et renitentes opprimebat. Cum ad monasterium S. Galli appropinquaret, Cralo abbas cum nonnullis fratribus aufugit, sumto sacrarii thesauro, quem furto amisit. Itaque cum ad Ottonem accessisset, non pro expectatione acceptus est, Udalrici tamen episcopi olim condiscipuli favore sustentatus. Ludolfus interea ipsius Cralonis fratrem Annonem abbatiae praeficit, magnae industriae virum, qui intra praefecturae spatium, id est anno uno et mensibus duobus, admiranda celeritate vallum et fossas cum tredecim turribus monasterio circumdedit. Ipso extincto, Cralo tandem restitutus est, sed adversario ejus Enzelino (quem obstinatus recipere nolebat) Fabariensis abbatia conceditur a rege Sangallensibus subtracta, quibus ab aliquot annis subjecta fuerat. Erant tunc insignes in monasterio viri Ekkehardus medicus; Notkerus ob severitatem Piperisgranum cognominatus, idem doctor, pictor, medicus; Geraldus scholarum magister; Burcardus postea abbas; hi omnes nobiles ortu, Burcardus etiam regi propinquus. Haec Mabilio ex Ekkihardo juniore aliisque rerum Sangallensium scriptoribus.

5. Otto in Saxonia hyemis majorem partem consumsit, et huc, si annum regni sequimur (nam indictio abest cum mense), tabulas refero Quidilingaburgi datas relatasque in Magdeburgensi nostro cartulario, ubi *rex pro remedio animae suae et Adelheidae praedia, quae Billingus ipsius miles permutatione facta in patria Slavorum et in Thuringia tradiderat, transfert in monasterium Magdeburgense, sita nempe in locis Hildeshusa cum marca Helisunga, Heristi, Dasingarod, Gelethi, Willienhusa, Agesthorp, Gutingi, cum omnibus ad eandem proprietatem pertinentibus. A. D. 953.* (954.), *anno regni 18. Actum in Kidilingaburg.*

6. Rex deinde reparatis viribus, contracto exercitu, appetente quadragesima in Bajoariam contendit. Accelerare jussit fama adventantium Hungarorum, quibus in aditu Germaniae occurrere sperabat. Sed illi praeverterant, versique ad laevam, duce Conrado ipso, per vastatam Franciam tandem in Lotharienses penetrant. Conradum quaedam ulciscendi rabies in extrema consilia adegit. Ernesti inter Francos clari familia millenorum et amplius hominum in captivitatem rapta est; credo, lytra expressa, neque enim discurrentium erat captivis onerari. Barbaris dominica palmarum Wormatiae in praediis Conradi publice ministratum stipendiaque numerata. Inde Rheno transmisso, Treviros pervadunt, trajectaque Mosella usque ad Mosam progressi, Ragenarii ditiones vastant. *Scribit* Reginonis continuator, Brunonem ipsum archiepiscopum, contractis raptim copiis, in pago Belensi ad villam Rimilingam sese Conrado *objecisse*, cumque res ad praelium spectaret, Deo volente, nihil actum. Hostes alio versos, puto, qui praedam quam certamen malebant. Cum usque ad Trajectum Mosae venissent, Conradus ab illis discessit, suas res curaturus.

7. Hungari non eo secius Hasbaniam vastant, quae nunc pars Leodiensis tractus Brabantiaeque est. Inde versus Carbonariam sylvam progressi,

ad Laubias veniunt, monasterium Sambrae assitum, ubi ducentos solidos paciscuntur, obsidibus vicissim datis. Sed abrupta est tractatio, Laubienses montem monasterio incumbentem plaustrorum ac sepium impedimentis muniunt, jamque octavarum paschalium celebritas complebatur, cum prima luce apparuit densa velut nubes equorum equitumque galeatorum: monachi in montem confugiunt, tardiores caeduntur: munitio oppugnatur, jamque Hungari irrumpebant, cum effusus coelo immensus imber arcus eorum inutiles fecit. Hinc celeritatem formidandi hostis aestimes, qui intra binas septimanas totam Lothariensem regionem emensus, a Wormatia usque ad Hainonenses cuncta pervasit. Inde Cameracum urbem aggrediuntur. Sed Fulberto episcopo et Odone comite partes suas implentibus, repulsi, propinquo etiam Bulgionis reguli (anno sequente Bulskonis dicti) amisso, combusta aede S. Gaugerici, quae tunc extra muros, longius procedunt, et in Galliae regnum ingressi, agrum Veromanduum, Laudunensem, Remensem populantur, et S. Theodorici monasterium in agro Remensi comburunt. Inde per Cabillonem ad Matronam in Burgundiam sese infundunt, et postremo, qui casibus morbisque superfuerunt, per Italiam, quod non satis mirere, domum revertuntur. A. 954.

8. Ekkihardus Sangallensis scribit, Hungaros a Sylva Nigra venientes, Rheno transmisso, in Alsatiam irrupisse et Luitfridum comitem sese objicientem cruento praelio vicisse, inde in Burgundiam et Conradi Guelfigenae regnum penetrasse, Conradum singulari calliditate binos hostes christiani nominis a diversis orbis partibus venientes, quasi par gladiatorum, Saracenos Fraxineto adhuc incubantes et Hungaros, inter se commisisse. Hungaris, si in debellandis Mauris sibi adessent, pulcherrimae regionis ubertatem pollicetur, Saracenis nuntiat, Hungaros eorum agros a se petere, quos circa Fraxinetum indultu regum sub exiguo tributo pacis causa tenebant. Cum inter se conflixissent, rex superveniens utrosque concidit. Fides penes autorem esto. Hujus anni, an sequentis, an potius a. D. 951. haec sit irruptio in Burgundiam, non facile definieris, prior posteriorve esse non potest. Anno 951. et hoc praesente in Burgundiam non ex Alsatia, sed Italia Galliave venere. Sequente attigere Sylvam Nigram, cum mox ab Ottone deleti sunt; longius progresses nemo memorat; potuerit tamen portio Rhenum transmisisse et in Burgundos penetrasse. Illud hinc intelligimus, Conradum regem hoc tempore jam Arelatense regnum Transjurano conjunxisse.

9. Conradum ducem, expleta ultione, missis Hungaris, reditum ad Ludolfum praecipitasse judico, quem rex pater urgebat. 15. Kal. Jul. ad Cinnam colloquium indictum est. Ex Vita Udalrici discimus, exercitus in conspectu fuisse ad Ilarum amnem (quem veteres Ilargum dixere) prope oppidum Tussam vel Tilssam. Itaque apud Witikindum corrupte Zinnam legi suspicor. Tussa est ad Ilaram non procul Ulma. Ibi Udalricus episcopus Augustanus et Hartbertus Curiensis utilem paci publicae operam navavere; nec dubito, Fridericum archiepiscopum Moguntinum, qui et ipse affuit, officio laudabili satisfecisse. Re ergo ad colloquium deducta, Otto in conventu populi paucis sed gravibus verbis: *Facilius*, inquit, *paterer*

A. 954. *filii iras, rebellium insidias, si in me unum dirigerentur, si christianum populum non perturbarent. Non satis est res amicorum inimicorumque rapuisse, sanguine procerum agros plateasque conspersisse; filius generque opibus a me datis christiani nominis hostes cient; hi post infinita avaritiae, libidinis, crudelitatis exempla edita spoliis ecclesiarum Dei graves discedunt. Res ad scelerum summam pervenit. Expromite sententiam, qui patriam amatis: ego in rei publicae potestate futurus sum.* Henricus insistendum censuit hostibus bis victis, edendaque severitatis exempla.

10. At Ludolfus in medium progressus, cum invidiosam maxime Hungarorum evocationem intelligeret: praetexuit (haud scio quam vere) barbaros in se conductos (ab Henrico id factum insinuasse videtur) coactum pecunia avertere in inimicos: ultimae necessitati veniam dandam. Fridericus summus pontifex, se quidem contra regem non sensisse asseveravit; sed calumniis oppressum et inimicis expositum loca tutiora petisse, nulli rei ex eo mistum. Obtulit et purgationem canonicam per sacramenta, quam rex remisit, hortatus, ut pacificis officiis sese amicum probaret. Tandem pontifex et Conradus regi reconciliantur, Ludolfus amicorum tuendorum tenax, quos destituere aut prodere jubebatur, irrita tractatione discessit. Hanc congressus narrationem Witikindo debemus. Hoc tempore Brunonem juveni pacem et summissionem suasisse, crediderim, ea oratione, quam ipsi tribuit Rotgerus. *Desine*, inquit, *Absalon esse, ut aliquando Salomon esse possis.* Sed illi mens immota manebat, lacrymae inanes volvebantur.

11. Ludolfus cum reliquo exercitu inde profectus, se Ratisbonensium moenibus includit, et in castro quodam Horsedal, vel quod idem est Rosadal, praesidium collocat, quod regem persequentem moraretur. Rex locum vi capere tentat, cum non succederet, tempus ibi terere haud placuit. Prima luce inde movens, tertiis castris Ratisbonam pervenit. Cum magna esset praesidiariorum multitudo, crebraeque fierent eruptiones, arietes muris admoveri non potuere. Commeatu in urbe paulatim deficiente, duplex ab urbanis aggressio tentatur. Constitutum erat, ut occidentali porta erumperent equites verterentque in se exercitum obsidentem, dum interea alii classe devecti castra vacua invaderent. Sed, equitibus nimis morantibus, caeteri ex navibus egressi, caesi captive sunt; paucis receptus patuit, nonnulli nimis conferti cum navibus mersi: equites deinde facile repulsi sunt, pecus urbicum inter Danubium et Regenam amnes, loco herboso pascens, Henricus abduxit. Fame imminente, Ludolfus cum primariis viris urbe egressus, pacem petit, sed non impetrat, quod obsequium detrectaret. Hoc ita interpretor, ut impulsores prodere constanter negarit, quod unum pater exigebat.

12. Armis ergo resumtis, ad orientalem portam accerrime pugnatum est a tertia diei hora usque in nonam, ubi Gero marchio stationem habebat, quem Witikindus ait quot praeliis tot victoriis clarum. Arnulfus, comes palatinus Bajoariorum sublimis in equo animos suorum voce et exemplo sustentabat. Tandem suffosso equo lapsus occubuit, animique urbanorum eo casu fracti concidere. Repetitur de urbe dedenda tractatio;

cum obsidio mense integro et dimidio durasset, tandemque portis regi apertis, Ludolfo cum sociis potestas discedendi data est, diesque restituendae pacis publicae apud Fritislariam dictus. Henricus deinde Heroldum archiepiscopum apud Muldorfium captum oculis orbari jussit, Neuburgum ad Danubium recepit, Ratisbona pene omnis proxima nocte incendio fortuito conflagravit. Id Wigulejus Hundius 18. Kal. Aug. contigisse scribit. Sed serius factum oportet, si Tussae 15. Kal. Julii tractatum est, et postea obsidio sex septimanis duravit. A. 954.

13. Otto, rebus pene omnibus ex sententia confectis, in Saxoniam regreditur. Ibi apud Salveldam venatione se recreanti (ita lego pro *Suveldum* apud Witikindum) offerens sese nudatis plantis filius improvisus ad pedes accidit, et oratione flebili patris animum commovit. Cum integrum obsequium sponderet, sublevatus paterno amore, et in gratiam receptus est. Accessit juveni solatium ex filio nato, quem Ottonem appellavit. Ducatus Allemanniae Burcardo jam datus erat, qui (ut ferunt) sororem Udalrici episcopi Lutgardem in matrimonio habuerat. Helfensteniam comitem facit chronicon australe ad a. D. 957; prioris Burcardi ducis genere ortum facile crediderim. Id stare placuit. Chronici tamen australis autor Burcardi dignitatem in Ludolfi mortem differt. Sed contemporaneo fides habenda est continuatori Reginonis, apud quem nunc Ludolfus ducatum resignat, Burcardus accipit: sed hic, fortasse reverentia regii juvenis, haud prius voluit uti potestate, quam ubi ille decessit. Burcardum Henrici ducis filiam duxisse addunt. Lutgardem vocat Crusius (sed per errorem, nam id prioris conjugis nomen erat), Brunnerus rectius Hadwigam ex Ekkihardo. Ego hanc nondum tunc nubilem, tantum desponsatam judico. Graece Latineque docta praedicatur, Constantinopolitano principi destinata, corrugata fronte tortisque oculis formae elegantiam corrupisse scribitur, quoties se pingendam praebere cogebatur, ut tabella Constantinopolin perferretur. Ludolfus Fritislariensia comitia praeveniendo judicaverat, ne lege in se ageretur. Jam dies eorum appropinquabat, cum differri placuit, nuntiato Friderici archiepiscopi morbo.

14. Secuta est mors 8. Kal. Novemb., ut habent fasti nostri. Eundem diem annumque habet Trithemius, ex ipsius Guilielmi archiepiscopi successoris testimonio. Sigebertus male in biennium differt. Laudatur ob religionis severitatem et vitae abstinentiam, sed culpatur ob factiosa consilia. Habitus est ab Ottone alienior, odione viri, an Saxonici dominatus incertum. Ut primum aliquis Ottoni adversarius emerserat, ipse secundum se addebat. Giselberti ducis filium facit codex minor Serrarii, fratrem Bruschius; neutrum speciem veri habet, etsi Serrarius Bruschianae sententiae faveat. Francum orientalem, non Lotharieusem crediderim, et Conradi regis familiae propinquitate aliqua innexum. Certe illustrem ortu fuisse, vel ex epitaphio intelligas. A rege palam dissensit, quod pacta cum Eberhardo rata habere nollet, quae archiepiscopus ultra mandata inierat. Itaque transgressus in partem hostium, captusque et restitutus, magis amici specie nocuit, cum filium regis generumque oblique in dominum stimulasset, ea arte quae revinci non posset. S. Petri aedem et

A. 954. collegium extra urbis muros struxit dedicavitque. Tumulatus est apud S. Albanum. Epitaphium tale invenit Serrarius in manuscripto:

Cum constet vere, nihil ortum fine carere,
Semper homo timeas, ultimo ne pereas.
Gloria, nobilitas, species cum laude, potestas
Sunt tenuis fumus, nos quoque terra sumus.
De qua progeniti dum debita solvimus illi,
Dic ubi sunt vitae gloria, divitiae?
Praesulis eximii quis non novit Friderici
Dignum laude genus et pietatis opus?
Sed qui tantus erat, ubi sit, si quis modo quaerat,
Nosti, qui tribuis vivere, Christe, tuis.
Nunc quoque, defunctis qui das sua praemia cunctis,
Vera salus mundi, da gregis esse tui.

15. Intellecto archiepiscopi obitu rex Arnestadium venit, eoque proceres accersivit, et pacem cum filio generoque sancivit. Ibi Wilhelmus regis filius, ante matrimonium, Ditmaro teste, ex nobili puella Slava susceptus, consensu cleri et populi Moguntini 16. Kal. Jan. eligitur, et 9. Kal. Januar. ordinatur. Clero provinciales episcopi computabantur. Ipse Wilhelmus rem gestam annotavit apud Marianum Scotum his verbis: *Anno dominicae incarnationis 954, indictione 12. beatae memoriae domnus Frithuricus sanctae Moguntiacensis ecclesiae archiepiscopus 8. Kal. Novembris obiit. Eodem vero anno ego Willielmus, tantae successionis indignus, loco ejus cum consensu cleri et populi ejusdem sanctae sedis 16. Kal. Januarii* (ipsoque die pace inter regem Ottonem et filium ejus Luidolfum facta, in loco Aranstedt) *sum electus, et in 9. Kal. Junuarii Moguntiae ordinatus.*

16. Baluzius tomo I. Miscellaneorum verbis istis chronico Augiensi a se edito subjectis haec praescripsit: *Quae sequuntur, addita sunt a Willielmo archiepiscopo Moguntino, et a Trithemio descripta in chronico Hirsaugiensi.* Itaque sententia Baluzii est, non proprium opus confecisse Wilhelmum, ut creditum est a Serrario aliisque, sed in Augia confecto haec verba ascripsisse, quod unde compererit vir doctissimus, vellem annotasset. Potuit alius adjicere verba Wilhelmi ex Mariano vel aliunde sumta. Quo in loco haec annotata sint a Wilhelmo, dissimulat Marianus. Jamque non amplius miror cum Serrario, Trithemium in libro de illustribus Germaniae viris, aut etiam in altero de scriptoribus ecclesiasticis Wilhelmi librum (qui fortasse nullus fuit) non memorasse.

17. 2. Non. Septemb. obiit Eggihardus comes (quis ille incertum) Idibus Novembris Theothardus episcopus (ita fasti nostri), Hildeshemensis scilicet, ex abbate Herosveldensi, etsi Trithemio eumque secuto Mabilioni ex Hirsaugiensi. Successit ei apud Hildesemenses (ut Ekkihardus Uragiensis in chronico a me edito loquitur) Otwinus Parthenopolitanae sedis abbas. Mabilio ex Bruschio ait, fuisse abbatem coenobii Bergensis, quod erat olim ante muros Magdeburgensis urbis ad Albim magnificentissimum, *nunc* (inquit Bruschius) *in Germanico hoc bello solo aequatum.* Sed

sciendum est, nonnisi unam tunc Magdeburgicam Ottonis fundationem fuisse, archiepiscopatu autem postea erecto, translatum in montem suburbii monasterium separatim perstitisse, et post cladem a Bruschio memoratam resurrexisse. Et habet nunc quoque abbatem Augustanae confessioni addictum. Meibomius peculiarem ei libellum tribuit chronici Bergensis nomine, abbati loci olim inscriptum et novissime tomo tertio Meibomianorum historiae Germanicae operum insertum. Ibi Meibomius Richarium Otwino successorem demum a. D. 959. coepisse ait, credo, quod Otwinum serius ad Hildeshemenses translatum putarit, alium enim interjectum nemo memorat. Anno sequente hunc ordinatum discimus ex chronico Quedlinburgensi antiquo. A. 954.

18. Antequam ex Germania abeamus, Kyburgensium comitum stemma subjicere placet, quale ex vetori codice Augustano monasterii S. Udalrici et Afrae Marcus Welserus duumvir Augustanus Vitae Udalrici a se editae ab autore vetere scriptae adjecit. Dillingam etiam tenuisse, ibique sedisse Richwinum, Udalrici episcopi fratre genitum, ex eodem biographo patet. Adalberonem successorem destinatum, et fratres Udalrici ex sorore nepotes, Burcardo Sueviae duce natos, quod tabula habet, aegre admiserim: sed verba a Welsero exhibita ita fere habent: *Circa annum 845. comes Wollo comitis de Kyburg filius educabatur apud Sanctum Gallum, matrem habens sororem beati Nothberti monachi, cujus avia soror erat Karoli Magni.* [*Vide stemma in tabula adjecta.*]

19. Gallia quoque suos manes passa est, turbata inopinata Ludovici regis morte, quam filii cognominis obitus Lauduni praecesserat. Rex ipse Lauduno Remos proficiscens, in itinere apud Axonam fluvium lupum vidit. Frodoardus in superstitiones pronior apparuisse ipsi quasi lupum praecedentem ait, quem admisso insequens equo, prolabitur, graviterque attritus, Remos defertur, ibi protracto languore decumbens; eidem Frodoardo unico tunc Galliae historico scribitur elephantiasis peste perfusus confectusque, tandem diem suum obiisse. Apparet, omnia fama in pejus attolli, nunc lupi spectrum, nunc elephantiasis insuetum morbi genus accersitur, quasi principem parum gratum suis etiam superi odissent. Decessit . Idus Septemb. Sepultus est in basilica S. Remigii ad dextram principis altaris, ubi cum epitaphio etiam ejus effigies visitur.

20. Epitaphium, quod Marlotus, metropolis Remensis scriptor, recentiori, nescio an jure, tribuit, ita habet:

Sanguine caesareo jacet hic excelsa propago,
Francorum populo prodita de Karolo;
Dum sibi ter denos et tres floreret in annos,
Augustum nomen rex Ludovicus erat.
Remigius regum sanxit consulta priorum,
Huic dederat sceptrum: praestat et hic tumulum.
Octavum decimum regnando subegerat annum:
Quadris September Idibus exit iter.
Lector, posce Deum, Francorum posce salutem,
Hoc regale genus servet in orbe Deus.

A. 954. Verba de Remigio:

Huic dederat sceptrum: praestat et hic tumulum,

non ita accipere necesse est, quasi autor epigrammatis Remis ut tumulatum, ita et natum voluerit, sed quod unctus est ab Artaldo Remensi praesule, etsi Lauduni, quod Pagius notat.

21. Principi parum felici fortitudo non defuit, et in re publica quietiore fortasse laudes boni regis meruisset: sed prudentia par animo non fuit, et Galliae tunc regendae mediocris virtus non sufficiebat. Heroe opus erat, qualem Magnum Carolum, aut Ottonem fata terris dedere. Ex quinque filiis natis duo tantum, Lotharius et Carolus alter, superstites fuere, prior Carolus (quem quidam fortasse rectius Carolomannum vocant) apud Normannos obses obierat, Ludovicus etiam et Henricus patrem praecessere.

22. Mathildis filia Conrado regi Transjurano postea data est, quam ei Lugdunensem tractum in dotem attulisse ex Hugonis Flaviniacensis chronico Quercetanus in historia Burgundica scribit, ego magis firmasse quam attulisse suspicor. Altera filia, si Buccetium sequimur, Alberada Reginaldo comiti aliquoties memorato nupsit, qui in Remensi agro comitatum habuit et Rouciacum (Frodoardo hic Rauciacum) castrum struxit, a quo posteri dicti sunt comites Rouciacenses. Huic filios tribuit Buccetius Gislebertum comitem Rouciacensem, Ottonem comitem Losensem et Chiniacum, Brunonem episcopum Lingonensem, et Ermentrudem Ottoni Guilielmo comiti Burgundiae nuptam. Andreas Quercetanus in primo opere historiae Burgundicae, cum in appendice Frodoardi legisset, Gerbergae reginae filias Mathildem et Albradam comitissam, matrem Brunonis Lingonensis et Ermentrudis Ottoni Guilielmo nuptae, Ludovico Transmarino natas putavit, Sammarthanis sententiam mutasse scribitur, et quod res sit, hanc Reginaldi uxorem Gerbergae quidem reginae filiam, sed ex priore marito duce Giselberto agnovisse. An hoc conjecit ex filio Alberadae Giselberto, quasi avum nomine referente? De uxore Ottonis Guilielmi Ermengarde vel Irmentrude recurret sermo ad a. D. 956, de ipsomet Guilielmo agemus ad a. D. 969. De Giselberti filia Bertoldo Bavariae duci destinata dictum est ad a. D. 945.

23. Regina credidit cum marito etiam aemulationem Hugonis extinctam, judicavitque, assensu ejus opus esse, ut filius coronam acciperet, qui nondum tredecim annos natus erat, et cui nuper aegrotus in Burgundia pater eam jam tunc destinabat; et nunc repetisse voluntatis significationem diutino morbo dubium non est. Hugo etsi a regni cupiditate non abesset, vires tamen suas affectusque hominum librans, facile judicabat, Burgundos et Aquitanos contrarios fore, nec Normannos Neustriosque sufficere. Sed maxime retinebat Ottonis potentia et respectus, qui trium regnorum, Germanici, Lothariensis et Italici, potens, et jam domi triumphans, puerum opprimi avunculus haud passurus erat, etsi sororius ipse Hugonis, tamen aequali propinquitate pronior in causam aequiorem et miserabiliorem futurus.

24. Imminebatque de vicinia Bruno frater et ipse Gerbergae, qui an ab Hugone aliquando solicitatus sit, haud dixerim. Innuere hoc videtur

ratiuncula, quae extat apud Ditmarum, scilicet Brunonem Hugoni genero A. 954.
saepe sororium designant tales scriptores) ad se vocato coronam
imis ornatam imponere in solenni convivio promisisse. Sed posterio-
is cogitationibus sapientiorem poenituisse coepti, et consilio Volcmari,
retorum participis (ejus, opinor, qui in Coloniensi archiepiscopatu suc-
sit), cui animi vulnus detexerat, allatam fuisse coronam mensae assi-
tibus, sed afferentem Volcmarum cum ea corruisse, ita confractam,
rendi et denique eludendi rationem praebuisse. Quae manifeste fabu-
sapiunt: neque enim coronae ad mensam, sed in ecclesia dabantur,
ue Bruno tam pravi, ne dicam inepti consilii capax fuit. Ditmarus rem
ama quadam obscura acceptam de regno Lothariensi conferendo inter-
atur, et de Cunone seu Conrado loqui videtur; hic enim nomine Hu-
is generi nescio quo errore plus semel ab eo designatur; sed quamdiu
no Lothariensibus praefuit, Conrado cum ipso male convenit. Facilius
a ab Hugonis spe Gallici regni nasci potuit; quo dato Bruno nihil
i detrahebat, nulla se perfidia maculabat. Sed pro certo habendum
rerum seriem intuenti, nihil tale actum. Quando Ludovicus obiit,
no in Germania apud fratrem agebat, nec mora in filio regis sui reci-
do apud Gallos fuit.

25. Gerberga igitur cum Hugone collocuta, pronum ad dignitatem
am Lothario tribuendam invenit. Contentus fuit sibi Pictaviensem
cipatum stipulari, Wilhelmo adversus, qui Ludovico semper faverat.
ina animi perplexa, naturaque timidior assensit, et amicum veterem
umque novo et ambiguo posthabuit. Cumque in Artaldo nulla mora
it, consecratus est puer Remis 11. Idus Novembris. Affuere Bruno,
x Francia et Burgundia atque etiam Aquitania episcopi ac proceres.
ldum ex eo archicapellani dignitatem habuisse, discimus ex privilegio,
d rex Hincmaro abbati S. Remigii dedit, *cujus in basilica ab omnibus
ncorum proceribus electus ac regali diademate coronatus fuerat*, ut
ait. Ibi jubet immune esse castrum S. Remigii villaeque, quas mo-
i possidebant. *Actum Lauduni publice regali palatio Kalendis Ja-
rii anno primo regnante Lothario rege. Wido regiae dignitatis notarius
praeceptum advicem Artaldi archiepiscopi recognovi.* Extat in Metropoli
ensi Marloti. Hinc etiam intelligimus, a patre collegam regni non
tum, quod Chifletio historiae Trinorchiensis autori videbatur.

26. Ibi Hugoni ducatus Franciae et spes Burgundici affirmatur,
aviense beneficium additur sub titulo Aquitaniae ducis. Fridericus
lberonis, Metensis episcopi frater, paulo ante Hugonis filiam duxerat.
ese in benevolentiam Brunonis insinuavit. Heribertus Rauciacum Ra-
oldi munitionem per stratagema occuparat, reconciliantur in hoc con-
tu, et castrum redditur, villis aliquot vicissim Heriberto datis. Rage-
lus vicissim Montem felicem, Heriberti munitionem ad Matronam,
rcipit, nec nisi villis suis receptis reddit.


27. In Italia Berengarius cum Adalberto filio proceribus gravis erat,
s Augustae Vindelicorum haud admodum faventes senserat. Agapetum
m pontificem (quem Ottoni amicum norat) vexare instituit, exercitu

A. 954. in Ravennam atque in exarchatum ducto, ut Hieronymus Rubeus histori loci observat, ubi jus regium etiam Hugo exercuerat, sed magna eti pontificis Romani autoritas erat. Petrus archiepiscopus nunc synod habuit, cujus acta ait Rubeus in bibliotheca loci Ursiana servari, scri charactere Longobardico *anno Berengarii et Adalberti regum quin indict. 13.* Agapeti annus exesus legi non potuit. Affuere episcopi Ma tinus Ferrariensis, N. Liviensis, Gofredus Caesennatum, Harnaldus Po liensis, Joannes Corneliensis, Gerardus Faventinus, Dominicus religios presbyter et regularis abbas Sancti Apollinaris, qui vocatur in classe, Ma tinus similiter abbas S. Severi, Petrus S. Laurentii in Caesarea, Petrus Leo venerabiles diaconi sanctae Ravennatis ecclesiae, Johannes ejus arc presbyter, Petrus subdiaconus, Honestus subdiaconus, filius quondam Jo hannis, qui vocatur dux, is, credo, qui deinde archiepiscopus post Petru Sequuntur et laici, Petrus filius quondam Pauli dux, Romualdus dux, et al Petrus ipse vocatur sanctissimus et evangelicus archiepiscopus. Su scripsere praeter supradictos Johannes consul Comaclensis, Johannes m sericordia Dei dux. Duces frequentes erant in illa regione, sed sequi significatu.

28. Interea Adalbertus rex, sede praecipua Ravennae constitu multa violenter agens, et Venetos mercatores injuria lacessens, a Pet Candiano duce superatus Rubeo scribitur. Et cum Comaclenses, q semper vetere studio Ravennatibus favebant, Adalberti partes juvissent, e in Venetos mari grassarentur, Comaclum a Venetis direptum et ita eve sum est, ut ex eo aegre rursus caput attollere potuerit. Nam olim urb insignem fuisse constat. Caeterum hoc anno Berengarius et Adalbert rogatu Walperti archiepiscopi Mediolanensis, Bruningo Astensi episco mercatum singulis Kalendis celebrandum concedunt in plebe (seu vill Quadrigenti, ubi ecclesia erat in honorem S. Dalmatii martyris constru *Johannes cancellarius ad vicem Guidonis* (Mutinensis) *episcopi archica cellarii recognovi. Data 10. Kal. Jun. a. d. inc. 954, regni vero Beren garii et Adalberti 4. indict. 12.*

29. Albericus, Alberici et Maroziae filius, Romanae urbis agripr princeps obit, Frodoardi testimonio; qui patricium Romanorum vocat, a ditque filium ejus Octavianum, etsi clericum, principatum urbis adeptum et mox defuncto Agapeto, Romanis suggerentibus, papam factum. Alberi cum et patrem ejus Sigonius comites Tusculanos appellat. Sed suspico hoc axioma serius in familiam venisse, et fortasse primum in filio Alberic Albericus ipse in tabulis 14. Januarii a. D. 945. datis, donationem in signem monasterio S. Andreae et S. Gregorii papae ad clivum Scauri li ctam continentibus, nuspiam comes appellatur, sed consul Romanorum, e mater Marozia senatrix. Patrem tamen Luitprandus Albericum marchio nem appellat, et paulo ante marchionem Albertum; sed opinor, vitium esse librarii, Albertum et Albericum permutantis, unde tamen errore scriptorum nati sunt, qui Albericum Romanum Maroziae maritum cum A berto vel Adalberto Tusciae marchione, patre Widonis mariti Marozia secundi confudere. Qua de re diximus ad annos Domini 917. et 92

orum ille Adalberto Tusciae marchioni, hic Alberico, patri praesentis A. 954.
berici, fatalis fuit. Albericus ipse Romae rerum potens, videtur mar-
ionis appellationem infra se duxisse. Opera Odilonis usum ad mona-
ɔria Romanae ditionis emendanda diximus. Udalricum Augustanum
ımam adventantem honorifice habuisse, biographus episcopi testatur.
bem contra Hugonem regem potenter defendit, ipsique Ottoni M., cum
imum in Longobardiam venit, Romanum iter jam tum meditanti, refra-
ri ausus est. Illibatam autoritatem tenuit, dum vixit. Frater Johannis XI.
ntificis, pater duodecimi, familiam Romanorum pontificum foecundam
ɔpagavit; quae serius Contia, id est comitum Tusculanorum, dicta est.
emma (quod paparum dicere possis) exhibere juvat: mutuabimur ex
nnone cardinali et Onuphrio posteros Alberici nostri; priora ex dictis
muntur:



ANNO CHRISTI 955. *

Slavorum motus. Ucri victi a Gerone. — Rex in Slavos tendens, Hungarorum in ptione in superiorem Germaniam vocatur. — Hungari in Sueviam penetrant. Quomodo flumina trajecerint. Augusta Vindelicorum obsessa est. — Otto subi venit. — Hungari obviam eunt. — Vota nuncupata. — Acies Germanica. Afu et Bohemi. — Hungari impedimenta invadentes repelluntur a Conrado. — Praeli et victoria. — Conradus aliique a parte Ottonis amissi. — Hungarica gens ex mansuefacta. — Alia ad hoc bellum pertinentia. — Quae de eo Hungarorum storici. — Fabulae et perturbatae narrationes. — Historicorum domesticorum antiquitates gentium incertitudo. — Hungaris sua clades salutaris fuit, fide Chri mox suscepta. — Regionem suam muniunt. Christianam fidem paulatim recipia — Victoria carminibus celebrata. — Graeci scriptores rem illustrant. — Origi christianismi apud Hungaros. — Henrici ducis Bajoariae mors et familia. — principibus Bajoariae, comitibus palatinis Schirensibus. — Schirensis comes Be toldus ad Hungaros transfuga. — Origo Witelsbachiorum, qui postea duces B joariae et comites palatini Rheni. — Ottonis Frisingensis invectiva in Schirenses. Haec acerbe dicta ab interpolatore correcta. — Ex Conrado monacho recon liatio Bertoldi. — Genealogia Schirensium, unde duces Bavariae, palatini Rhe — Bertoldi posteri advocati Frisingenses. — Divisio in Witelsbacenses, Dachau ses, Valejanos. — Fundatio monasterii Fischbacensis, quod transfertur Isenhova — Witelsbacenses in terram sanctam profecti. Ex his Wolfrathusani. — Otto Ri cardi filius recuperat palatinatum Bavariae. Monachi transferuntur Schiram. Plura de Ottone palatino. — Ejus filii, ex quibus Otto fit dux Bavariae. Tabu stemmatis Schirensis, unde duces Bavariae, palatini Rheni. — Origo veterum Austriae marchionum et ducum. — Ebersbergensium comitum familia. — Ludolfu Bruno patruus in gratiam restituit. — Herimannus dux Saxonum cum Slavi conflictatur, ad quos Wigmannus et Ecbertus transfugerant. — Theodericus marchi ab iis cladem accipit. — Ipsius regis in eos expeditio difficilis. — Victoria et caesu hostium ducis. — Praelium secuta. — Ottoni regi nascitur hoc anno filia Me tildis, filius Otto. — Edredo defuncto, Eduinus fratris filius fit rex Anglorum. Lotharii regis Galliae et Hugonis principis expeditio contra Wilhelmum Pictavu — Origo ducatus Burgundiae Capetini, extincto Giselberto. — Aliquot per Galliam et Burgundiam comites.

A. 955. 1. Singulari quadam fortuna Ottoni contigit, ut barbaris exurgentibus civili bello finis esset. Slavi ad septentrionem, Hungari ab oriente, fama intestinorum inter nostros desidiorum commoti, uno consilio diversis locis tota virium mole ingruunt, sed rebus compositis seri armatam opportune Germaniam in se verterunt. Primi Uchri sese movent, et quantum judi- cari potest, Havellos regi fideles invadunt. Limitem Slavicum inde a Bohemiae finibus infra Magdeburgum, ad Havolae usque ostium et fortasse ultra, Gero marchio tuebatur; inferiora contra Obotritos, Wagrios, Danos dux Herimannus. Porro Conradus reconciliatus, nec, quod ageret, habens, obtulit operam regi in Slavos, et globum nobilium juvenum, quos in rebel- lione socios habuerat, ad opem publicam expiaturos facinus secum traxit. Ita ad gratiam integram restitutionemque honorum seu beneficiorum sibi amicisque viam parabat. Repulsi a Conrado et Gerone Uchri in suo Ger- manos sensere; gloria non mediocris hinc Geroni, praeda ingens militi parta.

*) *Anni praecedentis historia deest in altero codice; anni 955. autem historiae tria extant apographa, quorum duo Leibnitius ipse, tertium Eckhardus emendavit; in altero illorum Leibnitius numero 955. ascripsit:* Annus in quo Hungari ab Ottone Magno victi occidentem infestare desierunt.

2. Rex, quem ordinationi Wilhelmi filii Moguntiae affuisse, et hyeme A. 955. bus ad Rhenum componendis operam dedisse apparet, media aestate Saxoniam reversus, majore mole instare perculsis jam Slavicis hostibus, domare nutantes cogitabat, ut ex Ditmaro intelligitur; nihil metuens ab ungaris, quorum legati secuti circa Kalendas Julii, pacifica omnia nunarant, nec sine muneribus discesserant. Sed exploratores fuisse, res stendit; mox enim trepidi ab Henrico nuncii afferunt, majorem quam unuam Hungarorum exercitum non procul Bajoariae marca coire. Et cum aepe antea mediocri manu in intima Francorum regna penetrassent, inolumesque redissent; nunc magna mole erumpentes, negabant, se opprimi osse, nisi coeli ruina aut terrae hiatu. Otto Saxoniam milite nudare non usus, cum Wigmannus et Ecbertus Obotritos ipsosque Danos ciere dicentur, Ucros victos, non domitos, appareret, nec certa in Sorabis fides sset: dimissis celeribus nunciis, quicquid copiarum potest, ex Francia Allemanniaque evocat; ipse cum paucis delectis, Julio jam provecto, in Bajoariam contendit. Conradus etiam dimissus est, ut quantam posset armatorum manum contraheret.

3. Sed antequam vires colligi possent, Hungari, proculcata jam Austriaca marca, transmisso Oeno fluvio magno et rapido, relictis a tergo munitis locis, Bajoariam ipsam impressione subita instar turbinis permensi, Lyco etiam amne superato, qui eam ab Allemannia distinguit, usque ad Sylvam Nigram fontesque Danubii ascendunt. Quicquid extra moenia urbium aut arcium fuit, flamma ferroque exhaustum est; antiqua sacrorum hominum contubernia tota regione hinc excidiorum suorum epocham computant: nomina hominum caesorum et singularia casuum fere excidere. Memoratur tamen Thiemo abbas cum sex instituti sociis Wessonis fontes (id loco nomen) sanguine auxisse. Eberhardus quidam arcis Ebersbergensis dominus hostium insultus fortiter sustinuit. Sed Frisingam per aliquot dies attrivere. Mala ab Hungaris illata vulgo Hunnis tribuuntur.

4. Vitae Udalrici scriptor tantam Hungarorum multitudinem erupisse ait, quantam antea nemo vidisset, omnemque regionem a Danubio usque ad Nigram Sylvam montesque occupasse; Allemannia etiam usque ad Ilarum vastata. Otto Frisingensis episcopus locustarum examini comparat, cuncta depascenti. In trajectu fluminum rapidorum ea arte usos scribit Georgius Fabricius, ut densatis turmis robustiores altiore loco positi, ingruentis in latera aquae impetum sustinerent, captivis etiam interdum objectis; ita inferiores difficultatem vix sensisse. Annibal elephantos Rhodano opposuisse fertur. Cum autem intelligerent hostes, Augustanam urbem plenam esse congestarum longe lateque tanquam in tuto opum, ad eam oppugnandam convertuntur. Incluserat sese cum multis egregiis militibus Udalricus, non minus ducis quam sacerdotis partes implens, et vitam, si opus esset, saluti civium impensurus: ipse stationes disponere, vigilias obire, nunc in templis imbellem turbam ad preces vocare, nunc ad muros in hostem armatos ciere; divinam opem omnibus spondere, et coelestia praemia laboris periculique proponere. Aderatque, credo, frater Theobaldus, et militaribus officiis senem animosum sublevabat.

A. 955. 5. Otto, ubi hostes in obsidione haerere intellexit, gaudens uno summi certamine defungi posse, huc omnes undique vires confluere jubet. Henricus morbo oppressus, Ratisbonae jacebat; tota Bajoaria collecti militares viri, qui tuendis munimentis supererant, in tres legiones convenerant, eis Eberhardus ille, paulo ante dictus, praeerat; quod Brunnerus ex Vito Arnbeckio et Ebersbergensium historia inedita refert. Witikindus praefectis ducis Henrici eas duxisse scribit. Otto in castra veniens, Bajoarios, Allemannos partemque Francorum reperit. Mox cum valido equitatu supervenit Conradus dux, cujus adventu erecti omnes praelium optabant. Summa enim de virtute viri opinio erat, nec minus consilio quam armis laudabatur, amorique fiducia militum accesserat, ut illo duce de victoria non dubitarent.

6. Hungari tunc in eo erant, ut urbem corona cinctam novo assultu tentarent; cum ecce *Berchtolfus filius Arnulfi de castro Risinesburg* (id est Arnulfi comitis de Reginesburg seu Ratisbonensi palatio praefecti, nuper caesi) *venit ad regem Ungrorum, adnuncians ei adventum Ottonis gloriosi regis*, ut ipsa verba ejus annumerem, qui Vitam Udalrici contemporaneus scripsit; nam digna sunt consideratu, ut mox intelligemus. Itaque classicum canitur, quo Hungari ab oppugnatione revocati Germanis obviam tendunt. Vicissim Udalricus episcopus et Theobaldus et magni praesidii pars libero jam exitu ad regem proficiscuntur.

7. Ottoni in vicinia barbaros esse, nuntiarant exploratores. Itaque jejunium corporibus indicitur, animae Deo propitiantur. Rex ipse se culpabilem professus et in terram projectus, sinceris lacrymis poenitentiam agit. Udalrico usum confessario, Ditmarus prodit. Tum fusis precibus, causa salutis publicae Deo commendatur. Rex Deo et S. Laurentio martyri (cui festa dies proxima) congregationem sacram vovet, si victoria potiretur; domumque suam amplam nuper Merseburgi coeptam ei destinat. Illo enim praelio non tantum de imperio Europae, sed etiam de religione christiana tuenda, et ut paucis dicam, de aris focisque certandum, omnes intelligebant; ut olim Carolo principe et Eudone duce cum Saracenis apud Turones congressis, summa rerum et orbis nostri fortuna in aleam venit. Itaque a ducentis (et quod excurrit) annis (id est ab Agarenica pugna) majorem hac, quam dicemus, victoria partam, negat Witikindus.

8. Summo diluculo quarto Idus Augusti, feria sexta, die divo Laurentio sacra, curatis corporibus, milites se mutuo cohortantes, jurant vincere aut mori. Tum itur in hostem; qui cum maxime sagittis valeret, data opera est, ut latera arbustis tecta essent: in campis Lechfeldensibus concursum est. Octo in summa Germanorum legiones erant: tres Bajoariorum in fronte constitutae sunt, idque ipsi sibi depoposcisse videntur, quod numero caeteris nationibus praestarent, et hostis maxime in eorum regionem incubuisset: quarta erat Francorum legio, cui praeerat Conradus. In quinta caeteris majore, quae et regia dicebatur, robur erat exercitus; hanc ducebat ipse princeps, multis militum millibus stipatus, cinctusque, qua iret, nobilissimorum juvenum globo; volitabatque coram eo Angelus, penes quem victoria, dracone calcato. Sexta et septima legio ex Suevis erat, quibus praeerat Burcardus. In octava erant Bohemi electi milites

nille, ibi et sarcinae atque impedimenta collocata erant. Hac descri- A. 955. ptione aciei nos contentos esse oportet, quam monachus dedit Witikindus, unus in aliquam rei gestae explicationem descendens, cum alii paucis verbis praelio et victoria defungantur. Legiones Georgius Fabricius interpretatur, quod hodie regimina vocamus, Romani cohortes. Ego incertae magnitudinis habitas ex eo colligo, quod Witikindus octavae tantum mille milites Bohemos, at legioni regiae multa militum millia tribuit. Erant ergo, quod alias Francis scarae, id est divisiones. Burislaum Sarmatarum regem (id est Boleslaum Bohemorum ducem) affuisse praelio, et inter Ottonis auxilia pugnasse, unus veterum memoriae prodidit Frodoardus; quem si vidisset Fabricius, ex solo Witikindi silentio Boleslaum absentem non pronunciasset. Aventinus quoque Frodoardo consentit, quem (opinor) non viderat.

9. At Hungari summa alacritate, ut erant expediti equites, parte suorum circumeuntes exercitum, terga nostrorum invadunt. Ita periculosissima statio fuit, quae tutissima videbatur. Caesis custodibus, sarcinae in hostium potestatem venere, Bohemi fusi, se ad Suevos recipiunt, sed nec illi improvisam vim ingruentium sustinere potuerunt; et jam in fugam inclinabant, cum, intellecto periculo, missus a rege cum quarta legione Conradus primum sistit labantes, deinde in adversos reducit: vicissim pelluntur hostes, caeduntur que, qui praeda fugam gravaverant. Conradus victor ad regem redit. Notatumque est (quod etiam nostris temporibus apud Treviros Brunsvicensibus copiis ex Luneburgici agri colonis recens fere conscriptis evenit), ut militi, qui nunquam antea hostem viderat, victoria deberetur, cui ignorantia periculi metum sustulisset. Sed hoc nonnisi praeludium praelii fuit, quod mox eodem die commissum est secundum Witikindum. Ditmarus Conradi victoriam praecedenti diei tribuit.

10. Erat in conspectu hostilis acies, et jam jamque incursura videbatur. Rex de celsiore loco suos hortatus: Dei causaeque et superati jam a patre ejusdem hostis, denique magnitudinis Germanicae meminisse jubet. *Pudeat*, inquit, *jam totius pene Europae dominos barbaris manus dare, qui si numero, si sagittis, si furiis valent; nos virtute, nos armis decretoriis, coelestibus denique auxiliis superiores sumus. Plura dicerem, milites, si putarem, fortitudinem vestram verbis augeri posse: melius exemplo hortabor*. Simul arrepta sacra lancea, equum princeps in hostem vertit. Comitantur euntem gravis armaturae equites, equis etiam cataphractis insidentes, nec sagittarum nube tardantur. Ubi res cominus geri coepit, diu certatum est, multique utrimque cecidere, barbaris tamen ad postremum audacia non duravit; nam ut illis arcuum usus ereptus est, caetera leviter armatis, Germanorum gladii hastaeque praevaluerunt. Itaque primum inclinare acies hostilis ac turbari, mox pars terga vertere, postremo omnes effusis habenis fugam inire. Tanta multitudo fuit, ut ex muris Augustae spectati integro exercitu redire ad obsidionem viderentur, magno metu civium, ne vicissent; donec praeterita urbe, Lycum peti apparuit. Inchoferus in ecclesiastica Hungarorum historia eam in rem quaedam ex Frodoardo per errorem citat, quae ad Udalrici biographum pertinent. Plerique per agros palantes aut in villas profugi caesi sunt,

A. 955. plurimos flumen hausit, nec ripa ulterior ascendentes sustinebat. Ea die praelium diluculo coeptum, vix vespertino crepusculo peractum, scribit Rotgerus. Castra capta, captivi omnes erepti sunt. Rex noctem cum episcopo in urbe egit. Denique cum tota Bajoaria fugientibus emetienda esset, et flumina, quae integris cesserant, fractis obstarent, plerique omnes caesi captive sunt, ut vix pauci nuncium cladis ad suos perferrent. Tres eorum duces Henrico duci oblati, mala morte suspensi perierunt. Ita Witikindus; at Hepidannus unum regem habet, quem Palszonem vocat, cujus etiam superiore anno nomen occurrit. Regis etiam mentionem facere audivimus biographum Udalrici; et Rotgerus scriptor vitae Brunonis, aequalis et ipse tempori, regem, duces, principes captos prodit, trophaea usque ad gentis fines erecta.

11. Nec tamen incruenta victoria fuit, et maxima jacturae pars Conradus habebatur: qui cum forte motu corporis solisque aestu accensus, vinculis loricae solutis diffibulatave galea, auram captasset, sagitta adverso gutture defixa cecidit: egregius haud dubie vir, qui nobilitatem virtute aequavit, carissimus regi socero et regis filio, nec minus militi amatus, sed novissimo biennio fax patriae, dum suis in Henricum odiis praeceps fertur. Incertum, an duraturae fidei post reconciliationem, fatali Ottonis felicitate, ut hostes etiam invito perirent. Conradus (Witikindo autore) Wormatiae tumulatus est; nam, ut supra diximus, illic patrimoniales ditiones habebat. Cecidit etiam Theobaldus Udalrici episcopi frater (cujus filium Ringwianum rex statim patris comitatibus ornavit), et Reginbaldus sororis filius, quem genealogia vetus Kiburgensis Burcardo duce natum facit, Hermannus Contractus aviae suae Bertae patruum agnoscit. Oppetiit et Starchandus Eichstetensis episcopus. Fabricius ait, captum et in Lyco mersum. Cadaver repertum ac domum revectum Udalricus apud S. Willibaldi aedem tumulo intulit. Et parum a morte abfuit Michael Ratisbonensis, qui auricula multatus, et inter cadavera jacens, spiritum, qua poterat, continebat. Sed vitam male dissimulatam Hungarus quidam inter semineces adjacens sensit, hastaque eripere, quod restabat, tentavit; episcopus collectis viribus superior hostem absolvit. Ditmarus ejus casum ad aliam priorem Hungarorum irruptionem refert.

12. Regem ab exercitu patrem patriae et imperatorem appellatum ad morem veterum Romanorum, Witikindus scribit. Decretae per omnia sacraria gratiarum actiones, donariaque per ecclesias sparsa. Eberhardus Bajoarius torques et tintinnabula aurea, barbarici cultus insignia, conflasse in calicem fertur divo Sebastiano sacrum, ut Brunnerus refert ex Ebersbergensibus chartis. Rex etiam postea se voto exolvit, collegio Merseburgensi divi Laurentii nomine fundato, quod tandem in episcopatum versum est. Sed an monumenta in Bajoaria apud Mauri fanum hoc praelium spectent, supra dubitatum est. Centena hostium millia fuisse, Hepidannus scribit. Tanta clades Hungarorum eruptionibus finem attulit, Europamque diuturno terrore liberavit. Ex eo paulatim mansuefacti, mox etiam ad fidem Christi respexerunt, et imperii Germanici majestatem comiter agnoscere coeperunt. Postremo contra novos ex Scythia barbaros cultioris orbis

et christianae rei propugnaculum facti sunt: nam et seculo tertio decimo A. 955. Tartaros Europae minantes sua clade retudere; et nunc Turcica potentia post Asiam Graeciamque inundatam hic aggerem invenit. Ita gubernatrix rerum providentia suum cuique genti officium fatis assignat. Nunc unius Ottonis fortuna Normanni pariter et Hungari, tamdiu hostes regnis Francorum, formidari desierunt.

13. Bohemos tunc cum alio Hungarorum exercitu conflixisse, eumque capto rege Lele delesse, Hepidannus addit. Crediderim, aliam Hungarorum manum eodem tempore Moravos Bohemosve tentasse, ibique Boleslaum per legatos vicisse. Nam quod Frodoardus habet, post Augustanam victoriam Ottonem Boleslao adjutore duos Sarmatarum reges superasse, ad expeditionem contra Naccum et Stoinefum pertinere arbitror, quam ante anni exitum rex suscepit, ut mox dicemus. Aventinus quinque Hungarorum regulos nominat Bulskonem, Schabam, Laelium, Suram, Toxum. Binos illos Sarmatarum duces connumerari Brunnerus suspicatur, de quibus Frodoardus. Sed eos longe alios videri, jam dictum est. Lelius alibi pugnavit. Toxim abfuisse, alii volunt, quod malim. Septem, qui soli superfuerint (quemadmodum etiam Frisingensis episcopus prodidit), auriculis abscissis contumeliae causa remissos, Hungarici scriptores habent, adduntque, et domi infamia notatos. Viterbiensis adhuc unum demit, stipemque petendo in Hungaria victum quaerere coactos, quod fortiter cum aliis mori noluissent. Ea die 4. Idus Augusti vicem barbaris redditam, ab Aventino notatum est, qua olim ante annos quadraginta et octo, victo Ludovico rege adolescente, Luitboldus, limitis Pannonici marchio, cecidit, Germaniaque tum primum horum barbarorum direptioni aperta est, cui nunc finis datus.

14. Sed jucundum erit, ipsos audire Hungarorum scriptores, historiam partim ex fabulosis traditionibus, partim ex arbitrariis suorum figmentis varie mutilantes aut mutantes; ut fere fit, cum a contemporaneis cultiorum populorum scriptoribus patrii annales gentis serius ad literarum studia perductae recedunt. Sed ante alios Johannem Turozium audire par erit, caeteris fere, qui extant typis editi, antiquiorem et in narrando simpliciorem. Fabulatur ille, Hungaros ex Scythia venientes, per nuncios a Suentipoldo terram et aquam donis datis obtinuisse (fere ut olim Saxones a Thuringis), mox cum exercitu venientes, quasi jure emtam regionem sibi vindicasse, Zuentipoldum victum in Danubio periisse. Inde Hungaros Vratislaum Bohemorum regem, Eberhardum Carinthiae ducem vicisse, Longobardiam ingressos Luithardum imperatoris Caroli consiliarium obtruncasse; alia expeditione Germaniam usque ad Burgundos vastasse, ad castrum Abah prope Danubium Allemannos vicisse, tribus tamen millibus suorum amissis. Tandem regnante per Allemanniam Conrado Primo, decimo octavo ejus anno urbem Augustam obsedisse, ubi satis apparet, pro Ottone Conradum nominari.

15. Urbem Ulricus episcopus cum primoribus Sueviae tuebatur, rex obsessis auxilio venit, et cum fluvius pluviis crevisset, Hungari intercepti, aut caesi, aut capti sunt. In captis fuere Leel et Bulchu duces illustres. Ex quibus coram se productis quaesivit caesar, quid tantopere in christi-

A. 955. anos saevirent. Leel (ut olim Attila): *Nos Dei flagellum sumus.* Conradus illis mortis electionem dedit. Leel buccinam suam poposcit, eaque allata, caesarem tanta vi in fronte percussit, ut ex ictu mortuus caderet. Tum Hungarus: *Tu praeibis, mihique in altera vita servies.* Ea enim Scythicarum gentium opinio est, caesum occidenti serviturum apud umbras. Ita ab indignantibus Germanis patibulo Ratisbonae suspensi sunt. Sed alia Hungarorum manus nihilo secius eodem tempore versus Rhenum perrexit, monasterium Fuldense cremavit, Lotharingiam Galliamque afflixit, Segusios Taurinosque evertit, et per Longobardos domum remeavit. Alius Hungarorum exercitus Constantinopolin obsedit. Idem Turozius, paulo ante nunc eadem divellens, nunc haud eadem permiscens retulerat: temporibus Toxuni ducis Hungaros in Galliam tripartito agmine penetrasse, binas partes cum spoliis reversas, tertiam apud Isnacum Thuringiae internecione deletam, septem tantum servatos et auribus amputatis remissos, sed ad perpetuam domi mendicitatem damnatos. Haec pleraque Bonfinius repetit et partim incohaerentia agnoscit, partim incrustat.

16. Apparet, olim Hungarum aliquem, ubi umbra quaedam doctrinae ad gentem pervenit, animo ad scribendum adjecto, lectis nostrorum historiis, quaedam inde sumsisse, turbatoque gestorum ordine, pleraque partim ex ingenio, partim ex avitis narrationibus ad arbitrium interpolasse. Ita Danos, Suecos, Normannos, Polonos, Bohemos, Wallenses, Scotos, ipsosque olim Francos, Saxones, Longobardos egisse video, ubi primum semidocti homines nancisci et aliquam lucem literarum haurire coepere, ut quasdam suae gentis historias commenti, vera falsis miscentes, semibarbarorum popularium vanitati velificarentur. Itaque privatae populorum antiquitates ad publicam cultiorum gentium historiam tanquam ad lapidem Lydium exigi debent. Thuringica Hungarorum clades sub Henrico I. contigit; sed sub Ottone filio occisione occisi sunt. Illa autem captivi regem Germaniae occidentis ridicula narratio ad velandam suspendii infamiam inventa est. Toxi, Bulskonis, Leelis nomina etiam nostri habent.

17. Id jam constat, Toxi, quem saepe nominavimus, filium Geisam, cum gens fracta quietem didicisset, christianam religionem studiosius coluisse, Stephanumque regem ex eo genitum apostolico officio postea populum omnem ad Christum convertisse. Ita perierant Hungari, nisi periissent. Ubi vero clade domiti Christo colla submisere, etiam rerum intra Hungariam gestarum certior fides surrexit. Geisam jam christianum fuisse, mox ostendemus, atque etiam novi cultus propagatorem. Sed per Stephanum denique, qui Henrici Sancti sororem in matrimonio habuit, Hungaria christiana facta est.

18. Conradum imperatorem (id est Ottonem regem) ad urbem Augustam venisse, ut deinde in Pannoniam moveret Hungarosque subigeret, sed, bello inter Romanos orto, destitisse, refert Turozius. Et vero credibile est, Ottonem post tantam victoriam exemplo Magni Caroli de petenda Pannonia cogitasse, sed partim Slavonicae, partim Italicae expeditiones intercessere. Hungaros sibi metuentes aditum regionis passim vallis, fossis, sudibus sylvisque incisis munivisse, Aventinus tradit. Gaizo Toxi

filius ab Ottone pacem impetrasse, eidem scribitur. Christianos certe cultus et baptismum recepit, ut ex vetusta Vita S. Stephani intelligitur, quam Chartuitius episcopus regi Colomanno initio seculi duodecimi scripsit. Sed ignoravit, quod ex Graecis mox docebimus, Geizam Constantinopoli baptizatum fuisse, et natum ei filium Waic vel Stephanum, vel, ut passim creditum est, ab Adalberto Pragensi (qui divis ascriptus est), vel potius multo ante ab alio salutaribus undis mersum. Hunc deinde Otto III. et Sylvester II. regem appellarunt. A. 955.

19. Pilegrinus episcopus Patavensis sub Ottone I. creatus, sub Tertio extinctus, autor fuit cuidam sui seculi versificatori Germanico, ut gesta Avarorum et Hunnorum, Austriam olim tenentium et omnem viciniam late depraedantium, et quomodo hae barbarae gentes ab Ottone profligatae fuissent, rhythmis caneret. De quo ita Wigulejus Hundius in Metropoli, ubi hujus episcopi res tractat: *Extat*, inquit, *hic liber in pergameno scriptus, quem ego in arce Prunn ad Altmilam repertum, ac per generosum dominum Joachimum comitem de Ortenberg donatum, in bibliothecam illustrissimi quondam principis Alberti ducis Bavariae piae memoriae anno 1571. intuli.* Haec ille. Poterit prodesse historiae, etsi verear, ne fabulose scriptus sit. Solebant versificatores paulo recentiores veterum carmina, mutato sermone, interpolata etiam fabula, in sua transfundere. Itaque potuerit hoc carmine usus esse ille seculi propioris poeta Germanus, Attilae et Hunnorum gesta canens, ex quo passim loca a Lazio afferuntur.

20. Fama rei gestae etiam ad Graecos pervenit, et habent illi nonnulla, unde huic historiae et omnino Hungaricis hujus temporis rebus et origini christianismi in gente lux affulget. Sic ergo Curopalates: *Non desinebant Turcae* [ita ille Hungaros more suorum appellat] *irrumpere in regionem Romanorum* [Constantinopolitanos intelligit] *eosque depopulari, donec Bolesodes ipsorum dux* [nostris Bulsko], *cum decrevisset fidem christianam amplecti, venit Constantinopolin, et baptizatus, a Constantino* [Porphyrogenito] *imperatore suscipitur, patriciatus dignitate donatus, ac multae pecuniae compos effectus, deinde domum reversus est. Paulo post etiam Gylas* [qui Latinis Geiso], *ipse quoque Turcarum dux, Constantinopolin ingressus, baptizatur, paribusque et ipse affectus muneribus et honoribus, discessit. Assumsit autem secum monachum quendam Hierotheum nomine, qui habebatur religiosus et pius, Turciae episcopus a Theophylacto patriarcha appellatus, qui eo profectus, multos a barbaro errore ad religionem christianam traduxit. Et Gylas quidem in fide permansit, neque Romanos invadens, neque captos christianos negligens, quos redemtos in libertatem vindicabat. Bolesodes autem, violato foedere divino, saepe omnem exercitum in Romanos duxit; quod cum in Francos quoque facere decrevisset, captus ab Ottone ipsorum rege, in crucem actus est.* Ita videmus, etiam Graecis Ottonem dictum Francorum regem, qui aliquando Germaniam Μεγάλην Φραγκίαν dixere, quasi Gallia minor Francia esset. Quemadmodum magna Hungaria, magna Bulgaria dictae olim regiones, unde Bulgari Hungarive sunt egressi.

21. Hinc intelligimus, duos simul Hungaris reges fuisse, haud scio,

A. 955. an ejusdem stirpis, Bulskonem, ut nostri vocant, Bolesodem, ut Graeci; et Geilam vel Geisam: ambos fidem Christi Constantinopoli amplexos, sed Bulskonem apostatam nunc Graecos, nunc Francos bello tentasse, superiore anno usque in Galliam penetrasse, tandem ab Ottone captum, suspendio periisse. Geilam Toxi filium, Stephani regis patrem, a Graecis et religionem et episcopum gentis accepisse; sed postea sese Latinis applicuisse, et Stephanum ejus filium regem ab imperatore et pontifice appellatum, ducta Henrici Sancti sorore, gentis conversionem ad Christum perfecisse, et ideo regis apostolici nomen tulisse. His non animadversis, Melchior Inchoferus, ecclesiasticae Hungarorum historiae scriptor, Geisam a Piligrino Passaviensium antistite Christo initiatum suspicatus est ad a. D. 965. Baronius in hoc Curopalatae loco miratus est, de duce Turcarum ab Ottone capto nihil apud Latinos haberi: ego magis miror, virum doctissimum non animadvertisse, apud Graecos passim et Luitprandum quoque Graecissantem Turcarum nomine Hungaros designatos. Sed veros Turcas Graeci postea Persas dixere, tum quod Turcae primum a Perside viciniisque locis egressi fuissent, tum quod ipsi Graeci veterum Romanorum stylum affectabant, quorum bella cum Persis in oriente celebrabantur. Hungari etiam nostris aliquando Parthi dicti sunt, credo, quod veterum Parthorum more ex equo et sagittis pugnarent. Ita in carmine factum video, quod ex codice Cantabrigiensi erutum infra dabitur.

22. Henricus dux tam laetis rebus frui non potuit, nam ex morbo, quo diu laborabat, tandem decessit. Diem ex nostris fastis Fuldensibus discimus, Kalendas Novembris. Ita etiam recte Aventinus. Juvenis inter elegantissimos sui temporis habitus est. Sed non par animi pulchritudo fuit erga matrem amantissimam ingrato, fratris non regno tantum, sed et vitae insidiato: contentus tandem Bajoariae ducatu visus est, sed irritatus ex adversa fortuna et ex contusione gravissima in Biertanico praelio accepta causarius, aegrum animum in corpore debili circumferens, misanthropia quadam sibi aliisque gravis fuit; juvenum successibus invidens, Ludolfoque et Conrado infestus, quos irritabat ad peccandum, ut censor deinde severus instaret: sed non impune tulit, cum Ludolfum superba oratione in se stimulasset. Etiam saevitiam in victos ad aegri animi argumenta traho; itaque quicquid meruerint Heroldus aut Hungarorum reguli, exempla in eos edita non laudo. Heroldum enim archiepiscopum captum excaecari jussit. Itaque tanquam ineptus sacro ministerio, et ob perduellionem mox a. D. 958. dejectus, Fridericum successorem accepit. Liberos Aventinus Henrico tribuit Ludovicum (mature utique defunctum, si verus est), Henricum, qui puer prima aetate apud aviam educatus est (ut ex vita hujus intelligitur), filias Hedwigem Burcardo Sueviae duci nuptam (ipse male Lutgardem vocat), et Eilicam virginem sacratam, Patavii sepultam. Addenda est certior hac Gerberga abbatissa Gandeshemensis, Aventino ignorata, quae aliquoties nobis memoranda occurret. Hedwigis eruditionem celebrat Ekkehardus Sangallensis, Gerbergae Roswita poetria apud Gandeshemenses monialis, quae non tantum dominam, sed et magistram agnoscit, et aetate minorem, sed ut imperatoris neptem

docebat, scientia provectiorem scribit, quae ipsi autores veteres indicasset: A. 955.
huic et panegyricum Ottonis Magni dicat. Scriptores Saxones sequiores Bothonem chronici picturati autorem secuti, Brunonem liberis Henrici addunt, mediae, vel potius renovatae veteris Brunsvicensium familiae autorem. Id nullo ex antiquitate argumento dictum diu putavi, eoque aegrius fidem adhibui, quod is Bajoariorum scriptoribus ignoretur, donec monumenta hactenus inobservata sese obtulere, quibus Bothonis narratio comprobatur, de quo infra. Henricus patri in ducatu Bajoariae successit.

23. Aventinus hoc tempore sub ducis autoritate limiti Austriaco praefuisse scribit Burcardum, Carantanis vero Bertoldum, Bertoldi nuper ducis filium, de quo pluribus infra. De Schirensibus hic disquirere magis operae pretium erit. Arnulfi ducis filios nominant veteres, et ex iis Aventinus Eberhardum, Arnulfum et Hermannum. Eberhardus cum patre mortuo ducatum inconsulto rege tanquam sibi debitum usurpasset, et obsequium detrectasset, non tantum potestatem arreptam amisit, sed et, narrante Aventino, captus et in Sueviam deportatus est. Obiisse jam, crediderim, quia nulla amplius mentio ejus fit. Ab ipso veteres Austriae marchiones ducesque Blondellus et alii quidam non recte deducunt. Fratres reconciliatos regi, et quod a duce proximum, praefectos praetorio factos et Frisingensis ecclesiae advocatos, idem Aventinus memoriae prodidit. Comites palatinos regni Bajoariae intelligit, sed hoc de solo Arnulfo verum reperio, et palatinos comites regni tunc fuisse censeo comites urbis, quae regia Bajoariorum erat, in qua primarium palatium, nempe urbis Ratisbonensis, quae veteribus dicta creditur Augusta Tiberii, quod tamen Velsero minus probatur. Et vero notavimus ex biographo Udalrici, Arnulfum filium Arnulfi ducis dici comitem palatinum, et tamen eundem mox etiam appellari Arnulfum de Reginesburg. Quid actum sit de Hermanno Arnulfi fratre, in praelio ad Menchingam anno superiore capto, non constat. Eum, Eberhardo Franco et Giselberto Mansuario in praelio extinctis, in comitiva palatii (sed quam Eberhardus nullam habuit) et ducatu suffectum, specie ac fundamento caret, imo nec locum habere potest, quanquam ita Cl. Tolnero, Nic. Vignierii Burgundica secuto, videatur, qui Ezonis palatini comitis, Mathildae Ottone II. augusto natae mariti, patrem facit. Sed quis tantum Lothariensis regni principem rebellium in Bajoaria appendicem credat; neque aut suo aut familiae favore eam apud caesarem gratiam habuit meruitve Hermannus, ut longe a domo ad magnam dignitatem attolleretur, quae sane latere nos non posset, cum res Lotharienses hujus temporis satis exploratae habeantur.

24. Fama increbuit, Schirensis cujusdam comitis ductu, Hungaros tunc in Germaniam venisse. Eum Andreas presbyter in chronico ducum Bavariae Wernerum appellat et Arnulfi nuper caesi fratrem facit, Aventinus in Schirensi chronico recte filium. Ipse tamen historiam totam in dubium vocat, quod etiam facit Brunnerus, et negat, se Werneri aut impactae Schirensibus infamiae vestigium reperisse. Sed Ottonis Frisingensis oblitus est, et locum biographi praetervidit, qui non, ut Brunnerus, rem ad illam expeditionem Hungaricam, quam Conradus moderatus est,

A. 955. sed ad hanc majorem retulere. Ductorem hostium nominat biographus non Wernerum, sed Bertolfum, Arnulfi minoris non fratrem, sed filium.

25. Sed nunc Frisingensis episcopi verba afferamus, quia illis maxime manifestum fit, ex Schirensibus Witelsbachios, et quod hinc sequitur, duces Bavariae et palatinos Rheni nunc florentes prodiisse. Ita ille in chronico: *Hujus*, inquit, *maximae concussionis autor fuisse ex Bajoariis quidam Schirensis comes memoratur, qui tamen perfidiae suae poenas solvens, dum Ungaros incaute eductos morti exposuisset, ab eis tanquam proditor necatus est. Porro terra ejus in fiscum redacta, partim a rege inter ecclesias divisa, partim haeredibus ejus cum castro Schirensi relicta, aeterno anathemati ab episcopis addicta fuisse traditur. Ex hujus origine cum multi hactenus tyranni surrexerint, Otto palatinus comes, perfidi et iniqui patris haud dissimilis haeres, omnes priores malitia supergrediens, ecclesiam Dei usque in praesentem diem persequi non desistit. Sic enim, mirabile dictu, quo divino judicio nescio, pene tota illa posteritas in reprobum sensum tradita est* etc.

26. Haec episcopus Otto tam acerbe, quod ecclesia Frisingensis quoque cum his comitibus conflictaretur. Sed judicium ejus de divino judicio, audacius aequo, secuta mox tempora refutarunt. Illius, opinor, Ottonis, quem tantopere culpat, filius factus est tandem dux Bajoariae ab ipso Friderico imperatore episcopi nostri cognato et amico. Posteri vero praeter palatinatum Rheni nacti sunt etiam marchiam Brandeburgicam et Hollandiam (quae quidem non tenuerunt), ne quid de imperio regnore Romanorum et Germaniae dicam, quae intra Ludovicum Bavarum et Rupertum palatinum hactenus stetere; novissime etiam regnum Sueciae nacti sunt. Et parum a magna Hispanicae potentiae haereditate abfuere.

27. Itaque Petrus Pithoeus codicem invenit, in quo aliquis non multo post episcopum vivens locum ejus ita correxerat: *Porro terra ejus in fiscum redacta, partim a rege inter ecclesias divisa, partim haeredibus ejus cum castro Scirensi relicta, unum tantummodo coenobium ibi monachorum institutum fore conspicitur. Ex hujus origine cum plures hactenus tyranni potentesque viri, modo vero temporibus nostris praeclara et inclyta soboles Otto palatinus comes illustrissimus de Witelspach, infausti patris, sed nobilis felicior haeres, vir corporis et animi robore praeditus, pluribus opibus et honoribus pollens, filiorumque generosa propagine excellenter dilatatus, emicuit. Quorum unus Conradus nomine, ecclesiastico ordini destinatus, ac postmodum ecclesiae Moguntinae praesul effectus, magnae autoritatis in regno Romano princeps claruit, alter vero Otto major palatinus comes dictus, patri nobilior haeres succedens, vir armis experientissimus, sapientia praeditus, consilio validus, donis liberalis, laudis avidus, fidelitate et omni virtutum probitate conspicuus, cum aliis duobus fratribus suis, Friderico videlicet et Ottone juniore, praeclarissimis comitibus: qui tres germani omnes terrae nostrae primates et barones nobilitate, divitiis, fortitudine, prudentia et aequitate praecellere dignoscuntur. Huic Ottoni majori palatino comiti ob multa virtutum suarum insignia, quae in cunctis regni negotiis et periculis ostendit et*

ertulit, quibus semper imperio fidelissimus agonista et assiduus propug- A. 955.
ator extitit, postmodum ab imperatore Friderico, cum Henricum ducem pulentissimum et potentissimum ob crimen laesae majestatis de Bajoaria xpulisset, ducatus idem Noricus concessus est: quem, dum vixit, summa rudentia paceque rexit, filioque suo parvulo Ludowico, qui modo superstes est, regendum moriens dereliquit.

28. Conradus, Schirensis abbatiae monachus cognomento Philosophus, ui seculo 13. medio floruit, scriptor doctus pro captu temporum et diliens, ab Aventino lectus, prodiit demum Ingolstadii a. D. 1623. curante tephano abbate monasterii, viro erudito, adjecto ipso Aventini chronico chirensi, quod jam ante Biponti a. D. 1600. editum prostabat. Utrumque pusculum nunc Benedicti abbatis non minus laudabili cura recusum est rgentorati. His jungenda sunt, quae Aventinus initio libri septimi histoiarum de Schirensi gente affert. Conradus iste de Hungarorum ductore chirensi rem ipsam refert, etsi in nomine erret: *Inter Schirenses*, inquit, *rincipes Wernerus quidam comes fuit, qui Ungaros temporibus S. Udalrici campo Lyci dimicaturos adversus imperatorem Ottonem, qui Magnus icebatur, apud Augustam duxit, quia hunc idem imperator rebus et patria* extorrem] *proscripserat: qui et nutu Dei et S. Udalrici meritis usque ad num interemti sunt, et septem principes eorum apud Ratisbonam in patiulis suspensi. Ipse autem comes auxilio S. Udalrici evasit periculum, ui eum de lavacro sacro susceperat.* Memorabilis hic est locus, quia on tantum reconciliatum Bertoldum, sed et modum facti rationemque ocet. Credibile enim est, caesis Ungaris, ad fidem et patrocinium patris iritualis et patrimi Udalrici confugisse, cui nihil Otto facile negaturus at; et juveni veniam datam non tantum ob aetatis lubricum, sed et quod, eso patre, pessundata familia, desperatis rebus, recenti et magno dolore feratus, sese in hanc extremam calamitatem praecipitasset. Et juvat cus Arnoldi monachi S. Emmerani, qui libro primo scribit, marchionem rchtoldum, quem mox et comitem vocat (magni scilicet comites tunc archiones vulgo appellabantur), avum suum maternum, cum Michaele iscopo Ratisbonensi de rebus S. Emmerani litigasse, et per falsos conratores causam vicisse. Hos a Deo punitos variis casibus, ipsum terria admonitione tactum Isiningam praedium suburbanum Ramwoldo abbati stea dedisse. Verisimile est, hunc Bertoldum non alium a praesenti isse, Ratisbonae praedia et suburbana quidem facile habenti, ubi pater us comes palatii fuisset. Itaque patrimonium suum recepisse dicendum t, sed praefectura tamen Ratisbonensi seu comitiva palatii excidisse, m tum data, ut suspicor, Burcardo (an Burcardi Allemanniam regentis io, Udalrici propinquo?), quia idem Arnoldus monachus Burchardi archionis, comitis et praefecti Ratisbonensis, paulo post meminit. Nec detur palatinatus honor ad Schirenses nisi duodecimo seculo redisse, mox patebit.

29. Placet hic inclytae gentis deductionem ad ducatum usque Bavaie receptum et Rheni palatinatum adjunctum constituere, quantum per plorata licet. Arnulfi ducis Bajoariae, Henrici Aucupis aemuli patrem

A. 955. Luitboldum, avum Arnulfum ostendimus supra. Conradus monachus sc bit, Arnulfum ducem Schirense castrum habitabile fecisse, quod Aventin et Gewoldus filio cognomini tribuunt. Notavimus etiam, fratrem Bert dum duci successisse, filiumque hujus Henricum Minorem (rebella Majore Ottonis M. fratre nato) ad tempus Bajoariae, postremo Carinthi praefuisse, nec successores reliquisse. Cespitavit Aventinus, qui Bert dum ducem ex hac vita sine liberis migrasse in chronico Schirensi a. D. 947. scripsit. Diximus etiam Arnulfi ducis filiam Juditham fra Ottonis Magni Henrico cum ducatu post Bertoldi mortem datam, fratrib Judithae exclusis; ex his Arnolfum comitatu palatii Bajoariae seu Rati bonensis aliquandiu contentum visum, sed captata occasione ad Ludolfu Ottonis filium patri rebellem defecisse, et sororis maritum pepulisse; s in obsidione Ratisbonae cecidisse; filium adolescentem Bertoldum Hungaros profugisse, seque illis ducem praebuisse, et post cladem eoru reconciliatum, sed praefectura palatii aliisque honoribus bonisque exutu utcunque quievisse, etsi cum monasterio S. Emmerani litigarit. Is est quem Conradus monachus Schirensis et hunc secutus Andreas presbyte Ratisbonensis in chronico ducum Bavariae mendose Wernerum vocat. Bertoldum enim appellat contemporaneus autor Vitae Udalrici August.

30. Ejus filium Ottonem I. fuisse arbitror; nam Aventinus s repertum sibi Ottonem advocatum ecclesiae Frisingensis tempore Ab hami episcopi, qui a. D. 993. decessit. Constat autem, advocatiam h diu apud Schirenses fuisse, eaque demum a. D. 1143. sub Conrado Ter Ottonem Wittelsbachium (ducis patrem) se abdicasse. Ductoris Hun rorum filium Conradus monachus facere videri possit maritum Hazig quae cum filiis monasterium in Fischbaco, postea Schiram translatu fundavit; nam Hazigae filium nominat ductoris illius nepotem. Sed ha temporum series non admittit; Haziga enim vidua fundationem aggres est circa a. D. 1077. Neque ergo verisimile est, patrem mariti jam a. 955. floruisse. Itaque largius accipiendus est Conradus, ut nepotes il sint, qui posteri, more etiam Latinorum: et hoc sensu postea ait, nep eorum, qui multa mala commiserant et a sanctis viris Udalrico et W gango cum castro Schiren execrationem pertulerant, id castrum tand Deo consecrasse. Recte igitur Aventinus, ut apparet, personam interp Ottonem Tutae maritum, qui fuerit advocatus Frisingensis, episcopis G delscalco, Friderico et Angelberto Abrahamum secutis, et quorum ulti sub Conradi Salici imperio aliquandiu superfuit. Et provocat ad tabul Frisingensis fidem, et hoc quidem in chronico Schirensi; in historia v etiam Henrici III. praeceptum citat, in quo et Kelheimum tenuisse dic Otto iste, quem nos secundum appellabimus. Sed ille male, ut arbit jam tum palatinum comitem appellat. Aribonem hoc titulo reperio in ejusdem augusti praecepto a. D. 1041, quod in Metropoli sub Frising sibus extat. Dignitas illa (ut dixi) sequente demum seculo ad Schiren reversa videtur.

31. Porro Aventinus in chronico Schirensi paulo ante a. D. 1039. Ot (II.) tres filios tribuit: Ottonem (III.) in Schira Hazigae maritum, Arnul

el Arnoldum comitatum Dachau et Landsberg tenentem, et Conradum in A. 955.
rueba vel Valeja. Sed in historia diversus, duos tantum habet fratres, Ottonem Hazigae maritum et Arnulphum maritum Beatricis, ex qua ei nati sunt Otto in Valeja et Conradus in Dachau: quod mihi verisimilius videtur, quia alioqui nulla Valejanorum mentio fieret in bulla Calixti papae circa translationem monachorum in Schiram, quae utique etiam ad Valejanos pertinebat. Et firmat conjecturam, quod in tabula sermone Germanico subantiquo scripta, apud monachos Schirenses in capella principum suspensa a Stephano abbate loci, cum aliis documentis Conrado subjecta, legitur: extinctis Valejanis, bona ad Dachavienses pervenisse. Unde colligas, propiores hos illis fuisse, quam Witelsbacenses, ambos scilicet ex autoris Witelsbacensium fratre ortos. Dachaviam Ambro amnis alluit. Gruba locus fuit ad ripam amnis Montfall, paulo infra arcem Ahamstein, quod docent notae abbatis Stephani ad librum Conradi. Grueba (id est fovea, antrum), Valeja et Montfall (id est montis lapsus) idem fere significant. Credibile enim est, famam illic ingentis alicujus ruinae ad posteros venisse. Hinc jam tres comitum lineae sunt ortae, in Schira (postea Witelsbaco), in Dachavia et in Valeja; et forte ex aliquo Ottonis II., patruo * Ottonis III. Hazigae mariti fratre quarta in Burgecka; de quibus mox. Conrado referente, fama percrebuit, tantam virorum militarium ex eadem gente multitudinem enatam, ut in ludis equestribus a Welfo duce apud Turegum celebratis triginta viserentur. Tabula Schirensis fratres autores stirpium, inter quos est Otto Hazigae maritus, non Ottone, sed Eccardo quodam natos facit. Sed Aventinum sequi malo; autor enim tabulae a Conrado monacho non bene inspecto deceptus videtur, et Hazigae maritum cum Ottone palatino (nepote ejus ex filio Eccardo) confudisse. Arnoldum Conradus antiquissimum (id est primum) Dachaviensium vocat. Autoritate bullae Calixti papae ei tribuuntur ex Beatrice filii Conradus et Otto. Ottonem Valejam accepisse videri, diximus, cujus posteritas non duravit. Conradus Utildem, Conradi ducis Meraniae filiam, duxit; unde nati Arnulfus comes Dachaviensis, cum Friderico I. imperatore in Italiam profectus et in expeditione Mediolanensi defunctus, et Conradus dux Meraniae (Dalmatiae vocat Conradus monachus), qui a. D. 1158 Bergomi vita decessit, relicto Conrado puero; quo ante pubertatem defuncto, haereditatem Dachaviensem (Conrado memorante) fertur Otto dux Bavariae pecunia viduae ducis, alteri Udahildi numerata, crevisse.

32. Sed ad Schirensem lineam redeamus: Otto III. uxorem duxit Hazigam, quod interpretor Hedwigem, et ex ea habuit filios Eccardum, Bernardum, Ottonem IV, quo fili ordine recensentur in bulla Paschalis papae a. D. 1003. Porro in sylva montibus aspera inter Oenum et Isaram, non procul Willinga et rivulo Dizentenbach eremitae quidam degere coeperant; quibus cum se alii adjunxissent, Haziga in eos liberalis fuit, deinde transtulit congregationem in Visbacum, quem locum, facta permutatione, ab episcopo Frisingensi acceperat. Ecclesia a. D. 1087. consecrata est, monasterium Hirsaugiensi summissum. Postea novum ibi

*) *sic codd.; legendum*: Ottonis III. Hazigae mariti patruo, Ottonis II. fratre.

A. 955. fratribus monasterium in honorem beati Martini construxit, quod consecratum est a. D. 1101, oblatumque sedi Romanae Pascalis III. in tutelam suscepit confirmavitque a. D. 1103. Defunctis Haziga, Eccardo, Bernardo superstes Otto IV. comes monasterium Visbaco transtulit in Usenhovam vel Eisenhovam mitiorem ad amnem Glanam locum, qui illi cum Bertoldo comite Burgeccensi inde a parentibus communis erat, ut habet diploma Henrici V. Unde intelligimus, cognatos fuisse, et Bertoldum verisimile est ex Ottonis II. fratre ortum; neque hic minus in monachos liberalis fuit. Conradus scribit, testes donationis Bertoldi fuisse Ottonem comitem (de Schyren), Arnoldum comitem (de Dachau) et filium ejus Conradum; tum Ottonem et Udalricum fratres de Schyren, *qui*, inquit, *postea castrum Witelinesbach possederunt.* Horum testium et aliorum, quos subjicit, nomina ex tabulis sumsit, quas non habemus. Monasterii translationem caeteraque acta Paschalis idem papa confirmavit a. D. 1104. constituitque, ut Bertoldus et post eum Otto aut Ottonis filius advocati essent: et a. D. 1107. approbatio Henrici V. accessit. Haec diplomata Stephanus abbas edito a se chronico Conradi cum aliis subjecit.

33. Ex tribus fratribus Eccardum (an primogenitum?) advocatum Frisingensem fuisse, diserte et plus semel ex tabulis notat Conradus noster. Eccardum in Orientem profectum, habet tabula Schirensis, sed non cum Conrado rege, ut eadem addit, cujus expeditio ad annos Domini 1147. 1148. pertinet; nec cum Godefrido Bullionaeo, ita ut a. D. 1096. vel 1097. obierit, ut vult Blondellus in tabula genealogica *Schirensium*, operi genealogiae Francicae inserta n. 96; utraque enim sententia cum adductis modo pontificum bullis pugnat; sed cum Welfo duce (quemadmodum alii), ut circa a. D. 1101. vel 1102. defunctus videatur. Eccardum Bundschuhium, id est Peronatum, dictum habet tabula Schirensis, *cognomine vel* cavillo militari, nunc quoque famoso, quod perones (calcei genus) rubris corrigiis astringeret pedi et exutos pro tentorio suspenderet, quasi tesseram suis, quam et alii libenter sequebantur ob virtutem et famam viri. Ea appellatione aut contesseratione postea tumultuantes rustici abusi sunt. Huic Eccardo diserte filium tribuit Conradus Ottonem palatinum comitem, cui addendus videtur frater Udalricus; nam, ut jam diximus, *Ottonem et Udalricum fratres de Schiren, qui postea castrum Wittelenspach possederunt*, inducit Conradus inter testes donationis a Bertoldo Burgeccensi comite a. D. 1104. factae, cum paulo ante, sed comitibus de Dachau scilicet interpositis, aetatis, credo, ordinem secutus, Ottonem comitem de Scheiren (nempe patruum eorum, Hazicae filium) inter eosdem testes primum nominasset. Binis his fratribus Aventinus Ludovicum nulla autoritate addit, eosque omnes tres per errorem hujus Ottonis *Haziga nati* filios facit, eaque re genealogiam valde perturbavit; nam alii ejus in ea re autoritatem sunt secuti, Conrado monacho vel neglecto, *vel non viso*. Ego potius hujus Ottonis filios esse judico novam fratrum trigam, priori cognominem, Ottonem, Bernardum, Eccardum. Nam hos Ottonis palatini Eccardo nati patrueles appellat ipse Conradus verbis mox adducendis, et Aventinus in historia Wolfrathusanos facit. Ibidem Ottoni Hazigae

filio conjugem tribuit Richardam Magni Saxoniae ducis filiam, sed aliis A. 955. prorsus ignotam, ubi silenda non esset. Et in Schirensibus Agnetem ex Lotharingia Ottonis palatini matrem facit, quod ipsum quoque incertum videtur. Ottonem Haziga natum quatuor filios reliquisse, atque inter eos haereditatem divisisse, cum in Orientem proficisceretur (quod inter 1107. et 1123. factum fuerit), habet idem Conradus. Itaque putandum est, quartum decessisse, quo tempore tres caeteri, Otto, Bernardus, Eccardus in diplomatibus nominabantur, id est circa a. D. 1123. An Eccardus novissimus is est, qui monachum apud Schirenses professus scribitur? Et fortasse eorum posteri, extinctis prioribus lineis, Dachaviam et Valejam nacti sunt; nam post mortem Ottonis ducis adhuc comites de Dachau et de Valeja invenio in tabulis Conrado monacho subjectis; propagatam tamen ab iis stirpem, non apparet. Sed nunc prosequendi sunt Witelsbacenses.

34. Otto ergo (quintus scilicet nostro calculo, filius Eccardi Peronati) factus comes Bavarorum palatinus, Schirensibus hanc dignitatem primus recuperavit; nam quod Aventinus in Schirensi chronico Ottonem Hazigae filium jam palatinum vocat, autoritate caret. Palatinus novam monachorum translationem molitus est ad ipsam Schirae arcem, ubi tandem quieverunt. Ipse Schira relicta, Witelsbachii sedem delegit. Religionem ei agnatisque injectam, Conradus et Andreas presbyter Ratisbonensis scripsere, quod arcem olim sancti viri Udalricus et Wolfgangus diris devovisse dicerentur; ob majorum scilicet facinora, quae non melius expiari posse visum est, quam si ipse locus Deo dedicaretur. Divinis cogitationibus humanas accessisse crediderim cum Aventino: arx enim multis communis ob sparsam late familiam, haud satis refecta ruinam minabatur, palatinus jam commodiorem aut amoeniorem habitationem Witelsbachii delegerat: ergo optimum visum, monachos, iniquiore sede Isenhovae laborantes, loco tuendo colendoque immitti; de qua re ita Conradus: *Palatinus comes Otto et patrueles* [patruo scilicet Ottone Hazigae filio nati] *Otto, Bernardus, Eccardus et comitissa Beatrix* [Arnoldi vidua] *et filii ejus comites Conradus et Otto de Dachau cum quinque aliis comitibus* [an, ut ex dinumeratione judico, per errorem ex male intellectis Callisti papae, aut ab Eugenio III. alia bulla male explicatis verbis nati?] *investitura* [seu traditione] *chirothecae per manum fidejussoris* [seu mandatarii] *ad altare S. Petri principis* [apostolorum] *apud Romam, temporibus Kallisti* [an nomine ducto ex Graeco?] *hujus nominis II. papae, multa beneficia et praedia Brunoni abbati* [Schirensi] *et ejus successoribus* [et beato Petro] *ad fratrum inibi* [in novo Schirae monasterio] *congregatorum utilitatem obtulerunt*. Et additur statutum, *ut singulis annis ab abbate nummus aureus, quem Bizantium dicimus, ad altare S. Petri Romae persolveretur*, translationem autem factam a. D. 1123. Haec Conradus, cui conspirat Callisti papae privilegium pro loco Scheiren [ut inscribitur in editione], quod epistola ad Brunonem abbatem constat, aitque, *locum ab Othone palatino comite consentiente egregia foemina Petrissa comitissa* [id est Beatrice, ad Italicum pronuntiandi morem in

A. 955. Beatrissam vel Petrissam corrupta] *et aliis quinque comitibus* [Conrado et Ottone filiis Beatricis; et Ottone, Bernardo, Eccardo filiis Eccardi Peronati, his ergo supra Conradus monachus male addidit alios quinque non nominatos] *in chirothecae investitione per manus suas Deo et beato Petro oblatum, conversationi monasticae aptum et fratrum usibus opportunum.* Quod ille confirmat et statuit, *ut quaecunque praedia vel bona nobilis memoriae Hazacha cum filiis suis Eckahardo* [Peronato], *Bernardo, Ottone* [III.] *comitibus, seu etiam illustris recordationis comes Perchtoldus* [de Burgecka], *comes etiam Conradus et frater ejus Otto* [filii Arnoldi et Beatricis, Conradus de Dachau, Otto de Valeja], *et fratres Otto, Bernardus et Eckahardus* [filii Ottonis de Wolfratshausen] *aliique fideles Christi obtulerunt* aut offerent, *firma permaneant.* Data Laterani 7. Kal. April. ind. 1, a. d. inc. 1123, Calixti II. papae quinto. Quae tabulae genealogiam Schirensem egregie illustrant, collataeque Conrado errorem Aventini et hunc secutorum jocularem detegunt, qui novi nominis comitissam Petrissam Eccardi Peronati conjugem nobis obtruserunt. Ita nunc res haec omnis in clara luce collocata videtur.

35. Caetera jam vulgata: nam Ottonem palatinum comitem dictum de Witelsbach tabulae scriptoresque memorant. Interpolator Ottonis Frisingensis in codice Pithoeano vocat infausti patris, sed nobilis feliciorem haeredem. Patris Eccardi casus infelix fuerit, quod male periit in Oriente. Ipse Otto juvenis memoratur inter testes cum fratre Udalrico in tabulis datis a. D. 1104, id est in donatione comitis Bertoldi apud Conradum et apud Aventinum in Schirensi chronico anno eodem. Uxorem palatini Conradus Helicam facit, filiam comitis de Lengenfeld. Monachos Schira transtulit circa a. D. 1123; senex advocatiae Frisingensi in gratiam Ottonis episcopi renunciavit a. D. 1142. et tabulae Conrado sunt subjectae. Coenobium Undersdorf in Bajoaria fundavit ad Glanum amnem. Quid de fratre aut fratribus actum, haud constat; posteritatem eorum aut nullam fuisse, aut mox cessasse oportet, neque enim amplius memoratur.

36. Filios ei quatuor tribuunt uno consensu codex Pithoeanus super citatus, Conradus monachus, Aventinus aliique, in historiis et tabulis nominatos: Conradum archiepiscopum Moguntinum, Ottonem comitem palatinum secundum ac paulo ante obitum Bavarorum ducem, Fridericum, Ottonem Minorem. Conradus variis casibus exercitus est, quod Alexandro III. papae contra Fridericum I. augustum faveret, dejectus sede Moguntina ab imperatore, creatus est a papa Sabinensis episcopus cardinalis, et reconciliatis rerum arbitris Salisburgensem ecclesiam obtinuit, tandemque, extincto Christiano aemulo, Moguntinae sedi est restitutus. Otto palatinus eidem augusto in bellis perpetuus assecla et vexillifer, paulo ante mortem ducatum Bavariae obtinuit et filio Ludovico aetate minori reliquit. Ita palatinatus in Fridericum, et hoc defuncto in Ottonem Minorem, Majoris fratres, translatus est. Et notat Conradus monachus, puero Ludovico ducatum consilio Friderici quondam palatini, tum Ottonis palatini fuisse rectum. Uxorem Ottoni duci tribuit Aventinus Agnetem de Wasserburg, Blondellus in tabulis 96. et 143 Ludovici comitis Lossensis

ıt Ermesindae de Reinek filiam facit; et favet in filio nomen Ludovici. A. 955.
Fridericus, quod religiosam vitam inter monachos agere soleret, Bardus Aventino (nescio an et aliis ante illum) dictus est: ea vox enim iis temporibus non stupidum, sed laicum ad fratres conversum significabat; ut vel ex verbis ejusdem Aventini intelligi potest, qui in Schirensi chronico ad a. D. 1087. notat, Wilhelmum Hirsaugiensem abbatem, Hazigae ex suo monasterio duodecim sacerdotes totidemque bardos (id est laicos) misisse. Otto Minor palatini Wittelsbachii nomen retinuit, quod in filio Ottone evanuit, cum is, Philippo Suevo rege occiso, poenas morte luisset. Ottonis ducis filius Ludovicus non tantum ducatum Bavariae tenuit, sed et palatinatu Rheni auxit, Ottoni Illustri filio procurata in matrimonium Agnete, filia Henrici ex Guelfis ducis Saxoniae et palatini ad Rhenum, Henrico Leone nostro nati; unde jam utraque familia ducum Bavariae et palatinorum Rheni notissima celeberrimaque descendit. Sed tabulam gentis ad diramationem usque subjiciamus, multum a Gewoldina, Blondelliana, Tolneriana aliisque deductionibus diversam.

37. *[Vide* Stemma Schirense seu Palatino-Bavaricum *in tabula adjecta.]*

38. Multi veteres Austriae marchiones a Schirensibus ducunt, quos inter sunt Gewoldus (Brunnero refutatus) et Blondellus. Alii rectius a Suinfurtensibus, quos inter tamen illi errant, quibus Bertoldus, Ottonibus coldus, marchio Austriae videtur; ego arbitror, marchiam habuisse Nordgaviensem, quae postea Chamensis vel Vohburgensis dicta est, opposita Bohemis. Ejus filius Henricus Henrico Sancto rebellis fuit. Sed fratrem Bertoldus habuit Luitpoldum, veterum Austriae marchionum autorem: ambo Adalberto Marthalensi anno superiore caeso nati fuere, quae partim ibi praeoccupavimus. Sed Henricus dictus Minor dux Bavariae ad tempus, et mox Carinthiae sub Ottonibus II. et III, non hujus Bertoldi Suinfurtensis Franci, sed Bertoldi Bajoariae ducis filius fuit, quemadmodum tandem comperi, nodis genealogicis solutis. Sed ea de re rursus erit dicendi locus.

39. Antequam hinc abeamus, Eberhardi occasione, Bajoariorum in magno cum Hungaris praelio ductoris, de Ebersbergensibus comitibus ex Brunnero domestica eorum documenta secuto, tum etiam ex Guelficis monumentis aliquid dicere operae pretium erit. Semptani comites dicebantur ab amne Sempta, Aventinus Latinitatis affectatione Senones vocat. Sighardum gentis primum historicis cognitum, inepte Carolomanni regis Bajoariae nepotem aut pronepotem faciunt. Eum comitem esse, opinor, qui in Ludovici regis adolescentis tabulis memoratur, quas Frisingensi ecclesiae datas retulimus ad a. D. 907. Hunc nugantur, caeso apro, haud infra Erymanthium terribili, hinc castro suo nomen Ebersbergi dedisse. Ejus filium Ratoldum sub Conrado rege Hungaris restitisse. Hoc nati Eberhardus hic noster, Hungarica victoria clarus, et Adalbero frater, gentis propagator. Eberhardus Orbus coenobium Ebersburgense struxit. Adelberone nati Udalricus et Adelbero Secundus, parthenonis in Kubachensi vico ad Barram amnem conditor ad a. D. 1001. Udalricus cum fratre aedem Ebersbergensem, ab Eberhardo patruo coeptam, a Friderico Salisbur-

A. 955. gensi praesule dedicari curavit, et pro canonicis monachos Benedictinos induxit. Udalrici filio Adelberoni III. Richildem, Rudolfi ex Guelfis Alterfensis comitis filiam copulant circa a. D. 1095. Sed sterili matrimonio familiam terminatam ajunt, Beurensisque monasterii tabulis Adalberonis beneficentia celebratur. Sed in anno erratum esse, matrimoniumque cum Guelfa multo ante initum fuisse oportet, quia Richildem vel Richardam ex Rudolfo Guelfigena Conradi Constantiensis episcopi fratre natam habet historia vetus Guelforum Wingartensis. Conradus autem a. D. 974. senex decessit. Itaque Richildem anteriori Adalberoni, patruo novissimi, Kubachensis puellarum monasterii conditori nuptam malim, conjugiumque cum Richarda non a. D. 1095. sed 995. contractum. Guelficus ille scriptor haec habet: *Richardem unus de majoribus Bajoariae comitibus uxorem accepit, sed quia ex ea haeredem non habuit, tres abbatias ex suis praediis magnifice, ut adhuc cernitur, fundavit, quae sunt Ebersberg, Goubach* (Kubbach), *Gisinveld* (Geisenfeld). *Et insuper Guelfoni fratri uxoris suae Uringen et Selinbach cum omnibus appendicibus suis donavit, ipsaque Richardis Ebersbergae sepulta est.* Haec Wingartensis scriptor. Ego coenobium Kubachense fundasse, Ebersbergense auxisse interpretor.

40. Sed nunc a genealogicis disquisitionibus ad filum historiae redeamus. Rege in expeditione contra Hungaros versante, Bruno archiepiscopus cum videret, auxilia a se fratri in tempore adduci non posse: veritus, ne barbari, ut antea, in regnum, quod administrabat, irrumperent, militem contractum locis opportunis collocavit. Et cum Ludolfus animo et corpore aeger, reconciliatus patri, sed recente offensa adhuc procul aula ageret, juvenem patruus adit, et dulcibus alloquiis effusaeque caritatis officiis mulcet, simul Bonnam ad se invitat. Ibi novum consilium suggerit, quo dignitati ejus et ambitioni, simul et regi patri satisfiebat. Berengarium constabat pacta legesque obsequii violare et odio populorum et procerum premi. Itaque factum mox est instinctu hujus consiliarii, ut pater filio integri amoris demonstrationem redderet, totamque (ita Rotgerus) Brunonis biographus loquitur) Italiam delegaret. Itaque Witikindus et Ditmarus rem acu non tetigere, quibus visum est, Ludolfum adhuc aversum animum retinuisse, et ut fidem amicis servaret, patria cessisse, Italiam cum illis adisse; quasi hoc injussu regis fecisset. Ditmarus addit, malorum depravatum consilio, rursus patri restitisse, et patria relicta, in Italiam perrexisse. At ego Rotgero Brunonis, ut apparet, familiari magis credo; rebusque ipsis persuadeor, tantam rem invito patre suscipere non potuisse; utique post ducatum ablatum, praediis assignatis expeditioni Italicae haud suffecturis. Accedit Roswita poetria ejusdem temporis Rotgero conspirans, quae dubitationem omnem tollit, ut mox legemus.

41. Rex a Slavico bello ad Hungaricum vocatus, partem copiarum Saxonicarum domi reliquerat, quibus Herimannus dux praefuit, eumque adjuverunt viri eminentes, domi militiaeque optimi, ut Witikindus appellat, Henricus praeses seu comes insignis et frater ejus Sigifridus ex Stadensi gente, avunculi Ditmari episcopi Merseburgensis. Equidem Wigmannus et Ecbertus rebelles regi consobrino, barbarorum, quos Obotritos puta

reguloe exciverant, Nacconem et fratrem ejus Stoinevum; Ditmarus Steig- A. 955.
neum (an Sboigneum?) vocat. Transfugas cum in oppido Suithleiscrana, hodie ignoto, Herimannus esse comperisset, opprimere incautos tentavit, et parum abfuit, quin oppidum caperetur; excitatis tamen clamore praesidiariis, caesi sunt tantum quadraginta armati hostium, deprehensi extra urbem. Haec initio quadragesimae acta. Barbari vicissim post pascha duce Wigmanno irrumpunt in Saxoniam, et Cocareshemium, haud magis hodie notum, obsident. Herimannus exiguis copiis praevalidum hostem aggredi et rem aleae committere non ausus, invito Sigefrido dedi locum passus est. Pactum est, ut ingenui homines cum uxoribus et liberis exirent, servitia, supellectilem, fortunas omnes hosti relinquerent. Slavis intra moenia admissis, quidam uxorem suam, captivam, Saxoni nuptam, conspicatus, manum mulieri injicit, a marito repellitur pugno impacto, Slavus injuria incensus clamat, conditiones violatas: tumultu excitato, Slavi in caedes versi oppidanos trucidant, uxores et liberos in servitutem abstrahunt.

42. Rex, dilata vindicta, in Bajoariam contra Hungaros contendit, sed dum abest, adhuc alia accepta est clades. Etiam superiores Slavi, Luticii opinor, Hungaricae irruptionis fama exciti, hostilia agebant. Gerone in regis exercitu, ut apparet, versante, missus est in eos Thiadericus, qui cum hostes in oppidum quoddam compulisset eique ignem injecisset, in reditu damnum passus est. Cum enim arcta esset via in loco paludoso haud procul urbe, maximaque pars Saxonum ex angustiis evasisset, tardiores ab insequente hoste pressi, in foedam se fugam conjecere: caesi sunt quinquaginta viri fortes, multi capti aut in paludes compulsi. Majorque quam pro damno terror Saxoniam concussit, cum alia in parte etiam regi timeretur.

43. Otto igitur, bello Hungarico confecto, reditum in Saxoniam praecipitat, ubi Hermannus defensione regionis contentus, vires interim compararat, accessere quos rex adduxit. Filium etiam Ludolfum a Brunone reducem affuisse, invenio apud Hepidannum. Boleslaus cum Bohemis suis hic etiam praesto fuit, ex Frodoardo. Venienti regi affuit Slavorum legatio, qui, audita Hungarica victoria, jam sibi metuebant, offerebantque tributum de more, sed libertatem regionum suarum retinere volebant. Rex ob damnum injuria illatum satisfaciendum sibi respondet, puniendosque incentores. Etiam de transfugis consultatum est: Wigmannus et Ecbertus hostes patriae judicantur, caeteris reversuris venia datur. Inde rex ingenti succinctus exercitu, hostilem agrum longe lateque vastat, oppida expugnat, ferro, igne grassatur, tandem ad Raxam fluvium pervenit. Reka Slavis est nomen amnis in universum. Rakoniza esse potuerit inter Penam et Warnam fluens. Nostris in regionis interiora progressis hostes undique circumfunduntur. Insidebant sylvas a tergo, et Saxonibus in fronte obstabat amnis difficilis transitu ob paludes ripis affusas. Etiam commeatus difficultate laborabatur, et morbi in exercitu grassabantur. Gero Stoinevum forte conspicatus in altera ripa, salutat ut notum, hortaturque, ut se submittat invicto regi, qui ipse in exercitu esset; excusabiliorem fore, si contra legatum pugnaret. Stoinevo barbarum frendente, Gero: *Si*

A. 955. *tantum*, inquit, *vobis audaciae adest, cur non aequo vos loco committitis, sive transire, sive nobis transitum dare malitis, ut fortitudinis vestrae documenta dare possitis.* Irridere hostis et convicia jacere, qui non ignorabat, quo loco Saxonum rès esset. Tum Gero commotus, ut erat acer et injuriarum impatiens: *Cras*, inquit, *poenas dabis.*

44. Erat magna Geronis celebritas ex victoria proximo vere ab Ucranis reportata, minaeque ejus haud vanae habebantur. Itaque hinc rex summo mane machinas et sagittarios in ripa collocat, quasi transitum vi tentaturus, illinc Slavi densati totis viribus sese opponunt. Interim Gero, ducibus Ruanis, sive Ranis (qui et Rugii) locorum gnaris, qui Obotritis infesti inter auxilia erant, alibi tribus pontibus structis flumen trajicit, et loco capto sese munit, reique nuncium ad regem mittit. Re intellecta hostes turbantur; nam ob fluminis flexum magno circuitu opus habebant, ut illuc irent; rex breviore via ad pontes veniens, nullo resistente transmittit. Slavorum pedites fatigati ac territi, facile cessere, caedesque magis quam pugna fuit. Stoignevus in colle vicino eventum rei prospectans, sese cum equitibus in fugam conjicit, sed Germani praeverterant. Stoignevum quidam Hosed miles strenuus in luco proximo deprehensum obtruncat, caputque et spolia reguli ad Ottonem defert, et ob rem bene gestam praedio viginti mansuum donatur.

45. Magna pars hostium in fuga periit, caedes in multam noctem protracta est. Castra capta, incentores rebellionis capite caesi, consiliarius Stoignevi, qui autor mali habebatur, erutis oculis, lingua etiam abscissa, inter cadavera relictus est. Stoignevi caput in palo defixum spectaculo fuit. Nacco (Fabricio Chemnicensi nescio unde prodente) sese ad Danos recepit. Wigmannus et Ecbertus elapsi ad Hugonem Gallorum, principem, ambiguum Ottonis amicum, confugere. Ita duae victoriae insignes uno anno partae sunt. Quod dieserte docent Frodoardus et Reginonis appendix, neque recte Slavicam Fabricius in biennium differt. Ambae non sine discrimine fuere; nam Ottonem cum Obotritis periculosissime conflixisse, in chronico veteri Quedlinburgensi ad hunc annum legitur. Id in festivitate S. Galli factum, Hepidannus scribit. Slavos appellat Abatarenos, Vulcos, Cyripsanos et Tolosanes, quos ego interpretor Abotritos, Wilzos, Cyrcipanos et Tolosantes, quorum omnium jam mentio facta est situsque certus habetur. Unde intelligas, bellum, consurgentibus pluribus populis, magnae molis fuisse.

46. Hoc anno Otto non tantum triumphis, sed et liberis auctus est, cui initio anni nata est filia Mechtildis, sub exitum filius Otto. Nam etsi neutri mensis aut dies genialis a scriptoribus assignetur, Reginonis tamen continuator nativitatem Ottonis postremo rerum hujus anni loco memorat, solitus sic satis in collocandis cujuscunque anni rebus temporis ordinem sequi. Sed chronicon vetus Quedlinburgense, quod primus in lucem produxi, ad hunc annum scribit, Mechtildem, gemmam coronae praelucidam suis decori, cunctis gaudio, nascendo nunc enituisse. Ergo si Otto descendente anno natus est, ipsam non multum ab initio in lucem editam oportet. Ubi adolevit, parthenoni Quedlinburgensi praefecta est. Cae-

erum Henricus Ottonis ex Adelheide primogenitus vitae brevissimae fuit, A. 955. Bruno alter biennio abhinc decessit. Ottonem pater deinde Brunoni patruo erudiendum dedit.

47. In Anglia, Edredo defuncto, Eduinus Edmundi fratris filius successit, qui juveniliter lasciviens, cum ea, qua consecratus est die, surgens de mensa, cui cum proceribus assidebat, relicto coetu in gynaeceum se abdidisset, ibi ab irrumpente jussu Odonis Cantuariensis archiepiscopi caeterorumque procerum abbate Dunstano inter mulieres deprehensus, et ad convivium retractus est; ea tunc cleri potestas in reges censoria erat: inde odio concepto, abbatem in exilium pepulit, qui honorifice susceptus ab Arnulfo regiae stirpis, ut ait Rogerius Hovedenus, comite, scilicet Flandriae, ex Alfredi regis filia nato, per triennium in Blandiniensi ad Gandavum monasterio egit, donec post ab Edgaro Edmundi fratre, laudato principe, revocaretur.

48. In Gallia Hugo princeps jam iterum pueri regis potens, reginam matrem cum eo Parisios tanquam in ditionem suam invitat ad paschalia festa celebranda. Inde regem in Aquitaniam ducit, sumto colore, ut a proceribus agnosceretur; vero consilio, ut ejus autoritate etiam Pictavos, pulso Guilielmo, in potestatem redigeret, nuper concessos facilitate Gerbergae. Sed Wilhelmus in urbe praesidium collocarat. Ipse ad vires contrahendas prohibendosque commeatu hostes exierat. Itaque obsidio diuturna et irrita fuit, castrum tamen urbi contiguum, quod S. Radegundis dicebatur, a Ragenoldo comite per stratagema captum succensumque est. Tandem cum per binos menses frustra assedissent, victus penuria obsidionem solvere coacti recessere. Eo Wilhelmi audacia crevit, qui carpere redeuntium terga instituit. Sed cum propius accessisset, conversum in se equitatum regis numero superiorem non tulit, et versus in fugam, multos suorum amisit, nobilesque aliquot Aquitani capti sunt. Wilhelmus nihilo secius ditionem retinuit, et acta Hugoni imputans, a regis fide non discessit.

49. Paulo post Giselbertus dux Burgundiae obiit, et Odoni filiae Leudegardis marito, Hugonis principis filio, ditionem reliquit. Ita Hugonis potentia novo incremento aucta est, et propius regio fastigio admovebatur, quod tandem filius Hugo Capetus conscendit. Porro ducatus Burgundici initium hinc repetendum est. Hugo princeps jam partem hujus regionis post mortem regis Rudolfi fratri ejus Hugoni Nigro extorserat, reliqua morte Nigri transierat in Giselbertum, qui a patre suo Manasse jam tum comitatus complures, Cabillonensem, Autissiodorensem, Divionensem, Belnensem, habuisse creditur. Ita in Odone Hugonis filio, Giselberti genero, coaluit corpus insigne Burgundici ducatus, qui per multa secula in Capetina familia permansit. Et extincto Carolo Audace seculo post Christum natum quinto decimo, a rege Galliae Ludovico XI. coronae vindicatus est, etsi Maria filia Audacis cum marito Maximiliano Austriaco ad jus succedendi traductum in foeminas proclamaret.

50. Mabilio hoc anno n. 79. donationem refert, monasterio S. Petri Carnutensi factam alodii in villa Condato, territorii Corbonensis ad fluvium Odanam. Id quidam vendunt Girvardo militi fratrique ejus Gertranno

A. 955. pro 23 solidis nummorum in argento. Chartae apponuntur signa Hugonis ducis et filiorum ejus Othonis et Hugonis, Odonis comitis (scilicet Trecensis et Carnutensis), Hugonis comitis Cenomannorum, Hervei comitis Mauritaniae, in cujus comitatu locus situs erat, Lamberti vicecomitis et aliorum. *Data est 7. Kal. Jul. anno primo regni regis Chlotarii.* Hanc vero chartam *posuit Girvardus super altare S. Petri in signum donationis.* Est ob signantium dignitatem notabilis. Idem alodium deinde Girvardi propinquis concessum est ad tres vitas sub annuo censu. Theobaldum his temporibus Blesensem comitem abbatiae Salmuriensis sive fundatorem sive adjutorem memorat Mabilio ad a. D. 956. n. 100. Wilhelmum Pictavum etiam Arvernos tenuisse, notat a. D. 955. n. 81. In provincia Arelatensi Crifo comes Aptensis Crifonis filius cum nepote suo Rostagno episcopo quaedam coenobio Montis majoris Arelatensis donat, anno 13. Conradi regis Alamannorum et Provinciae (id est Burgundici vel Arelatensis regni), ibidem n. 82. Quae notasse non inutile erit: cur appellatus sit rex Allemannorum, suo loco dictum est.

pı

dux belli contra Hungaros
fundator monasterii su.

comes de An‹

Gebhardus
episcopus Ratisb. † 1023.

Rapato vel Rat.
comes de Hohenwart.
dat ei conjugem Emma
Ortulfum et Willet

Albert
comes Goritiae, co
Carinthiae ab Hen
cujus posteritas no
ditio pervenit ad B
At Lazius huic filio
hardum marchione
burg, Bertoldum e

Blondellus Bertoldo et Sophiae tribuit liberos Bertoldum, Agnetis Neoburgicae maritum, Henricum Ratisbonensem episcopum et Ottonem Ottonis et Leopoldi patrem, quorum posteritas cessat. Ex Bertoldo et Agnete natum S. Ottonem et Bertoldum Istriae marchionem praeter filias. Blondellus Agnetis Lusaticae maritum ignorat Bertoldum illum, cujus patruus S. Otto fuit, obiisse 1204, uxorem habuisse Alidem de Rotechs, fratrem Popponem archiepiscopum Bamb., liberos S. Hedwigem cum fratribus et sororibus ejus.

Bertoldo III, Agnetis Lusaticae marito, Lazius fratres tribuit palatinum Carin
Carinthiae filiae, Bertoldi patrem, Mainardi avum, qui floruerit circa 12
qui Ottoni juniori Meraniae duci successerit, Alberto fratri

Ekkenbertus
episcopus Bambergensis, vicarius Friderici II. in Austria.

Berchtoldus
patriarcha Aquilejensis. Blondellus S. Hedwigi sororem etiam dat Agnetem Philippi II. Galliae regis uxorem tertiam.

S. H
nupta
Barb
Sil

Mainardus, qui Ottoni Meraniae duci successit, ex Lazii relatione filios habuit Ottonem et Ludovicum, Carinthiae duces.

Jungatur genealogia S. Hedwigis ex manuscripta ejus vita excerpta.

